

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google



HANC SEQVIMVR SVPERIQVE PROBANT QVA MOSTRA DOMANTVR

Digitized by Google

MORALIS
D. THOMÆ AQUINATIS
DOCTORIS ANGELICI
ORDINIS PRÆDICATORUM

Ex Operibus ipſius exacte deprompta, & in unum collecta, & Alphabetico ordine digeſta

AD MODUM DICTIONARII THEOLOGICO-MORALIS.

OPUS NOVUM AC SINGULARE, ANGELICORUM DOGMATUM STUDIOSIS, CONCIONATORIBUS, CONFESSARIIS, TOTI DENIQUE ECCLESIASTICO ORBI PROPOSITUM,

In quo nedum Conſcientiæ Caſus reſolvuntur, ſed omnia etiam quæ ad Mores pertinent, clara facilique methodo explicantur.

ACCEDUNT VARIIS IN LOCIS SUMMORUM PONTIFICUM Decreta plures Opiniones Morales juxta Sancti Doctoris doctrinam damnantia : nec non OPUSCULUM vere aureum de CASTITATE tuenda ad calcem Secundi Tomi repoſitum.

AUTHORE REV. PATRE

LUDOVICO BANCEL VALENTINO

Ejuſdem Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Doctore aggregato, & Decano ipſiuſque Profeſſore perpetuo in ſchola S. Thomæ in Univerſitate, necnon Examinatore totius Diœceſis, & Legationis Avenionenſis.

TOMUS PRIMUS

Complectens Litteras A. uſque L.

V.L

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

COMMISSIONE GOVERNATIVA ROMA

VENETIIS, MDCCLXXX.

Apud FRANCISCUM EX NICOLAO PEZZANA.

SUPERIORUM PERMISSU; AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

711

Digitized by Google

JESU CHRISTO
MORALIS HONESTATIS
Authori, Remuneratori Sanctiſſimo.

T*IBI primævæ innocentiæ Reparatori, Aſſertori, ac Vindici Opt. Max. debentur D. Thomæ Aquinatis documenta Moralia. Qui te Judice audivit* Bene ſcripſiſti de me Thoma; *idem Angelicus Doctor de Chriſtianæ diſciplinæ reſtituendæ accommodata Doctrina teſtimonium optat, expectatque in egregiæ Moralis favorem. Dignare non abſimili Typographum, quo Authorem*

Digitized by Google

præmio cumulare , donare . Sicut utrique labor exantlatus communis ; imo communis eſt poſtulatio , ita par eſt munus utrique reſpondere commune . Non aliam uterque Operis mercedem petit , niſi teipſum . Nam ſicuti alteri merces magna nimis exiſtis in Cælo ; ita alteri , nempe mihi , coronam juſtitiæ in ævum duraturam reponas velim . Hæc utrique votorum ſumma : hæc typorum , & Typographi felicitas maxima , ſi ita placeamus , ut tibi complaceamus .

APPRO-

Digitized by Google

APPROBATIO DOCTORUM UNIVERSITATIS AVENIONENSIS.

MOralem Theologiam D. Thomæ in hoc Opus congeſtam, digeſtamque falſo dixerim me vel inſpexiſſe diligentius, vel accuratius expendiſſe. Cognitoris illud eſt, ac cenſoris officium, quod abſit, ut in hac cauſa mihi arrogem de trivio Theologus, & diſcipulorum tanti Doctoris omnium poſtremus. Hoc unum teſtor, virum doctum, qui collectionis eſt auctor in hac Provincia diligentiſſime, & fideliſſime verſatum eſſe: eoque de chriſtiana republica optime meritum quod novarum de moribus opinionum morbo laboranti opportune ſuccurrat, dum eadem Angelicæ Doctrinæ luce, qua ſæpius hæreſum circa fidem nebulæ diſcuſſæ, ac diſſipatæ ſunt, errorum etiam circa morum diſciplinam in dies exorientium tenebras diſcutiat ac depellat, viamque ad vitanda vitia, virtuteſque ſectandas optimam & tutiſſimam aperiat. Ita ſentiebam. 5. Kalendas Maii 1677.

GEORGIUS PRIVAT *Canonicus E. S. Deſiderii, Sacræ Theologiæ Doctor aggregatus, & Conſultorum S. Officii Decanus.*

NOvum hoc Opus, univerſam Doctoris Angelici Moralem complectens a R. Admodum Patre LUDOVICO BANCEL Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Doctore aggregato, ac Profeſſore perpetuo, in Univerſitate Avenionenſi, necnon Examinatore Synodali elaboratum: qua potuit diligentia perlegi, nihilque in eo inveni, quod Sacram Sanctorum Patrum, ac Eccleſiæ Catholicæ doctrinam non ferat, imo multæ, variæque eruditionis, ac pietatis, nec minoris utilitatis omnibus cujuſcumque conditionis perſonis mihi viſum eſt, maxime Sacræ Scripturæ ſtudioſis, divini verbi Præconibus, ac Confeſſariis: in eo enim nedum præcipui conſcientiæ caſus reſolvuntur, difficillimi ſacri Textus ſenſus enodantur: ſed omnia quæ ad mores pertinent explicantur, eo ordine, ea brevitate, ea ingenii ſubtilitate, ac perſpicacitate, ut merito novum opus denominari poſſit, imo novum ſcholæ Thomiſticæ decus & ornamentum, quæ hocce novo ſplendore irradiata magis ac magis futuris ſæculis elucebit: quapropter quumprimum typis mandetur omnis cura eſt adhibenda. Sic cenſeo. Avenione die 29. Martii 1677.

PHILIPPUS ROBERT *Præceptor E. S. Petri, Sac. Theologiæ Doctor aggregatus, & S. Officii Conſultor.*

EGo ſubſignatus Doctor, Facultatis Theologicæ Pariſienſis, & aggregatus Avenionenſis, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Provinciæ Gallo Provinciæ Prior Provincialis licet indignus. Lecto diligenter Libro, cui titulus eſt *Theologia Moralis Angelici Doctoris*, per Rever. P. LUDOVICUM BANCEL Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Avenionenſis Doctorem aggregatum, Regentem Ordinarium & Decanum digniſſimum, necnon Examinatorem totius Diœceſis ac Legationis Avenionenſis. Teſtor hujus Operis texturam ad honorem Dei, animarumque ſalutem non mediocriter conducere, ad gloriam Angelici Doctoris, quem ad ſacrarium ſuæ ſapientiæ verbum abs dubio admiſerat, ut ubi fons veritatis erat, ibi arcana quæque penetraret & ſcriberet, quæ Paulus audivit, & non licet homini loqui. Haud mirum igitur videri debet, ſi nec ullum illius filum differat a ſtylo, & doctrina Sanctæ Catholicæ Apoſtolicæ & Romanæ Eccleſiæ; cum hæc invictiſſimi ejus propugnatoris Angelici Doctoris tota genio fulgeat. Etenim ſicut Sol apparet in radiis, ſicut Roſa ſentitur in odoribus, ſicut in ſcintillis ignis aſpicitur; ſic in ea Angelici Doctoris Moralis ſcientia agnoſcitur. O vere textura cæleſtis Angelici opificii, quod gratiſſimus Angelicæ ſapientiæ Profeſſor, Doctoris Angelici aſſidua, intentaque cura gloriæ, veluti animarum noſtrarum ſalutis ſpeculum, quod quiſque conſulere debet, ſtudioſe adeo nobis elargitur. Quotquot igitur veſtrorum factorum exemplar ex aliquo petere vultis, hoc quæſo ſpeculum, hanc Angelici Doctoris Moralem Theologiam, quam debere typis mandari cenſeo, nocturna ac diurna verſate manu. Avenion. die 4. Julii, Anno 1677.

F. THOMAS FLOREN.

OPus hoc, jure optimo, non Moralis tantum Theologia, vel Philoſophia ſacra vel profana, ſed Moralis abſolute dicitur, Scholaſticorum more, qui hoc adjectivum faciunt etiam ſubſtantivum. Quidquid enim traditur in ea Philoſophiæ parte, quæ de moribus agit, vel in eis Theologiæ partibus, in quibus caſus conſcientiæ reſolvuntur, & axio-

mata vitæ ſpiritualis exponuntur, quidquid ſparſum habetur in Sanctis Patribus, vel Philoſophis gentilibus, totum hoc ex omnibus Doctoris Angelici Divi Thomæ Operibus collectum hic continetur. Quod autem omnia ſint fidei, & bonis moribus conſona, nullus Catholicorum in dubium revocare poterit, ſi conſideret eſſe puram D. Thomæ Doctrinam, qui ſine ullo prorſus errore ſcripſit, ut ait Clemens VIII. cujus Doctrina eſt certiſſima Chriſtianæ regula Doctrinæ, ut Pius V. atteſtatur, & cujus dogmata, ut aſſerit Alexander VII., ſunt inconcuſſa, tutiſſimaque. Cæterum cum ſub R. P. BANCEL, (cujus mira induſtria, incredibilique labore Opus iſtud conflatum eſt, ac numeris omnibus abſolutum) Theologiæ curſum perfecerim, & poſt theſes propugnatas ſuper Commentaria felicis memoriæ illuſtriſſimi Archiepiſcopi de Marinis omnium noſtrum colendiſſimi Mecænatis ab ipſo Doctoratus pileum acceperim, gratulor mihi, quod nunc ſeſe offerat occaſio, aliquale meæ erga ipſum gratitudinis, in hac approbatione exhibendi teſtimonium. Sed gratulor magis toti tam ſcholæ Thomiſticæ, quam Univerſitati noſtræ, quod in publicum prodeat opus, quod ſemper cedet in maximam utriuſque laudem, ſicut & in maximam omnium fidelium, ac præſertim Confeſſariorum & Concionatorum utilitatem. Datum Avenione die 7. Julii, Anno 1677.

CLAUDIUS DU MONSTIER *Eccleſiæ Metropolitanæ Avenionenſis Canonicus, & S. Theologiæ Doctor aggregatus, ac Ex-decanus & Ex-regens ordinarius.*

APPROBATIO

Reverendi Admodum Patris BARTHOLOMÆI GALIBERT, *Ordinis Prædicatorum, ingenuarum artium, ac Sacræ Theologiæ Doctoris aggregati, & in Academia Avenionenſi Profeſſoris.*

SI numiſmatis præſtantia eo major teſte Plutarcho ſit, quo in minori maſſa plus valoris complectitur, quis inſignem non demiretur ſimul ac prædicet præſtantiam Operis eximii, cui titulus eſt *Moralis Divi Thomæ*, immenſas Doctrinæ Angelicæ ſub parva mole divitias feliciſſime capientis. Magnam nec injuria ab antiquitate laudem aſſecutus eſt ſolertiſſimus opifex, quod ad exiguum nucis putamen univerſam Omeri Illiadem contraxerit; at uberiori ſane laude dignus eſt Reverendus Admodum P. BANCEL ordinis Prædicatorum religioſiſſimus Alumnus, ſcholæ Thomiſticæ dulce decus & præſidium, & Univerſitatis noſtræ Avenionenſis nobiliſſimum ornamentum, qui non fabulas Poetarum Coryphæi, ſed veridicam D. Thomæ Ethicam inſigni in hoc opere mira arte, miroque labore coegit, de quo verius quam Martialis de Cæſaris amphitheatro dixerim.

Barbara pyramidum ſileat miracula Memphis;
Aſſiduus jactet nec Babylona labor;
Nec triviæ Templo molles laudentur Iones,
Diſſimuletque Deum cornibus ara frequens.
Aere nec vacuo pendentia mauſolea
Laudibus immodicus Cares in aſtra ferant.
Omnis BANCELLI miræ cedat labor arti:
Unum pro cunctis fama loquatur opus.

Datum Avenione die 6. Aprilis, in noſtro Conventu Avenionenſi Ordinis FF. Prædicatorum, Anno 1677.

F. BARTHOLOMÆUS GALIBERT *Ordinis Prædicatorum, ingenuarum artium ac Sac. Theologiæ Doctor aggregatus, & in Academia Avenionenſi publicus Profeſſor.*

EGo infraſcriptus Sacræ Theologiæ Doctor in Academia Avenionenſi aggregatus, necnon humilis Prior Conventus Fratrum Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo antiquæ obſervantiæ Regularis, cum ingenti animæ voluptate legi librum, cui titulus præfixus eſt: *Moralis Divi Thomæ* Doctoris Angelici, ordinis Prædicatorum &c. cui acceſſit Opuſculum de Caſtitate &c. Authore R. P. LUDOVICO BANCEL Valentino, ejuſdem Ordi-

Digitized by Google

Ordinis Prædicatorum Doctore aggregato, Sacræ Theologiæ, ipſiuſque Profeſſore perpetuo in ſchola ejuſdem S. Thomæ in Univerſitate Avenionenſi, necnon Examinatore Synodali. In quo germanam Divi Thomæ mentem ex ipſiſſimis S. Doctoris verbis circa Moralia, atque adeo exactiſſimam Theologiæ practicæ ideam demirari eſt. Procul hinc abſunt profanæ illæ vocum & opinionum Novitates, quibus Diſciplina Evangelica reſolvitur, ac fidelium conſcientiis non abſque gravi animarum periculo illuditur, dum pro privato cujuſque authoris pruritu novellis laxitatis condimentis faſtidioſorum palatum & irritatur, & ineſcatur. Hic ad Evangelicæ Doctrinæ, & Sacrorum Canonum amuſſim, cuncta diſpoſita. Hic ad Chriſtianæ prudentiæ normam humanorum actuum ratio concinnata. Hic denique fidelium mores informat Angelus ipſius Incarnatæ veritatis præconiis commendatus. Opus ergo Angelicis verbis ad verbum contextum quivis Catholicus inoffenſo decurrat pede. Tuncque ſolum ruinam metuat, cum ſanæ hujus Doctrinæ limites vel tantillum tranſilire non metuerit. Huic adhæreant conſcientiarum moderatores, proponant pœnitentes pro luce habere illam: inextinguibile enim eſt lumen illius, hac qui uſi fuerint participes amicitiæ Dei fient haud dubie, propter diſciplinæ dona commendati. Dogmata hæc tutiſſima & inconcuſſa comprobant tum ipſius Chriſti, tum Summorum Pontificum Oracula, qui quæ ad Chriſtianos a minus Chriſtianis moribus avocandos ediderunt decreta, ex ipſius Divi Thomæ fontibus, ut legenti palam fiet, hauſerunt. Tantum igitur abeſt, ut alterutrum opus vel quid minimum a fide Catholica, boniſque moribus alienum contineat, ut potius fidem illam quæ per charitatem operatur, bonumque Chriſti odorem e puris, caſtiſque pectoribus exhalantem ſumme redoleat, & utrumque Authorem, ſcilicet ſanctiſſimum, Compilatorem doctiſſimum juxta ac piiſſimum, doctores Angelicos maxime comprobet. Ita cenſebam. In Carmelo Noſtro Avenionenſi, Idibus Aprilis, Anni 1677.

F. CAROLUS HENRY,
qui ſupra.

Licentia Reverendiſſimi JOANNIS THOMÆ DE ROCABERTI tunc Generalis Magiſtri totius Ordinis Prædicatorum, & nunc Illuſtriſſimi Archipræſulis Valentini.

NOS F. Joannes Thomas de Rocaberti Sac. Theologiæ Profeſſor, Ord. FF. Prædicatorum humilis Magiſter Generalis & ſervus. Tenore præſentium & noſtri authoritate officii tibi R. P. F. LUDOVICO BANCEL Conventus Avenion. Provinciæ Tholoſanæ, ac in Univerſitate ejuſdem Civitatis Avenionis Doctori aggregato, & Cathedratico licentiam facimus, & facultatem in lucem edendi Opera Theologiæ tam moralis quam ſcolaſticæ a te compoſita, aut tuis laboribus illuſtrata, dummodo a tribus Rev. Patribus Theologiæ Profeſſoribus a tuo Provinciali deſignandis fuerint reviſa & approbata, ac ſervatis aliis de jure ſervandis. In quorum fidem &c. Datum Romæ die 27. Junii, Anni 1671.

F. JO. THOMAS de ROCABERTI
Magiſter Ordinis.

Locus ſigilli. Regiſt. fol. 3.

F. STEPHANUS de THORO
Magiſter & ſocius.

Licentia Rev. Admodum P. VINCENTII de BARIAC, Inquiſitoris Carcaſſonenſis, Provinciæ Tholoſanæ Ordinis Prædicatorum Provincialis.

TEnore præſentium, noſtrique authoritate officii Reverendos Patres Priorem Avenionenſem Joſephum Mayol, Andream Caſtilhon, & Andream Aubert Sac. Theologiæ Profeſſores nominamus & inſtituimus cenſores Operum Theologiæ tam moralis quam ſcholaſticæ, quæ R. Pater LUDOVICUS BANCEL in Univerſitate Avenionenſi Profeſſor publicus eſt in lucem editurus. Datum Avenioni die 10. Septembris, Anni 1677. ſub ſigillo officii noſtri, & propria ſubſcriptione.

F. VINCENTIUS BARIAC
Provincialis, qui ſupr.

Loco ſigilli. Regiſt. fol. 3.

RAIMUNDUS GOUNEAU
Socius.

APPROBATIONES Profeſſorum Ordinis.

Approbatio Rev. P. F. JOSEPH MAYOL Sac. Theologiæ Profeſſoris, & Conventus Avenionenſis Prædicatorum Prioris.

QUI moribus hominum bene componendis, caſibuſque conſcientiæ verbo vel ſcripto debite reſolvendis incumbunt, laxitatis nimiæ & auſteritatis rigidiſſimæ extrema, veluti oppoſitos Scyllæ & Charybdis ſcopulos cau-

Digitized by Google

caute devitent: ſi animarum ſaluti multum prodeſſe, ac proprio officio nullatenus deeſſe, ea qua pars eſt animi diligentia & zelo concupiſcant. Effrænatæ ſiquidem libertatis, & temerariæ præſumptionis, hæc ſomitem ſubminiſtrat: illa e contra infirmis ſoveam parat, eoſque in horrendum deſperationis baratharum, caſu lamentabili dejicit. Hæc dicit malum bonum: iſta e converſo bonum malum. Hæc ſalvat damnandum; iſta damnat ſalvandum. Hæc conſuit pulvillos ſub omni cubito, & facit cervicalia ad molliter conquieſcendum in peccatis: iſta alligat onera gravia & importabilia, & imponit ſuper humeros hominum. Hæc lesbiam, plumbeamque regulam ad cujuſque regulati normam accommodabilem: iſta phariſaicam, ferreamque mortalium viribus omnino imparem adhibet. Hæc tandem aperit viam latam & ſpatioſam, quæ ducit ad perditionem: iſta ſalutis æternæ tramitem ſic arctat, ut prorſus occludat. D. Thomas licet abyſſus, in moribus informandis nec attollitur, nec deprimitur; rectas faciens ſemitas Dei noſtri in animas. Implet vallem, adjuvans infirmitatem: humiliat montem & collem, elationem retundens. Prava & obliqua reducit in directa; & aſpera in vias lenes & planas. Monſtruoſam in doctrina morali deformitatem a proclivibus hominum ſibi nimis indulgentium animis ad oppoſita extrema introductam caſtigat; libenter in mediocritate, quæ virtutis & veritatis propria ſedes eſt, incedit; & in ea feliciter conquieſcit. Si Angelicum Doctorem ductorem aſſumas, medio tutiſſimus ibis. Securus perge cum iſto Angelo, qui novit omnia itinera. Hæc eſt igitur via regia, via tuta, in qua tibi ambulandum quicunque animam ſalvare peroptas. Ne quæſo declines ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Hanc viam regiam nobis clariſſime demonſtrat iſtud opus, ex ſolis Angelici præceptoris verbis atque ſententiis tanquam fibula aurea contextum. Quare nihil profecto neceſſe eſt dicere pro plena ejus approbatione, ſumma laude, ac demiſſa veneratione; cum doctrina Angelica ipſa potius ſit Lydius lapis, ad quem cæterorum pretium, juſtaque æſtimatio librorum merito exigatur. Studium porro hujuſmodi reſolutiones morales in variis ejus Operibus ſparſas colligendi, uti fuit ejus Authori Rev. Patri noſtro LUDOVICO BANCEL, valde laborioſum (prout vidimus & teſtamur) ita eſt ei valde glorioſum, atque reipublicæ Chriſtianæ perutile; proindeque digniſſimum, quod in publicam lucem quantocius prodeat. Datum Avenione die 15. Martii, Anni 1677.

F. JOSEPH MAYOL *Sac. Theologiæ Profeſſor, & Conventus Avenionenſis Ordinis F.F. Prædicatorum humilis Prior.*

PRodit in lucem Moralis Theologia Div. Thomæ ſatis vel ſuo titulo commendata. Quid enim ad hujus Operis commendationem aptius aut efficacius eſſe poteſt, quam ut ſciat Univerſus litteratorum Orbis opus eſſe D. Thomæ, non ſpurium, non ſuppoſititium; ſed verum legitimumque. Doctrinam Angelici præceptoris eſſe ſine ullo prorſus errore conſcriptam; certiſſimam Chriſtianæ Doctrinæ regulam; quam qui ſecutus fuerit, nunquam inveniatur a veritatis tramite deviaſſe; qui autem impugnaverit, ſemper fuit de veritate ſuſpectus: inconcuſſa & tutiſſima eſſe illius dogmata, perdiu eſt cum varii Summi Pontifices edixerunt. Ergo moralis Theologia D. Thomæ nonniſi inconcuſſa, tutiſſimaque dogmata continet: ergo ſine ullo prorſus errore conſcripta eſt: ergo certiſſima eſt Chriſtianæ vitæ regula, quam qui ſecutus fuerit aut ſequetur, nunquam inveniatur a vitæ cæleſtis tramite deviaſſe; qui autem impugnaverit, certo ſibi timendum ſciat, ne coram omnibus vere ſapientibus, & maxime coram ſupremo omnium Judice in diſtricto ejus judicio, de veritate deſerta, deque abolita pietate Chriſtiana reprobetur. Igitur non alia eget hoc Opus commendatione, quam ut omnibus notum ſit Opus eſſe ſanctiſſimi Præceptoris, verum (ut dixi) legitimumque. Quid autem de hujus libri compilatore dicam? Certe ſuam ille gloriæ partem habere debet; quippe qui lectorem ſuum expenſis in comparandis pluribus D. Thomæ voluminibus, maximoque in compilandis caſuum hic tractatorum deciſionibus labore levavit. Non deſcendit ille quidem ad caſus omnes particulares; quia enim id præſtitit aliquando, volumina ſcripſerit, licet ingentia? principia tamen ſtatuit, ex quibus quilibet vel mediocris ingenii caſus in particulari poterit reſolvere, ac veluti ex fontibus veritatis aquas ad eos facili negotio corrivare. Videat igitur lucem Opus, quod omnibus vere doctis & ſapientibus lucem eſt allaturum, quodque (ut ſpero) quamplurimis futurum eſt ſemen aut germen fælicitatis æternæ. Et Compilator pro immenſo labore ſuo, & in conquirendis hinc inde caſuum ex ſanctiſſimo Magiſtro ſuo deciſionibus,

Æternum vivat, vigeat, laudetur, ametur.

Plura non dicam in ejus commendationem, quod ſciam illum laudibus minime delectari; unum nequeo præterire, adjeciſſe illum ad calcem Theologiæ moralis Opuſculum de Caſtitate, excerptum ex majori Opere, quod de hoc eodem argumento ſcripſit, cujus alii mo-

Digitized by Google

moralis approbatores mentionem in ſuis approbationibus non fecerunt; nec mirum, quia hactenus non viderunt. Vidi, legi, & examinavi Opus, Authore ſuo, hoc eſt vero D. Thomæ diſcipulo, ejuſque virtutum æmulum digniſſimum, & ingenio conforme caſtiſſimo, quod ad augendum cæleſtis hujus virtutis (in qua ita excelluit D. Thomas, ut non tantum propter doctrinæ excellentiam, ſed & maxime propter eximium hujus virtutis cultum mereatur Doctor Angelicus appellari) affectum, ſodalitium in Conventu noſtro inſtituendum erigendumque curavit, in quo etiam utriuſque ſexus fideles ex præcipuis conditionibus nomen dedere. Ita de Theologia Morali; ita de prædicto Opuſculo; ita de majori Opere, ex quo illud excerptum eſt, ſentio, judicoque, die 3. Octob. 1677.

F. ANDREAS CASTILHON *Ex-prior Conventus Avenionenſis Ordinis Prædicatorum, ac in eodem Sac. Theol. Profeſſor.*

EGo infraſcriptus Sacræ Theologiæ Profeſſor, Ordinis Prædicatorum, fidem facio me in libro inſcripto *Moralis D. Thomæ*, cura & improbo ſtudio R. P. F. LUDOVICI BANCEL Sacræ Theologiæ Profeſſoris & Doctoris ex variis D. Thomæ Operibus decerpto, nil reperiſſe fidei Eccleſiæ Catholicæ Apoſtolicæ & Romanæ diſſonum, aut quod probos fidelium mores vel minimum offendat. Quis enim etſi lynceos habeat oculos, in Doctore veritatis, qui omnia ſine ullo prorſus errore conſcripſit (ut Summi Pontifices teſtantur) falſitatis nævum conſpiciat? quis illum a recto veritatis tramite aberaſſe exiſtimet, quem Chriſtus veritas & via bene ſcripſiſſe propria comprobavit authoritate? quis denique falſitatis venenum valeat ſuſpicari in ſcriptis, quæ ſapiens rerum æſtimator nil aliud eſſe dixerit quam favum mellis, quem D. Thomas velut quædam myſtica apis ex puriſſimis necnon exquiſitiſſimis SS. Patrum dictis tanquam florum faſciculis collegit? Quod D. Thomas totius vitæ curriculo, ſummo ſtudio, præſtantiſſimoque ingenio perfecit, excellentiſſima quæ tum in Sacris Scripturis, tum in Patribus, tum in Philoſophis lectitantur, in ſuis ſcriptis velut in peramæno delitiarum paradiſo, miro ordine & claritate inſerendo: hoc ipſum alter Thomas non quidem nomine, ſed imitatione & affectu, fecit, qui per 25. annorum ſpatium omnia Divi Thomæ Opera pluries legendo, meditando, dictando, & explicando in publicis lectionibus tum Tholoſæ, tum in Univerſitate Avenionenſi, iſtud Opus, velut ſuaviſſimum mellis favum, ex eiſdem Sancti Doctoris Operibus in unum collegit. Mihi audire videor Dei vocem omnibus quibus commiſſa eſt animarum cura, dicentem de iſto volumine id, quod olim Ezechieli dictum eſt: *Comede volumen iſtud; & vadens loquere ad filios Iſrael.* Dicitur ibi comede (ut obſervat Gloſſa) & non bibe; quia qui iſtud volumen ſpiritualibus animæ dentibus, ideſt intellectu manderit, tunc ſecure poterit tum in Tribunali pœnitentiæ, tum in publicis concionibus, Divinæ legis explicare myſteria, & dicere idem ac Propheta: *Et comedi illud; & factum eſt in ore meo ſicut mel dulce.* Mel quod in iſto volumine reperitur, ſimile omnino eſt illi, quod Jonathas comedit, quo illuminati ſunt oculi illius: ita qui de iſtius voluminis melle guſtaverit, illuminabitur; & verum a falſo, malum a bono, lepram a non lepra nullo negotio poterit diſcernere. Iſtud volumen eſt idem quod vidit Zacharias, *Volumen volans*, de quo idem fas eſt dicere, quod de iſto dicit Gloſſa: *Volumen volans, in quo omnium peccata deſcripta ſunt.* In eo enim D. Thomas modo de virtutibus, modo de vitiis, nunc de præmiis, nunc de ſuppliciis loquitur, quaſi de uno ad aliud volans. Vel etiam dixerim eſſe volumen volans, quia per ipſum illuminatur intellectus, & excitatur affectus, qui, teſte Divo Bernardo, ſunt duæ pennæ, quibus ad Deum volatur. Volumen volans, quia in ipſo jugum Chriſti, quod, teſte D. Auguſtino, non pondus, ſed pennas habet; non intolerabile, ſed ſuave & amabile declaratur: Et ideo exiſtimo non modicam Reipublicæ Chriſtianæ fore utilitatem, ſi iſtud volumen ante omnium oculos volitans omnium manibus teratur. In quorum fidem ſubſcripſi in noſtro Conventu Avenionenſi, die 3. Octob. Anno 1677.

F. ANDREAS AUBERT *Ordinis Prædicatorum, Sac. Theologiæ in Conventu Avenionenſi Profeſſor.*

Digitized by Google

LUDOVICUS BANCEL

ANAGRAMMA

LUCE BONA LUCIDUS.

EPIGRAMMA:

LUCIDUS eſt is LUCE BONA, cui ſulget Aquinas:
Hoc quod pandit iter, tutius eſſe nequit.

LUCIDUS eſt is LUCE BONA, qui lumina Thomæ
Conſecrat: hoc quod agit, Sanctius eſſe nequit.

Digitized by Google

AMICO LECTORI

FRATER LUDOVICUS BANCEL

Ordinis Prædicatorum.

SI Eccleſiæ filius es (amice Lector) & ſi placere Deo ſincere cupis; ac ſecurum ſalutis iter capeſſere, omnem vitæ tuæ rationem ad hanc Doctoris Angelici moralem exacte compone. Nam, ut optime advertit Sanctus Franciſcus Saleſius, Genus eſt obedientiæ Deo valde gratum, non ea tantum implere quæ Eccleſia mandat; ſed ea quoque ultro amplecti, quæ commendat: non enim commendat aliquid, niſi ut teſtetur optare ſe, quod illud fideles amplectantur, etſi non aſtringantur; atque ita veri ſint obedientiæ filii; quibus præcepto opus non eſt, ſed ſola voluntatis Superiorum notitia ſufficit.*

Quæ autem eſt, aut fuit unquam doctrina, in cujus commendatione profuſior Eccleſia fuerit, aut eſſe potuerit? quam vel ſæpius in condendis fidei morumque decretis adhibuerit? vel in Orbe Chriſtiano florere, ampliari, & ab omnibus ſuſcipi majori ſtudio procuraverit, præ doctrina Divi Thomæ? Volumen integrum implerent, quæ in hac parte frequenter, copioſe, magnificeque dicta ſunt; quorum e multis pauca huic præfationi ſubjungimus: ſed præ cæteris ad rem facit recens illud Alexandri VII. Oraculum ex integro infra referendum, quo inconcuſſa, tutiſſimaque D. Thomæ dogmata pronunciat, ut hoc maximum ſolatium habeant omnes hujus ſancti Doctoris Diſcipuli, quod ipſius ſententias amplectendo certi ſunt, ſe non tutis modo, & probabilibus, ſed etiam tutioribus, & probabilioribus; imo probabiliſſimis & tutiſſimis adhærere.

Nihil ſane ad Divi Thomæ laudem ſublimius, nihil ad ejus doctrinæ commendationem luculentius, nihil quoque ad conſcientiarum pacem, & ſecuritatem accommodatius proferri poteſt. Cum enim e Doctoribus plures aſſerant opiniones probabiliores, & tutiores arctam quidem, ſed unicam ſalutis eſſe viam; alii vero, etſi benignius ſentiant non ſine ſalutis diſpendio minus probabilibus, minuſque tutis opinionibus ſtare poſſe, exigant tamen, ut vere probabiles ſint, ac vere tutæ; & interim vix ſatis exacte, ac dilucide ab ipſis explicari poſſit, in quo vera illa probabilitas, & vera ſecuritas ſita ſit: ex hac ſententiarum diſcordia in omni fere quæſtionum moralium diſcuſſione, non ſolum ingens caligo, ſed periculoſa quoque anxietas emergit, quæ timoratorum conſcientias dubiis confundit, remorſibus torquet, & inter tot anguſtias exclamare cogit, quis oſtendit nobis bona? *ne hæc perplexitas ſine remedio foret, æternus Eccleſiæ Paſtor per os Vicarii ſui* reſpondit populo ſuo, *& inconcuſſa tutiſſimaque Doctoris Sancti dogmata pronuncians, non modo dubietatum omnium nebulas hujus Oraculi radio fugavit, ſed etiam viam, in qua ſecuri ambulemus, oſtendit.*

Sed

* En ſon Introduction à la vie devote partie 2. chap. 15. où conſeillant a ſa Philothee d'entrer volontiers aux Confreries du lieu où elle eſt, il dit, en cela vous ferez une ſorte d'obeïſſance fort agreable à Dieu, d'autant qu'encor que les Confreries ne ſoient pas commandees, elles ſont neamoins recommandees par l'Egliſe.

Digitized by Google

Sed ut diſcipulis ſanctiſſimi Praeceptoris nihil deeſſet ad felicitatis cumulum, commendationi praeceptum acceſſit, dum ex mandato ejuſdem Summi Pontificis in Capitulo generali ſacri Prædicatorum Ordinis Romæ celebrato Anno 1656. ibidemque impreſſo, omnibus & ſingulis Profeſſoribus ſic praeceptum fuit, Caveant ab omni pruritu exoticarum, minuſque cum genuina littera Sancti Thomæ cohærentium opinionum tam in Philoſophicis, quam in Theologicis; præcipue vero in moralibus, ubi preſſius de ſalute, ac indemnitate animarum agitur. In his porro ſtudeant omni cautela evitare opiniones laxas, novas, ac parum tutas: abſtineantque a paradoxis ac monſtris recentium placitorum, ſeu problematum, quæ magis vanitati, ac periculoſæ oſtentationi militant, quam veritati. Denique ſatagant non tantum fideliſſime in omnibus adhæreſcere ſanæ doctrinæ Angelici noſtri Præceptoris (quam ille ex limpidis ac incorruptis SS. Patrum fontibus integerrime in alveos ſuorum Operum corrivavit) verum etiam adſueſcere propriæ ipſius phraſi & modo loquendi, ita quod quantum fieri poteſt ne quidem ab ipſo verborum ejus ordine, ſtylo, & emphaſi longius diſcedatur; ut ſic evitentur ſecurius omne profanæ vocum novitates, nimiſque animoſa extrinſecarum probabilitatum ſuffragia. Studeant inſuper veterum, ac celebrium Thomiſtarum tutioribus ubique veſtigiis inſiſtere: & ſicubi inter hujus ævi Theologos enaſcitur publica ſentiendi varietas, noſtri ad litteram, & priſcum ſenſum Divi Thomæ, ejuſque fidorum interpretum ſeſe recipiant, nec inde ullo pacto divellantur. Quod ut alacrius ab omnibus præſtetur, Notificamus univerſis, hoc ſumme conſonare expreſſæ voluntati Sanctiſs. D. N. Alexandri divina providentia Papæ VII. qui iſtud univerſo Ordini ita præſcribi, ac ſignificari clementiſſime imperavit.

Addit R. P. Baron (qui primus erat ejuſdem Capituli diffinitor) juſſiſſe etiam Summum Pontificem, ut ex D. Thomæ doctrina moralis Theologia pararetur. Verba ipſius in Epiſtola, quam poſt Capitulum ſcripſit ad Reverendiſſimum Patrem Generalem pro commendando Mercorii opere, huic libro longe meliori jure adaptari poſſunt, ideoque ipſa refero. Hoc præcipue nomine, *inquit*, commendandum opus cenſeo; nec dubito veſtræ Reverendiſſimæ Paternitati fore acceptiſſimum; quod Author quaſi præſaga mente videatur veſtra vota in Capitulo ultimo generali nobis aperta in anteceſſum cumulate impleviſſe, & occupaſſe Summi Pontificis præceptum, aut conſilium eodem loci evulgatum, & Theologis Thomiſtis, quotquot ſunt in Orbe Chriſtiano, a diffinitoribus deferendum. Memini inter cætera monita nomine Sanctiſſimi ad bonum & decus Ordinis a V. R. P. nobis credita, petitum illud omnium graviſſimum, ac Religioni Dominicanæ & ſcholæ Thomiſticæ glorioſiſſimum: tædere Beatiſſimum Patrem tot novarum opinionum hoc ſæculo in moralem Theologiam inductarum, quibus diſciplina Evangelica reſolvitur, ac conſcientiis cum gravi animarum periculo illuditur: & ſe maxime velle a Theologis noſtris in Eccleſiæ hoc morbo occulto laborantis remedium, opus parari ex ſeveriori, & tuta ſanctiſſimi Præceptoris doctrina, quo hæc morum, & opinionum licentia, quæ in dies graſſatur, quaſi cauterio cohiberetur. En (Reverendiſſime Pater) librum a Summo Pontifice, & ab omnibus piis ſuæ ſalutis, & communis boni ſtudioſis diu exoptatum. *Talem fuiſſe Summi Pontificis mentem, qualem gravis hic Author teſtatur, non dubitabit quiſquis viderit duo ultima ipſius decreta, quorum primum latum die 24. Septembris Anno 1665. alterum 18. Martii 1666. in illis damnat 45. propoſitiones modernorum Caſuiſtarum, quæ ab Angelico noſtro Doctore fuerant prædamnatæ, ut notabimus eas referendo in variis locis hujus Operis, prout exigit materia moralis, ad quam unaquæque illarum ſpectat.*

Initium autem hujuſmodi decretorum tale eſt. Sanctiſſimus D. N. audivit non ſine magno animi ſui mœrore, complures opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire, & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcien-

Digitized by Google

ſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omnino ab evangelica ſimplicitate, ſanctorumque Patrum Doctrina: & quem ſi pro recta Regula fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet Chriſtianæ vitæ corruptela. Quare, ne ullo unquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit, in animarum perniciem dilatari, ſeu verius perverti contingeret, idem Sanctiſſimus D. N. ut oves ſibi creditas ab ejuſmodi ſpatioſa, lataque, per quam itur ad perditionem via, pro paſtorali ſollicitudine in rectam ſemitam evocaret, earundem opinionum examen pluribus in ſacra Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſs. & Reverendiſs. DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſerio commiſit. Qui tantum negotium ſtrenue aggreſſi, eique ſedulo incumbentes, & mature diſcuſſis uſque ad hanc diem infraſcriptis propoſitionibus, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati ſuæ ſigillatim ep oſuerunt.

Finis autem eorundem decretorum talis. Quibus mature penſatis, idem Sanctiſſimus ſtatuit, ac decrevit, prædictas propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut minimum tanquam ſcandaloſas eſſe damnandas & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet; itaut quicumque illas aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputative publice, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, a qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi a pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtricte in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione divini judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus cujuſcunque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Communi Theologorum conſenſu receptum eſt, Summum Pontificem nedum in Decretis fidei errare non poſſe, ſed nec etiam in his, quæ pro bono Eccleſiæ Regimine mores concernunt; ne ſcilicet Chriſtus Eccleſiæ ſuæ minus providiſſe, & totum gregem periculo permiſiſſe videretur ſi univerſalis Paſtor, quem ſui Vicarium in terris conſtituit quemque fideles omnes audire, & ſequi tenentur, ſuſpecta moralis doctrinæ pocula propinare poſſet. Cum igitur Summus Pontifex non ſolum adeo illuſtri commendatione invitet, ſed etiam jubendo nos aſtringat, ut D. Thomam in moralibus præcipue ſequamur, quæ pax, quæ ſecuritas ex adeo ſalubri præcepto & ipſis Doctoris Angelici Diſcipulis, & aliis Eccleſiæ fidelibus affertur; ſiquidem ſine erroris periculo, & ſine peccati ſcrupulo omnes illi ſunt, qui juxta D. Thomæ dogmata vel propriam conſcientiam formant, vel alios erudiunt, vel aliis conſulentibus obtemperant.

Idipſum quoque evincunt omnia, quæ præfationi ſubjungimus de authoritate doctrinæ D. Thomæ in Eccleſia: ut enim utar argumento Joannis a Sancto Thoma in tract. de approbatione doctrinæ D. Thomæ diſp. 1. art. 3. ſi omnes Eccleſiæ Doctores congregarentur, & unanimi conſenſu dicerent doctrinam S. Thomæ a Chriſto Domino fuiſſe approbatam, eam eſſe certiſſimam Chriſtianæ doctrinæ Regulam, eſſe inconcuſſam tutiſſimamque, aliaque omnia quæ referemus, nemo eſt qui contrarium auderet aſſerere; ingens enim temeritas foret, ſi quis toti Doctorum collectioni judicium ſuum opponeret, vel præponeret. Sed hæc omnia aſſerunt plures Summi Pontifices, & vel unius Summi Pontificis authoritas toti Doctorum collectioni præponderat, & prævalet, ut videbimus in hoc Opere ſub his vocabulis, Conſilium, Eccleſia, Papa. Nullus ergo abſque ingenti temeritate poteſt aliquam ex his laudibus doctrinæ D. Thomæ ſubtrahere; nec ullus negare quin Angelica doctrina ſit in ſupremo gradu & probabilitatis, & ſecuritatis.

Hæc præmonere placuit (amice Lector) quæ te erga Doctoris Angelici moralem doctrinam propenſiorem efficerent; quamquam illam in hoc opere quantum fieri poteſt exacte collectam perlegendo, ejus dignitatem, utilitatem, ac ſinceritatem propriis oculis ſatis exploraturus eſſes. Ut enim ait D. Ambroſ. lib. 1. Hexamer. cap. 9. Bonorum operum

pro-

Digitized by Google

proprium eſt, ut externo commendatore non egeant, ſed gratiam ſuam, cum videntur, ipſa teſtentur. Plus eſt, quod probatur aſpectu, quam quod ſermone laudatur; ſuo enim utitur teſtimonio, non alieno ſuffragio.

Ut autem Doctoris Angelici doctrina tibi purior exhiberetur, unus ipſe in hoc opere perpetuo loquitur. Nec neceſſe erat, ut alius loqueretur; licet enim inexhauſtum pelagus ſit ſcientia morum, principia tamen generalia tradit Sanctus Doctor, quibus rite perceptis, ex his veluti fontibus deciſionum omnium rivulos facile deduces. Imo plerumque intimas rerum particularium fibras ſcrutatur, ac omnium fere quæſtionum reſolutiones ipſis factis, & exemplis exponit. Quod ſi caſus aliquos a recentioribus diſcuſſos videntur reticere: viciſſim ipſe plures explicat, quos illi per tot prolixa volumina non attingunt. Sed nec a Divo Thoma, nec ab ullo tum veterum, tum recentiorum morali Theologo poſtulare debes, ut ad unum omnia particularia facta explicet; cum infinita prorſus ſint, & ex perſonarum, locorum, temporum, legum, conſuetudinum cæterarumque circumſtantiarum variatione quotidie nova pullulent, quæ nec ulla artis induſtria, nec quantumvis ampla librorum mole concludi poſſunt. Unum igitur hac in parte operæ pretium eſt, ut generales morum regulæ paulo accuratius explicentur, ad quas vir prudens & pius ea quæ uſu veniunt, revocet, diſcutiat, & reſolvat. Id autem quam feliciter præſtiterit D. Thomas, in hoc opere videre eſt, in quo has generales regulas exacte, perſpicue, ac profunde tradit, & ad ipſos quoque particulares caſus plerumque applicat; ſuaſque deciſiones, quod in cæteris Authoribus vix reperies, invictiſſimis rationibus fulcit, ſelectiſſimis Patrum teſtimoniis roborat, expreſſis Scripturarum authoritatibus confirmat; & quod in moralibus maxime arduum periti cenſent, in volutiſſimis materiis per crebras & claras diſtinctiones tantam lucem affert, ut radiis ſolaribus ſcribere, & quid fas ſit aut nefas, ad digitum oſtendere videatur.

Cum autem juſtitia Chriſtiana duobus conſtet, fuga mali, & proſecutione boni; & utriuſque notitia egeant ſive qui conſcientias regunt, ſive qui populis Dei verbum proponunt, aut quovis modo aliorum ſaluti incumbunt, ut ſe his omnibus perfectum, & qualem in Joele Deus olim promiſit Juſtitiæ Doctorem *exhibeat, D. Thomas, non ſolum quæ prava ſunt admonet, & caſus conſcientię reſolvit, ſed etiam ſanctioris vitæ axiomata interſerit, & omnia quæ ad mores ſpectant, mirum in modum exponit; ut ipſius doctrina omnibus cujuſque conditionis perſonis, ſed maxime Confeſſariis & Concionatoribus foret utiliſſima. Ea autem omnia ad ſcholæ rigorem, ut ajunt expendit; eo tamen ſtylo, qui Lectorem alliciat, delectet, ſecretaque ac plane divina energia virtutis amorem & reverentiam inſpiret: adeo ut ſicut in aliis alios, ita quoque ſeipſum in hac parte ſuperaverit; ut cum in omnibus Doctor Angelicus merito dicatur, in his moralibus Doctor plane divinus (ut cum Cardinali Cajetano loquar) nuncupari poſſit.*

Quid tandem in hac noviſſima editione præſtitum ſit, dignoſcet facile quiſquis eam cum omnibus aliis conferet. Videbit tot eſſe vel addita, vel mutata, ut jure optimo novum opus cenſeri poſſit.

AU-

Digitized by Google

AUTHORITAS DOCTRINÆ
DIVI THOMÆ
IN ECCLESIA

Ex Approbatione Chriſti, B. Virginis, & Sanctorum.

Breviarium Romanum Pii V. juſſu editum, & Clementis VIII. authoritate recognitum in lectionibus feſti S. THOMÆ.

NEAPOLI cum D. Thomas ad Imaginem Crucifixi vehementius oraret, hanc vocem audivit: *Bene ſcripſiſti de me Thoma; quam ergo mercedem accipies?* cui ille: *non aliam, Domine, niſi teipſum.*

Idem Summus Pontifex Pius V. conceſſit indulgentiam omnibus in feſto S. Thomæ viſitantibus illud ſacellum, in quo, inquit, *ſcriptoris Angelici doctrina Salvatoris Crucifixi ore mirabiliter probata fuit. Ut referemus poſtea ex ipſius Bulla.*

Idem etiam Summus Pontifex Clemens VIII. ſemel & iterum hujus approbationis mentionem fecit in ſuis Brevibus infra referendis.

Videatur infra id quod referemus de Summo Pontifice Sixto V.

Joannes a S. Thoma in tractatu de approbatione, & authoritate Doctrinæ Angelicæ Divi Thomæ diſp. 1. art. 2. hanc approbationem Chriſti de doctrina Angelici Præceptoris refert ex hiſtoricis ejuſdem Sancti coætaneis, & jure optimo ait, eam apud omnes fideles adeo invaluiſſe, ut nonniſi ingenti temeritate negari, aut in dubium revocari poſſit. Unde inquit, *jam veritas iſta non ſimplici hiſtoriæ nititur, ſed Eccleſiæ traditione, & Sedis Apoſtolicæ acceptatione, & publicatione confirmata eſt.*

Divus Antoninus 3. parte ſuæ Hiſtoriæ in vita S. Thomæ cap. 7. §. 7. juxta impreſſionem Lugdunenſem refert, quod etiam Pariſiis dum Sanctus Doctor de Euchariſtia ſcripſiſſet, Chriſtus ejus doctrinam approbavit his verbis: Bene de hoc Corporis mei Sacramento ſcripſiſti, ſicut ab homine in hac vita poteſt intelligi, & humaniter definiri.

Ferdinandus Caſtillus accuratiſſimus ſcriptor hiſtoriæ Ordinis Prædicatorum lib. 3. cap. 24. (ut referunt Complutenſes initio ſui curſus Philoſophici) teſtatur in Civitate Orvieto idem quod ſupra tertio contigiſſe Sancto Doctori, quando ex mandato Summi Pontif. Urbani IV. Officium compoſuit de ſolemnitate Corporis Chriſti.

Summus Pontifex Julius III. in approbatione relata a Seraphino Capponi in proloquio de altitudine doctrinæ Thomiſticæ (ut teſtantur iidem Complutenſes ibidem) hoc habet:

Beatiſſima Dei Mater Maria Divo Thomæ quadam vice apparuit, & ipſum de ſuæ vitæ, & ſcientiæ integritate certificavit.

Item Quadam nocte Orationi inſiſtentem quo obſcurus quidam Scripturæ locus clarior ſibi fieret, Petrus & Paulus divinitus inſtruxerunt.

Hujus etiam apparitionis Beatiſſimæ Virginis & Apoſtolorum mentio fit in Breviario Ordinis Prædicatorum Summi Pontificis Clementis VIII. authoritate approbato.

D. Antoninus 3. p. Hiſtor. in vita S. Thomæ cap. 7. §. 6. fuſe refert quo pacto Sanctus Doctor inſtructus fuit a prædictis Apoſtolis.

S. Vincentius Ferrerius in ſerm. de D. Thoma (ut referunt Complutenſes initio ſui curſus Philoſophici) hæc ait: Quando D. Thomæ dubia occurrebant, ſtatim ab Angelo, vel Apoſtolis Petro & Paulo ei viſibiliter apparentibus, de dubiis certificabatur; *& ibidem:* Apparuit D. Thomæ Virgo Maria cum filio in brachiis, quæ ait filio: fili declaretis ſibi hoc dubium. *Refert idem Sanctus ibidem ea quæ diximus de approbatione Chriſti, & ſubdit:* Ergo de ejus doctrina dubitari non debet, quia non ſolum a Vicario Chriſti, ſed etiam ab ipſo Domino Jeſu Chriſto approbata fuit.

Summus Pontifex Clemens VIII. in Brevi ad Neapolitanos, de quo poſtea plura dicemus, loquens de libris, quos D. Thomas ſcripſit, ſic ait: In quibus conſcribendis interdum Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum colloquentes, locoſque illi quoſdam Dei juſſu enarrantes habuit.

D. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus 3. p. Hiſtoriæ in vita S. Thomæ cap. 7. §. 12. juxta impreſſionem Lugdunenſem, refert quæ ſequuntur. Idemque referunt omnes vitæ hujus S. Doctoris.

F. Paulus de Aquila magnæ probitatis & famæ, illa hora, qua Sanctus migravit, in viſione imaginaria vidit B. Thomam in ſcholis legentem in Cathedra coram multis; & ecce videbatur ſibi, quod S. Paulus intra-

Digitized by Google

ret ſcolas ejus, qui cum deſcendens de Cathedra vellet occurrere, ait Apoſtolus ei, *revertere ad locum, & proſequere lectiones tuas.* Rogavit, autem B. Thomas Paulum, ut ei diceret, an habuiſſet in Epiſtolis ſuis verum intellectum? Cui reſpondit, quod *utique verum habuiſſet, quantum poteſt quis vivent habere.* Et ſubdidit: *Volo ut venias mecum, & habebis clariorem de omnibus intellectum.* Videbaturque eum per cappam extra ſcholas extrahere. Tunc frater acclamavit alta voce: *Succurrite, fratres, ſuccurrite; quia frater Thomas a nobis tollitur.* Ad cujus clamorem excitati fratres occurrerunt, interrogantes cauſam illius clamoris, qui feriem viſionis enarravit; & notantes fratres diem & horam, eam fuiſſe invenerunt, qua Sanctus de vita ſubtractus eſt.

Fit etiam mentio hujus viſionis in Breviario Ordinis Prædicatorum in Officio S. Thomæ a Summo Pontifice Clemente VIII. approbato.

Idem Sanctus Antoninus ibidem refert hanc alteram viſionem, quam referunt etiam alii omnes Authores vitæ S. Thomæ.

F. Albertus de Brixia Ordinis Prædicatorum, cum diu deſideraſſet ſcire gloriam Sancti, & ſemel ante Altare B. Mariæ poſitus hoc potentius oraret, vigilanti cum lacrymis in oratione apparuerunt duæ Reverendæ Perſonæ mirabili cum ſplendore & ornatu, quarum una erat in Pontificali habitu, Mitram habens in capite; altera in habitu FF. Prædicatorum, quæ coronam habebat auream in capite lapidibus pretioſis intextam; & circa collum duas aureolas quaſi torques, unam argenteam, & alteram auream: in pectore vero geſtabat quaſi magnum lapidem pretioſum, qui ſplendore mirabili plures radios emittens, irradiare totam Eccleſiam videbatur; in cappa vero erant inſerti per totum lapides pretioſi; tunica & ſcapulare nimio ſplendore fulgebant. Qui ſtupens ad pedes eorum ſe proſtravit, petens ſuppliciter declarari, quæ eſſent illæ perſonæ quæ apparuerunt? Tunc ille qui Mitram geſtabat in capite, inquit; Quid miraris frater Alberte? Ego ſum Auguſtinus Doctor Eccleſiæ, qui ſum miſſus ad declarandam gloriam S. Thomæ. *Is eſt, qui mecum eſt, qui doctrinam meam & Apoſtolicam in omnibus ſecutus eſt, & Eccleſiam Dei ſua doctrina illuſtravit. Lapis pretioſus in pectore tanto ſplendore enitens ſignificat rectiſſimam intentionem, quam habuit ad declarationem & defenſionem fidei. Lapides plures pretioſi ſunt libri, quos edidit. Ipſe igitur mihi par eſt in gloria, Virginali me excellens munditia, & ego illum Pontificali excellentia.* Sicque diſparuerunt.

Hujus etiam viſionis mentio fit in eodem Breviario Prædicatorum, & Officiorum Sancti Thomæ a Clemente VIII. approbato.

Joannes XXII. *Thomam canonizavit in aula majori hujus noſtri Conventus Avenonienſis. Huic Summo Pontifici quartum tomum ſui Speculi Sanctoralis dicavit Bernardus Guidonis Epiſcopus Lodovenſis ex Ordine noſtro aſſumptus, & Summus Pontifex per Breve Apoſtolicum ipſum approbavit, & laudavit. In hoc autem libro habetur vita S. Thomæ cum prædictis viſionibus & revelationibus, & præſertim illa, in qua dixit Chriſtus:* Bene ſcripſiſti de me Thoma, &c. *Hunc librum manuſcriptum habemus in noſtra Bibliotheca.*

Authoritas Doctrinæ Divi Thomæ in Eccleſia

Ex commendatione Summorum Pontificum.

Si exercitia ſpiritualia S. Ignatii Fundatoris Societatis Jeſu, & opera noſtri piiſſimi Ludovici Granatenſis, eo quod illa ab uno Summo Pontifice, iſta ab altero commendentur, in tanta veneratione, ac æſtimatione ab omnibus fidelibus habentur: quid dicemus de Doctrina D. Thomæ? quæ non ab uno tantum vel duobus, ſed ab undecim Summis Pontificibus ac tantas commendationes meruit, quales hic referimus.

JOANNES XXII. qui, ut jam diximus, S. Thomam in aula majori hujus noſtri Conventus Avenionenſis in Sanctorum numerum retulit, in Bulla Canonizationis ejus data Anno 1323. *ſic loquitur.*

QUippe cum illi vita exiſtentiam, converſatio famam, doctrina pareret opinionem, opera divulgationem, eademque tam brevi confecta tempore admirationem merito exhiberent; ut illud Pſalmi, *rigans montes de ſuperioribus ſuis, de fructu operum tuorum ſatiabitur terra*, in eo veriſſime impleretur. Quod thema idem Sanctus, dum eſſet in ſacra pagina incepturus aſſumpſit; quodque, ut fertur, revelatione ſibi poſt ſuam orationem facta didicerat, dum propter juventutem ſuam ſe inhabilem ad Magiſterium reputans, quid pro-

pone-

Digitized by Google

poneretur, in inſtanti principio hæſitaret. Nam & in primitivis ſcientiis, & diverſis philoſophiæ partibus, ut non eſſet otioſus, ſed operaretur terram; necnon in Sacræ Scripturæ pagina, tam ſuper novum, quam vetus Teſtamentum ſcripta, plurimaque alia opera in Dei laudem, fideique dilatationem, eruditionemque ſtudentium, clara (cum ſciens eſſet) famoſa (cum cognitus) *non abſque ſpeciali Dei infuſione perfecit*. Doctrina quippe prudentium facilis, & omnino ſcientis ſignum eſt poſſe docere.

Habetur hæc Bulla in communi Bullario inter Conſtitutiones Joannis XXII.

Idem Summus Pontifex Joannes XXII. cum ageretur de miraculis in ordine ad Canonizationem S. Thomæ, dixiſſe fertur:

Etſi nulla alia extarent miracula, ob quæ Sanctus hic canonizari poſſet, quælibet quæſtionum, quas determinavit, & quilibet articulorum, quos ſcripſit, unum eſt per ſe miraculum. *Tot igitur miracula fecit, quot articulos ſcripſit*: quia omnes reſolvit lumine pluſquam humano.

Ita refert piiſſimus Gerſon in Opuſculo contra impugnantes Ordinem Carthuſienſem tom. 2. ut teſtantur Complutenſes initio ſuæ Philoſophiæ, referunt etiam alii Authores, & eſt modo communis fides.

Idem Joannes XXII. ſermonem habens de S. Thoma in ipſius Canonizatione ſuper illud Pſalm. 4. Scitote quoniam Deus ſanctum ſuum mirificavit, *dixit*:

S. Thomam poſt Apoſtolos, & primos SS. Doctores, magis inter omnes alios ſua doctrina Eccleſiam illuminaſſe.

Ita refert P. Camblat in ſuis egregiis inſtitutionibus Theologiæ Anglicanæ tom. 1. Opuſc. 2. de perpetua doctrina S. Thomæ Aquinatis in ſcholis, & in Eccleſia authoritate.

CLEMENS VI. in Bulla Avenione edita 1342. *commendans doctrinam S. Thomæ, ait*:

Eam eſſe ſingularem, & ex ea univerſalem Eccleſiam uberrimos fructus ſpiritualis abundantiæ colligere, & ejus odore recreari, atque nutriri.

Hujus Bullæ mentionem facit Scriptor accuratiſſimus Ferdinandus de Caſtillo, ut teſtatur idem P. Camblat ibid.

Idem Summus Pontifex in ſerm. de S. Thoma, qui incipit: Docebat eos de Regno Dei, *ait*:

Scripſit S. Thomas tot & tanta tam profunda & alta, quod mirabile eſt, quod ad hoc potuit ſufficere tempus vitæ ſuæ; Unde videtur impoſſibile, niſi fuerit a Spiritu Sancto, & de eodem dicamus, quod ſcribitur Eccl. 12. *Cum eſſet ſapientiſſimus docuit populum, quæſivit verba utilia, conſcripſit ſermones veriſſimos, & veritate plenos*. Et videtur quod doctrina iſtius Sancti oſtendatur eſſe vera ſupra omnes doctrinas Doctorum modernorum.

Idem Clemens VI. in alio ſermone de S. Thoma, qui incipit: Ecce pluſquam Salomon hic, *loquens de ipſius doctrina, ait*:

Hæc ergo doctrina, Chariſſimi, non recedat ab ore, non recedat a corde; quia ipſam ſequens non devias, ipſam cogitans non erras, ipſam tenens non corruis, ipſam loquens non mentiris, ipſam ſtudens ad veritatem pervenis, *tenui ergo, nec dimittam*. Cantic. 3.

Maximam utriuſque ſermonis partem refert Epiſcopus Lucarinus ſub finem Operis exquiſiti quod vocat Manuale Thomiſticarum Controverſiarum, *& fuit impreſſum Romæ anno 1666.*

INNOCENTIUS VI. in ſermone de laudibus Divi Thomæ, qui incipit: Ecce pluſquam Salomon hic.

Hujus Doctoris Doctrina, præ cæteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum, *itaut nunquam qui eam tenuit, inveniatur a veritatis tramite deviaſſe; & qui eam impugnaverit, ſemper fuerit de veritate ſuſpectus.*

Doctiſſimus Joannes a S. Thoma tom. 1. ſuæ Theologiæ in tractatu de approbatione doctrinæ S. Thomæ diſp. 1. art. 2. de hoc Summi Pontificis teſtimonio ait, multi authores id referunt, & admittunt, fateturque Lambertus de monte in libris de anima impreſſis Coloniæ 1494. *ea verba ex ſuo autographo exſcripſiſſe.*

URBANUS V. in Bulla pro translatione corporis S. Thomæ ad Archiepiſcopum Tholoſanum, Cancellarium, Magiſtros Univerſitatis &c. & ad totam Provinciam Tholoſanam.

Nos attendentes quanta a Deo ſcientia dotatus Ordinem Fratrum Prædicatorum, & univerſam Eccleſiam illuſtravit, ac B. Auguſtini veſtigia inſequens Eccleſiam eandem doctrinis, & ſcientiis quam plurimis adornavit: volenteſque propterea idem corpus ſpeciali honorificentia attolli: Univerſitatem veſtram requirimus, & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, vobis nihilominus per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus dictum corpus, cum ad partes eaſdem transferetur, benigne & honorifice ſuſcipientes, ipſumque devote, ac venerabiliter pertractantes, faciatis ab aliis quantum in vobis eſt honorari. *Volumus inſuper, & tenore præſentium vobis injungimus, ut dicti B. Thomæ doctrinam tamquam benedictam, & Catholicam ſectemini, eamque ſtudeatis totis viribus ampliare.*

Bullam integram in Codice Archivii Vaticani ad verbum tranſcriptam refert prædictus Epiſcopus Lucarinus in ſuo Man. Romæ impreſſo.

Digitized by Google

JULIUS III. Videantur quæ ſupra diximus ex Brevi ipſius de approbatione doctrinæ Sancti Thomæ a Beatiſſima Virgine, & SS. Apoſtolis Petro, & Paulo.

PAULUS III. Videantur, quæ referemus infra ex Pontificali Romano ſub hoc Summo Pontifice impreſſo.

B. PIUS V. in Bulla qua juſſit celebrari Feſtum S. Thomæ ſicut Feſta Sanctorum quatuor Eccleſiæ Doctorum.

Miraculorum ſignis, quibus ſervi ſui Thomæ perpetua veræ pietatis opera nobilitare voluit inexhauſta Dei benignitas, & *certiſſima Chriſtianæ regula doctrinæ, quæ Sanctus Doctor Apoſtolicam Eccleſiam infinitis confutatis hæreſibus illuſtravit*, adductus felicis recordationis Joannes XXII. prædeceſſor noſter, illo in Sanctorum numerum relato, ejus diem feſtum nonis Martii, quo die nunc etiam colitur, anniverſario honore celebrari juſſit.

Sed quoniam Omnipotentis Dei providentia factum eſt, ut *Angelici Doctoris vi, & veritate doctrinæ, ex eo tempore, quo cæleſtibus civibus adſcriptus fuit, multæ, quæ deinceps exortæ ſunt hæreſes, confuſæ & convictæ diſſiparentur. Quod & antea ſæpe, & liquido nuper in ſacris Tridentini Concilii decretis apparuit*: ejuſdem memoriam, *cujus meritis Orbis terrarum a peſtiferis quotidie erroribus liberatur*, majore etiam quam antea grati & pii animi affectu colendam ſtatuimus.

Ibidem. Quemadmodum Sanctorum quatuor Eccleſiæ Doctorum feſtivitates piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri præcepto celebrantur, ſic eundem feſtum diem S. Thomæ in perpetuum poſthac omnes utriuſque ſexus Chriſti fideles celebrent, & venerentur, Apoſtolica authoritate ſtatuimus, ac ſancimus.

Ex quo data fuit hæc Bulla D. Thomas quintus Eccleſiæ Doctor nuncupatur.

Ibidem. Omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui in ipſo S. Thomæ feſtivitatis die ſacellum, vel altare in Eccleſia Sancti Dominici Neapoli ſitum, in quo *Scriptoris Angelici doctrina Salvatoris Crucifixi ore* (ſicut pia teſtatur hiſtoria) *mirabiliter probata fuit*, a primis ejus diei veſperis uſque ad occaſum Solis devote viſitaverint, ſeptem annos, & totidem quadragenas.

Habetur hæc Bulla in communi Bullario, eamque integram ex codice Archivii Vaticani ad verbum tranſcriptam refert idem Epiſcopus Lucarinus in eodem Manuali.

Idem Summus Pontifex in Bulla erectionis Canonicatus S. Petri in Vaticano pro præbenda Theologali ad docendam D. Thomæ doctrinam.

Attendentes D. Thomæ, qui Theologiæ, & Ordinis Prædicatorum profeſſor fuit, Doctrinam Theologicam ab Eccleſia Catholica receptam, aliis magis tutam, & ſecuram exiſtere.

Extat Bulla integra in ſyllabo Magiſtrorum Sacri Palatii Apoſtolici, Authore Fontana, impreſſo Romæ 1663. & tranſcripta fuit ex ipſo originali, quod aſſervatur apud Magiſtrum Sacri Palatii pro tempore exiſtentem.

SIXTUS V. juſſit in Bibliotheca Vaticana depingi S. Thomam Eccleſiam ſiniſtra manu geſtantem, dextera vero, qua ſcripſit, magnam luminis ſplendorem in eam ipſam Eccleſiam immittentem, cum hac Epigraphe: *S. Thomæ de Chriſto ſcripta, a Chriſto crucifixo probantur.*

Id inter alios refert Angelus Rocca in libello de Bibliotheca Vaticana, & de operibus Sixti V. pag. 236. ut teſtantur Joannes a S. Thoma, & Camblat locis ſupra relatis.

CLEMENS VIII. in Brevi ad deputatos a Civitate Neapolitana, quæ ſibi D. Thomam elegit in Patronum.

Pie prudenterque cogitatis de novo Civitatis Patrono adſciſcendo cive veſtro, *Divinæ voluntatis Angelico interprete*, vitæ ſanctitate, & miraculis claro Thoma Aquinate: cujus doctrinæ tantum fuit tributum, ut Chriſtianæ eruditionis ſuæ divinum etiam illud habeat teſtimonium: *Bene de me Thoma ſcripſiſti.*

Idem Summus Pontifex in alia Brevi ad Proregem Neapolitanum ait:

Erat quidem antea multo optandum, ut Civitas illa pietatis in primis dedita, novum Patronum ad reliquos quos habet addendum curaret Thomam Aquinatem, *cujus divino eloquio, & cæleſti Doctrina*, miraculiſque illa quidem illuſtris merito apud remotiſſimas nationes ſumma Chriſtiani nominis cum laude, atque Eccleſiæ utilitate celebratur.

Ibidem. Nos ſolemus, ut decet, ſemper favere ſupplicationibus; ſed huic certe ardentiori quadam voluntate annuimus, quod & *& nos ipſi Angelico huic Doctori, & noſtro, & totius Eccleſiæ nomine plurimum debemus.*

Idem Clemens VIII. in alio Brevi ad Nobiles Neapolitanos confirmans prædictam electionem D. Thomæ in Patronum.

Hic ſiquidem honor ejus virtutibus cum admirabili doctrina conjunctis jure optimo debetur. Ac doctrinæ quidem teſtis eſt ingens librorum numerus, quos ille breviſſimo tempore,

id

Digitized by Google

id omni fere diſciplinarum genere, ſingulari ordine, ac mira perſpicuitate, *ſine ullo prorſus errore conſcripſit*. In quibus conſcribendis interdum *Sanctos Apoſtolos Petrum & Paulum colloquentes, locoſque illi quoſdam Dei juſſa enarrantes habuit; & quos deinde conſcriptos Chriſti Domini voce comprobatos audivit.*

Hæc tria brevia de verbo ad verbum referuntur a prædicto Epiſcopo Lucarino in ſuo Man.

PAULUS V. in ſuo Brevi.

Splendidiſſimi Catholicæ Fidei athletæ B. Thomæ Aquinatis, *cujus ſcriptorum clypeo militans Eccleſia hæreticorum tela feliciter elidit*, honorem & venerationem in dies magis, magiſque augeri plurimum in Domino gaudemus.

Refertur etiam hoc breve de verbo ad verbum ab eodem Authore ibidem.

ALEXANDER VII. Authenticum Breve quo hic Summus Pontifex declaravit inconcuſſa tutiſſimaque tam Divi Thomæ, quam Divi Auguſtini dogmata.

ALEXANDER Papa VII. dilecti filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Litteras veſtras die 20. Martii datas accepimus, & in eo ſane quod quinque propoſitiones illas, tam in felicis recordationis Innocentii X. prædeceſſoris noſtri, quam in alia noſtra poſtea damnatas tantopere deteſtemini, ut neminem admittere ad gradus academicos velitis, niſi prius religioſam obſervantiam prædictarum Conſtitutionum promittat, & juret, obedientiam, & zelum veſtrum unice commendamus: atque adeo ſperamus vos nedum id egregie perſanctèque impleturos, verum etiam omnibus aliis in hanc ſanctam ſedem obſervantiæ & obedientiæ documentis effecturos, ut omni rerum præteritarum ex hominum animis evulſa, & penitus abolita memoria, priſtinum decus exiſtimationi & laudi antiquæ veſtræ reſtituatur. Ad hanc igitur ſalutarem obſequii gloriam vere, conſtanterque promovendam, quamvis uti credimus eximie currentes, vos dilecti filii, etiam atque etiam, quantum poſſumus, hortamur in Domino. De reliquo non dubitamus, quin vos pro ſingulari ſcientiæ, pietatiſque ſtudio, ſanam & incorruptam, qualem tot Apoſtolicæ Sedis declarationes, & SS. Patrum traditiones requirunt, doctrinam ſemper amplexuri, & adverſus orthodoxæ Religionis hoſtes defenſuri ſitis. NECNON PRÆCLARISSIMORUM ECCLESIÆ DD. AUGUSTINI, & THOMÆ AQUINATIS INCONCUSSA, TUTISSIMAQUE DOGMATA SEQUI SEMPER, UT ASSERITIS, AC IMPENSE VENERARI VELITIS. QUORUM PROFECTO SANCTISSIMORUM VIRORUM PENES CATHOLICOS UNIVERSOS INGENTIA, & OMNEM LAUDEM SUPERGRESSA NOMINA NOVI PRÆCONII COMMENDATIONE PLANE NON EGENT. Porro bonorum omnium largitorem Deum oramus, ut vobis, dilecti filii, cum pacis divina tandem clementia reſtituta proſperitate, cæleſtis gratiæ munera tueri, & augere quotidie pro miſericordia ſua velit. Ad quod feliciter conſequendum Apoſtolicam benedictionem vobis peramanter impartimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die ſeptima Auguſti Anno 1660. Pontificatus noſtri Anno 6.

Signatum erat FLORENTIN. Subſcriptio vero talis:

Dilectis filiis Decano, & aliis Theologicæ Facultatis Magiſtris Regentibus Lovanienſibus.

Collationem & concordantiam cum originali atteſtor infraſcriptus Notarius Publicus per Conſilium Brabantiæ admiſſus Lovanii reſidens.

M. Waterfort Not. Publ.

Collatione a l'original par moy Conſeiller, & Secretaire du Rey, maiſon & Couronne de France, & de ſes Finances.

D. D. Falentin.

Breve iſtud, prout hic refertur, cum prædictis collationibus, præ manibus habeo.

Videatur infra programma Univerſitatis Lovanienſis, poſt acceptum hoc Breve Pontificium.

Quilibet Summus Pontifex pro tempore exiſtens, quolibet anno Dominica proxima ante feſtum S. Thomæ poſt ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium ore proprio convocat Eminentiſſimos Cardinales ad Capellam, ut ajunt, hujus Sancti Doctoris, addens unum & alterum verbum in ipſius laudem. Sic Angelicus præceptor omnino ſingulari honore decoratur: Cum ad Capellam cujuſcumque alterius Sancti Doctoris neminem convocet Summus Pontifex, niſi per ſuos Curſores. *Hoc didici ab Illuſtriſs. Archipræſule de Marinis Scholæ noſtræ Fundatore munificentiſſimo.*

Digitized by Google

Authoritas Doctrinæ Divi Thomæ in Eccleſia

Ex ipſius conſenſu cum diffinitionibus Conciliorum generalium :

GRavina in antiquitate verſatiſſimus, in volumine, cui titulum dedit, *Cherubin Paradiſi S. Thomas Aquinas* lib. 2. cap. 5. oſtendit, nullum a tempore D. Thomæ celebratum fuiſſe Concilium, quod non omnia definierit juxta ipſius Doctrinam.

CONCILIUM LUGDUNENSE. Ad ipſum vocatus Doctor Angelicus, intereſſe non potuit morte præventus, ſed ope Scriptorum ipſius debellati fuere Græcorum errores. *Gravina loc. cit.*

VIENNENSE. In hoc Concilio ex Doctrina D. Thomæ proſcripti ſunt errores Begardorum & Beguinarum. *Gravina ibid.*

CONSTANTIENSE. Errores hæreſiarcharum Hus & Wicleph, qui in hoc Concilio damnati ſunt, ab ipſo præceptore Angelico fuerant prædamnati. *Idem Author, ibidem.*

FLORENTINUM. Quæcumque in hoc Concilio de proceſſione Spiritus Sancti a Doctoribus Latinis contra Græcos prolata ſunt, fuere deprompta ex D. Thoma, cujus etiam tota doctrina de Sacramentis in Canones ibidem redacta eſt. *idem Author.*

Cardinalis Cajetanus 1. 2. qu. 103. art. 4. oſtendit doctrinam hujus articuli (in quo Doctor Sanctus determinat quod legalia poſt Chriſti paſſionem obſervari non poſſunt) fuiſſe authoritate Eccleſiæ in hoc Concilio Florentino confirmatam. Et ſuper reſponſionem ad tertium, ait: *Scito, quod in eodem Florentino Concilio canonizata eſt quaſi ad verbum hæc doctrina.*

Idem doctiſſimus Gravina ibidem ex ipſis actis Concilii probat plures alias ejuſdem Concilii definitiones nedum dogmata, ſed & rationes, & ipſamet verba Sancti Doctoris continere.

Doctores Græci mirabantur, quod Latini pollerent tanta argumentorum copia, & ſubtilitate; & ubi compertum habuere ea fuiſſe deprompta ex D. Thomæ Summa, ipſam græco verti idiomate curarunt, ſicut & Hebraice ſcriptam ex eo tempore habemus, *ut non minus totius Orbis, quam Eccleſiæ latinæ foret Oraculum, inquit inſignis Thomiſta P. Camblat in Opuſc. ſupra citato.*

Occaſione hujus verſionis Hebraicæ in mentem venit id quod Spondanus narrat Anno 1406. n. 12. de Paulo Burgenſi, qui cum eſſet Judæus, & præcipuus Judæorum Doctor, ex lectione Summæ Sancti Thomæ converſus fuit, & Judæam deferens ad Eccleſiam Catholicam venit, quam doctrina & virtute ita illuſtravit, ut meruerit ad Epiſcopatum Burgenſem promoveri. *Refert Lucarinus in præfatione ſui Manualis.*

Celeberrimum Concilium Tridentinum.

Patres hujus Concilii cum Scripturam Sacram ſuper Altare pro more juſſiſſent reponi, unam ipſi voluerunt adjungi Divi Thomæ Summam; quia nempe (ut mox ex oratore Concilii referemus) *ad eam ut ad lydium lapidem, ſi quid ambiguitatis, ſi quid controverſiæ exortum fuiſſet, communibus votis referendum exiſtimabant.*

Hoc teſtatur P. Camblat in Opuſculo ſæpe citato.

In eadem Sacroſancta Synodo habita fuit concio de S. Thoma, quæ extat in libro de Orationibus habitis in Concilio Tridentino impreſſo Lovanii 1567. Inter alia autem Orator hæc ait:

Non potuit D. Thomas Eccleſiaſticis intereſſe Conciliis morte præventus; verum ecce ſuperſtes, atque in æternum victurus vobis adeſt; bona ſua ſpirituales doctrinæ theſauris hæreditario jure vobis delegavit. Nulla proinde ab ejus felici tranſitu Concilia ſine ſacro Doctore celebrata ſunt. Ut enim de cæteris ſileam quod audivimus, quod videmus, quod manibus noſtris contrectamus, quidni aperta voce ad ejus laudem teſtemur? Veſtra comitia perpendite: ex plurimo, eoque honorabili Doctorum cœtu quotuſquiſque conſultor accedit, qui D. Thomæ authoritate veluti ſplendente gemma ſuam ſententiam non exornet? & in conſultiſſimo Patrum receſſu Doctor hic ſententiam rogatus frequentiſſime cenſet. Ad quem, ut ad lydium lapidem, ſi quid ambiguitatis, aut controverſiæ fuerit exortum, communibus votis referendum exiſtimetis; & qui eum ſui placiti Patronum obtinuerit, incertam judiciorum aleam non ſit habiturus, quin ſecundum eum ſententia ferenda ſit: atque adeo hujus Religionis nomine, graviſſimæ veſtræ authoritati gratias agere libeat, quod Doctoris Thomæ nomen ubique celeberrimum veſtra in eum obſervantia celebrius poſteritati reliqueritis.

Hieronymus Vielmus Epiſcopus Argolicenſis in Opuſculo de D. Thomæ ſcriptis, quod in eodem Concilio edidit, ſic loquitur:

Certe in Tridentina œcumenica Synodo, quam cum hæc ſcribimus, frequentiſſimam celebramus, nemo Patrum eſſe videtur, cui Religio non ſit, cum de fidei dogmatibus agitur,

Digitized by Google

tur, a Thomæ ſententia vel latum unguem recedere.

Ita refert Lucarinus in præfatione Manualis.

Sed inter omnia, quæ de Concilio Tridentino pro commendatione Doctrinæ D. Thomæ dicuntur, illud eſt præclariſſimum, quod Didacus de Payva Luſitanus unus ex Doctoribus hujus Concilii teſtis oculatus, & graviſſimus narrat tom. 2. ſerm. de Sanctis in 2. ſermone de D. Thoma in fine.

Celebratur ſeſſio 21. Concilii, in qua ſtatuitur doctrina de Communione ſub utraque ſpecie, & parvulorum: viſum fuit legatis decreto addendum eſſe tanquam notiſſimum, quod Chriſtus in ultima cœna ſuos Apoſtolus in Sacerdotes ordinavit his verbis; *Hoc facite in meam commemorationem.* Re ſatis diſcuſſa, præſto erant ſuffragia, cum neſcio quis illorum Patrum teſtatus eſt videri ſibi D. Thomam 3. p. 73. art. 5. ad 3. ſentire Chriſtum Dominum verbis illis nihil aliud ordinaſſe, quam quod illud ſacroſanctum Myſterium in Paſſionis ejus memoriam celebraretur. Mirum! juſſu Patrum ſumitur liber, notatur locus, diſcutitur; cumque varii varié cum interpretarentur, tantum ponderis in Concilii Lancem injecit ſola D. Thomæ authoritas vel etiam dubitata, ut placuerit Concilio potius decretum ſuſpendere, quam aliquid definire, quamdiu ſenſus D. Thomæ nondum foret aperte cognitus. Dilatum ergo fuit judicium; interimque de vera circa hoc S. Doctoris mente fuit diſputatum; cumque tandem cognoviſſent Patres in præfata aſſertione nihil contra D. Thomæ ſententiam definiri, ſequenti ſeſſione ſancita fuit.

Ita ex prædicto Authore referunt Joannes a S. Thoma, & P. Camblat locis ſæpe citatis, & jure optimo omnes admonent, ut a tota Eccleſia in hoc celeberrimo Concilio congregata diſcant debitam doctrinæ D. Thomæ reverentiam. Hæret Eccleſia tota, ſuſpenditur, proxima definitio detinetur, ne etiam ſub dubio ſenſus D. Thomæ prætermittatur. Proculdubio quia mens Concilii Thomas erat.

Videantur etiam quæ ſupra retulimus ex Summo Pontif. Pio V. qui cum dixiſſet multas hæreſes, quæ poſt D. Thomæ mortem exortæ ſunt, vi ac veritate doctrinæ ipſius fuiſſe profligatas, ſubdit, quod & antea ſæpe & liquido nuper in Sac. Concilii Tridentini decretis apparuit, manifeſte infinuans decreta hujus Concilii, maxime juxta D. Thomæ doctrinam ad profligandas hujus temporis hæreſes concepta fuiſſe, & efformata.

Authoritas Doctrinæ Divi Thomæ in Eccleſia

Ex Breviario, & Pontificali Romano, & ex ipſo etiam Breviario Prædicatorum.

Breviarium Romanum Pii V. juſſu editum, & Clementis VIII. authoritate recognitum in Officio S. Thomæ ſequentem habet orationem, in qua fatetur tota Eccleſia ſe admirabili Divi Thomæ doctrina illuſtrari, & ipſius intelligentiam a Deo poſtulat.

DEus, qui Eccleſiam tuam B. Thomæ Confeſſoris tui *mira eruditione clarificas*, & ſancta operatione fœcundas: da nobis quæſumus, & *quæ docuit intellectu conſpicere*, & quæ egit imitatione complere.

In eodem Breviario in lectionibus Officii ejuſdem S. Thomæ ſic habetur.

Nunquam ſe lectioni, aut ſcriptioni dedit niſi poſt orationem. In difficultatibus locorum ſacræ Scripturæ ad orationem jejunium adhibebat. Quin etiam ſodali ſuo fratri Reginaldo dicere ſolebat; Quidquid ſciret, non tam ſtudio, ac labore ſuo peperiſſe, quam divinitus traditum accepiſſe.

Ibidem. Scripta ejus, & multitudine, & veritate, & facilitate explicandi res difficiles, adeo excellunt, ut ob eam cauſam etiam nomen Doctoris Angelici jure ſit adeptus.

Pontificale Romanum ſub Paulo III. impreſſum Venetiis 1543. ſequentes habet Orationes pro Epiſcopali Benedictione danda ſolemniter die S. Thomæ.

BEnedicat & cuſtodiat vos Omnipotens Deus, qui per B. Thomam Aquinatem Virginem, Doctorem, & Confeſſorem ſuum divina ſapientia illuſtratum, Eccleſiam ſuam ſanctam hæreſibus & criminibus purgare, ac luce veritatis, doctrinæ integritate illuminare eſt dignatus. ℞. Amen.

Et qui ejus doctrinam in veritate, & charitate fundatam nullius permiſit adverſantium telis peſſundari, ipſe vos recta fide, & perſeverantia in ſua voluntate dignetur confirmare. ℞. Amen.

Quatenus in fide vera firmati, & in bonis

Digitized by Google

operibus perſeverantes, ejus precibus, & meritis ad æternam valeatis pervenire lætitiam, & cum ipſo ſemper in cæleſtibus gaudiis lætari. ℟. Amen.

Sic ſenſit Eccleſia de veritate, integritate, ac ſoliditate doctrinæ D. Thomæ, ſic illi acclamavit, ſic a Deo poſtulavit, inquit ſæpe laudatus Author Joannes a S. Thoma, qui teſtatur vetuſtum codicem hujus Pontificalis aſſervari in Bibliotheca Conventus S. Stephani Salmanticenſis. Et licet iſte ritus cum quibuſdam aliis in novo Pontificali fuerit omiſſus, ne longioribus ceremoniis populi devotio tepeſceret, olim tamen ex præſcripto, & approbatione Eccleſiæ fuit obſervatus.

Multa diximus, & adhuc aliquid referemus ex Breviario Ordinis Prædicatorum a Julio III. approbato, & authoritate Clementis Octavi recognito. Integrum D. Thomæ officium eſſet referendum, ſi omnia notatu digna vellemus afferre.

Authoritas Doctrinæ Divi Thomæ in Eccleſia

DE DECRETIS UNIVERSITATUM

UNIVERSITATIS PARISIENSIS, ſeu SORBONA, *Anno fere 50. poſt obitum S. Thomæ, in decreto facto a Stephano Archiepiſcopo Pariſienſi cum conſilio, & conſenſu Archiepiſcopi Viennienſis, adhibitis etiam calculis ejuſdem Archiepiſcopi Viennenſis, & Doctorum numero circiter 72. inter alia ad commendationem D. Thomæ hæc ait:*

CUM D. Thomas fuerit univerſalis Eccleſiæ lumen præfulgidum, gemma radians Clericorum, fons Doctorum, Univerſitatis noſtræ Pariſienſis ſpeculum clariſſimum, & candelabrum inſigne ac lucens, per quod omnes qui vias vitæ, & ſcholas doctrinæ ſanæ ingrediuntur, lumen vident, claritatis vitæ, famæ claræ, & ſcientiæ lucidæ, velut ſtella ſplendida, & matutina refulgens.

Refertur decretum integrum initio tabulæ aureæ Operum D. Thomæ a Bergomenſi compoſitæ, & juſſu Summi Pontificis Pii V. cum eiſdem operibus Romæ impreſſæ.

UNIVERSITATIS THOLOSANÆ.

Summus Pontifex Urbanus V. in Bulla pro translatione corporis S. Thomæ, hæc ſcribit:

Volumus inſuper, & tenore præſentium vobis injungimus, ut B. Thomæ doctrinam tanquam benedictam, & Catholicam ſectemini, eamque ſtudeatis totis viribus ampliare.

Videantur alia quæ ex eadem Bulla retulimus ſupra.

UNIVERSITATIS AVENIONENSIS.

Habemus in Schola noſtra S. Thomæ hujus noſtræ Univerſitatis Statuam Illuſtriſſimi felicis memoriæ Archipræſulis de Marinis cum hoc lemmate.

Illuſtriſſimo & Reverendiſs. D. D. Dominico de Marinis, Avenionenſium Archipræſuli ex Ordine Prædicatorum aſſumpto: Viro de Religione, litteris, ac populis ſibi creditis optime merito, virtutibus, eruditione, cura, beneficiis: ob excitata in Univerſitate Philoſophiæ ac Theologiæ ſtudia: erecta, & dotata utrique ſua cathedra, Angelicæ D. Thomæ doctrinæ a RR. PP. Magiſtris Profeſſoribus ex Ordine Prædicatorum aſſumendis in perpetuum edocendæ: Magno Urbis & Univerſitatis bono, ac ornamento: hoc tantulum tanto viro monumentum grati, & memores poſuere duo primi Profeſſores ab eo inſtituti, Anno 1672.

Qui plura de hoc Illuſtriſſimo Mecœnate noſtro ſcire deſiderat, videat Orationem ipſius funebrem, quam typis mandavit R. P. Godin meus olim collega, ſuo curſu Philoſophico omnibus notiſſimus. Unum hic dico, quod in contractibus fundationis clauſulam iſtam apponi voluit, ut prædicti Profeſſores non admitterentur ad docendum, niſi præſtito prius juramento de ſequenda D. Thomæ doctrina, ſicut ſolent noſtri Thomiſtæ.

UNIVERSITATIS SALMATICENSIS.

Profeſſores, antequam admittantur, emittunt hoc juramentum in generalibus ejuſdem Univerſitatis Comitiis die 9. Junii 1627. communi ſuffragio emanatum.

Juro in quotidianis Lectionibus, quas in Academia, vel Cathedræ moderator, vel voluntarius Profeſſor legero, me docturum atque lecturum in Theologia Scholaſtica doctrinam S. Auguſtini, & concluſiones Divi Thomæ, quas in Summa Theologiæ docet, ubi horum SS. mens aperta fuerit; ubi vero anceps, & dubia, nihil docturum, neque lecturum, quod eorum doctrinæ adverſari ſenſerim; ſed quod juxta meum ſenſum, vel eorum qui diſci-

Digitized by Google

diſcipuli Sanctorum Auguſtini & Thomæ communiter cenſentur, tantorum Patrum doctrinæ magis conforme judicaverim, excipio opinionem de immaculatæ Virginis conceptione, & ea quæ jure Eccleſiaſtico immutata ſunt, vel poſtea immutabuntur, & quæ cum olim controverſa eſſent, jam Conſtitutionibus Apoſtolicis diffinita ſunt. Et ſi quando Cathedram Scoti, vel Durandi moderabor, quamvis ad id teneri nolo, licere tamen mihi volo, pro eo tantum tempore probabiles eorum Doctorum opiniones ſequi abſque perjurii crimine.

Hæc juramenti formula ad verbum tranſcripta eſt ex libro impreſſo Barcinonæ apud Petrum la Cavalleria Anno 1627. *idiomate Hiſpanico, cujus titulus eſt*: Univerſitas Salmantica, & Sacræ Religiones S. Dominici, & S. Auguſtini *de confirmatione ſtatuti, & juramenti docendi & legendi doctrinam D. Auguſtini, & D. Thomæ.*

Circa opinionem de Immaculatæ Virginis conceptione omnino videndus eſt doctiſſimus Joannes a S. Thoma in illo Tractatu nunquam ſatis laudato de approbatione doctrinæ D. Thomæ diſp. 2. a. 2. ubi hæc inter alia dicit: Nihil mihi videtur ita commendare cæleſtem Divi Thomæ doctrinam, quam ſi attente inſpiciatur quanta vigilantia S. Doctor calamum in hac re divina Providentia temperavit, ne in particulari aliquid ſcriberet, quod præſentis Eccleſiæ ſtatui, & ſenſui, quem habet circa Virgineum conceptum contradicere poſſet.

UNIVERSITAS COMPLUTENSIS
de D. Thomæ doctrina ſic loquitur:

Doctrina firmiſſima & inconcuſſa, quæ falſa hæreticorum dogmata, quæ perfidiam Arrianam, quæ Judæorum veſanam malitiam, quæ Gentilium Philoſophorum verſutiam, quæ denique ſchiſmaticorum abominandam ſciſſuram concutiat.

Ita refert Joannes a Sancta Maria in vita S. Thomæ cap. 24.

UNIVERSITAS LOVANIENSIS.
Divum Auguſtinum & Thomam elegit in Patronos, & Magiſtros ſuæ Facultatis Theologiæ, in quorum laudem ſequens programma fecit, quando Breve Summi Pontificis Alexandri VII. ſupra relatum accepit.

P R O G R A M M A
Facultatis Theologiæ Lovanienſis.

DEcanus, & facultas S. Theologiæ in Alma Academia Lovanienſi mandat omnibus, & ſingulis ſuis ſuppoſitis, ut proxima die Dominica, quæ eſt ſeptima menſis currentis, ſub medium undecimæ compareant in inſigni Eccleſia collegiata D. Petri, ut interſint ſolemni Miſſæ per eandem facultatem ibidem celebrandæ pro longæva incolumitate, ac felici regimine S. D. N. Alexandri divina providentia Papæ VII. qui præter alia paternæ ſuæ erga eandem benevolentiæ argumenta Apoſtolico reſcripto in forma Brevis ad ejuſdem preces eam decorare dignatus eſt, quo SS. Auguſtinum, & Thomam Aquinatem Scholæ Facultatis Patronos, & Magiſtros uti præclariſſimos Eccleſiæ Catholicæ Doctores deprædicat, eorumque dogmata tanquam inconcuſſa, tutiſſimaque, & proinde ſemper ſequenda, & impenſe reverenda commendat; ſubjungens penes Catholicos univerſos ingentia, & omnem laudem ſupergreſſa nomina eorundem SS. novi præconii commendatione non egere. Quod cum non tantum in dictæ facultatis, ſed & in totius Eccleſiæ bonum ceſſurum optimi optime confidant, rogant omnes & ſinguli eidem Miſſæ intereſſe, & preces ſuas jungere, Datum Lovanii 6. Novembris 1660.

De mandato DD. Decani, & cæterorum Magiſtrorum Facultatis Theologiæ Lovanienſis.
Gregorius Lipſius ejuſdem Facultatis Notarius, & Bedellus.

Refert P. Camblat loco citato.

Eadem Academia Lovanienſis adeo Divum Thomam colit, ac veneratur, ut non modo doctrinam illius in omnibus tueatur, ſed etiam ſpeciali ſtatuto teneantur illius Alumni ad S. Thomæ nomen prolatum nudato, pronoque capite Reverentiam illi exhibere.

Refert Joannes a S. Maria in vita S. Thomæ cap. 14.

UNIVERSITAS DUACENSIS.
Non ſolum Eccleſiam FF. Prædicatorum ad ſolitas Academiæ Congregationes elegit, ſed voluit eleganti Statuæ S. Thomæ ſpeciem referenti hanc ſubſcribi Epigraphen: *Sancto Thomæ Aquinati Patrono Academiæ Duacenſis.*

Refert Camblat loc. cit.

UNIVERSITAS PATAVINA,
Sancto Thomæ Aquinati tanquam Patrono ac Doctori ſuo quotannis die illi ſacra parentare ſolet in Eccleſia Prædicatorum hoc ritu. In eam Profeſſores omnes infulati conveniunt; tum ſacris peractis unus eorum ab ipſis electus publicam habet orationem in laudem S. Thomæ Academiæ Patroni.

Refert idem Author ibid.

Bre-

Digitized by Google

Breviarium Prædicatorum a Julio III. approbatum, & Clemente VIII. recognitum in lectiom. feſti S. Thomæ.

Dici non poteſt quanto in pretio ſinceriſſima ejus in rebus Theologicis Doctrina ſemper ſit in Eccleſia habita. Quem omnes Theologorum Academiæ tanquam Principem, ac Parentem Theologiæ merito venerantur, & laudant.

Ita res habet; nulla eſt enim in Orbe Academia, quæ ſi in alicujus S. Doctoris verba juret, D. Thom. in Patronum & Magiſtrum non elegerit.

Auctoritas Doctrinæ Divi Thomæ in Eccleſia

Ex Statutis Ordinum Religioſorum.

Refertur in vita S. Bernardi lib. 2. cap. 7. quod unum ex argumentis, quibus demonſtrabat Innocentium II. eſſe verum Papam, & Petrum Leonis Antipapam, erat quod Religio Camaldulenſis, & Carthuſienſis, & Cluniacenſis, & Grandimontenſis, & Ciſtercienſis, & Præmonſtratenſis, aliaque innumerabilia ſervorum, & ancillarum Dei Collegia Innocentium ut verum Summum Pontificem agnoſcebant. Simile argumentum habemus, & quidem maximi momenti, pro veritate, & ſecuritate Doctrinæ D. Thomæ, cum (ut patet ex Conſtitutionibus hic relatis) eam ſequantur quindecim ex celebrioribus religioſis Ordinibus; innumeri quoque particulares Doctores ipſam amplectantur; & omnes quotquot ſunt in Eccleſia fideles maxime venerentur.

ORDO PREDICATORUM.

In ſuis Conſtitutionibus diſtinct. 2. cap. 14. littera C.

Diſtricte injungimus Lectoribus omnibus, & ſublectoribus, ut præſtantiſſimam noſtri Angelici Doctoris S. Thomæ doctrinam ſemper legant, diſcant, & doceant, & juxta eam omnia quæſita, & diſputata determinent, & definiant, ſuoſque diſcipulos ipſa erudiant, & faciant, ut ſtudentes in eam toto animi impetu diligenter incumbant. Eſt enim excellentiſſima hæc doctrina, ſana præ cæteris, culta a doctoribus viris, Ordini noſtro utilis, ſalutaris univerſæ Eccleſiæ, & toti terrarum Orbi admirabilis, ac denique Chriſti Salvatoris noſtri judicio comprobata. Lectores ergo atque ſtudentes eam in lectionibus, atque diſputationibus non prætermittant; ſed in ea verſentur, eamque explicent, & adhibeant: ipſi denique in fine ſuarum diſputationum, rationibus contrariis ſolutis ac fractis, firmiſſime adhæreant. Stricte prohibentes ne fratres legendo, determinando, reſpondendo aſſerere audeant propria ſententia oppoſitum ejus, quod communi omnium judicio creditur aſſertum eſſe a ſanctiſſimo Præceptore.

Videatur etiam quod diximus in Præfatione ex ultimo Cap. generali ejuſdem noſtri ſacri Ordinis.

RELIGIO S. AUGUSTINI.

Congregatio S. Salvatoris Lateranenſis Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini in ſuis Conſtitutionibus part. 2. cap. 11. de litterarum ſtudio pag. 188.

Porro Lectores certam methodum in legendo obſervent: in primis in ſacra Theologia viam D. Thomæ ſequendam præcipimus, quæ cæteris Scholaſticorum viis ordine doctrinæ, facilitate, integritate, & ſoliditate merito præferri debet.

Et ibid. p. 127. Si ambo Theologi ex noſtris haberi non poterunt, ſaltem alter ſit ex noſtris, alter vero ex Ordine D. Dominici, vel ex alio, qui viam D. Thomæ Aquinatis ſequatur, quam in noſtris ſcholis ſequendam fore mandamus.

Gallicana Congregatio Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini in ſtatuto, cujus hic eſt extractum authenticum e Gallico idiomate latine fideliter redditum, ſic habet.

Capitulum generale Canonicorum Regularium S. Auguſtini Congregationis Galliæ congregatum in Abbatia Sanctæ Genovefæ Pariſiis menſe Septembri Anni 1650. ſtatuit ut in ſcholis Theologiæ dictæ Congregationis legatur S. Thomæ doctrina pura.

Religioſi Auguſtiniani in ſuis Conſtit. part. 5. cap. 2. de Officio, & authoritate Magiſtri Regentis.

Ut autem uniformitas quoad doctrinam quemadmodum quoad alia in Ordine noſtro cuſtodiatur: Volumus ut Magiſtri Regentes in lectionibus, & determinationibus diſputationum ſequi, & tueri debeant ſanam, & Catholicam doctrinam fundatiſſimi Doctoris B. Ægidii Romani quondam noſtri ſacri Ordinis Generalis. Ubi vero ejus ſcripta non reperiun-

Digitized by Google

riuntur, ex Divi Thomæ Aquinatis doctrina ſuppleatur.

Fuit autem Ægidius Romanus Generalis Ordinis S. Auguſtini, & Archiepiſcopus Bituricenſis, ac Cardinalis, quondam diſcipulus, auditor, & Amanuenſis S. Thomæ, ejuſque doctrinæ defenſione Librum edidit, cui titulus eſt: Defenſorium adverſus corruptorem, ſeu impugnantem doctrinam D. Thomæ.

Hæc refert celeberrimus hujus ſæculi Thomiſta P. Gonet initio ſui clypei Theologiæ Thomiſticæ contra novos ejus impugnatores.

ORDO CARMELITARUM.

Carmelitæ excalceati in Conſtitut. par. 2. cap. 4. num. 6.

Lectores Theologiæ operam dabunt ſacram doctrinam a Sanctis Patribus, præcipue a D. Thoma traditam edocere, idemque Lectores artium obſervent. Sin minus ab officio Lectorum priventur.

Ita referunt celeberrimi Thomiſtæ Carmelitæ Excalceati Complutenſes initio ſui curſus Philoſophici.

Eadem ſacra Religio ſuos filios ad amplectendam ejuſdem S. Thomæ doctrinam his verbis hortatur.

Qui ſtudii ſacræ doctrinæ fontis ſitit habere puritatem, qui inviolatæ veritatis dulcedine paſci deſiderat, qui ſplendorem veræ fidei vult reſpicere, qui pravorum dogmatum levitates, & errores vult evitare, ac lumen cæleſtis gloriæ reſpicere, reſpiciat, & ſequatur Angelicum Doctorem, doctrinam Angelicam S. Thomæ.

Refert P. Joannes a S. Maria in vita S. Thomæ c. 24.

In Conſtitutionibus eorundem Fratrum diſcalceatorum Congregationis Italicæ, & Gallicæ p. 2. c. 15. de litterarum exercitiis.

Prælectores, cæterique fratres univerſi opiniones male fundatas, & novitatem præſeferentes deponant, & S. Thomæ doctrinam tam in Philoſophicis, quam in Theologicis ſequantur, & quæ in Summa docuit præferant iis, quæ alibi tradidit.

Et ibid. num. 5. Philoſophiæ Lector tam in Logica, quam in Phyſica, & Metaphyſica doctrinam D. Thomæ amplectatur; itaut contra ejus doctrinam nihil affirmet. Præleget authorem Thomiſtam a Præpoſito, vel Provinciali deſignandum.

Refert. P. Gonet initio ſui Clypei: Hæc autem ſtatuta ita fideliter ubique obſervant iidem Carmelitæ Excalceati, ut D. Thomæ doctrinam non minori zelo in ſuis omnibus operibus explicent & defendant, ac ipſi Religioſi noſtri Ordinis Prædicatorum, *ut videri poteſt in Complutenſibus, Salmanticenſibus, Philippo a Sanctiſs. Trinitate, & aliis pluribus.*

Conſtitutiones obſervantiæ Carmelitanæ ab Urbano VIII. & Innocentio X. confirmatæ, p. 1. de ſtudiis c. 21. num. 15.

Conſtituentur Lectores &c. Mane unus, & alter a prandio legat: itaut intra triennium tota D. Thomæ Summa perlegatur.

Num. 17. Lectores Theologiæ, quoad ſpectat ad D. Thomam, quantum in ipſis erit, illius doctrinam amplectantur, cum interpretatione Doctorum Ordinis noſtri.

Extractum ex ipſo lib. Conſt. impreſſo Pariſiis apud Joſephum Cotereau Ann. 1650.

ORDO S. BENEDICTI.

D. Thomas primis olim pietatis, & ſcientiæ documentis imbutus fuit a RR. Patribus Benedictinis in Monaſterio Montis Caſſini, quibus modo cum multo fœnore reddit quod accepit: dum Congregatio Caſſinenſis ipſius doctrinam tam in Philoſophia quam in Theologia ex ſpeciali ſtatuto amplectitur, ut ita quaſi ad litteram verificetur illud thema, quod (ut conſtat ex dictis ſupra) ab eodem Angelico Præceptore divino monitu fuit aſſumptus, Rigans montes de Superioribus ſuis &c.

Nondum recuperare potuimus ſtatutum illud Congregationis Caſſinenſis, ſed ſolummodo aliud quod fecit Congregatio Sancti Mauri in Gallia extractum ex libro impreſſo juſſu Capituli generalis Anno 1654. cujus titulus eſt: Regulæ pro lectoribus, & ſcholaribus Monachis congregationis S. Mauri *Ordinis S. Benedicti.*

Lectores S. Theologiæ erga D. Thomam ſint ita affecti, ut ejus doctrinam maximi faciant, & quod fieri poteſt ſequantur, vel benigne interpretentur.

Profeſſores hujus Ordinis, quos novimus, non minus fideliter D. Thomam ſequuntur, quam ipſimet noſtri Thomiſtæ.

ORDO REDEMPTIONIS CAPTIVORUM.

Regalis Ordo B. Mariæ de mercede Redemptionis Captivorum in compendio Regulæ, & Conſtitutionum lingua Hiſpanica edito, in verbo Doctrina *tit.* 5. *ſequens præceptum ſuis Religioſis fecit.*

Ad aſſequendos Religionis gradus legi debet doctrina S. Thomæ, prout explicatur a noſtro RR. Magiſtro Zumel, ita præcipitur in virtute obedientiæ, & ſtatuitur a tribus continuis generalibus Capitulis.

Refert idem Gonetus ibid. Fuit autem prædictus

Digitized by Google

dictus Magiſter Zumel ita fidelis interpres ; & diſcipulus D. Thomæ ac ullus alius Thomiſta, *ut patet ex omnibus ipſius commentariis in Summam ejuſdem Angelici Præceptoris.*

Idem Sacer Ordo iterum ſic ſtatuit.

Lectores noſtri ſacram doctrinam a Sancto Thoma traditam edoceant, & obſervent: ſin minus ab officio Lectorum priventur.

Refert Joannes a S. Maria in vita S. Thomæ cap. 24.

ORDO MINIMORUM.

In Capitulo generali RR. PP. Minimorum Barcinonæ celebrato, Anno 1661. *die* 29. *Maii ſic habetur ſeſſ. ult. num.* 48.

Iterum in locum Capituli pro hac ultima ſeſſione ſe receperunt Patres, in qua aliqua decernere ſtatuerunt, quæ ad Religionis commodum maxime conducere viſa ſunt. Et in primis ſtatuerunt Lectores noſtri Ordinis veridicam, & ſecuram Doctoris Angelici Div. Thomæ doctrinam ſequi debere, quos ſtudio, quo poſſunt majori, cohortantur, eiſque imperant, ut a ſcopo tanti Doctoris nunquam diſcedant.

Extractum ex Digeſto Capitulorum generalium impreſſo Romæ typis Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Ann. 1664.

Omnes, quotquot novimus, hujus Ordinis Profeſſores non minori zelo doctrinam Angelici noſtri Doctoris tuentur, quam ipſimet Religioſi noſtri.

ORDO S. FRANCISCI.

Non deſunt ex RR. Patribus Capucinis, & Tertiariis, qui fideliter ſequantur Doctorem Angelicum D. Thomam; & licet RR. Patres Minores Conventuales, & etiam Obſervantes teneantur ſequi Doctorem ſubtilem Scotum, ut tamen debitam D. Thomæ reverentiam deferrent, ſic illis præſcriptum fuit in Capitulo generaliſſimo.

Præcipimus omnibus Fratribus noſtri Ordinis, ſub pœna privationis Officiorum, & aliis infligendis arbitrio Superiorum; ne deinceps in controverſiis Scholaſticis, verbo, aut ſcripto taxent minus reverenter, notis, cenſuris, & exaggerationibus opiniones Angelicæ ſcholæ.

Extractum ex §. 3. *n.* 4. *tabulæ celeberrimi Capituli generalis Ordinis Minorum Romæ celebrati die* 27. *Maii* 1651. *impreſſæ ibid. eod. an.*

SOCIETAS JESU.

Conſtitutionum part. 4. *cap.* 14. §. 1.

Generatim (ut dictum eſt cum de Collegiis ageretur) illi prælegentur libri, qui in quavis facultate ſolidioris, ac ſecurioris doctrinæ habebuntur.

In Theologia legetur vetus, & novum Teſtamentum, & doctrina Scholaſtica Div. Thomæ.

Extractum ex lib. Conſtit. Societatis impreſſo Antuerpiæ apud Joannem Meurſium Ann. 1635.

Congregatio quinta generalis Decreto 56. *n.*1.

Noſtri omnino S. Thomam ut proprium Doctorem habeant, eumque in Scholaſtica Theologia ſequi teneantur; tum quia Conſtitutiones eum nobis commendant part. 4. cap. 14. §. 1. & Summus Pontif. Clemens VIII. id ſe cupere ſignificavit; tum quia cum unius ſcriptoris doctrinam in ſocietate eligendam Conſtitutiones moneant p. 8. cap. 1. litt. K, nullius hoc tempore doctrina poteſt occurrere quæ ſit ea ſolidior, aut ſecurior ut non immerito S. Thomas Theologorum Princeps ab omnibus habeatur.

Ibid. num. 4. Præſcribendum videtur, ut nullus ad docendum Theologiam aſſumitur, qui non ſit vere S. Thomæ doctrinæ ſtudioſus: qui vero ab eo ſunt alieni omnino removeantur. *Ex libro Congregationum ibidem impreſſo.*

Mutius Præpoſitus Generalis epiſt. 2. *ad Superiores Societatis de Profeſſoribus Theologiæ ſic loquitur.*

Quoniam Conſtitutiones, decreta, regulas probe callent de S. Thoma ſequendo, de non provehendis ad Cathedras, aut etiam removendis, qui ejuſmodi doctrinam parvi facere, aut cordi non habere præſeferunt; præſertim ſi novitatum amantes deprehendantur, qui nulla ſunt ratione ferendi, reliquum mihi præterea nihil eſt, niſi ut hæc ipſa ſerventur, ut maximi rem momenti, quam ardentiſſime poſſum urgere.

Ex libro Epiſtolarum Præpoſitorum Generalium ibidem impreſſo.

CONGREGATIO BARNABITARUM.

Manuale Regularis diſciplinæ apud Clericos Regulares S. Pauli, vulgo Barnabitarum, in verbo Studia litterarum *num.* 22.

Ne in ſpirituali progreſſu ſtudio applicati tepeſcant occaſione litterarum, recitent ad præſcriptam tabellæ ſtatas preces ad B. Virginem, S. Paulum, & S. Thomam decretis diebus 2. & 4. feria, & Sabbatho.

Num. 31. Theologis ſufficiat S. Thomas cum uno interprete.

Num. 44. In Theologia ſectentur S. Thomam pluribus in unum articulis brevitatis ergo contractis.

Num.

Digitized by Google

Num. 49. Brevitati conſulent, potius ad textum S. Thomæ, remittant.

Extractum ex eodem Manuali impreſſo Mediolani apud Ludovicum Montium Anno 1650.

CONGREGATIO RR. PP. ORATORII.

In ſtatutis Congregationis generalis celebratæ Pariſiis Anno 1675. *ibidem Gallico idiomate impreſſis apud Petrum le Petit*, 21. *ſic habetur*:

Renovando ſtatuta Congregationis undecimæ ſeſſ. 7. & duodecimæ ſeſſ. 8. Congregatio decernit, ut noſtri Profeſſores Theologiæ doceant doctrinam S. Auguſtini, & S. Thomæ tanquam ſolidiorem, & magis univerſaliter in Eccleſia receptam, & ut in exponendo S. Thoma ſint conformes alicui ex præcipuis ipſius interpretibus, quales ſunt Capreolus, Eſtius, Sylvius, Joannes a S. Thoma, & Gonetus; noſtri quoque Profeſſores Philoſophiæ docebunt doctrinam S. Thomæ, quantum fieri poterit, prout explicatur a præcipuis ejus Commentatoribus, ut Complutenſibus, Joanne a S. Thoma, & Philippo a S. Trinitate.

CONGREGATIO DOCTRINÆ CHRISTIANÆ.

Capitulum generale RR. Patrum Doctrinæ Chriſtianæ præcipit R. Patri Camblat, ut Theologiam ederet juxta mentem Angelici Doctoris, quod & præſtitit imprimendo egregias Inſtitutiones Angelicæ Theologiæ Pariſiis apud Ægidium Blaizot Anno 1663. *quarum Præfatio ſic incipit*:

Juſſus a venerabili noſtro Capitulo generali in publicum dare opus ad Theologiam Angelicam, quia omnium ſanctiſſimam, tutiſſimamque, commode ſimul & rite addiſcendam oppoſitum &c.

Ibidem ait: Auſim aſſerere ex omnibus, qui eam ingenue ſectantur, ac profitentur, vix ulli magis, quam mihi illius ſtudium, & authoritatem placuiſſe.

Quod eſſe veriſſimum conſtat ex omnibus hujus authoris operibus, in quibus doctrinam Divi Thomæ eo zelo explicat, & defendit, quo major in nullo Thomiſta reperiri poteſt.

Omnia Doctorum Encomia, quibus Doctrina D. Thomæ celebrata fuit, integro volumine comprehendi non poſſent; unde Cardinalis Baronius in ſcholiis ad Martyrologium Romanum 7. die Martii, quæ eſt D. Thomæ ſacra, ait:

Vix quiſquam enarrare ſufficeret quot vir ſanctiſſimus, atque eruditiſſimus Theologorum præconiis celebretur: quantumque ejus illibatæ doctrinæ a Sanctis Patribus in ſacroſancto æcumenico Concilio conſidentibus fuerit acclamatum: jureque optimo ob eam cauſam a ſanctiſſimæ memoriæ Pio V. Romano Pontifice inter celebriores Doctores Eccleſiæ fuit adnumeratus, dum hujus diei celebritatem iiſdem ſacris ſolemnibus peragi voluit, quibus Bonifacius VIII. Papa Sanctorum quatuor Doctorum Gregorii, Ambroſii, Auguſtini, & Hieronymi feſtivitates celebrandas conſtituit.

Denique ipſi etiam hæretici omnes agnoſcunt, & reformidant hanc Summam doctrinæ Div. Thomæ in Eccleſia authoritatem: quod pluribus exemplis oſtendi poſſet. Sufficiat illud vulgatiſſimum Buceri hæreſiarchæ hujus temporis, qui ſolebat dicere: Tolle Thomam, & diſſipabo Eccleſiam.

Finem facimus cum his egregiis verbis R. P. Gonet in præfatione ſui Clypei.

O felicem D. Thomæ ſcolam! cui etiamſi erraret, poſt tot commendationes, poſt tot Oracula, ipſe error, ſi ita loqui fas eſt, ſecurus fieret. Illud enim audacter ſibi poſſet aſſumere, quod olim de ipſa Religione loquens, non minus audacter, quam pie ac vere dicebat Richardus a Sancto Victore: *Domine, ſi error eſt quod credimus, a te decepti ſumus*; eam enim doctrinam amplexi ſumus, eam ſequimur, quæ tibi probata eſt, & a te ſæpius commendata. Verum nihil ipſi de errore, nihil de falſitate metuendum eſt, quam veritatis Magiſter, quam veritas ipſa commendat: nam, ut ait D. Hilarius, *non illudit nos per falſa qui veritas eſt.*

M O.

MODUS LEGENDI CITATIONES

Operum Divi Thomæ.

Omnia D. Thomæ Opera viginti tribus Voluminibus continentur.

PRæcipuum S. Doctoris Opus eſt Summa Theologiæ, quam diviſit in tres partes: Secunda Pars propter ſuam prolixitatem fuit ſubdiviſa in duas, quarum altera dicitur 1. 2. ideſt, prima pars ſecundæ partis; altera 2. 2. ideſt, ſecunda pars ſecundæ partis. Quælibet pars ſubdividitur in quæſtiones, & quæſtiones in articulos, in quibus hic ordo ſervatur: ſtatim proponuntur argumenta adverſæ ſententiæ; poſtea ſuam ſententiam incipit probare D. Thomas dicendo, *ſed contra eſt*, & hoc vocatur *argumentum ſed contra*; deinde reſolvit difficultatem, *Reſpondeo dicendum &c.* Et quia hæc reſolutio eſt in medio dicitur *corpus articuli*; tandem ſolvit argumenta ab initio propoſita.

Sic igitur legendæ ſunt citationes ex hac Summa.

1. p. qu. 10. art. 3. in c. ideſt; in prima parte ſummæ Theologiæ, quæſtione decima, articulo tertio, in corpore articuli.

1. 2. q. 29. art. 5. in *ſed contra*, ideſt, in prima ſecundæ; qu. 20. art. 5. in argumento ſed contra. 2. 2. q. 30. a. 10. ad 1. ideſt, in ſecunda ſecundæ, quæſtione trigeſima, articulo decimo, in reſponſione ad primum argumentum.

Aliam Summam compoſuit D. Thomas, pro defenſione fidei Catholicæ contra gentiles, quæ dividitur in quatuor libros, & quilibet liber ſubdividitur in capita.

4. cont. gent. c. 30. ideſt. in Summa contra gentiles, lib. 4. cap. 30.

Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis, vulgo dicitur Magiſter ſententiarum, eo quod in quatuor Theologiæ libris collegit ſententias SS. Patrum: Doctor Angelicus duo edidit commentaria in hujuſmodi libros: Magiſter quidem ſententiarum ſubdividit libros in diſtinctiones, commentaria vero Divi Thomæ continent expoſitionem litteræ, ſive textus, quæſtiones, & articulos, & quandoque etiam illi articuli in quæſtiunculas ſubdividuntur. Primum ſcriptum ſuper ſententias ſic citatur: 4. l. d. 8. q. 1. a. 1. q. 2. ad 5. ideſt, in commentariis ſuper diſtinct. 8. 4. lib. ſentent. q. 1. a. 1. quæſtiunc. 2. ad 5. 4. d. 8. in exp. litt. vel text. ideſt, 4. ſent. diſt. 8. in expoſitione litteræ, vel textus.

Secundum ſcriptum ſententiarum, quia dicatum fuit Cardinali Hannibaldo, ſic ſolet citari: 4. ad Hann. diſt. 8. q. 2. a. 4. ideſt, in ſecundo ſcripto ſuper ſententias ad Hannibaldum, quarto libro, diſtinct. 8. qu. 2. a. 4.

Doctor Angelicus morte præventus ſuam Theologiæ ſummam abſolvere non potuit: diſcipuli ejus Supplementum fecerunt ex quarto libro primi ſcripti ſententiarum, circa partes pœnitentiæ, Sacramenta Extremæ Unctionis, Ordinis, & Matrimonii, ac circa ſuffragia, aliaque ſimilia. Sed quia brevitatis cauſa plura prætermiſerunt, nos autem in hoc Opere omnia integre referimus: ideo in citationibus, quæ hujuſmodi materias concernunt, non attendimus ad hoc ſuplementum, ſed ad illum quartum librum.

Quodlibeta D. Thomæ, ſive quæſtiones ejus quodlibetales ſubdividuntur in articulos: opuſcula fere omnia ſubdividuntur in capita, quodl. 1. a. 3. opuſc. 2. c. 5. ideſt, in Quodlibeto 1. art. 3. in Opuſculo 2. c. 5.

In noviſſima impreſſione Pariſienſi aliter diſpoſita ſunt quodlibeta, & opuſcula, quam in aliis; ſed quia ordo veterum impreſſionum viſus eſt clarior, ipſum ſecuti ſumus in citationibus: qui tamen non habent niſi Pariſienſem, eas invenire facile poterunt; quia hæc Pariſienſis impreſſio indicat tam veterem, quam novam diſpoſitionem, ut videri poteſt initio utriuſque Tomi Quodlib. & Opuſc.

Quæſtiones diſputatæ continent præcipue quæſtiones de potentia Dei, de malo, de virtutibus, & de veritate, q. 2. de poten. a. 1. ideſt, in quæſtionibus diſputatis, qu. 2. de potentia Dei, art. 1. q. de virt. ideſt, quæſtione de virtutibus, &c.

Omnia in ſcripturam commentaria diſtinguuntur per lectiones; unde ita citantur, ad Rom. cap. 4. lect. 3. ideſt, in lectione tertia ſuper caput quartum epiſtolæ ad Romanos: in oppoſitione autem continua, quam fecit Sanctus Doctor ſuper Evangelia, & quæ nuncupari ſolet *Catena aurea*, non eſt alia diſtinctio quam ipſius ſcripturæ: unde inde citatur, cat. aur. Lucæ 4. ideſt, in catena aurea ſuper cap. 4. D. Lucæ.

Ariſtotelis libri dividuntur vel in capita, vel in textus, juxta varias impreſſiones; commentarii D. Thomæ ſuper ipſos, dividuntur in lect. 1. ethic. c. 2. lect. 4. ideſt, in lect. 4. ſuper cap. 2. l. 1. Ethicor. 1. Polit. text. 2. lect. 2. ideſt, in lect. 2. ſuper text. 3. 1. lib. Politicorum.

Sermones ſive de tempore, ſive de Sanctis citantur juxta ſuos titulos.

Digitized by Google

INDEX VOCABULORUM

Hujus Tomi Primi.

A

Abbas. Pagina 1
Abbatiſſa. 2
Aborſus, ſive Abortus. ib.
Abſolutio. 3
Abſtinentia. 5
Acceptio perſonarum. 6
Accuſatio. 7
Acedia. 9
Actus humanus. 12
Adjuratio. 13
Admonitio. ib.
Adoptio. 14
Adoratio. ib.
Adulatio. 16
Adulterium. 17
Advocatus. 18
Æquivocatio. 20
Affabilitas. ib.
Affinitas. ib.
Alchymia. ib.
Altare. 21
Ambitio. ib.
Amicitia. ib.
Amor. 23
Appellatio. 26
Apoſtaſia. 27
Aqua benedicta. ib.
Arbiter. ib.
Arrogantia. 28
Ars. ib.
Aſtrologia judiciaria. ib.
Attritio. 30
Avaritia. ib.
Audacia. 32
Augurium, Auſpicium. 33

B

Baptiſmus. ib.
Bellum. 46
Benedictio. 48
Beneficentia. 49
Beneficium Eccleſiaſticum. 50
Bigamia. 53
Blaſphemia. 54
Bona Eccleſiaſtica. 55

C

Cæcitas mentis. ib.
Calix. 56
Calumnia. 57
Cambium. ib.
Canonizatio. 58
Cantus. ib.
Capitale vitium. 59
Capitulum Religioſorum. 60
Carcer. 61
Caſtitas. ib.
Caſus reſervatus. 64
Catechiſmus. ib.
Cathedra. ib.
Cenſura. 65
Charitas. ib.
Chorea. 72
Chriſma. ib.
Circumſtantia. 73
Civitas. 79
Clementia, & Manſuetudo. ib.
Clericus. 77
Cœmeterium. 79
Cognatio. ib.
Communio. ib.
Comœdia. 92
Concilium. ib.
Concordia. 93
Concubinatus. ib.
Concupiſcentia. 94
Condemnatus. 95
Confeſſio. ib.
Confirmatio. 106
Conſcientia. 110
Conſecratio. 112
Conſenſus. 114
Conſilium. ib.
Conſtantia. 115
Conſuetudo. ib.
Contemplatio. 117
Contemptus. ib.
Contentio. ib.
Continentia. 118
Contractus. ib.
Contritio. ib.
Contumacia. 126
Contumelia. ib.
Corporalia. 128
Correctio fraterna. ib.
Credere. 135
Crimen. ib.
Crudelitas. ib.
Crux. 136
Cultus. ib.
Cupiditas. 137
Cura animarum. ib.
Curioſitas. ib.

D

Dæmon. 138
Dæmoniacus. 139
Damnum. ib.
Debitum conjugale. 145
Defendere. 149
Degradatio. ib.
Delectatio moroſa. ib.
Denunciatio. 151
Depoſitum. 154
Deriſio. ib.
Deſiderare malum. 155
Deſperatio. ib.
Detractio. 157
Devotio. 160
Diaconus. 163
Dignitas. ib.
Diſcordia. ib.
Diſpenſatio. 164
Diſputatio. 166
Diſſenſio. 167
Divinatio. 168
Divitiæ. 170
Divortium. 171
Dicere. ib.
Dolus. 172
Dominica dies. ib.
Dominium. ib.
Donum. 173
Dos. 174
Dubium. ib.
Duellum. 175

Ebrie-

E

EBrietas. ib.
Eccleſia. 177
Electio. 178
Eleemoſyna. 179
Emptio. 192
Epiikeja, ſive Æquitas. ib.
Epiſcopatus. ib.
Error. 201
Evangelium. 202
Eubulia. ib.
Euchariſtia. ib.
Euſtochia. 212
Eutrapelia. ib.
Excommunicatio. ib.
Exequiæ. 219
Exorciſmus. ib.
Excuſatio. 220
Extrema Unctio. ib.

F

FAma. ib.
Familiaritas. ib.
Faſcinatio. 221
Feſta. ib.
Fictio. 223
Fides. 224
Fiducia. 230
Fornicatio. ib.
Fortitudo. 231
Fraus. 234
Fructus Evangelicus. ib.
Fructus Spiritus Sancti. 235
Furtum. 236

G

GAudium. 237
Gloria. 238
Gratia. 241
Gratiarum actio. 243
Gula. 245

H

HÆreſis. 249
Hebetudo ſenſus. 252
Heremitæ. 254
Hiſtrionatus. ib.
Homicidium. ib.
Honor. ib.
Horæ Canonicæ. 256
Humilitas. 259
Hypocriſis. 264

I

JActantia. 266
Idololatria. 267
Jejunium. 270
Ignorantia. 278
Illegitimus. 280
Imago. 281
Immunitas a peccato. ib.
Impœnitentia. ib.
Imprudentia. 282
Impugnatio. ib.
Incantatio. ib.
Inceſtus. ib.
Inconſideratio. 283
Inconſtantia. ib.
Incontinentia. 284
Indevotio. 286
Indulgentiæ. ib.
Infidelitas. 292
Ingratitudo. 298
Inimici. 301
Injuſtitia. 303
Inobedientia. ib.
Inſenſibilitas. 305
Inſpirationes. ib.
Intellectus donum. 306
Intemperantia. ib.
Intentio. 308
Interdictum. ib.
Intimiditas. ib.
Inventa. 309
Invidia. 310
Jocoſum verbum. 313
Ira. ib.
Ironia. 323
Irregularitas. 324
Jubilæum. 325
Jubilus. ib.
Judæi. ib.
Judicium. 327
Judicium temerarium. 330
Juramentum. ib.
Juriſdictio. 336
Juſpatronatus. ib.
Jus, & Juſtitia. ib.

MORA.

Digitized by Google

MORALIS D. THOMÆ.

ABBAS.

QUÆR. 1. *An benedictio, ſeu conſecratio Monachi, vel Abbatis, aut etiam Regis ſit Sacramentum.*

REſpondet D. Thomas, dicendum, quod non omnis benedictio, quæ adhibetur homini, vel conſecratio, eſt Sacramentum; quia & Monachi, & Abbates benedicuntur, & tamen illæ benedictiones non ſunt Sacramenta: & ſimiliter nec regalis inunctio; quia poſt hujuſmodi benedictionem non ordinantur aliqui ad diſpenſationem divinorum Sacramentorum, ſicut per benedictionem ordinis. 4. *ſent. diſt.* 24. *qu.* 1. *art.* 1. *quæſtiunc.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 2. *Utrum in illa conſecratione conferatur gratia: & cur D. Dionyſius lib.6.Eccleſ.Hierarchiæ cap.6. inter Sacramenta enumerat Monaſticam conſummationem, ſive conſecrationem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ad quamlibet eminentiam ſtatus datur aliqua ſanctificatio, cum ſit ibi neceſſarium ſpeciale auxilium gratiæ; ſicut in conſecratione Regum, & Monachorum, & Monialium: & ideo ſunt actiones hierarchicæ; & propter hoc Dionyſius de eis determinat; non tamen habent rationem Sacramenti, ſed ſolum illam eminentiam, per quam homo efficitur Sacrorum diſpenſator. 4. *d.* 2. *q. art.* 2. *ad* 9.

QUÆR. 3. *Utrum Abbas ex diſpenſatione Summi Pontificis poſſit confirmare, & ordines conferre.*

Reſpondetur infra *v. confirmatio qu.* 12. & *v. ordo qu.* 48.

QUÆR. 4. *An Monachus teneatur obedire Abbati potius quam Epiſcopo.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Monachus magis tenetur obedire Abbati quam Epiſcopo in illis, quæ ad ſtatuta regulæ pertinent: in his autem, quæ ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinent, magis tenetur Epiſcopo; quia in his Abbas eſt Epiſcopo ſuppoſitus. 2. *ſent. diſt.* 44. *qu.* 2. *art.* 4. *ad* 3.

QUÆR. 5. *Quomodo teneatur Monachus obedire Abbati, Epiſcopo, Summo Pontifici, & Deo.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Monachus in his quæ ad diſciplinam regularem pertinent, plus tenetur obedire Abbati quam Epiſcopo; in his enim ſe voto aſtrinxit Abbati; ſed in his quæ pertinent ad Eccleſiaſticam ordinationem, plus tenetur obedire Epiſcopo: ſed in utriuſque plus tenetur obedire Papæ, a quo & Abbas prælationem habet, & regula firmitatem: ſuper omnes autem tenetur obedire Deo. 2. *ad Hannib. d.* 45. 2. *art.* 2. *ad* 3.

QUÆR. 6. *An ſi Summus Pontifex eximat Abbatem, vel alios Religioſos a juriſdictione Epiſcopi, aut aliorum Eccleſiæ Rectorum, vel etiam ipſis committat ea quæ pertinent ad ſalutem animarum; nedum non fiat rectoribus præjudicium, ſed potius præſtetur eis magnum beneficium.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod præjudicium dicitur fieri alicui, quando ſubtrahitur ei aliquid, quod in favorem ejus introductum eſt, vel quod ad utilitatem ejus ordinatur: ſed ſubjectio alicujus ſubditi ad Rectorem Eccleſiæ non eſt ordinata principaliter ad utilitatem præſidentium, ſed ad utilitatem ſubjectorum,

unde Ezech. 34. dicitur: *Væ Paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos; nonne greges paſcuntur a Paſtoribus?* Et ideo nullum præjudicium fit Rectori Eccleſiæ, quando ſubditus ejus ab ipſius poteſtate eximitur ſine præjudicio ejus: ſicut Papa eximit Abbatem a poteſtate Epiſcopi ſine ejus præjudicio; & ſimiliter Epiſcopum a poteſtate Archiepiſcopi.

Si autem ipſemet operetur in ſubditis quæ pertinent ad ſalutem, vel aliis hoc ipſum committat, non ſolum non facit ei præjudicium, ſed præſtat ei magnum beneficium, quod maxime acceptatur a cunctis Rectoribus, qui non quærunt quæ ſua ſunt, ſed Jeſu Chriſti. Unde ſuper illud Num. 11. *Quid æmularis pro me?* dicit gloſſa Gregorii: *Pia mens Paſtoris, quia non propriam gloriam, ſed authoris quærit, ab omnibus vult juvari in eo, quod facit; Fidelis enim Prædicator optat, ſi fieri valeat, ut veritatem, quam ſolus loqui non ſufficit, ora cunctorum ſonent. Opuſc. 19. contra impugnantes Religionem cap. 4.*

ABBATISSA.

QUÆR. 1. Utrum Abbatiſſæ poſſint aliquam ſpiritualem juriſdictionem habere.

RESpondet D. Thomas de Abbatiſſis loquens, dicendum, quod mulier ſecundum Apoſtolum eſt in ſtatu ſubjectionis; & ideo ipſa non poteſt habere aliquam juriſdictionem ſpiritualem; quia etiam ſecundum Philoſophum in 8. Ethic. *Corruptio urbanitatis eſt, quando ad mulierem pervenit dominium*: unde mulier non habet neque clavem ordinis, neque clavem juriſdictionis; ſed mulieri committitur aliquis uſus clavium, ſicut habere correptionem in ſubditas mulieres, propter periculum cohabitationis, quod imminere poſſet, ſi viri mulieribus cohabitarent. 4. *ſent. diſtinct. 24. q. 1. art. 1. quæſt. 3. ad 4.*

QUÆR. 2. Utrum Abbatiſſæ habeant poteſtatem clavium Eccleſiæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod non habent claves ad aperiendum regnum cælorum, ſed actum ſimilem actui clavium; ſcilicet in correctione temporali, & diſciplina ſuarum Monialium, propter periculum cohabitationis virorum inter eas. 4. *ad Hannib. diſt. 19. art. 2. ad 3.*

QUÆR. 3. Cur Abbatiſſæ non habent prælationem, niſi quaſi ex commiſſione; & utrum poſſint temporaliter dominari.

Reſp. D. Thomas, de Abbatiſſis dicitur, quod non habent prælationem ordinariam, ſed quaſi ex commiſſione propter periculum cohabitationis virorum ad mulieres. Debbora autem præfuit in temporalibus, non in Sacerdotalibus, ſicut & nunc mulieres poſſunt temporaliter dominari. 4. *ſent. d. 25. q. 2. a. 1. qu. 1. ad 3.*

QUÆR. 4. An ſit inordinatum, quod juvenculæ fiant Abbatiſſæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod inordinatum eſt, quod nimis juvenculæ fiant Abbatiſſæ; ſed tamen non eſt tanta diligentia Eccleſiæ in eis, quæ ſunt incluſæ, ut in eis, quæ ſunt liberæ. 1. *ad Timoth. cap. 5. lect. 2.*

ABORSUS, ſive ABORTUS.

QUÆR. 1. Quis dicatur fœtus abortivus.

RESp. D. Thomas, abortivus dicitur aliquis fœtus, vel quia naſcitur extra tempus debitum, vel cum violentia educitur, vel quia non perducitur ad debitam quantitatem, *ad Corin. 15. lect. 1.*

QUÆR. 2. Quantum ſit peccatum abortus; & utrum irregularitatem inducat.

Reſp. D. Thomas, hoc peccatum quamvis ſit grave, & inter maleficia computandum, & contra naturam; quia etiam beſtiæ fœtus expectant; tamen eſt minus quam homicidium; quia adhuc poterat alio modo impediri conceptus. Nec eſt judicandus talis irregularis, niſi jam formato puerperio abortum procuret. 4. *ſent. d. 31. in expoſitione textus.*

QUÆR. 3. An ſit periculum abortus in acceſſu ad mulierem gravidam: & utrum talis acceſſus ſit ſemper mortale peccatum: & quomodo intelligi debeat D. Hieronym. lib. 1. contra Jovinianum, dicens: Qui dicunt ſe cauſa humani generis uxoribus jungi, imitentur ſaltem pecudes; & poſtquam venter uxoris intumuerit, non perdant filios, nec amatores ſe uxoribus exhibeant, ſed maritos.

Reſp. D. Thomas: quamvis matrix poſt imprægnationem claudatur, tamen ex delectatione, ut ait Avicenna, movetur, & aperitur, & ex hoc imminet periculum abortus: & ideo Hieronymus vituperat acceſſum viri ad uxorem imprægnatam; non tamen ita quod ſemper ſit peccatum mortale, niſi forte quando probabiliter timetur de periculo abortus. 4. *ſent. diſt. 31. in expoſit. textus.*

QUÆR. 4. Quandonam perficiatur conceptio prolis ſive maris, ſive fœminæ.

Reſp. D Thomas, maris conceptio non perficitur, niſi uſque ad quadrageſimum diem, ut Philoſophus *in 9. de animalibus* dicit; fœminæ autem uſque ad nonageſimum; ſed in completione corporis maſculi videtur Auguſtinus ſuperaddere ſex dies, qui ſic diſtinguuntur ſecundum eum *in epiſt. ad Hieron.* ſemen primis ſex diebus habet quaſi lactis ſimilitudinem, novem diebus vertitur in ſanguinem, deinde duodecim diebus ſolidatur, octodecim diebus formatur uſque ad perfecta membrorum lineamenta: & hinc

Digitized by Google

hinc jam reliquo tempore uſque ad tempus partus magnitudine augetur; unde Verſus:

Sex in lacte dies, ter ſunt in ſanguine terni,
Biſſeni carnem, ter ſeni membra figurant. 3. *ſent. diſt.* 3. *qu.* 5. *art.* 2. *in corp.*

Summus Pontifex Sixtus V. in Bulla 87. *ſtatuit omnes abortum procurantes ſive fœtus fuerit animatus, ſive inanimatus, eaſdem pœnas incurrere ac veros homicidas: ſed Gregorius XIV. in Bulla* 8. *quamvis abortum vocet graviſſimum ſcelus, & nefarium flagitium, prædictas tamen pœnas reducit ad terminos juris communis, in quo abortus crimen non habetur pro homicidio, niſi quando fœtus eſt animatus.*

ABSOLUTIO.

QUÆR. 1. *Quotuplex poteſtas requiratur in abſolutione a peccato.*

RESP. D. Thomas, dicendum, quod ad abſolutionem a peccato requiritur duplex poteſtas, ſcilicet poteſtas ordinis, & poteſtas juriſdictionis; prima quidem poteſtas eſt æqualiter in omnibus Sacerdotibus, non autem ſecunda; & ideo ubi Dominus Joannis 10. dedit omnibus Apoſtolis communiter poteſtatem remittendi peccata, intelligitur de poteſtate, quæ conſequitur ordinem, unde & Sacerdotibus quando ordinantur illa verba dicuntur.

Sed Petro dedit ſingulariter poteſtatem remittendi peccata Matthæi 16. ut intelligatur, quod ipſe præ aliis habet poteſtatem juriſdictionis; poteſtas autem ordinis quantum eſt de ſe, ſe extendit ad omnes abſolvendos; & ideo indeterminate Dominus dixit: quorum remiſeritis peccata; intelligens tamen, quod uſus illius poteſtatis eſſe deberet præſuppoſita poteſtate Petro collata ſecundum ipſius ordinationem. 4. *ſent. d.* 19. *q* 1. *art.* 3. *qu.* 1. *ad* 1.

QUÆR. 2. *Utrum abſolutionis forma conſiſtat in his verbis: Ego te abſolvo.*

Reſp. D. Thomas, hoc Sacramentum pœnitentiæ, non conſiſtit in conſecratione alicujus materiæ, nec in uſu alicujus materiæ ſanctificatæ, ſed magis in remotione cujuſdam materiæ, ſcilicet peccati, prout peccata dicuntur eſſe materia pœnitentiæ: talis autem remotio ſignificatur a Sacerdote, cum dicitur: *Ego te abſolvo*; nam peccata ſunt quædam vincula, ſecundum illud Prov. 5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum quiſque conſtringitur*; unde patet, quod hæc eſt conveniens forma hujus Sacramenti: *Ego te abſolvo.* 3. *p. qu.* 84. *art.* 3. *in corp.*

QUÆR. 3. *Quare Sacerdos magis utatur his verbis, Ego te abſolvo, quam aliis; & utrum neceſſaria ſint hæc verba: In nomine Patris, &c.*

Reſp. D. Thomas, ideo Sacerdos potius dicit *Ego te abſolvo*, quam *ego tibi peccata remitto*, quia hoc magis congruit verbis, quæ Dominus dixit virtutem clavium oſtendens, per quas Sacerdotes abſolvunt; quia tamen Sacerdos, ſicut miniſter abſolvit, convenienter apponitur aliquid, quod pertineat ad primam authoritatem Dei, ſcilicet, ut dicatur, *Ego te abſolvo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, vel *per virtutem Paſſionis Chriſti*, vel *authoritate Dei*, ſicut Dionyſius exponit 3. cap. cæleſtis Hierarchiæ. Quia tamen hoc non eſt determinatum ex verbis Chriſti ſicut in Baptiſmo, talis appoſitio relinquitur arbitrio Sacerdotis. 3. *part. quæſt.* 84. *art.* 3. *ad tertium.*

QUÆR. 4. *an Manuum impoſitio requiratur in abſolutio.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod impoſitio manuum in Sacramentis Eccleſiæ fit ad deſignandum aliquem copioſum gratiæ effectum, quo illi, quibus manus imponuntur, quodammodo per quandam ſimilitudinem continuantur miniſtris, in quibus copia gratiæ eſſe debet; & ideo manus impoſitio fit in Sacramento Confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus Sancti; & in Sacramento Ordinis, in quo confertur quædam excellentia poteſtatis in Divinis myſteriis, unde & ſecundæ ad Timoth. 1. dicitur: *Reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Sacramentum autem Pœnitentiæ non ordinatur ad conſequendam aliquam excellentiam gratiæ, ſed ad remotionem peccatorum, & ideo ad hoc Sacramentum non requiritur manuum impoſitio, ſicut etiam nec ad baptiſmum, in quo tamen fit plenior remiſſio peccatorum. 3. *p. q.* 84. *art.* 4. *in corp. Opuſc.* 22. *cap.* 3.

QUÆR. 5. *An ſignum Crucis ſit de neceſſitate abſolutionis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in Sacramentis, quæ perficiuntur in uſu materiæ, miniſter habet aliquem actum corporalem exercere circa eum, qui ſuſcipit Sacramentum, ſicut in Baptiſmo, & Confirmatione, & extrema Unctione: ſed hoc Sacramentum non conſiſtit in uſu alicujus materiæ exterius appoſitæ; ſed loco materiæ ſe habent ea, quæ ſunt ex parte pœnitentis. Unde ſicut in Euchariſtia Sacerdos ſola prolatione verborum ſuper materiam perficit Sacramentum; ita etiam ſola verba Sacerdotis abſolventis ſuper pœnitentem perficiunt abſolutionis Sacramentum. Et ſi aliquis actus corporalis eſſet ex parte Sacerdotis neceſſarius, non minus competeret Crucis ſignatio, quæ adhibetur in Euchariſtia, quam manus impoſitio, in ſignum quod per ſanguinem Crucis Chriſti remittuntur peccata; & tamen non eſt de neceſſitate hujus Sacramenti, ſicut nec de neceſſitate Euchariſtiæ. 3. *p. q.* 84. *art.* 4. *ad* 2.

Digitized by Google

QUÆR. 6. An Sacerdos poſſit ſemper ſuum ſubditum abſolvere: & in quibus caſibus teneatur pænitentem ad Superiorem remittere.

Reſp. infra v. *caſus reſervatus.*

QUÆR. 7. Utrum abſolvens a culpa, abſolvat etiam a pœna annexa ſive irregularitatis, ſive excommunicationis: & cur abſolutio ab excommunicatione debet præcedere abſolutionem a peccatis.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Pœnitentia ab omnibus defectibus culpæ liberat, non autem ab omnibus defectibus pœnæ, quia adhuc poſt peractam pœnitentiam de homicidio aliquis remanet irregularis; unde Sacerdos poteſt de crimine abſolvere, & pro pœna amovenda ad Superiorem remittere; niſi in excommunicatione, quia abſolutio ab ipſa debet præcedere abſolutionem a peccato; quia quamdiu aliquis eſt excommunicatus non poteſt recipere aliquod Eccleſiæ Sacramentum. 4. *ſent. d.* 19. *q.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 8. Utrum abſolutiones, quæ fiunt in Prima & Completorio, & in Cœna Domini, ſint Sacramentales.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod abſolutiones in publico factæ ſicut in Prima, in Completorio, & in Cœna Domini, non ſunt Sacramentales, ſed ſunt orationes quædam ordinatæ ad remiſſionem venialium peccatorum: unde in Sacramentali abſolutione non ſufficeret dicere, *miſereatur tui omnipotens Deus*, vel *abſolutionem, & remiſſionem tribuat tibi Deus*, quia per hæc verba Sacerdos abſolutionem non ſignificat fieri, ſed petit, ut fiat; præmittitur tamen etiam in Sacramentali abſolutione talis oratio, ne impediatur effectus Sacramenti ex parte pœnitentis, cujus actus materialiter quodammodo ſe habent in hoc Sacramento, non autem in Baptiſmo, vel Confirmatione. 3. *p. q.* 84. *art.* 3. *ad* 1.

QUÆR. 9. An ſolus proprius Sacerdos poſſit abſolvere.

Reſp. D. Thomas, de neceſſitate hujus Sacramenti eſt non ſolum ut miniſter habeat ordinem, ſicut in aliis Sacramentis, ſed etiam quod habeat juriſdictionem; & ideo ſicut ille, qui non eſt Sacerdos, non poteſt hoc Sacramentum conferre, ita nec ille, qui non habet juriſdictionem; & propter hoc oportet ſicut Sacerdoti, ita proprio Sacerdoti confeſſionem fieri; cum enim Sacerdos non abſolvat niſi ligando ad aliquid faciendum, ille ſolus poteſt abſolvere, qui poteſt per imperium ad aliquid faciendum ligare. 4. *ſent. d.* 17. *q.* 3. *a.* 4. *qu.* 4. *in corp.*

QUÆR. 10. Quis intelligatur nomine proprii Sacerdotis.

Reſp. v. *Privilegium.*

QUÆR. 11. Utrum in neceſſitate quilibet Sacerdos poſſit quemlibet abſolvere a quolibet peccato, & ab excommunicatione.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quilibet Sacerdos quantum eſt de virtute clavium habet poteſtatem indifferenter in omnes, & quantum ad omnia peccata, ſed quod non poſſit omnes ab omnibus peccatis abſolvere, hoc eſt quia per ordinationem Eccleſiæ habet juriſdictionem limitatam, vel omnino nullam habet; ſed quia neceſſitas legem non habet, ideo quando articulus neceſſitatis imminet, per Eccleſiæ ordinationem non impeditur quin abſolvere poſſit, ex quo habet claves, etiam Sacramentaliter, & tantum conſequitur ex abſolutione alterius, ſicut ſi a proprio Sacerdote abſolveretur.

Nec ſolum a peccatis poteſt tunc a quolibet Sacerdote abſolvi, ſed etiam ab excommunicatione a quocunque ſit lata; quia hæc abſolutio etiam ad juriſdictionem pertinet; quæ per legem ordinationis Eccleſiæ coarctatur. 4. *ſent. d.* 20. *q.* 1. *art.* 1. *quæſt.* 2. *in corp.*

QUÆR. 12. In quo ſenſu verum ſit quod Magiſter dixit 4. ſentent. diſt. 20. presbyter inconſulto Epiſcopo non debet pænitentem reconciliare.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod verum eſt in caſibus Epiſcopo reſervatis, extra articulum neceſſitatis: in neceſſitatis autem articulo, in iis & in aliis inconſulto Epiſcopo, & proprio Sacerdote poteſt pœnitentem abſolvere. 4. *ad Hannib. d.* 20. *art.* 2. *ad* 1.

QUÆR. 13. Utrum abſolutus in articulo neceſſitatis ab altero Sacerdote debeat ad proprium poſtea recurrere.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod non oportet eum recurrere ad proprium Sacerdotem, ut iterum a peccatis ſolvatur, a quibus in articulo mortis abſolutus eſt, ſed ut innoteſcat ei, quod eſt abſolutus: nec ſimiliter oportet, quod abſolutus ab excommunicatione ad judicem vadat, qui alias abſolvere potuiſſet, abſolutionem petens, ſed ſatisfactionem offerens. 4. *ſent. d.* 20. *q.* 1. *art.* 1. *q.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 14. Utrum abſolutio mali Sacerdotis teneat, etiam ſchiſmatici, & hæretici.

Reſponſio videtur infra v. *Sacramentum, quæſt.* 14. *& ſeq.*

QUÆR. 15. Utrum aliquis poſſit ſeipſum abſolvere, vel ſuperiorem, vel æqualem a peccatis mortalibus, aut venialibus.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod abſolutio, & ligatio in foro Confeſſionis eſt quoad Deum tantum, apud quem aliquis alio inferior redditur per peccatum; ſed excommunicatio eſt in Judicio exteriori, in quo aliquis non amittit ſuperioritatem ex hoc ipſo quod peccat: & tamen in foro confeſſionis aliquis non poteſt ſeipſum abſolvere, nec ſuperiorem, nec

nec æqualem de mortali, niſi ex commiſſione ſibi facta. De venialibus autem poteſt, quia venialia ex quibuslibet Sacramentis gratiam conferentibus remittuntur, unde remiſſio venialium ſequitur poteſtatem ordinis. *4. ſent. d. 18. q. 2. art. 3. quæſt. 1. ad 3.*

QUÆR. 16. *An Sacerdos poſſit abſolvere mulierem, cum qua peccavit: & quomodo intelligi debeat D. Auguſtinus in lib. de vera, & falſa pœnitentia dicens: nullus officio Sacerdotis uti debet, niſi immunis ab illis ſit, quæ in aliis judicat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod nec Sacerdos debet audire Confeſſionem mulieris, cum qua peccavit, de illo peccato, ſed deberet ad alium remittere; nec illa deberet ei confiteri, ſed deberet licentiam petere ad alium eundi, vel ad Superiorem recurrere, ſi ille licentiam denegaret; tum propter periculum, tum quia eſt minor verecundia. Si tamen abſolveret, abſoluta eſſet: quod enim Auguſtinus dicit, quod non debet eſſe in eodem crimine, intelligendum eſt ſecundum congruitatem, non ſecundum neceſſitatem Sacramenti. *4. ſentent. d. 19. q. 1. art. 3. qu. 2. ad 1.*

Caſus iſte in pluribus Diœceſibus jure optimo eſt reſervatus, propter multa inconvenientia, quæ ex ipſo ſequi poſſunt.

QUÆR. 17. *An ſit abſolvendus, & ungendus infirmus, qui notitiam amiſit, antequam Sacerdos accedat.*

Reſp. D. Thomas, vel ſaltem Author opuſculi 65. ſi infirmus, qui petit unctionem, amiſit notitiam, vel loquelam, antequam Sacerdos veniret ad eum, nihilominus ungat eum Sacerdos: quia in tali caſu debet etiam baptizari, & a peccatis abſolvi, *ut extra de Bapt. & ejus effect. Majores, in prædicto opuſculo 55. de Sacramento extremæ unctionis.*

QUÆR. 18. *An illi, qui in articulo mortis non ſunt mentis compotes, debeant accipere pœnitentiam, & reconciliari per manuum impoſitionem, ſi prius quando compotes erant, apparuit in eis devotio hujus Sacramenti.*

Reſponſio habetur infra *v. communio q. 28.*

QUÆR. 19. *An ille poſſit abſolvere, qui revera non eſt Sacerdos, ſi ſe talem exiſtimet: & utrum Chriſtus tunc ſuppleat hujuſmodi defectum.*

Reſponſio videatur infra *v. Sacramentum, q. 42.*

ABSTINENTIA.

QUÆR. 1. *Cur D. Petrus 2. cap. 1. ait: Miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam.*

RESp. D. Thomas, in præmiſſa authoritate Petri dicitur; in ſcientia eſſe abſtinentiam miniſtrandam, ut ſcilicet homo a cibis abſtineat prout oportet, pro congruentia hominum, cum quibus vivit, & perſonæ ſuæ, & pro valetudinis ſuæ neceſſitate. *2. 2. q. 146. a. 1.*

QUÆR. 2. *Cur ibidem Apoſtolus ſubdit: in abſtinentia autem patientiam.*

Reſp. D. Thomas, quia abſtinentes, ut dicit Gregorius, de facili obtinent patientiam, ideo addit, *in abſtinentia autem patientiam.* Gloſſa: *abſtinentiam patientia ſequitur: ut qui a voluptatibus mundi ſe continet, adverſa quoque ſuſtineat. In expoſitione illius Epiſtolæ 2. D. Petri cap. 1.*

QUÆR. 3. *Quomodo ciborum moderatio pertineat ad artem medicinæ, & ad virtutem abſtinentiæ; juxta illud D. Auguſtini 10. confeſſ. cap. 13. ſic Deum alloquentis: Hoc me docuiſti, ut quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod moderatio ciborum ſecundum quantitatem, & qualitatem pertinet ad artem medicinæ in comparatione ad valetudinem corporis: ſed ſecundum interiores affectiones in comparatione ad bonum rationis pertinet ad abſtinentiam: unde Auguſtinus dicit in lib. de q. Evangelicis. *Non intereſt omnino* (ſcilicet ad virtutem) *quid alimentorum, vel quantum quis accipiat, dummodo id faciat pro congruentia hominum, cum quibus vivit, & perſonæ ſuæ, & pro valetudinis ſuæ neceſſitate; ſed quanta facilitate, & ſerenitate animi his careat, cum oportet, vel neceſſe eſt carere. 2. 2. qu. 146. art. 1. ad 2.*

QUÆR. 4. *Quomodo proſit abſtinentia ad corporis caſtigationem juxta illud Auguſtini de fide ad Petrum: abſtinentia Sanctorum eſt a cibo, & potu, non quia aliqua creatura Dei ſit mala, ſed pro ſola corporis caſtigatione.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod per abſtinentiam corpus caſtigatur non ſolum contra illecebras luxuriæ, ſed etiam contra illecebras gulæ; quia dum homo abſtinet, magis redditur fortis ad impugnationes gulæ vincendas, quæ tanto fortiores ſunt, quanto magis homo eis cedit. *2. 2. q. 146. art. 2. ad 2.*

QUÆR. 5. *Quando abſtinentia ſit licita, vel illicita: & quomodo ſit ſumma medicina.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod neceſſarium dupliciter accipitur in cibis: primo ad conſervationem vitæ, & tale neceſſarium non licet ſubtrahere per jejunium, ſicut nec interimere ſeipſum, ſed hoc neceſſarium eſt valde modicum, quia modicis natura contenta eſt: alio modo dicitur neceſſarium ad conſervandam valetudinem corporis, quæ quidem accipitur in duplici ſtatu.

Primo ſecundum ſufficientiam habito reſpectu ad ea, quæ ei incumbunt ex officio, vel ex ſocietate eorum, inter quos convivit, neceſſario agen-

Digitized by Google

agenda; & tale etiam neceſſarium ſubtrahi non debet, hoc enim eſſet de rapina hoſtiam jejunii offerre, ſi aliquis propter jejunium impediretur ab illis operibus, ad quæ alias obligatur; unde Hieronymus dicit: *de rapina holocauſtum offert, qui vel ciborum nimia egeſtate manducandi, vel ſomni penuria, immoderate corpus affligit:* ſi etiam ſit tanta abſtinentia, quod homo ab operibus utilioribus impediatur, quamvis ad ea de neceſſitate non teneatur, indiſcretum eſt jejunium, etſi non ſit illicitum, unde Hieronymus dicit, *rationalis homo dignitatem amittit, qui jejunium charitati, vel vigilias ſenſus integritati præfert.*

Secundo accipitur valetudo corporis ſecundum optimam corporis diſpoſitionem; & quia caro in ſuo robore conſiſtens difficilius ſpiritui ſubditur, ideo neceſſarium ad valetudinem ſic acceptam, etſi licite accipi poteſt, tamen laudabiliter ſubtrahi poteſt; & talis ſubtractio non multum mortem accelerat, cum corpus humanum inveniatur frequentius ex ſuperfluitate, quam ex defectu mortales ægritudines incurrere: unde etiam Galenus dicit, *ſumma medicina eſt abſtinentia.* Inveniuntur etiam ad ſenſum abſtinentes, ut frequenter diutius vivere, & ideo prædicta ſubtractio non poteſt dici mortis occaſio, cum ſe habeat ad utrumque, ſcilicet ad prolongandum & breviandum vitam.

Subtractio autem ejus, quod non eſt neceſſarium, nec hoc, nec illo modo, eſt de neceſſitate Virtutis temperantiæ. *4. ſent. d. 15. q. 3. art. 1. qu. 2. ad 3. 2. 2. qu. 141. art. 6.*

QUÆR. 6. Qualis quantaque debeat eſſe abſtinentia: & utrum illi peccent, qui nimia abſtinentia ſe impotentes reddunt ad ſua officia exequenda.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſecundum philoſophum primo politicorum cap. 1. aliter eſt judicandum de fine, aliter de his, quæ ſunt ad finem; illud enim, quod quæritur tanquam finis, abſque menſura quærendum eſt; in his autem, quæ ſunt ad finem, eſt adhibenda menſura ſecundum proportionem ad finem; ſicut medicus ſanitatem, quæ eſt finis ejus, facit quantumcumque poteſt majorem, ſed adhibet medicinam ſecundum quod convenit ad ſanitatem faciendam.

Eſt ergo conſiderandum, quod in ſpirituali vita dilectio Dei eſt ſicut finis, jejunia autem, & vigiliæ, & alia exercitia corporalia non quæruntur tanquam finis, quia ſicut dicitur ad Rom. 14. *non eſt regnum Dei eſca & potus,* ſed adhibentur tanquam neceſſaria ad finem, ideſt, ad domandas concupiſcentias carnis, ſecundum illud Apoſtoli primæ ad Corint. cap. 9. *caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo &c.* & ideo hujuſmodi ſunt adhibenda cum quadam menſura rationis, ut ſcilicet concupiſcentia devitetur, & natura non extinguatur, ſecundum illud ad Rom. 12. *Exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem,* & poſtea ſubdit, *Rationabile obſequium veſtrum.*

Si vero aliquis in tantum virtutem naturæ debilitet per jejunia, & vigilias, & alia hujuſmodi, quod non ſufficiat debita opera exequi, puta Prædicator prædicare, Doctor docere, Cantor cantare, & ſic de aliis, abſque dubio peccat; ſicut peccaret vir, quia nimia abſtinentia ſe impotentem redderet ad debitum uxori reddendum. *quodl. 5. art. 18.*

De actu abſtinentiæ, qui eſt jejunium, agitur infra ſuo loco.

ACCEPTIO PERSONARUM.

QUÆR. 1. Utrum accipere perſonam ſit conſiderare conditionem perſonæ nihil facientem ad negotium.

Reſp. D. Thomas, ſciendum, quod accipere perſonam proprie eſt in aliquo negotio attendere quaſi regulam ipſius negotii conditionem perſonæ nihil facientem ad negotium, puta cum ideo do beneficium alicui, quia eſt nobilis, ſive pulcher; nobilitas enim, ſive pulchritudo nihil facit ad hoc, quod habeat beneficium.

Si vero conditio perſonæ facit ad negotium, ſic conſiderando illam conditionem in facto illo non accipio perſonam: ſicut ſi ideo do beneficium alicui, quia bonus eſt, & bene deſerviet Eccleſiæ, quia bene litteratus, & honeſtus eſt, non ſum acceptor perſonæ: nihil ergo eſt proprie accipere perſonam, quam conſiderare conditionem perſonæ nihil facientem ad negotium. *ad Galatas 2. lect. 2.*

QUÆR. 2. In quibus rebus locum habeat acceptio perſonarum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod acceptio perſonarum locum habet in his, quæ ex debito dantur: in his vero, quæ ex gratuita voluntate conferuntur, acceptio perſonarum locum non habet: non enim eſt perſonarum acceptator, qui ex liberalitate de ſuo dat uni, & non alteri; ſed ſi eſſet diſpenſator bonorum communium, & non diſtribueret æqualiter ſecundum merita perſonarum, eſſet perſonarum acceptator. *p. 2. q. 98. art. 4. ad 2. Romanos 2. lect. 2.*

QUÆR. 3. An & quomodo committatur peccatum acceptionis perſonarum in collatione beneficiorum Eccleſiaſticorum.

Reſpondetur *v. beneficium Eccleſiaſticum q. 1. & ſeqq.*

QUÆR. 4. Utrum in exhibitione honoris, & reverentiæ locum habeat peccatum acceptionis perſonarum.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod honor eſt quoddam teſtimonium de virtute ejus, qui honoratur; & ideo ſola virtus eſt debita cauſa honoris; ſciendum tamen eſt, quod aliquis poteſt honorari non ſolum propter virtutem propriam, ſed etiam propter virtutem alterius, ſicut Principes, & Prælati honorantur etiamſi ſint mali inquantum gerunt perſonam Dei, & Communitatis, cui præficiuntur, ſecundum illud Proverb. 26. *Sicut qui immittit lapides in acervum Mercurii, ita qui tribuit inſipienti honorem*; quia gentiles rationem attribuebant Mercurio, acervus Mercurii dicitur cumulus ratiocinii, in quo mercator quandoque mittit unum lapillum loco centum Marcarum.

Ita etiam honoratur inſipiens, qui ponitur loco Dei, & loco totius Communitatis: & eadem ratione parentes, & Domini ſunt honorandi propter participationem Divinæ dignitatis, qui eſt omnium Pater, & Dominus: ſenes autem ſunt honorandi propter ſignum virtutis, quod eſt ſenectus, licet hoc ſignum quandoque deficiat, unde ut dicitur Sapientiæ 4. *ſenectus venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata; cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita eſt immaculata.*

Divites autem honorandi ſunt propter hoc, quod majorem locum in communitatibus obtinent; ſi autem ſolum intuitu divitiarum honorentur, erit peccatum acceptionis perſonarum. 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *in corp. Quodlibeto* 10. *art.* 12.

QUÆR. 5. *Utrum in judiciis locum habeat peccatum acceptionis perſonarum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod judicium eſt actus juſtitiæ, prout judex ad æqualitatem juſtitiæ reducit ea, quæ inæqualitatem oppoſitam facere poſſunt; perſonarum autem acceptio inæqualitatem quandam habet, inquantum attribuitur alicui perſonæ aliquid præter proportionem ſuam, in qua conſiſtit æqualitas juſtitiæ: & ideo manifeſtum eſt, quod per perſonarum acceptionem judicium corrumpitur. 2. 2. *qu.* 63. *art.* 4. *in corp.*

QUÆR. 6. *Quomodo intelligatur illud Eccleſiaſt.* 4. *in judicando eſto pupillis miſericors.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod homo in judicio debet pauperi ſubvenire quantum fieri poteſt; tamen ſine læſione juſtitiæ; alioquin habet locum illud, quod dicitur Ex. 23. *pauperis quoque non miſereberis in judicio: in illo art.* 4. *ad* 3.

QUÆR. 7. *An ſit acceptio perſonarum, quando divites præferuntur aliis quantum ad honores, & diſpenſationes.*

Reſp. *v. divitiæ qu.* 1. *& ſeq.* & *v. diſpenſatio qu.* 5.

ACCUSATIO

QUÆR. 1. *An & quomodo in criminibus procedatur per inquiſitionem, denuntiationem, & accuſationem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in criminibus tripliciter proceditur ſecundum jura; quia per inquiſitionem, & hoc eſt in peccatis publicis, & non debet fieri niſi præcedat clamor congregationis, item per denuntiationem, & per accuſationem, & hoc eſt in privatis.

Si autem procedatur per accuſationem, tunc debet fieri præſcriptio, quia obligatur accuſans ad talionem, & in hoc intenditur ut finis bonum Reipublicæ; unde hoc poteſt fieri ſecundum voluntatem ſive publice, ſive privatim.

Si autem procedatur per denuntiationem, tunc debet præcedere fraterna admonitio, quia finis hujus eſt emendatio proximi, & ideo debet ſervari ordo fraternæ correctionis, *quodl.* 11. *art.* 13. *in corp.* 4. *ſent. d.* 35. *art.* 3. *ad* 6.

QUÆR. 2. *Utrum homo teneatur ad accuſandum, & in quibus caſibus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod hæc eſt differentia inter accuſationem, & denunciationem; quia in denunciatione attenditur emendatio fratris; in accuſatione autem attenditur punitio criminis: pœnæ autem præſentis vitæ non per ſe expetuntur, quia non eſt hic ultimum retributionis tempus, ſed inquantum ſunt medicinales, conferentes vel ad emendationem perſonæ peccantis, vel ad bonum reipublicæ, cujus quies procuratur per punitionem peccantium, quorum primum intenditur in denunciatione, ſecundum autem proprie pertinet ad accuſationem: & ideo ſi crimen fuerit tale, quod vergat in detrimentum Reipublicæ, tenetur homo ad accuſationem, dummodo ſufficienter poſſit probare, quod pertinet ad officium accuſatoris, puta cum peccatum alicujus vergit in multitudinis corruptelam corporalem, ſeu ſpiritualem.

Si autem non fuerit tale peccatum, quod in multitudinem redundet, vel etiam ſi ſufficientem probationem adhibere non poſſit, non tenetur ad intentandum accuſationem; quia ad hoc nullus tenetur, quod non poteſt debito modo perficere. 2. 2. *q.* 68. *art.* 1. *in corp.*

QUÆR. 3. *Utrum in conſcientia procedi poſſit ad accuſationem, facta ſola inquiſitione, ſicut vult Innocentius III. in Decretali, & non præmiſſa admonitione, nec expectata emendatione.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod etiam ad accuſationem, ut quidam dicunt, procedi non debet ſecundum forum conſcientiæ monitione non præmiſſa, nec emendatione expecta-

ta, niſi forte majori periculo obviandum videatur, aut peccatum ſit publicum. Quamvis ſecundum forum cauſarum non requiratur quod accuſationem præcedat admonitio, ſed ſolum inquiſitio: Inquiſitio vero non eſt facienda niſi de notorio peccato, quia oportet quod inquiſitionem præcedat clamoſa inſinuatio: Et ideo ſecreta admonitio non requiritur de neceſſitate. Vel dicendum ſecundum alios, quod in accuſatione non agitur ad emendationem peccantis, ſed ad bonum commune; ſcilicet juſtitiam conſervandam per punitionem delinquentis. Et ideo accuſatio in judicio bona conſcientia poteſt fieri, etiamſi admonitio non præcedat. Nec eſt contra præceptum Domini; quod intelligitur, quando agitur ad emendationem peccantis. 4. *diſt.* 19. *q.* 2. *art.* 3. *q.* 1. *ad* 4.

QUÆR. 4. *An de omni peccato fieri debeat accuſatio: & utrum ad ipſam faciendam prærequiratur ſola inſcriptio, ut Decretalis dicit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod non in omni peccato debet homo procedere ad accuſationem, ſed ſolum in illis peccatis, ex quibus in promptu eſt, ut proveniat periculum multitudini vel ſpirituale, vel corporale. Tunc enim poteſt homo ad accuſationem procedere monitione non præcedente, ſi hoc exigat utilitas communis; quia bonum commune præferendum eſt bono privato. *q.* 3. *de virtut. art.* 2. *ad* 7.

QUÆR. 5. *An ſecretum ſit revelandum per accuſationem, ſi bonum commune hoc exigit, & per teſtes probari poſſit.*

Reſponſio videatur infra, *v. ſecretum*. *q.*4.

QUÆR. 6. *Utrum accuſatio debeat fieri in ſcriptis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quando in criminibus per modum accuſationis agitur, accuſator conſtituitur pars, ita quod judex inter accuſatorem, & eum qui accuſatur, medius conſtituatur ad examen juſtitiæ, in quo oportet quantum poſſibile eſt ſecundum certitudinem procedere; quia vero ea, quæ verbotenus dicuntur, facile labuntur a memoria, non poſſet judici eſſe certum quid, & qualiter dictum ſit, cum debet proferre ſententiam, niſi eſſet in ſcriptis redactum; & ideo rationabiliter inſtitutum eſt, ut accuſatio, ſicut & alia, quæ in judicio aguntur, redigatur in ſcriptis. 2.2. *q.* 68. *a.*2. *in corp.*

QUÆR. 7. *Quomodo accuſatio reddatur injuſta.*

Reſp. D. Thomas, nullus debet nocere alicui injuſte, ut bonum commune promoveat; & ideo in accuſatione duplici ratione contingit eſſe peccatum.

Uno modo ex eo, quod aliquis injuſte agit contra eum, qui accuſatur, crimina falſa ei imponendo, quod eſt calumniari.

Alio modo ex parte Reipublicæ, cujus bonum principaliter intenditur in accuſatione, dum aliquis impedit malitioſe punitionem peccati, quod iterum dupliciter contingit, uno modo fraudem in accuſatione adhibendo, & hoc pertinet ad prævaricationem, nam prævaricator dicitur quaſi varicator, qui adverſam partem adjuvat prodita cauſa ſua; alio modo totaliter ab accuſatione deſiſtendo, quod eſt tergiverſari; in hoc enim, quod deſiſtit ab hoc, quod cœperat, quaſi tergum vertere videtur. 2.2. *q.* 68. *a.* 3. *in corp.*

QUÆR. 8. *Utrum accuſatio non debeat fieri niſi de re omnino certa: & utrum omnis, qui falſum crimen imponit, ſit calumniator.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod homo non debet ad accuſationem procedere niſi de re omnino certa, in quo ignorantia facti locum non habeat. Nec tamen qui falſum crimen alicui imponit, calumniatur; ſed ſolum qui ex malitia in falſam accuſationem prorumpit: contingit enim quandoque ex animi levitate ad accuſationem procedere; quia ſcilicet aliquis nimis faciliter credit quod audivit: & hoc temeritatis eſt: aliquando autem ex juſto errore movetur aliquis ad accuſandum. Quæ omnia ſecundum prudentiam Judicis debent diſcerni; ut non pronuntiet eum calumniatum fuiſſe, qui vel ex levitate animi, vel ex juſto errore in falſam accuſationem prorumpit. 2.2. *q.* 68. *a.* 3. *ad* 1.

QUÆR. 9. *An quicunque in accuſatione abſcondit vera crimina, ſit prævaricator.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod non quicunque abſcondit vera crimina, prævaricatur, ſed ſolum qui fraudulenter abſcondit ea, de quibus accuſationem proponit: colludens cum reo, proprias probationes diſſimulando, & falſas accuſationes admittendo. *Ibidem ad* 2.

QUÆR. 10. *An qualitercunque ab accuſatione deſiſtere ſit tergiverſari: & quomodo abſque vitio ab ipſa deſiſti poſſit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod tergiverſari eſt ab accuſatione deſiſtere, omnino animum accuſandi deponendo, non qualitercunque, ſed inordinate. Contingit autem aliquem ab accuſatione deſiſtere ordinate abſque vitio dupliciter, uno modo in ipſo accuſationis proceſſu, ſi cognoverit eſſe falſum id, de quo accuſavit, & ſic pari conſenſu ſe abſolvunt accuſator, & reus; alio modo, ſi Princeps ad quem pertinet cura boni communis, quod per accuſationem intenditur, accuſationem aboleverit: *ibidem ad* 3.

QUÆR. 11. *Utrum accuſato liceat veritatem negare, vel ſe calumnioſe defendere.*

Reſpondetur *v. Reus*, *q.* 1. & *v. calumnia*, *q.* 2.

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 12. Quomodo ille, qui male accuſat peccet, & contra perſonam accuſati, & contra Rempublicam. Et a quo poſſit illi remitti talis injuria.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ille qui male accuſat, peccat & contra perſonam accuſati, & contra Rempublicam, unde propter utrumque punitur, & hoc eſt, quod dicitur Deuter. 19. *Cumque diligentiſſime perſcrutantes invenerint falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium, reddent ei, ſicut fratri ſuo facere cogitavit*: Quod pertinet ad injuriam perſonæ: & poſtea quantum ad injuriam Reipublicæ ſubditur: *& auferes malum de medio tui, ut audientes cæteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere.*

Specialiter tamen perſonæ accuſati facit injuriam, ſi de falſo accuſet: & ideo accuſatus, ſi innocens fuerit, poteſt ei injuriam ſuam remittere, maxime ſi non calumnioſe accuſavit, ſed ex animi levitate. Si vero ab accuſatione innocentis deſiſtat propter aliquam colluſionem cum adverſario, facit injuriam Reipublicæ, & hoc non poteſt ei remitti ab eo, qui accuſatur; ſed poteſt ei remitti per Principem, qui curam Reipublicæ gerit. 2.2. *q.68. a.4. ad* 2.

QUÆR. 13. Utrum excommunicati, infames, & illi qui ſunt de majoribus criminibus accuſati, ſint inhabiles ad accuſandum.

Reſp. D. Thomas, aliqui propter peccatum redduntur inhabiles ad accuſandum, ſicut excommunicati, infames, & illi qui ſunt de majoribus criminibus accuſati priuſquam innoxii demonſtrentur. 2.2. *q.68. a.* 1. *in* 1. *argum.*

QUÆR. 14. An liceat ſubditis accuſare Prælatum ſuum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſubditi Prælatos ſuos accuſare prohibentur, qui non affectione Charitatis, ſed ſua pravitate vitam eorum diffamare, & reprehendere quærunt; vel etiam ſi ſubditi accuſare volentes fuerint criminoſi, ut habetur 2.*q* 7. alioquin ſi fuerint alias idonei ad accuſandum, licet ſubditis ex Charitate ſuos Prælatos accuſare. 2.2. *q.68.a.* 1. *ad* 2.

QUÆR. 15. Utrum accuſator in probatione deficient teneatur ad pœnam talionis.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod accuſator in cauſa accuſationis conſtituitur pars, intendens ad pœnam accuſati; ad Judicem autem pertinet, ut inter eos juſtitiæ æqualitatem conſtituat: juſtitiæ autem æqualitas hoc requirit, ut nocumentum, quod quis alteri intentat, ipſe patiatur ſecundum illud Exodi 21. *Oculum pro oculo, dentem pro dente*; & ideo juſtum eſt, ut ille, qui per accuſationem aliquem in periculum gravis pœnæ inducit, ipſe etiam ſimilem pœnam patiatur. 2. 2. *q.* 68. *a.*4. *in corp. Quodl.* 11. *a.* 13.

QUÆR. 16. Quam pœnam mereatur falſus accuſator, & an poſſit Papa ipſius infamiam abolere.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod pęnam talionis meretur accuſator in recompenſationem nocumenti, quod proximo inferre intentat, ſed pęna infamiæ ei debetur propter malitiam, ex qua calumnioſe alium accuſavit: & quandoque quidem Princeps remittit pęnam, & non abolet infamiam, quandoque etiam infamiam abolet: unde & Papa poteſt hujuſmodi infamiam abolere: & quod dicit Papa Gelaſius, *infamiam abolere non poſſumus*, intelligendum eſt de infamia facti, vel quia eam abolere aliquando non expedit, vel etiam loquitur de infamia irrogata per Judicem civilem, ſicut dicit Gratianus. 2.2.*q.* 68. *a.*4. *ad* 3.

ACEDIA.

QUÆR. 1. Utrum Acedia ſit ſemper mala, & peccaminoſa.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Accedia, ſecundum Damaſcenum, eſt quædam triſtitia aggravans, quæ ſcilicet ita deprimit animum hominis, ut nihil ei agere libeat, ſicut ea, quæ ſunt acida, etiam frigida ſunt: Et ideo Acedia importat quoddam tædium operandi, ut patet per hoc, quod dicitur in Gloſſa ſuper illud Pſalmiſtæ, *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum*, & a quibuſdam dicitur, quod Acedia eſt torpor mentis bona negligentis inchoare: Hujuſmodi autem triſtitia ſemper eſt mala, quandoque quidem etiam ſecundum ſe ipſam, quandoque vero ſecundum effectum. Triſtitia enim ſecundum ſe mala eſt, quæ eſt de eo, quod eſt apparens malum, & vere bonum; ſicut e contrario mala delectatio eſt, quæ eſt de eo, quod eſt apparens bonum & vere malum. Cum ergo ſpirituale bonum ſit vere bonum, triſtitia, quæ eſt de ſpirituali bono, eſt ſecundum ſe mala. Sed etiam triſtitia, quæ eſt de vere malo, mala eſt ſecundum effectum, ſi ſic aggravet hominem, ut eum totaliter a bono opere retrahat; unde & Apoſtolus 2. ad Corinth. 2. non vult ut pęnitens majori triſtitia de peccato abſorbeatur. Quia ergo Acedia, ſecundum quod hic ſumitur nominat triſtitiam ſpiritualis boni, eſt dupliciter mala & ſecundum ſe, & ſecundum effectum: & ideo Acedia eſt peccatum. 2.2. *q.* 35. *a.* 1. *in corp. de malo, quæſt.* 11. *art.* 1.

QUÆR. 2. An & quando Acedia ſit peccatum mortale vel veniale.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod peccatum mortale dicitur, quo ſpiritualem vitam tol-

tollit, quæ eſt per Charitatem, ſecundum quam Deus nos inhabitat: unde illud peccatum ex ſuo genere eſt peccatum mortale, quod de ſe ſecundum propriam rationem contrariatur Charitati; hujuſmodi autem eſt Acedia: nam proprius effectus Charitatis eſt gaudium de Deo, Acedia autem eſt triſtitia de bono ſpirituali in quantum eſt bonum Divinum; unde ſecundum ſuum genus Acedia eſt peccatum mortale.

Sed conſiderandum eſt in omnibus peccatis, quæ ſunt ſecundum ſuum genus mortalia, quod non ſunt mortalia niſi quando ſuam perfectionem conſequuntur, eſt enim conſummatio peccati in conſenſu rationis, loquimur enim nunc de peccato humano, quod in actu humano conſiſtit, cujus principium eſt ratio; unde ſi ſit inchoatio peccati in ſola ſenſualitate, & non pertingat uſque ad conſenſum rationis, propter imperfectionem actus eſt peccatum veniale; ſicut in genere adulterii concupiſcentia, quæ conſiſtit in ſola ſenſualitate, eſt peccatum veniale, ſi tamen pervenitur uſque ad conſenſum rationis eſt peccatum mortale: ita etiam & motus acediæ in ſola ſenſualitate quandoque eſt propter repugnantiam carnis ad ſpiritum, & tunc eſt peccatum veniale: quandoque vero contingit uſque ad rationem, quæ conſentit in fugam, & deteſtationem boni Divini, carne contra ſpiritum omnino prævalente, & tunc manifeſtum eſt, quod acedia eſt peccatum mortale. 2.2. *q.* 35. *a.* 3. *in corp. q.* 11. *de malo*, *a.* 3. *in corp.*

QUÆR. 3. *Unde provenit, quod jejunantes inquietantur Acedia; juxta illud Caſſiani in* 10. *lib. de Inſtitut. Monaſteriorum: maxime Acedia circa horam ſextam Monachum inquietat, ut quædam febris ingruens tempore præſtituto ardentiſſimos æſtus accenſionum ſuarum ſolitis ac ſtatutis horis animæ inferens ægrotanti.*

Reſp. D. Thomas, quia appetitus ſenſitivus habet organum corporale, ſequitur quod per aliquam corporalem tranſmutationem homo fit habilior ad aliquod peccatum: & ideo poteſt contingere, quod ſecundum aliquas tranſmutationes corporales certis temporibus provenientes aliqua peccata nos magis impugnent: omnis autem corporalis defectus de ſe ad triſtitiam diſponit: & ideo jejunantes circa meridiem, quando jam incipiunt ſentire defectum cibi, & urgeri ab æſtibus Solis, magis ab acedia impugnantur. 2.2. *q.* 35. *a.* 1. *ad* 1.

QUÆR. 4. *Utrum aliquis debeat ita extollere aliorum bona, ut ea, quæ ſibi ſunt divinitus conceſſa, non contemnat, ne ex hoc oriatur Acedia, juxta illud Caſſiani in* 10. *lib. de Inſtit. Monaſteriorum, Acedia provenit ex hoc, quod aliquis ingemiſcit ſe fructum ſpiritualem non habere, & abſentia, longeque poſita magnificat Monaſteria.*

Reſp. D. Thomas, quod ad humilitatem pertinet ut homo defectus proprios conſiderans ſeipſum non extollat; ſed hoc non pertinet ad humilitatem, ſed potius ad ingratitudinem, quod bona, quæ quis a Deo poſſidet, contemnat, & ex tali contemptu ſequitur acedia: de his enim triſtamur, quæ quaſi mala, vel vilia reputamus. Sic ergo neceſſe eſt, ut aliquis aliorum bona extollat, quod tamen bona ſibi divinitus proviſa non contemnat, quia ſic triſtia redderentur, 2. 2. *q.* 35. *a.* 1. *ad* 3.

QUÆR. 5. *Utrum Acedia ſit vincenda reſiſtendo, juxta illud in lib.* 10. *de Inſtit. Monaſteriorum: experimento probatum eſt Acediæ impugnationem non declinando fugiendam, ſed reſiſtendo ſuperandam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod peccatum ſemper eſt fugiendum; ſed impugnatio peccati quandoque eſt vincenda fugiendo, quandoque reſiſtendo; Fugiendo quidem, quando continua cogitatio auget peccati incentivum, ſicut eſt in luxuria, unde dicitur 1. ad Corinth. 6. *Fugite fornicationem*; reſiſtendo autem quando cogitatio perſeverans tollit incentivum peccati, quod provenit ex aliqua levi apprehenſione; & hoc contingit in Acedia, quia quanto magis cogitamus de bonis ſpiritualibus, tanto magis nobis placentia redduntur, ex quo ceſſat Acedia. *ibid. ad* 4.

QUÆR. 6. *Quomodo Acedia invenitur in viris perfectis, juxta illud Caſſiani lib.* 10. *de Inſtitutis Cœnobiorum, Acedia eſt ſolitariis magis experta, & in Eremo commorantibus infeſtior hoſtis, ac frequens.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in viris perfectis poteſt eſſe imperfectus motus Acediæ, ſaltem in ſenſualitate, propter hoc quod nullus eſt ita perfectus, in quo non remaneat aliqua contrarietas carnis ad ſpiritum. *q.* 11. *de malo*, *a.* 3. *ad* 1. 2. 2. *q.* 35. *a.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 7. *Utrum triſtitia, quam viri ſancti in operibus laborioſis patiuntur, dici debeat Acedia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod nihil prohibet aliquod opus ſecundum ſe conſideratum eſſe deteſtabile, quod tamen eſt delectabile ſecundum quod refertur ad ſervitium Dei; unde etiam & Martyres dicuntur in lacrymis ſeminaſſe, ut B. Auguſtinus exponit: nec illa triſtitia paſſionis eſt Acedia, quia non eſt de interiori bono, ſed de exteriori malo; de interiori enim bono Martyres gaudebant, & tanto illud gaudium erat magis meritorium, quanto exterius malum erat magis contriſtans. Et ſimiliter ſi aliquis voluntarie implens obedien-

Digitized by Google

dientiam , vel præceptum triſtetur de aliquo opere afflictivo , vel laborioſo , triſtitia talis non eſt de interiori bono , ſed de exteriori malo . *qu.* 11. *de malo*, *art.* 1. *ad* 4.

QUÆR. 8. *An receſſus mentis a quocumque ſpirituali bono , etiam ab illo, ad quod aliquis non tenetur , ſit Acedia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum , quod Acedia non eſt receſſus mentalis a quocunque ſpirituali bono , ſed a bono divino , cui oportet mentem inhærere ex neceſſitate ; unde ſi quis contriſtetur de hoc , quod aliquis cogit eum implere opera virtutis, quæ facere non tenetur , non eſt peccatum acediæ ; ſed quando contriſtatur de his quæ ei imminent facienda propter Deum . 2. 2. *q.* 35. *ar.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 9. *Utrum Acedia ſit vitium capitale , & utrum convenienter D. Gregorius* 31. *Mor. aſſignet ſex filias ipſius: malitiam , rancorem, puſillanimitatem , deſperationem , torporem circa præcepta , evagationem mentis circa illicita.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod vitium capitale eſt ex quo alia vitia oriuntur, ſecundum rationem cauſæ finalis; ſicut autem homines propter delectationem quandam procedunt ad multa facienda , vel vitanda ; ita etiam & propter triſtitiam fugiendam : utrumque enim ejuſdem rationis eſſe videtur, ſicut quærere bonum , & fugere malum . Cum ergo Acedia ſit quædam triſtitia de bono divino interno , ſicut invidia de bono proximi; ſicut ex invidia multa vitia oriuntur , inquantum homo multa facit inordinate ad hujuſmodi triſtitiam repellendam , quæ conſequuntur de bono proximi , ita etiam & Acedia eſt vitium capitale.

Sed quia etiam *nullus homo eſt , qui abſque delectatione in triſtitia manere poſſit*, ut Philoſophus dicit in 6. Ethic. ideo ex triſtitia duo conſequuntur: quorum aliud eſt ut ad alia tranſeat , in quibus unum eſt, ut recedens a contriſtantibus, delectetur : Et ſecundum hoc Philoſophus dicit in 2. Ethic. quod *illi , qui non poſſunt gaudere de delectationibus ſpiritualibus, ut plurimum transferunt ſe ad delectationes corporales*, & ſecundum hoc ex triſtitia, quæ concipitur ex ſpiritualibus bonis, ſequitur *evagatio* circa illicita, in quibus animus carnalis delectatur . In fugá autem triſtitiæ talis proceſſus attenditur , quod primo quidem homo ea fugit , ſecundo etiam proſequitur ; ad fugam autem ſpiritualem bonorum , quæ delectare poſſunt , pertinet & receſſus a bono divino ſperato , & hæc eſt *deſperatio* : & iterum receſſus a bono ſpirituali agendo , qui quidem quantum ad communia, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, eſt *torpor* circa præcepta ; quantum autem ad ardua , quæ cadunt ſub conſiliis, eſt *puſillanimitas* . Ulterius autem contingit , quod ſi aliquis invitus detineatur in ſpiritualibus bonis , quæ ipſum contriſtant , concipit primo quidem indignationem ad Prælatos; vel ad qualcumque perſonas in his detinentes ; & hic eſt *rancor* : ſecundo vero concipit indignationem , & odium contra etiam ipſa ſpiritualia bona ; & hæc proprie eſt *malitia* , *qu.* 11. *de malo*, *art.* 4. *in corp.*

QUÆR. 10. *Utrum etiam D. Iſidorus in libros de ſummo bono convenienter aſſignet ſeptem filias Acediæ , ſcilicet otioſitatem , ſomnolentiam, importunitatem mentis, inquietudinem corporis , inſtabilitatem , verboſitatem , & curioſitatem .*

Reſp. D. Thomas , dicendum , quod illa , quæ Iſidorus ponit oriri ex Acedia , & triſtitia, reducuntur ad ea , quæ Gregorius ponit : Nam *amaritudo* , quam Iſidorus ponit oriri ex triſtitia , eſt quidam effectus *rancoris* : *Otioſitas* autem , & *ſomnolentia* reducuntur ad *torporem circa præcepta* ; circa quæ eſt aliquis *otioſus* omnino ea prætermittens ; & *ſomnolentus* ea negligenter implens . Omnia autem alia quinque , quæ ponit ex acedia oriri , pertinent ad *evagationem mentis* circa illicita , quæ quidem ſecundum quod in ipſa arce mentis reſidet volentis importune ad diverſa ſe diffundere, vocatur *importunitas mentis* ; ſecundum autem quod pertinet ad cognitionem , dicitur *curioſitas* ; quantum ad locutionem dicitur *verboſitas* ; quantum autem ad corpus in eodem loco non manens , dicitur *inquietudo corporis*, quando ſcilicet aliquis per inordinatos motus membrorum vagacitatem indicat mentis ; quantum autem ad diverſa loca , dicitur *inſtabilitas*: vel poteſt accipi *inſtabilitas* ſecundum mutabilitatem propoſiti , 2. 2. *q.* 35. *art.* 4. *ad* 3.

QUÆR. 11. *Cuinam præcepto opponatur Acedia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum , quod acedia contrariatur præcepto de ſanctificatione ſabbati; in quo , ſecundum quod eſt præceptum morale, præcipitur quies mentis in Deó; cui etiam contrariatur triſtitia mentis de bono divino . 2. 2. *qu.* 35. *art.* 3. *ad* 1.

QUÆR 12. *Quam fugienda ſit Acedia , & quanta mala cauſet.*

Reſp. D. Thomas , ſuper illud, *Quare triſtis es anima mea ?* dicit Gloſſa , quod *docet hic triſtitiam ſæculi fugiendam , quæ patientiam , & charitatem, & ſpem extinguit , & totam bonam vitam confundit*, *qu.* 11. *de malo art.* 3. *in* 3. *argum. ſed contra.*

ACTUS

ACTUS HUMANUS.

QUÆR. 1. *Quid ſit proprie loquendo actus humanus.*

RESp. D. Thomas, dicendum, quod actiones, quæ ab homine aguntur, illæ ſolæ proprie dicuntur humanæ quæ ſunt propriæ hominis inquantum eſt homo: differt autem homo ab irrationalibus creaturis in hoc quod eſt ſuorum actuum Dominus: unde illæ ſolæ actiones vocantur proprie humanæ, quarum homo eſt Dominus: eſt autem homo Dominus ſuorum actuum per rationem, & voluntatem; unde & liberum arbitrium eſſe dicitur facultas voluntatis, & rationis: illæ ergo actiones proprie humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt: ſi quæ autem aliæ actiones hominis conveniunt, poſſunt dici quidem hominis actiones, ſed non proprie humanæ, cum non ſint hominis inquantum eſt homo. 1. 2. *qu.* 1. *a.* 1. *in corp.*

QUÆR. 2. *An ſicut omne verbum eſt bonum, vel malum, ita etiam omnis actus humanus.*

Reſp. D. Thomas, quod Gregorius dicit in quadam homilia: *otioſum verbum eſt, quod aut utilitate rectitudinis, aut ratione juſtæ neceſſitatis, aut piæ utilitatis caret.* Sed verbum otioſum eſt malum; quia de eo reddent homines rationem in die judicii, ut dicitur Matth. 12. ſi autem non caret ratione juſtæ neceſſitatis, aut piæ utilitatis, eſt bonum: ergo omne verbum aut eſt bonum, aut malum: pari ergo ratione, & quilibet alius actus vel eſt bonus, vel malus: nullus ergo individualis eſt indifferens. 1. 2. *qu.* 18. *art.* 9. *in arg. ſed contra.*

QUÆR. 3 *Quare nullus actus humanus eſt indifferens in individuo, ſed omnis eſt bonus vel malus ſaltem ex intentione finis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod contingit quandoque aliquem actum eſſe indifferentem ſecundum ſpeciem, qui tamen eſt bonus, vel malus in individuo conſideratus: & hoc ideo, quia actus moralis non ſolum habet bonitatem ex objecto, a quo ſumit ſpeciem, ſed etiam ex circumſtantiis, quæ ſunt quaſi quædam accidentia: ſicut aliquid convenit individuo hominis ſecundum accidentia individualia, quod non convenit homini ſecundum rationem ſpeciei: & oportet quod quilibet individualis actus habeat aliquam circumſtantiam, per quam trahatur ad bonum vel malum, ad minus ex parte intentionis finis. Cum enim rationis ſit ordinare, actus a ratione deliberativa procedens, ſi non ſit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipſo repugnat rationi, & habet rationem mali; ſi vero ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni: neceſſe eſt autem quod vel ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem: unde neceſſe eſt omnem actum hominis a deliberativa ratione procedentem in individuo conſideratum, bonum eſſe vel malum: ſi autem non procedit a ratione deliberativa, ſed ex quadam imaginatione (ſicut cum aliquis fricat barbam, vel movet manum aut pedem) talis actus non eſt proprie loquendo moralis, vel humanus, cum hoc habeat actus a ratione: & ſic erit indifferens, quaſi extra genus moralium actuum exiſtens. 1. 2. *qu.* 18. *art.* 9. *in corp.*

QUÆR. 4. *An ſecundum Theologiam omnis actus humanus vel ſit meritorius, vel peccaminoſus, aut vanus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſecundum Theologum nullus actus procedens a voluntate deliberante eſt indifferens: quia ſi refertur in Deum ſuppoſita gratia, meritorius eſt; ſi autem non eſt referibilis, peccatum eſt: ſi vero eſt referibilis, & non referatur, vanus eſt: otioſum autem inter peccatum apud Theologum computatur. 1. *ſent. diſt.* 1. *q.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 5. *An non tantum ſecundum Theologiam, ſed etiam juxta moralem Philoſophiam omnis actus humanus ſit bonus vel malus, & nunquam indifferens.*

Reſp. D. Thomas, actus virtutis politicæ non eſt indifferens, ſed de ſe bonus eſt, & ſi ſit gratia informatus, erit meritorius: non eſt autem accipere aliquid in quod ordinatur humanus actus, quod vel ſecundum virtutem politicam rectum non ſit, vel etiam rectitudini adverſum: quia non poteſt eſſe aliquis actus, procedens ab aliquo deliberante, ſine intentione finis, ut in 2. Metaph. dicitur: finis autem ille eſt bonum conveniens homini, vel ſecundum animam, vel ſecundum corpus, vel ſecundum etiam res exteriores, quæ ad utrumque ordinantur: & hoc quidem bonum, niſi ſit contrarium illi bono, quod eſt hominis bonum ſecundum rationem, rectitudinem virtutis civilis habet, quia virtus civilis dirigit in omnibus quæ ſunt corporis, & etiam quæ propter corpus quæruntur: unde ſi his aliquis mediocriter utatur, erit uſus rectus; ſi autem ſecundum abundantiam, vel defectum, erit uſus vitioſus virtuti oppoſitus. Et ideo dicendum eſt quod nullus actus a voluntate deliberata progrediens, poteſt eſſe, qui non ſit bonus vel malus, non tantum ſecundum Theologum, ſed etiam ſecundum moralem Philoſophum. 2. *diſt.* 40. *qu.* 1. *art.* 1. *in corp.*

QUÆR. 6. *An ſicut omnis actus humanus eſt bonus vel malus, ita etiam ſit meritorius vel demeritorius: & quomodo in eo qui gratiam habet, comedere, bibere, & ludere ſunt meritoria.*

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, nullus eorum actuum qui voluntatem deliberatam ſequitur, indifferens erit; ſed de neceſſitate vel bonus vel malus, bonitate vel malitia civili. Sed tamen actus bonitate civili perfectus, non eſt ſuſceptibilis efficaciæ merendi, niſi in eo qui gratiam habet: & ideo in eo qui gratia caret, indifferens eſt ad meritum & demeritum; ſed in illo qui gratiam habet, oportet vel meritorium, vel demeritorium eſſe; quia ſicut malus erit demeritorius, ſic etiam bonus erit meritorius; quia cum charitas imperet omnibus virtutibus, ſicut voluntas omnibus potentiis, oportet quod quidquid ordinatur in finem alicujus virtutis, ordinetur in finem charitatis;& cum omnis actus bonus ordinetur in finem alicujus virtutis in finem charitatis ordinatus remanebit; & ita meritorius erit: & ſic comedere, & bibere ſervato modo temperantiæ, & ludere ad recreationem ſervato modo eutrapeliæ, quæ medium tenet in ludis, ut dicitur 2. Ethic. meritorium erit in eo, qui charitatem habet, qua Deum ultimam finem vitæ ſuæ conſtituit. *in eod. a.* 1. *in corp.*

QUÆR. 7. *Utrum actus humani non ſint indifferentes ex eo quod tenemur eos omnes referre in Deum.*

Reſp. D. Thomas, nullus actus ex deliberativa ratione procedens eſt indifferens; quin ſit bonus vel malus: & hoc, quia ſi refertur in finem debitum eſt bonus; alias autem eſt malus: tenetur enim voluntas deliberativa omnem actum referre in Deum vel immediate, vel mediate: etſi enim non ſemper actu cogitet de Deo, tamen habitu ſemper refert in Deum, & quodammodo actu, in quantum vis actualis intentionis præcedentis remanet in actibus ſequentibus. 2. *ad Hannib. d.* 41. *a.* 3. *in corp.*

QUÆR. 8. *Utrum omnis finis actuum humanorum pertineat ad bonum alicujus virtutis, vel ad malum alicujus vitii: & quomodo ea quæ fiunt ad ſuſtentationem, vel quietem corporis ordinentur ad bonum virtutis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod omnis finis a ratione deliberativa intentus pertinet ad bonum alicujus virtutis, vel ad malum alicujus vitii: nam hoc ipſum quod aliquis agit ordinate ad ſubſtentationem vel quietem ſui corporis, ad bonum virtutis ordinatur in eo, qui corpus ſuum ordinat ad bonum virtutis: & idem patet in aliis. 2. 2. *q.* 18. *a.* 9. *ad* 3.

ADJURATIO.

QUÆR. 1. *An & quomodo adjuratio dirigatur ad ſuperiores, vel etiam ad inferiores.*

RESP. D. Thomas, dicendum, quod ſicut in juramento aſſumitur Divina veritas quaſi firmior in teſtimonium veritatis a nobis dictæ, ita in adjuratione ſemper aſſumitur potentior virtus ad impetrandum, quod nos ex noſtra infirmitate non poſſumus impetrare, unde ſemper adjurans in ſe defectum profitetur.

Sed quandoque illud, quod adjuramus, aſſumitur ad inclinandum per violentiam, ſicut cum Sancti Dæmones adjurant, ut de obſeſſis corporibus exeant; quandoque autem aſſumitur ad inclinandum per benevolentiam, & ſic Deum adjuramus per Filium ſuum, vel per Sanctos ſuos, qui ei accepti ſupra nos fuerunt. 4. *ſent. d.* 15. *q.* 4. *a.* 3. *q.* 1. *ad* 1.

QUÆR. 2. *An & quomodo liceat per adjurationem inducere ſuperiores, aut inferiores ad aliquid agendum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ille, qui jurat juramento promiſſorio per reverentiam Divini nominis, quod ad confirmationem ſuæ promiſſionis inducit, ſeipſum obligat ad faciendum quod promittit, quod eſt ſeipſum immobiliter ordinare ad aliquid agendum: ſicut autem homo ſeipſum ordinare poteſt ad aliquid agendum, ita etiam alios; ſuperiores quidem, deprecando, inferiores autem imperando: cum ergo utraque ordinatio per aliquod Divinum confirmatur, eſt adjuratio. In hoc tamen differunt, quod homo eſt ſuorum actuum dominus, non autem eſt dominus eorum quæ ſunt ab alio agenda: & ideo ſibi ipſi poteſt neceſſitatem imponere per Divini nominis invocationem, non autem hanc neceſſitatem poteſt ex debito præſtiti juramenti compellere.

Si ergo aliquis per invocationem Divini nominis, vel cujuſcunque rei ſacræ alicui non ſibi ſubdito adjurando neceſſitatem agendi aliquid imponere intendat, ſicut imponit ſibi ipſi jurando, talis adjuratio illicita eſt; quia uſurpat poteſtatem in alium, quam non habet: tamen propter aliquam neceſſitatem ſuperiores inferiores ſuos tali genere adjurationis conſtringere poſſunt: ſi vero intendat ſolummodo per reverentiam Divini nominis, vel alicujus rei ſacræ aliquid ab alio obtinere abſque neceſſitatis impoſitione, talis adjuratio licita eſt reſpectu quorumlibet. 2. 2. *q.* 90. *a.* 1. *in corp.*

QUÆR. 3. *An & quomodo liceat Dæmones adjurare.*

Reſpondetur *v. Dæmon.*

QUÆR. 4. *An liceat creaturas irrationales adjurare, aut etiam Dæmones.*

Reſp. D. Thomas, adjuratio, qua quis utitur ad irrationalem creaturam, poteſt intelligi dupliciter, uno modo ut adjuratio referatur ad ipſam irrationalem creaturam ſecundum ſe, & ſic vanum eſſet irrationalem creatu-

ram

Digitized by Google

ram adjurare: alio modo ut refertur ad eum, a quo irrationalis creatura agitur, & movetur, & ſi dupliciter adjuratur irrationalis creatura: uno quidem modo per modum deprecationis ad Deum directe, quod pertinet ad eos, qui Divina invocatione miracula faciunt; alio modo per modum compulſionis, quæ refertur ad Diabolum, qui in nocumentum noſtrum utitur irrationalibus creaturis: & talis eſt modus adjurandi in Eccleſiæ exorciſmis; per quos Dæmonum poteſtas excluditur ab irrationalibus creaturis: adjurare autem Dæmones ab eis auxilium implorando non licet. 2.2. *q.90. a.3. in corp.*

ADMONITIO.

Vide correctio fraterna.

ADOPTIO.

Vide infra *v. Matrimonium*, de impedimento cognationis legalis.

ADORATIO.

QUÆR. 1. *Utrum adoratio ſit actus latriæ, ſive Religionis.*

RESp. D. Thomas, dicendum, quod adoratio ordinatur in reverentiam ejus, qui adoratur: Religionis autem proprium eſt reverentiam Deo exhibere: unde adoratio, qua Deus adoratur, eſt Religionis actus. 2.2. *q.* 84. *art.* 1.

QUÆR. 2. *An & quomodo ſecundum omnia bona noſtra debemus Deo adorationem latriæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in nobis eſt triplex bonum, ſcilicet ſpirituale, corporale, & extrinſecum; & quia hæc omnia in nobis a Deo ſunt, ideo ſecundum omnia debemus Deo latriam exhibere: & ſecundum ſpiritum exhibemus ei debitam dilectionem; ſecundum corpus proſtrationes & cantus; ſecundum exteriora autem, ſacrificia, luminaria & hujuſmodi, quæ Deo non propter ejus indigentiam exhibemus, ſed in recognitionem quod omnia ab ipſo habemus: & ſicut eum ex omnibus recognoſcimus, ita etiam eum ex omnibus honoramus, 3. *ſent. d.9. q.2. a.3. q. 3. in c. 3. contra gentes c.* 119.

QUÆR. 3. *Cur Deus ſit adorandus adoratione latriæ, quæ cultum, obſequium, & ſervitutem ſignificat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod cum ſervus dicatur ad Dominum, neceſſe eſt quod ubi eſt propria & ſpecialis ratio dominii, ibi ſit ſpecialis & propria ratio ſervitutis. Manifeſtum eſt autem quod dominium convenit Deo ſecundum propriam & ſingularem quandam rationem; quia ſcilicet ipſe omnia fecit, & quia ſummum in omnibus rebus obtinet principatum: & ideo ſpecialis ratio ſervitutis ei debetur: & talis ſervitus nomine latriæ deſignatur apud Græcos. 2.2. *q.81. a.1. ad 3.*

QUÆR. 4. *Utrum una adoratio debeatur tribus divinis Perſonis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quia una eſt excellentia trium perſonarum, unus honor & reverentia eis debetur, & per conſequens una adoratio: in cujus figuram cum legitur de Abraham Gen. 18. quod tres viri ei apparuerunt, adorans unum alloquitur, dicens: *Domine, ſi inveni gratiam*, 2.2. *q.84. a.1. ad 3. 3. p. q.25. a. 1. ad 1.*

QUÆR. 5. *An & quomodo humanitas Chriſti ſit adoranda adoratione latriæ, vel duliæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod adoratio humanitatis Chriſti dupliciter poteſt intelligi: uno modo ut ſit ejus, ſicut rei adoratæ, & adorare carnem Chriſti non eſt aliud quam adorare Verbum Dei incarnatum; ſicut adorare veſtem Regis nihil eſt aliud, quam adorare Regem veſtitum, & ſecundum hoc adoratio Humanitatis Chriſti eſt adoratio Latriæ.

Alio modo poteſt intelligi adoratio Humanitatis Chriſti, quæ fit ratione Humanitatis Chriſti perfectæ omni munere gratiarum, & ſic adoratio Humanitatis Chriſti non eſt adoratio Latriæ, ſed adoratio Duliæ, ita ſcilicet, quod una, & eadem perſona Chriſti adoretur adoratione Latriæ propter ſuam Divinitatem, & adoratione Duliæ propter perfectionem Humanitatis. 3. *p. q. 25. a. 2. in corp.*

QUÆR. 5. *An Humanitas Chriſti ſit adoranda cultu hyperduliæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Humanitas Chriſti vel Latria, vel Hyperdulia adoratur, & ſimiliter ea, quæ ad Humanitatem Chriſti referuntur, ut Crux, veſtis, & hujuſmodi. 3. *ſent. d. d. 9. q. 1. a. 2. q. 4. ad 1. lect. 4. c. 4. ad Galatas.*

QUÆR. 7. *Qua intentione ſit adoranda Hoſtia: & utrum Sacerdos, qui fingit conſecrare, faciat populum idololatrare.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod qui adorat Hoſtiam, adorare eam oportet cum conditione, ſcilicet ſi eſt conſecrata: non tamen oportet, quod hæc conditio ſemper ſit actu explicita, ſed ſufficit, quod habitu teneat illam: unde non peccat adorans eam, quia non adorat puram creaturam, ſed Chriſtum ſecundum intentionem ſuam. Sacerdos autem quantum in ſe eſt, facit populum idololatrare; quia offert ei puram creaturam ad adorandum. 3. *ſent. d. 9. q. 1. a. 2. q. 6. ad 2.*

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 8. Utrum Imago Chriſti ſit adoranda adoratione latriæ, ſive cultu divino.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ut Philoſophus dicit in lib. de Memoria, & Reminiſcentia cap. 2. duplex eſt motus animæ in imaginem, unus quidem in ipſam imaginem ſecundum quod res quædam eſt, alio modo in imaginem inquantum eſt imago alterius: & inter hos duos motus hæc eſt differentia, quia primus motus, quo quis movetur in imaginem, ut eſt res quædam, eſt alius a motu, qui eſt in rem; ſecundus autem motus, qui eſt in imaginem inquantum eſt imago, eſt unus & idem cum illo, qui eſt in rem.

Sic ergo dicendum eſt, quod imagini Chriſti, inquantum eſt res quædam, puta lignum ſculptum, vel pictum, nulla reverentia exhibetur; quia reverentia nonniſi rationali naturæ debetur: relinquitur ergo, quod exhibeatur ei reverentia ſolum inquantum eſt imago; & ſic ſequitur, quod eadem reverentia exhibeatur imagini Chriſti, & ipſi Chriſto. Cum ergo Chriſtus adoretur adoratione latriæ, conſequens eſt, quod ejus imago ſit adoratione latriæ adoranda. *3. p. q. 25. ar. 3. in corp.* 2. 2. *q.* 81. *art. 3. ad 3. & q. 94. a. 2. ad 1. 3. ſent. d. 9. q. 1. a. 2. q. 2. in corp.*

QUÆR. 9. Qua adoratione debeat adorari Crux Chriſti.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod honor, ſeu reverentia non debetur niſi ratione rationalis naturæ: unde creaturæ irrationali non debetur honor vel reverentia, niſi ratione rationalis naturæ: & hoc dupliciter, uno modo inquantum repræſentat rationalem naturam; alio modo, inquantum ei quocunque modo, conjungitur: primo modo conſueverunt homines venerari Regis imaginem; ſecundo modo ejus veſtimentum; utrumque autem venerantur homines eadem veneratione, qua venerantur & Regem.

Si ergo loquamur de ipſa Cruce, in qua Chriſtus crucifixus eſt, utroque modo eſt a nobis veneranda: uno ſcilicet modo, inquantum repræſentat nobis figuram Chriſti extenſi in ea, alio modo ex contactu ad membra Chriſti, & ex hoc, quod ejus Sanguine eſt perfuſa: unde utroque modo adoratur eadem adoratione cum Chriſto, ſcilicet adoratione Latriæ: & propter hoc etiam Crucem alloquimur, & deprecamur quaſi ipſum Crucifixum: ſi vero loquamur de effigie Crucis Chriſti in quacunque alia materia, puta lapidis, vel ligni, argenti, vel auri, ſic veneramur Crucem tantum, ut imaginem Chriſti, quam veneramur adoratione Latriæ. *3. p. q. 25. ar. 4. in corp.* 2 2. *q.* 103. *ar. 4. ad 3.*

QUÆR. 10. Qua ratione adorari debent clavi, veſtes, lancea, ſepulchrum, & alia inſtrumenta Paſſionis Chriſti.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod quantum ad rationem contactus membrorum Chriſti adoramus non ſolum Crucem, ſed etiam omnia, quæ ſunt Chriſti; unde Damaſcenus dicit in 4. lib. cap. 12. *Pretioſum lignum, ut ſanctificatum tactu ſancti Corporis, & Sanguinis decenter adorandum, clavos, indumenta, lanceam, & ſacra ejus tabernacula, quæ ſunt præſepe, ſpelunca, & hujuſmodi.*

Iſta tamen non repræſentant imaginem Chriſti, ſicut Crux, quæ dicitur ſignum Filii hominis quod apparebit in Cælo, ut dicitur Matth. 21. Ideoque mulieribus dixit Angelus: *Jeſum quæritis Nazarenum crucifixum*; non dixit lanceatum, ſed Crucifixum: & inde eſt, quod Crucem Chriſti veneramur in quacunque materia, non autem imaginem clavorum, vel quorumcumque hujuſmodi. *3. p. q. 25. a. 4. ad 3.*

QUÆR. 11. An B. Virgo adorari debeat cultu Latriæ, vel ſolum Hyperduliæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quia Latria ſoli Deo debetur, nulli creaturæ debetur latria, prout creaturam ſecundum ſe veneramur. Licet autem creaturæ inſenſibiles non ſint capaces venerationis ſecundum ſeipſas, creatura tamen rationalis eſt capax venerationis ſecundum ſeipſam: & ideo nulli puræ creaturæ rationali debetur cultus latriæ. Cum igitur Beata Virgo ſit pura creatura rationalis, non debetur ei adoratio latriæ: ſed ſolum veneratio duliæ; eminentius tamen quam cæteris creaturis, inquantum ipſa eſt Mater Dei: & inde dicitur, quod debetur ei non qualiſcumque dulia, ſed hyperdulia, *3. par. q. 25. a. 5. in corp.*

QUÆR. 12. An debeamus venerari Sanctorum reliquias.

Reſpondetur v. *Reliquiæ.*

QUÆR. 13. An ſi Diabolus in forma Chriſti appareret, poſſet ſine peccato adorari.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod non poteſt Diabolus in ſpecie Chriſti apparens ſine peccato adorari, niſi ſit conditio actu explicita; non enim ſufficit ſolo habitu: quia ipſa novitas rei inſolitæ conſiderationem, & attentionem requirit; ſicut dicitur de B. Virgine Lucæ 1. quod *cogitabat, qualis eſſet illa ſalutatio*, *3. diſt. 9. qu. 1. art. 2. qu. 6. ad 3. 4. d. 30. in expoſ. textus.*

QUÆR. 14. An & quare adoratio requirat aliquem locum determinatum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod determinatus locus eligitur ad adorandum, non propter Deum, qui adoratur, quaſi loco concludatur, ſed propter ipſos adorantes: & hoc triplici ratione: Primo quidem propter loci con-

conſecrationem, ex qua ſpecialem devotionem concipiunt orantes, ut magis exaudiantur, ſicut patet ex oratione Salomonis 3. Reg. 8. Secundo, propter ſacra myſteria, & alia ſanctitatis ſigna, quæ ibi continentur: Tertio propter concurſum multorum adorantium, ex quo fit oratio magis exaudibilis, ſecundum illud Matth. 18. *Ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum ego in medio eorum*. 2.2. *q*. 84. *art*. 3. *d*. 2.

QUÆR. 15. *Quare Judæi adorabant verſus occidentem*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod adoratio ad occidentem fuit introducta in lege ad excludendam idololatriam; nam omnes Gentiles in reverentiam Solis adorabant ad orientem; unde dicitur Ezech. 8. quod quidam habebant dorſa contra templum Domini, & adorabant ad ortum Solis: Unde ad hoc excludendum, tabernaculum habebat Sancta Sanctorum ad occidentem, ut verſus occidentem adorarent. Ratio autem ſingularis eſſe poteſt, quia totus ſtatus prioris tabernaculi ordinabatur ad ſignificandum mortem Chriſti, quæ figuratur per occaſum, ſecundum illud Pſ. 67. *Qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi*. 1.2. *q*. 102. *art*. 4. *ad* 5.

QUÆR. 16. *Quare econtra Chriſtiani adorant verſus orientem*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſecundum quandam decentiam adoramus verſus orientem. Primo quidem propter divinæ Majeſtatis indicium, quod nobis manifeſtatur in motu cælo, qui eſt ab oriente: Secundo propter paradiſum in oriente conſtitutum, ut legitur Gen. 2. ſecundum litteram ſeptuaginta Interpretum, quaſi quæramus ad paradiſum redire: Tertio propter Chriſtum, qui eſt lux mundi, & *Oriens* nominatur, Zachar. 6. & *qui aſcendit ſuper Cælum Cæli ad orientem*, & ab oriente etiam expectatur venturus, ſecundum illud Matth. 24. *Sicut fulgur exit ab oriente, & paret uſque ad occidentem, ita erit adventus filii hominis*. 2.2. *q*. 84. *ar*. 3. *ad* 3.

ADULATIO.

QUÆR. 1. *Utrum adulatio ſit peccatum, de quo dicitur Ezech*. 13. *Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, ideſt, juxta Gloſſam, ſuavem adulationem*.

Reſp. D. Thomas, ſi aliquis in omnibus velit ad delectationem alteri loqui, excedit modum in delectando, & ideo peccat per exceſſum; etſi quidem hoc faciat ſola intentione delectandi, vocatur placidus, ſecundum Philoſophum lib. 4. Eth. cap. 6. Si autem faciat hoc intentione alicujus lucri conſequendi, vocatur blanditor, ſive adulator; communiter tamen nomen adulationis attribui ſolet omnibus, qui ſupra debitum modum virtutis volunt alios verbis, vel factis delectare in communi converſatione. 2.2. *qu*. 115. *art*. 1. *in corp*.

QUÆR. 2. *Quando adulatio ſit peccatum mortale, vel veniale tantum*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod peccatum mortale eſt, quod charitati contrariatur: adulatio autem quandoque quidem charitati contrariatur, quandoque autem non contrariatur: contrariatur ſiquidem charitati tripliciter: uno modo ratione ipſius materiæ, puta cum aliquis laudat alicujus peccatum; hoc enim contrariatur dilectioni Dei, contra cujus juſtitiam homo loquitur, & contra dilectionem proximi, quem in peccato fovet: unde eſt peccatum mortale, ſecundum illud Iſa. 5. *Væ qui dicitis malum bonum*: alio modo ratione intentionis, puta cum quis alicui adulatur ad hoc, quod fraudulenter ei noceat vel corporaliter, vel ſpiritualiter; & hoc etiam eſt peccatum mortale; & de hoc habetur Proverb. 27. *Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oſcula odientis*: tertio modo per occaſionem, ſicut cum laus adulatoris ſit alteri occaſio peccandi etiam præter adulatoris intentionem: & in hoc conſiderare oportet, utrum ſit occaſio data, vel accepta, & qualis ruina ſubſequatur, ſicut patere poteſt ex his, quæ dicentur de ſcandalo.

Si autem aliquis ex ſola aviditate delectandi alios, vel etiam ad evitandum aliquod malum; vel conſequendum aliquid in neceſſitate alicui adulatus fuerit, non eſt contra charitatem; unde non eſt peccatum mortale, ſed veniale. 2.2. *q*. 115. *art*. 2. *in corp*.

QUÆR. 3. *Utrum adulatio maxime noceat juxta illud Pſal*. 9. *quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, exacerbavit Dominum peccator: & illud Hieronymi, dicentis: nihil eſt quod tam facile corrumpat mentes hominum quam adulatio: & ſuper illud Pſ*. 69. *Convertantur ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi, euge, euge; dicit Gloſſa, plus nocet lingua adulatoris, quam gladius perſecutoris*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod authoritates illæ loquuntur de adulatore, qui laudat peccatum alicujus: talis enim adulatio dicitur plus nocere, quam gladius perſecutoris, quia in potioribus nocet, ſcilicet in ſpiritualibus: non autem nocet ita efficaciter, quia gladius perſecutoris occidit effective, quaſi ſufficiens cauſa mortis: nullus autem adulando poteſt alteri eſſe ſufficiens cauſa peccandi. 2. 2. *q*. 115. *art*. 2. *ad* 1.

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 4. Quomodo adulator inducendo alios ad peccatum, juxta illud Pſ.14. oleum peccatoris non impinguet caput meum; ubi Gloſſa dicit: Falſa laus adulatoris mentes a rigore veritatis emollit ad noxia: plus ſibi nocet quam aliis, ſecundum illud Pſ. 36. Gladius eorum intret in corda ipſorum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ratio illa procedit de eo, qui adulatur intentione nocendi: ille enim plus nocet ſibi, quam aliis; quia ſibi nocet tanquam ſufficiens cauſa peccandi, aliis autem occaſionaliter tantum. *ibid. ad* 2.

QUÆR. 5. Quomodo intelligatur id quod dicitur in Decretis diſt. 46. Clericus, qui adulationibus, & proditionibus vacare deprehenditur, degradetur ab officio.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod authoritas illa loquitur de eo, qui proditorie alteri adulatur, ut eum decipiat. *Ibidem ad* 3.

QUÆR. 6. Quomodo alios laudare poſſimus abſque adulatione.

Reſp. *v. Laus, q.* 1.

ADULTERIUM.

QUÆR. 1. An adulterium ſit determinata ſpecies luxuriæ, & quas deformitates importet.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod adulterium, ſicut ipſum nomen ſonat, eſt acceſſus ad alienum thorum, in quo quidem dupliciter contra caſtitatem, & humanæ generationis bonum aliquis delinquit: primo quidem inquantum accedit ad mulierem non ſibi matrimonio copulatam, quod requiritur ad bonum prolis propriæ educandæ; alio modo, quia accedit ad mulierem alteri per matrimonium copulatam, & ſic impedit bonum prolis alienæ. Eadem ratio eſt de muliere conjugata, quæ per adulterium corrumpitur: unde dicitur Eccleſ.23. *Omnis mulier relinquens virum ſuum peccabit*: primo enim *in lege Altiſſimi incredibilis fuit*, in qua ſcilicet præcipitur, non mœchaberis: ſecundo in virum ſuum deliquit, ex quo facit contra certitudinem prolis: tertio *in adulterio fornicata eſt, & ex alio viro filios ſtatuit ſibi*, quod eſt contra bonum propriæ prolis: ſed primum eſt commune in omnibus peccatis mortalibus: alia vero duo ſpecialiter pertinent ad deformitatem adulterii.

Unde manifeſtum eſt, quod adulterium eſt determinata ſpecies luxuriæ, utpote ſpecialem deformitatem habens circa actus venereos. 2. 2. *q.* 154. *art.* 8. *in corp. & art.* 1. *in corp. q.* 15. *de malo, art.* 3. *in corp.* 4. *ſent. d.*41. *q.* 1. *art* 4. *qu.* 2. *in corp.*

QUÆR. 2. Quando vir poſſit dici adulter, licet non violet fidem uxori debitam, juxta illud D. Hieronymi dicentis, nihil intereſt ex qua cauſa quis inſaniat: unde Xiſtus Pythagoricus in ſententiis ait: Adulter eſt ardentior amator in uxorem ſuam.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod matrimonium ſpecialiter eſt ordinatum ad bonum humanæ prolis, adulterium autem ſpecialiter matrimonio contrariatur, inquantum violat matrimonii fidem, quam quis conjugi debet; & quia ille, qui eſt ardentior amator uxoris, facit contra bonum matrimonii inhoneſte eo utens, licet fidem non violet, ideo aliqualiter poteſt adulter nominari; & magis quam ille, qui eſt ardentior amator alterius mulieris, 2. 2. *qu.* 154. *art.* 8. *ad* 2.

QUÆR. 3. Utrum adulterium magis opponatur dilectioni proximi quam gula, & ulla ſpecies luxuriæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod gula non directe opponitur dilectioni proximi, ſicut adulterium; neque etiam aliqua alia ſpecies luxuriæ: non enim tanta fit injuria patri per ſtuprum Virginis, quæ non eſt ejus connubio deputata; quanta fit injuria viro per adulterium, cujus corporis poteſtatem ipſe habet, non uxor. *Ibidem ad* 2.

QUÆR. 4. Quiſnam magis peccet vir, an mulier adultera.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in adulterio invenitur id quod eſt de ratione peccati in fornicatione ſimplici, & adhuc plus, quod magis gravat ſecundum læſionem matrimonii. Si ergo conſideretur, id quod eſt commune adulterio, & fornicationi, peccatum viri & mulieris ſe habent ſicut excedentia, & exceſſe; quia in muliere eſt plus de humore, & ideo ſunt magis ducibiles a concupiſcentiis; ſed in viro plus de calore, qui concupiſcentiam excitat.

Sed tamen ſimpliciter loquendo cæteris paribus vir in ſimplici fornicatione plus peccat, quam mulier, quia habet plus de rationis bono, quod prævalet quibuslibet motibus corporalium paſſionum: ſed quantum ad læſionem matrimonii, quam adulterium fornicationi addit, ex qua divortium cauſatur, plus peccat mulier, quam vir. Et quia hoc eſt gravius, quam ſimplex fornicatio, ideo ſimpliciter loquendo, plus peccat mulier adultera, quam vir adulter cæteris paribus. 4. *ſent. diſt.* 35. *art.* 4. *ad* 5.

QUÆR. 5. An teneatur adultera crimen ſuum fateri in judicio.

Reſpondetur infra, *v. Reus.*

QUÆR. 6. An liceat viro interficere uxorem in actu adulterii deprehenſam, aut ejus mortem in judicio petere.

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod virum interficere uxorem contingit dupliciter: uno modo per judicium civile, & ſic non eſt dubium, quod ſine peccato poteſt vir zelo juſtitiæ, non livore vindictæ aut odii motus, uxorem adulteram in judicio ſæculari accuſare criminaliter de adulterio, & pœnam mortis a Lege ſtatutam petere; ſicut etiam licet accuſare aliquem de homicidio, aut de alio crimine: non tamen talis accuſatio poteſt fieri in judicio Eccleſiaſtico; quia Eccleſia non habet gladium materialem: alio modo poteſt eam per ſeipſum occidere non judicio convictam; & ſic extra actum adulterii eam interficere, quantumcunque ſciat eam adulteram, neque ſecundum Leges civiles, neque ſecundum Legem conſcientiæ licet.

Sed lex civilis quaſi licitum computat, quod in ipſo actu eam interficiat; non quaſi præcipiens, ſed quaſi pœnam homicidii non inferens, propter maximum incitamentum, quod habet vir in tali facto, ad occiſionem uxoris. Sed Eccleſia in hoc non eſt aſtricta legibus humanis, ut judicet eam ſine reatu pœnæ æternæ, vel pœnæ judicio Eccleſiaſtico infligendæ ex hoc quod eſt ſine reatu pœnæ infligendæ per judicium ſæculare: & ideo in nullo caſu licet viro interficere uxorem propria authoritate. 4. *ſent. d. 37. q. 2. art.* 1. *in corp.*

QUÆR. 7. Cur non liceat viro interficere uxorem in actu adulterii deprehenſam, cum lex divina præcipiat adulteras lapidari, ut patet Joann. 8.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod pœnam illam infligendam lex non commiſit privatis perſonis, ſed perſonis publicis, quæ habent officium ad hoc deputatum: vir autem non eſt judex uxoris: & ideo non poteſt eam interficere, ſed coram judice accuſare. *In eodem art.* 1. *ad* 1.

QUÆR. 8. An lex civilis commiſerit viro interfectionem uxoris in adulterio deprehenſæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod lex civilis non commiſit viro occiſionem uxoris quaſi præcipiens, quia ſic non peccaret; ſicut nec miniſter judicis peccat latronem occidens condemnatum ad mortem; ſed permiſit pœnam non adhibens: unde etiam difficultates quaſdam appoſuit, quibus retraherentur viri ab uxoricidio. *Ibidem ad* 2. *ad Hannib. d. 37. art. 4. ad* 1.

Conformiter ad hanc doctrinam noſtri Sancti Doctoris Summus Pontifex Alexander VII. in Decreto diei 24. Septembr. Anno 1665. inter alias propoſitiones iſtam, quæ eſt 19. non peccat maritus occidens propria authoritate mulierem in adulterio deprehenſam, ſub anathematis pœna damnavit.

ADVOCATUS.

QUÆR. 1. Utrum Advocatus teneatur ad patrocinium cauſæ pauperum, & ſimiliter medicus ad eorum curationem.

RESp. D. Thomas, dicendum, quod, cum præſtare patrocinium cauſæ pauperum ad opus miſericordiæ pertineat, idem eſt hic dicendum, quod de aliis operibus miſericordiæ: nullus autem ſufficit omnibus indigentibus miſericordiæ opus impendere, & ideo ſicut Auguſtinus dicit in 1. de Doctrina Chriſtiana, cap. 28. *Cum omnibus prodeſſe non poſſis, his potiſſime conſulendum eſt, qui pro locorum, & temporum, vel quarumcumque rerum opportunitatibus conſtrictius tibi, quaſi quadam ſorte junguntur*; dicit pro locorum opportunitatibus, quia non tenetur homo per mundum quærere indigentes, quibus ſubveniat, ſed ſufficit ſi eis, qui ſibi occurrunt, miſericordiæ opus impendat, unde Exodi 23. *Si occurreris bovi inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum*; addit autem, & temporum, quia non tenetur homo futuræ neceſſitati alterius providere, ſed ſufficit ſi præſenti neceſſitati ſuccurrat, unde dicitur 1. Joannis 3. *Qui viderit fratrem ſuum neceſſitatem habentem, & clauſerit viſcera ſua ab eo &c.* ſubdit autem, vel quarumlibet rerum, quia homo ſibi conjunctis quacunque neceſſitudine maxime debet curam impendere, ſecundum illud 1. ad Timoth. 5. *Si quis ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit.*

Quibus tamen concurrentibus, conſiderandum reſtat, utrum aliquis tantam neceſſitatem patiatur, quod non in promptu appareat quomodo ei poſſit aliter ſubveniri; & in tali caſu tenetur ei opus miſericordiæ impendere: ſi autem in promtu appareat quomodo aliter ei ſubveniri poſſit, vel per ſeipſum, vel per aliam perſonam magis conjunctam, aut majorem facultatem habentem, non tenetur ex neceſſitate indigenti ſubvenire, ita quod non faciendo peccet, quamvis ſi ſubvenerit abſque tali neceſſitate, laudabiliter faciat: unde advocatus non tenetur ſemper cauſæ pauperum patrocinium præſtare, ſed ſolum concurrentibus conditionibus prædictis; alioquin oporteret eum omnia alia negotia prætermittere, & ſolis cauſis pauperum juvandis intendere.

Et idem dicendum eſt de Medico, quantum ad curationem pauperum. 2. 2. *qu. 71. art. 1. in corp.*

QUÆR. 2. Utrum Advocatus peccet defendendo

Digitized by Google

do injuſtam cauſam : & utrum ad reſtitutionem teneatur.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod illicitum eſt alicui cooperari ad malum faciendum ſive conſulendo, ſive adjuvando, ſive qualitercumque conſentiendo; quia conſilians, & coadjuvans quodammodo eſt faciens; & Apoſtolus dicit ad Rom. 1. *Quod digni ſunt morte non ſolum qui faciunt peccatum, ſed etiam qui conſentiunt facientibus :* unde omnes tales ad reſtitutionem tenentur : manifeſtum eſt autem, quod Advocatus auxilium, & conſilium præſtat ei, cujus cauſæ patrocinatur; unde ſi ſcienter injuſtam cauſam defendit, abſque dubio graviter peccat, & ad reſtitutionem tenetur ejus damni, quod contra juſtitiam per ejus auxilium altera pars incurrit: ſi autem ignoranter injuſtam cauſam defendit, putans eſſe juſtam; excuſatur ſecundum modum, quo ignorantia excuſari poteſt. 2. 2. *q.* 71. *art.* 3. *in corp.*

QUÆR. 3. *Cur non licet Advocato ſuſcipere patrocinium cauſæ injuſtæ, ſicut licet Medico ſuſcipere curam infirmitatis deſperatæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Medicus accipiens in cura infirmitatem deſperatam, nulli facit injuriam : Advocatus autem ſuſcipiens cauſam injuſtam, injuſte lædit eum contra quem injuſte patrocinium præſtat : & ideo non eſt ſimilis ratio: quamvis enim laudabilis videatur quantum ad peritiam artis; tamen peccat quantum ad injuſtitiam voluntatis, quia abutitur arte ad malum. 2.2. *q.*71. *art.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 4. *Quid facere debeat Advocatus videns cauſam eſſe injuſtam, quam tamen prius credebat eſſe juſtam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Advocatus ſi in principio credidit cauſam juſtam eſſe, & poſtea in proceſſu appareat eam eſſe injuſtam, non debet eam prodere; ut ſcilicet aliam partem juvet, vel ſecreta ſuæ cauſæ alteri parti revelet : poteſt tamen, & debet cauſam deſerere; vel eum, cujus cauſam agit, ad cedendum inducere, ſive ad componendum ſine adverſarii damno. 2. 2. *q.* 71. *art.* 3. *ad* 2.

QUÆR. 5. *An ſicut militi in bello juſto liceat uti inſidiis, ita Advocato in defenſione cauſæ juſtæ liceat uti aſtutiis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod militi, vel Duci exercitus licet in bello juſto ex inſidiis agere ea, quæ facere debet prudenter occultando; non autem falſitatem fraudulenter faciendo; quia *etiam hoſti fidem ſervare oportet*, ſicut Tullius dicit in 1. de officiis. Unde & Advocato defendenti cauſam juſtam, licet prudenter occultare ea, quibus impediri poteſt proceſſus ejus: non autem licet ei aliqua falſitate uti: *ibidem ad* 3.

QUÆR. 6. *An liceat Advocato pecuniam accipere, vel extorquere pro ſuo patrocinio; & ſimiliter Medico pro ſua cura.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ea, quæ quis non tenetur alteri exhibere, juſte poteſt pro eorum exhibitione recompenſationem accipere : manifeſtum eſt autem, quod Advocatus non ſemper tenetur patrocinium præſtare, aut conſilium dare cauſis aliorum : & ideo ſi vendat ſuum patrocinium, ſive conſilium, non agit contra juſtitiam.

Et eadem ratio eſt de Medico opem ferente ad ſanandum, & de omnibus aliis hujuſmodi perſonis; dum tamen moderate accipiant, conſiderata conditione perſonarum, & negotiorum, & laboris, & conſuetudine patriæ. Si autem per improbitatem aliquid immoderate extorqueant, peccant contra juſtitiam; unde Auguſtinus dicit ad Macedonium: *Quod ab his extorta per immoderatam improbitatem repeti ſolent, datam per tolerabilem conſuetudinem non ſolent.* 2.2. *q.* 71. *art.* 4. *in corp.*

QUÆR. 7. *Quinam impediantur ab officio advocandi.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aliquis impeditur ab aliquo actu duplici ratione; uno modo propter impotentiam; alio modo propter indecentiam: ſed impotentia, ſimpliciter excludit aliquem ab actu; indecentia autem non excludit omnino; quia neceſſitas indecentiam tollere poteſt. Sic ergo ab officio Advocatorum prohibentur quidam propter impotentiam eoquod deficiunt ſenſu, vel interiori, ſicut furioſi, & impuberes, vel exteriori ſicut ſurdi, & muti; eſt enim neceſſaria Advocato & interior peritia, qua poſſit convenienter juſtitiam aſſumptæ cauſæ oſtendere; & iterum loquela cum auditu, ut poſſit pronunciare, & audire, quod ei dicitur : unde qui in his defectum patiuntur, omnino prohibentur ne ſint Advocati nec pro ſe, nec pro aliis.

Decentia autem hujus officii exercendi tollitur dupliciter: uno modo ex hoc, quod aliquis eſt rebus majoribus obligatus, unde Monachos, & Presbyteros non decet in quacunque cauſa Advocatos eſſe, neque Clericos in judicio ſæculari; quia hujuſmodi perſonæ ſunt rebus Divinis aſtrictæ: alio modo propter perſonæ defectum, vel corporalem, ut patet de cæcis, quod convenienter judicio aſtare non poſſint; vel ſpiritualem, non enim decet, ut alterius juſtitiæ patronus exiſtat, qui in ſeipſo juſtitiam contempſit : & ideo infames, infideles, & damnati de gravibus criminibus non decenter ſunt Advocati; tamen in-

Digitized by Google

decentiæ neceſſitas præfertur: & propter hoc hujuſmodi perſonæ poſſunt pro ſeipſis, vel pro perſonis ſibi conjunctis uti officio Advocati: unde & Clerici pro Eccleſiis ſuis poſſunt eſſe Advocati; & Monachi pro cauſa Monaſterii ſui, ſi Abbas præceperit. 2.2. *q.*71. *art.*2. *in corp.*

ÆQUIVOCATIO.

Quamvis ea, quæ concernunt æquivocationem, ex principiis Doctrinæ D Thomæ inferri poſſint, quia tamen de ipſa expreſſe non loquitur S. Doctor, ideo cenſui eſſe ſupplendum ex altero Sancto ejuſdem ordinis, nempe D. Raymundo, qui primus omnium ſummam caſuum conſcientiæ compoſuit, Epiſtolas decretales juſſu Gregorii IX. compilavit, & doctrina ac ſanctitate valde celebris fuit.

QUÆR. Utrum in caſu, quo aliquis ab inimicis occidendus quæritur, aut etiam in aliis caſibus, uti poſſimus æquivocatione.

Reſp. D. Raymundus, ego credo, ſalvo meliori judicio, quod talis debet eſſe proceſſus. Primo debet tacere, ut dicit Auguſtinus. Si videtur ei quod taciturnitas ſit periculoſa; quia ex eo credit interrogans eum concedere illum eſſe in domo, tunc transferat ſe in aliam materiam, quaſi interrogando eum de aliquo facto, vel ſimile. 43. *diſt. in mandatis.* Vel reſpondeat verbum aliquod æquivocum, utputa non eſt hic, ideſt, non comedit hic vel ſimile aliquod. Ad hoc movent nos infinita exempla, de quibus pauca dicamus.

Jacob dixit patri ſuo Iſaac, ſe Eſau primogenitum, non nativitate, quia tunc mentiretur, ſed jure primogenituræ, quam emerat. Item Abraham rogavit uxorem ſuam Saram, ut diceret ſe non uxorem ſed ſororem, cum iret in Ægyptum, ne occideret eum Pharao propter eam, verum dixit, ſed æquivoce: ſoror enim dicebatur, quia filia fratris erat. Item Jehu Rex Iſrael, cum Sacerdotes Baal vellet interficere, dixit: congregate mihi omnes Sacerdotes Baal: Achab ſervivit mihi in paucis; ego ſerviam ei in multis. Item in Tobia, Angelus Raphael reſpondit Tobiæ interroganti quis eſſet, aut de qua domo: ego ſum, inquit, Azarias Ananiæ magni filius. Multa etiam alia potes invenire. 2.2. *qu.*2., *utilem*, & *quæritur*. Et §. item *opponitur in ſum. lib.*1. *tit. de mendacio.*

AFFABILITAS.

Vide infra, *v. Amicitia.*

AFFINITAS.

Vide infra, *v. Matrimonium*, de impedimento affinitatis.

ALCHYMIA.

QUÆR. 1. Utrum Alchymiſtæ poſſint facere verum aurum: & utrum vera ſit hæc ſententia, quæ habetur in capite de numeris. Sciant authores Alchymiæ, ſpecies transformari non poſſe.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ars virtute ſua non poteſt formam ſubſtantialem conferre; quod tamen poteſt virtute naturalis agentis; ſicut patet in hoc quod per artem inducitur forma ignis in lignis: ſed quædam formæ ſubſtantiales ſunt, quas nullo modo ars inducere poteſt; quia propria activa, & paſſiva invenire non poteſt. ſed in his poteſt aliquid ſimile facere: ſicut Alchymiſtæ faciunt aliquid ſimile auro, quantum ad accidentia exteriora; ſed tamen non faciunt verum aurum; quia forma ſubſtantialis auri non eſt per calorem ignis, quo utuntur Alchymiſtæ; ſed per calorem Solis in loco determinato, ubi viget virtus mineralis: & ideo tale aurum non habet operationem conſequentem ſpeciem. Et ſimiliter in aliis, quæ per eorum operationem fiunt. 2. *ſent. diſt.* 7. *q.* 3. *art.* 1. *ad* 5.

QUÆR. 2. An ſi per Alchymiam verum fieret aurum, licitum foret ipſum pro vero vendere.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aurum & argentum non ſolum cara ſunt propter utilitatem vaſorum, quæ ex eis fabricantur, aut aliorum hujuſmodi; ſed etiam propter dignitatem, & puritatem ſubſtantiæ ipſorum: & ideo ſi aurum, vel argentum ab alchymicis factum, veram ſpeciem non habent auri, & argenti, eſt fraudulenta & injuſta venditio, præſertim cum ſint aliquæ utilitates auri, & argenti veri ſecundum naturalem operationem ipſorum, quæ non conveniunt auro per alchymiam ſophiſticato: ſicut quod habet proprietatem lætificandi, & contra quaſdam infirmitates medicinaliter juvat; frequentius etiam poteſt poni in operatione, & diutius in ſua puritate permanet aurum verum quam aurum ſophiſticatum: ſi autem per alchymiam fieret aurum verum, non eſſet illicitum ipſum pro vero vendere, quia nihil prohibet artem uti aliquibus naturalibus cauſis ad producendum naturales, & veros effectus, ſicut Auguſtinus dicit in 3. de Trinitate, cap. 8. de his, quæ arte Dæmonum fiunt. 2.2. *q.*77. *art.*2. *ad* 1.

Doctor Angelicus expreſſe docet loco citato ſen-

Digitized by Google

ſententiarum, quod verum aurum fieri nequit per alchymiam: ſed tamen oppoſitum ſatis inſinuat loco citato ſuæ ſummæ: ſed quidquid ſit de hoc, quia nunquam, aut rariſſime contingit, quod Alchymici verum aurum efficiant; & ſæpiſſime contrarium evenit, ut nempe verum aurum in fumum convertant, dum multas faciunt expenſas, quæ tandem reſolvuntur in fumum, ut ait Cardinalis Cajetanus in comment. prædicti art. 1. q. 77. vel ſaltem non faciunt niſi aurum fucatum, ut dicit ipſe D. Thomas: ideo Summus Pontifex Joannes XXII. in extravaganti, Spondet, declarat Alchymiſtas perpetuo infames, eoſque gravibus ſubjicit pœnis; & clericos alchymiæ vacantes declarat inhabiles ad quælibet beneficia habita, vel habenda.

ALTARE.

QUÆR. Utrum Altaria debeant eſſe lapidea.

RESp. D. Thomas, dicendum, quod legitur de Conſecr. diſt. 1. *Altaria, ſi non ſint lapidea, Chriſmatis unctione non conſecrentur*, quod quidem competit & ſignificationi Sacramenti Euchariſtiæ; tum quia Altare ſignificat Chriſtum; dicitur autem 1. ad Corint. 10. petra autem erat Chriſtus, tum etiam quia corpus Chriſti in ſepulchro lapideo fuit reconditum. Competit etiam quoad uſum Sacramenti; lapis enim & ſolidus eſt, & de facili poteſt inveniri ubique. *3. p. 83. a. 3. ad* 5. 1. 2. *q.* 102. *a.* 4. *ad* 7. 4. *ſent. d.* 13. *q.* 1. *a.* 2. *q.* 5. *ad* 1.

AMBITIO.

QUÆR. 1. Utrum ambitio ſit ſemper peccatum.

RESp. D. Thomas, dicendum, quod honos importat quandam reverentiam alicui exhibitam in teſtimonium excellentiæ ejus. Circa excellentiam autem hominis, duo ſunt attendenda: Primo quidem, quod illud ſecundum quod homo excellit, non habet homo a ſeipſo, ſed eſt quaſi quiddam divinum in eo: & ideo ex hoc non debetur ei principaliter honor, ſed Deo: Secundo, conſiderandum eſt, quod illud, in quo homo excellit, datur homini a Deo, ut ex eo aliis proſit: unde intantum debet homini placere teſtimonium ſuæ excellentiæ, quod ab aliis exhibetur, inquantum ex hoc paratur ſibi via ad hoc quod aliis proſit. Tripliciter autem appetitum honoris contingit eſſe inordinatum: uno modo per hoc quod aliquis appetit teſtimonium de excellentia, quem non habet, quod eſt appetere honorem ſupra ſuam proportionem: alio modo per hoc quod honorem ſibi cupit non referendo in Deum: tertio per hoc quod appetitus ejus in ipſo honore quieſcit, non referens honorem ad utilitatem aliorum: ambitio autem importat inordinatum appetitum honoris; unde manifeſtum eſt, quod ambitio ſemper eſt peccatum. *2. 2. q. 131. a. 1. in corp.*

QUÆR. 2. Utrum ambitio opponatur magnanimitati, cum dicat Tullius in 1. de offic. quod ſicut quiſque magnitudine animi excellit, ita maxime vult omnium princeps ſolus eſſe.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ambitio, ſicut dictum eſt, importat appetitum inordinatum honoris: magnanimitas autem eſt circa honores, & utitur eis ſecundum quod oportet; unde manifeſtum eſt, quod ambitio opponitur magnanimitati, ſicut inordinatum ordinato. *2. 2. q. 131. a. 2. in corp.*

AMICITIA.

QUÆR. 1. An & quomodo affabilitas, ſive amicitia ſit ſpecialis virtus, de qua dicitur Eccleſ. 4. Congregationi pauperum affabilem te facito.

RESp. D. Thomas, dicendum, quod cum virtus ordinetur ad bonum, ubi occurrit ſpecialis ratio boni, ibi oportet eſſe ſpecialem rationem virtutis: Bonum autem in ordine conſiſtit. Oportet autem hominem convenienter ad alios homines ordinari in communi converſatione, tam in factis, quam in dictis, ut ſcilicet ad unumquemque ſe habeat, ſecundum quod decet & ideo oportet eſſe quamdam ſpecialem virtutem, quæ hanc convenientiam ordinis obſervet. Et hæc vocatur amicitia, ſeu affabilitas. *2. 2. q. 114. a. 1. in corp.*

QUÆR. 2. In quo potiſſimum conſiſtit amicitia.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod amicitia conſiſtit in concordia voluntatum magis quoad finem, quam quoad ipſa volita; plus enim eſſet amicus febricitanti Medicus, qui ei vinum negaret propter deſiderium ſanitatis, quam ſi vellet ejus deſiderio ſatisfacere de vini potatione in periculum ſanitatis. *q. 23. de verit. a. 8. ad 7.*

QUÆR. 3. Cur quidquid eſt virtuti contrarium eſt impeditivum amicitiæ, & quidquid eſt virtuoſum, eſt ipſius provocativum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod cum vera amicitia ſupra virtutem fundetur, quidquid eſt virtuti contrarium in amico, eſt amicitiæ impeditivum; & quidquid eſt virtuoſum, eſt amicitiæ provocativum. *2. 2. q. 106. a. 1. ad 3.*

QUÆR. 4. Quænam ſint documenta Philoſophi quantum ad eos, qui convocant amicos.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

Reſp. D. Thomas, ponit tria documenta moralia. Primo quidem quod quia delectabile eſt quod homo intelligat amicos in propriis bonis delectari; oportet, quod homo prompte vocet amicos ſuos ad bonas fortunas, ut eas ſcilicet amicis communicet: oportet enim quod bonus homo benefaciat amico. Secundum documentum eſt, quod homo tarde, & cum quadam pigritia vocet amicum ad ſua infortunia: debet enim homo tradere amico de ſuis malis quantum minimum poteſt: & ad hoc inducit proverbium cujuſdam dicentis: *Sufficienter ego infortunatus*, quaſi dicat, ſufficit, quod ego infortunium patior; non oportet quod etiam amici mei hoc patiantur. Tertium documentum eſt, quod tunc maxime ſunt amici ad infortunia vocandi, quando cum pauca ſua turbatione poſſunt amico magnum juvamen præſtare. 9. *Ethic. lect.* 13.

QUÆR. 5. *Quænam documenta tradat idem Philoſ. quantum ad eos, qui vadunt ad amicos.*

Reſp. D. Thomas, ponit tria documenta ex parte ſponte euntium ad amicos. Quorum primum eſt, quod ad amicos in infortuniis exiſtentes oportet aliquando prompte ire, etiam non vocatum; quia amici proprium eſt benefacere amicis, & maxime illis qui ſunt in neceſſitate, & qui non dignificant, ideſt, qui non dignum ducunt hoc requirere ab amico. Sic enim dum auxilium præſtatur non requirenti, ambobus, ſcilicet præſtanti & requirenti fit melius, ideſt, honeſtius: quia & ille qui dat videtur magis ſponte dare; & ille qui recipit virtuoſe agit, nolendo gravare amicum: eſt etiam ambobus delectabilius; quia & recipiens non patitur a verecundia, quam quis patitur in requirendo amicum; & etiam dans magis delectatur, quaſi ex ſeipſo non provocatus faciens opus virtutis. Secundum documentum eſt, quod ad bonas fortunas amici prompte ſe debet homo offerre ad cooperandum ei, cum neceſſe fuerit; quia ad hoc indiget homo amicis, ut ſcilicet ei cooperentur. Tertium documentum eſt, quod ad hoc quod homo bene patiatur ab amico bene fortunato, debet homo accedere quiete, ideſt, remiſſe & non de facili: non enim eſt bonum, quod homo reddat ſe promptum ad ſuſcipiendum juvamen ab amico: ſed homo debet vereri, & cavere opinionem delectationis in immorari, ideſt, quod amicus ejus opinetur de eo, quod delectetur immorari circa ipſum propter beneficia. 9. *Ethic. lect.* 13.

QUÆR. 6. *Cur amici ſe videre deſiderant: & quilibet eorum magis delectatur in converſatione alterius, quam ſui ipſius.*

Reſp. D. Thomas, dicendum; quod converſatio cum amicis eſt nobis delectabilis, inquantum cognoſcimus bonum ipſorum, quod nobis quaſi noſtrum complacet; quia per viſum melius cognoſcuntur res, quam per alium ſenſum; ideo amici magis ſe videre deſiderant. Et quia magis poteſt homo cognoſcere quæ ſunt alterius, quam propria; ideo magis delectatur in converſando ad amicum, quam ad ſeipſum. Quamvis virtuoſus ad ſeipſum delectabiliter converſetur, inquantum in ſeipſo conſiderat memoriam, & propoſitum, & ſpem bonorum, quæ ei delectationem ingerunt, ut dicitur in 9. Ethicor. 3. *diſt.* 29. *q.* 1. *a.* 5. *ad* 6.

QUÆR. 7. *An & quomodo boni, non autem mali, ſeipſos vere diligunt, ſecundum illud Pſal.* 10. *qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam.*

Reſp. D. Thomas, hoc probat Philoſ. in 9. Ethic. per quinque, quæ ſunt amicitiæ propria: unuſquiſque enim amicus primo quidem vult amicum ſuum eſſe & vivere: ſecundo vult ei bona: tertio operatur bona ad ipſum quarto convivit ei delectabiliter: quinto concordat cum ipſo, quaſi in iiſdem delectatus & contriſtatus: & ſecundum hoc boni diligunt ſeipſos quantum ad interiorem hominem, quia volunt ipſum ſervari in ſua integritate; & optant ei bona, quæ ſunt bona ſpiritualia; & etiam ad ea aſſequenda operam impendunt; & delectabiliter ad cor proprium redeunt, quia ibi inveniunt, & bonas cogitationes in præſenti, & memoriam bonorum præteritorum, & ſpem futurorum, ex quibus delectatio cauſatur; ſimiliter etiam non patiuntur in ſeipſis voluntatis diſſenſionem, quia tota anima eorum tendit in unum. Econtrario autem, mali non volunt conſervari in integritate interioris hominis; neque appetunt ei ſpiritualia bona; neque ad hoc operantur; neque delectabile eſt eis ſecum convivere, redeundo ad cor; quia inveniunt ibi mala & præſentia, & præterita, & futura, quæ abhorrent; neque etiam ſibiipſis concordant, propter conſcientiam remordentem, ſecundum illud Pſal. 49. *Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.* Et per eadem probari poteſt, quod mali amant ſeipſos ſecundum corruptionem exterioris hominis: ſic autem boni non amant ſeipſos. 2. 2. *q.* 25. *a.* 7. *in corp.*

QUÆR. 8. *Cur ſit magis meritorium diligere amicum, quam inimicum.*

Reſp. *v. Charitas*, *q.* 21.

QUÆR. 9. *Quomodo intelligatur dictum Philoſophi 4. Ethic. ubi de amico ait: non in amando, vel inimicando recipit ſingula ut oportet: & quomodo ſigna amicitiæ ad omnes exhiberi poſſint abſque ſimulatione.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod omnis homo naturaliter omni homini eſt amicus,

quo-

quodam generali amore, ſicut etiam dicitur Eccleſ. 13. quod *omne animal diligit ſimile ſibi*. Et hinc amorem repræſentant ſigna amicitiæ, quæ quis exterius oſtendit in verbis, vel factis, etiam extraneis, & ignotis: unde non eſt ibi ſimulatio: non enim oſtendit eis ſigna perfectæ amicitiæ, quia non eodem modo ſe habet familiariter ad extraneos, ſicut ad eos, qui ſunt ſibi ſpeciali amicitia juncti. 2. 2. *q*. 114. *a*. 1. *ad* 2.

QUÆR. 10. *Quomodo intelligendum ſit illud Eccleſ. 7. Cor ſapientum ubi triſtitia; & cor ſtultorum ubi lætitia: & quomodo ad virtuoſum pertinet maxime a delectatione ſibi cavere, ut dicitur 2. Ethic. Et quomodo amicitia per ſe quidem deſiderat condelectare; contriſtari autem reveretur, ut Philoſophus dicit 4. Ethic.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod cor ſapientum dicitur eſſe ubi triſtitia, non quidem ut ipſe triſtitiam proximo inferat; dicit enim Apoſtolus ad Rom. 14. *Si propter cibum frater tuus contriſtatur, jam non ſecundum charitatem ambulas*; Sed ut contriſtantibus conſolationem conferat, ſecundum illud Eccl. 7. *Non deſis plorantibus in conſolatione, & cum lugentibus ambula*. Cor autem ſtultorum eſt ubi lætitia, non quidem ut ipſi alios lætificent, ſed ut ipſi aliorum lætitia perfruantur. Pertinet ergo ad ſapientem ut condelectationem afferat his, cum quibus converſatur, non quidem laſcivam, quam virtus cavet, ſed honeſtam, ſecundum illud Pſalm. 132. *Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum*. Quandoque tamen propter aliquod bonum conſequens, vel propter aliquod malum excludendum, non refugiet virtuoſus, eos quibus convivit, contriſtare, ut Philoſophus dicit in 4. Ethic. Unde & Apoſtolus dicit 2. ad Corinth. 7. *Si contriſtavi vos in epiſtola, non me pænitet*. Et poſtea: *Gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pænitentiam*. Et ideo his, qui ſunt proni ad peccandum, non debemus hilarem vultum oſtendere ad eos delectandum, ne videamur eorum peccato conſentire, & quodammodo peccandi audaciam miniſtrare; unde dicitur Eccl. 7. *Filiæ tibi ſunt? ſerva corpus illarum, & non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas*. 2.2. *q*. 114. *a*.1. *ad* 3.

QUÆR. 11. *Cur homo tenetur ex quodam naturali debito vivere delectabiliter cum aliis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quia homo naturaliter eſt animal ſociale, debet ex quadam honeſtate manifeſtationem veritatis aliis hominibus, ſine qua ſocietas hominum durare non poſſet: ſicut autem non poſſet homo vivere in ſocietate ſine veritate, ita nec ſine delectatione, quia ſicut Philoſophus dicit in 8. Ethic. *Nullus poteſt per diem morari cum triſti, nec cum non delectabili*. Et ideo homo tenetur ex quodam naturali debito honeſtatis ut aliis delectabiliter convivat, niſi propter aliquam cauſam neceſſe ſit aliquando alios utiliter contriſtare. 2. 2. *q*. 114. *a*. 2. *ad* 1.

QUÆR. 12. *Quomodo intelligendus ſit Philoſophus 4. Ethic. ubi de affabilitate dicit ſimiliter ad notos, & ignotos, & conſuetos, & inconſuetos operatur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod verbum illud Philoſophi non eſt intelligendum, quod aliquis eodem modo debeat colloqui, & convivere notis, & ignotis, quia ut ipſe ibidem ſubdit: *Non ſimiliter convenit conſuetos, & extraneos curare, aut contriſtare*: Sed in hoc attenditur ſimilitudo, quod ad omnes oportet facere quod decet. 2.2. *q*. 114. *a*. 2. *ad* 3.

AMOR.

QUÆR. 1. *Utrum amor bene diffiniatur a D. Dionyſio cap. 4. de div. nomin. ubi ſic ait: amor virtus eſt unitiva, movens ſuperiora ad providentiam minus habentium (ideſt inferiorum), coordinata autem (ideſt æqualia) rurſus ad communicativam alternam habitudinem, ſubjecta (ideſt inferiora) ad meliorum (ideſt ſuperiorum) converſionem.*

RESP. D. Thomas, dicendum, quod amor ad appetitum pertinet: appetitus autem eſt virtus paſſiva: unde in 3. de anima dicit Philoſophus quod *appetibile movet ſicut movens non motum; appetitus autem ſicut movens motum*: omne autem paſſivum perficitur ſecundum quod informatur per formam ſui activi: & in hoc motus ejus terminatur & quieſcit: ſicut intellectus, antequam formetur per formam intelligibilis, inquirit & dubitat; qua cum informatus fuerit, inquiſitio ceſſat; & intellectus in illo figitur; & tunc dicitur intellectus firmiter illi rei inhærere: Similiter quando affectus vel appetitus omnino imbuitur forma boni, quod eſt ſibi objectum, complacet ſibi in illo, & adhæret ei quaſi fixum in ipſo, & tunc dicitur amare ipſum: unde amor nihil aliud eſt, quam quædam transformatio affectus in rem amatam, & quia omne quod efficitur forma alicujus, efficitur unum cum illo, ideo per amorem amans fit unum cum amato, quod eſt factum forma amantis: & ideo dicit Philoſophus 9. Ethic. quod *amicus eſt alter ipſe*. Et 1. Cor. 6. *qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt*. Unumquodque autem agit, ſecundum exigentiam ſuæ formæ, quæ

Digitized by Google

eſt principium agendi, & regula operis: bonum autem amatum eſt finis; finis autem eſt principium in operabilibus, ſicut prima principia in agnoſcendis: unde ſicut intellectus formatus per quidditates rerum ex hoc dirigitur in cognitione principiorum, quæ ſcitis terminis cognoſcuntur; & ulterius in cognitionibus concluſionum quæ notæ fiunt ex principiis; ita amans, cujus affectus eſt informatus ipſo bono, quod habet rationem finis (quamvis non ſemper ultimi) inclinatur per amorem ad operandum ſecundum exigentiam amati; & talis operatio eſt maxime delectabilis ipſi quaſi formæ ipſius conveniens: Unde amans quidquid facit vel patitur pro amato, totum eſt ei delectabile; & ſemper magis accenditur in amatum, inquantum majorem delectationem in amato experitur, in his quæ propter ipſum facit vel patitur: & ſicut ignis non poteſt retineri a motu, qui competit ipſi ſecundum exigentiam ſuæ formæ, niſi per violentiam, ita neque amans quin agat ſecundum amorem. Et propter hoc dicit Gregor. quod *non poteſt eſſe otioſus, imo magna operatur ſi eſt*, & quia omne violentum eſt triſtabile, quaſi voluntati repugnans, ut dicitur 5. Metaphyſ. ideo etiam eſt pœnoſum contra inclinationem amoris operari; vel etiam præter eam: operari autem ſecundum eam, eſt operari ea quæ amato competunt: cum enim amans amatum aſſumpſerit quaſi idem ſibi, oportet ut quaſi perſonam amati amans gerat in omnibus quæ ad amatum ſpectant; & ſic quodammodo amans amato inſervit, inquantum amati terminis regulatur. Sic ergo Dionyſius completiſſime rationem amoris in prædicta aſſignatione ponit: ponit enim ipſam unionem amantis ad amatum, quæ eſt facta per transformationem affectus amantis in amatum, in hoc quod dicit amorem eſſe *unitivam & concretivam virtutem*, & ponit inclinationem ipſius amoris ad operandum ea quæ ad amatum ſpectant, (ſive ſit ſuperius, ſive inferius, ſive æquale) in hoc quod dicit *movens ſuperiora &c.* 3. *ſent. diſt.* 27. *q.* 1. *art.* 1. *in corp.*

QUÆR. 2. *Quænam ſit differentia inter amorem, dilectionem, charitatem, & amicitiam.*

Reſp. *v. Charitas, qu.* 1.

QUÆR. 3. *Cur, ut ait D. Dionyſius c. 4. de div. nom. quibuſdam Sanctorum viſum eſt divinius nomen amoris, quam dilectionis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ideo aliqui poſuerunt etiam in ipſa voluntate nomen amoris eſſe divinius nomine dilectionis; quia amor importat quandam paſſionem, præcipue ſecundum quod eſt in appetitu ſenſitivo; dilectio autem quæ ſupponit judicium rationis: magis autem in Deum homo poteſt tendere per amorem paſſive quodammodo ab ipſo Deo attractus, quam ad hoc eum propria ratio poſſit ducere, quod pertinet ad rationem dilectionis, ut dictum eſt. Et propter hoc divinior eſt amor quam dilectio. *ibid. ad* 4.

QUÆR. 4. *An & quomodo cognitio, & contemplatio ſit principium, & cauſa amoris, itaut, juxta D. Auguſtinum in* 10. *de Trinitate, nullus poſſit amare aliquid incognitum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod bonum eſt amoris per modum objecti: bonum autem non eſt objectum appetitus, niſi prout eſt apprehenſum; & ideo amor requirit aliquam apprehenſionem boni quod amatur: & propter hoc Philoſophus dicit in 9. Eth. quod *viſio corporalis eſt principium amoris ſenſitivi*: & ſimiliter contemplatio ſpiritualis pulchritudinis, vel bonitatis, eſt principium amoris ſpiritualis. Sic igitur cognitio eſt cauſa amoris ea ratione qua & bonum, quod non poteſt amari niſi cognitum. 1. 2. *qu.* 27. *art.* 2. *in corp.*

QUÆR. 5. *Cur licet nihil incognitum amari poſſit, aliquid tamen ametur plus quam cognoſcatur: ſicut Deus, qui in hac vita amari poteſt prout eſt in ſe, licet non cognoſcatur ut in ſe eſt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aliquid requiritur ad perfectionem cognitionis, quod non requiritur ad perfectionem amoris: cognitio enim ad rationem pertinet, cujus eſt diſtinguere inter ea quæ ſecundum rem ſunt conjuncta, & componere quodammodo ea quæ ſunt diverſa, unum alteri comparando: & ideo ad perfectionem cognitionis requiritur, quod homo cognoſcat ſigillatim quidquid eſt in re: ſicut partes, & virtutes, & proprietates. Sed amor eſt in vi appetitiva, quæ reſpicit rem ſecundum quod in ſe eſt: unde ad perfectionem amoris ſufficit, quod res prout in ſe apprehenditur, ametur. Ob hoc ergo contingit, quod aliquis plus ametur, quam cognoſcatur: quia poteſt perfecte amari, etiamſi perfecte non cognoſcatur; ſicut maxime patet in ſcientiis, quas aliqui amant propter aliquam ſummariam cognitionem, quam de his habent, puta quod ſciunt Rhetoricam eſſe ſcientiam, per quam homo poteſt perſuadere; & hoc in Rhetorica amant: & ſimiliter eſt dicendum circa amorem Dei, 1. 2. *q.* 27. *art.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 6. *An & quomodo amor ſit acutus, penetrans, vulnerans, transfigens, fervens, extaſim faciens, bulliens, exhalans, & liquefaciens.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in amore eſt unio amantis ad amatum: ſed eſt triplex diviſio: ex hoc enim quod amor transformat amantem in amatum, facit amantem intrare ad interiora amati, & contra, ut nihil amati amanti remaneat non unitum, ſicut forma pervenit

nit

Digitized by Google

nit ad intima formati, & converſo; & ideo amans quodammodo penetrat in amatum: & ſecundum hoc amor dicitur acutus: acuti enim eſt dividendo ad intima rei devenire: & ſimiliter amatum penetrat amantem ad interiora ejus perveniens: & propter hoc dicitur quod amor vulnerat, & quod transfigit jecur. Sed quia nihil poteſt in alterum transformari, niſi ſecundum quod a ſua forma quodammodo recedit (quia unius una eſt forma) ideo hanc diviſionem penetrationis præcedit alia diviſio, qua amans a ſeipſo ſeparatur in amatum tendens: & ſecundum hoc dicitur amor extaſim facere, & fervere, quia quod fervet, extra ſe bullit & exhalat: quia vero nihil a ſe recedit, niſi ſoluto eo quod intra ipſum continebatur, ſicut res naturalis non amittit formam, niſi ſolutis diſpoſitionibus, quibus forma in materia retinebatur, ideo oportet quod ab amante terminatio illa, qua infra terminos ſuos tantum continebatur, amoveatur: & propter hoc amor dicitur liquefacere cor; quia liquidum ſuis terminis non continetur. *3. ſent. diſt. 26. qu. 2. art. 1. ad 4.*

QUÆR. 7. Quomodo mutua inhæſio, & inhabitatio ſit proprius effectus amoris, juxta illud 1. Joannis 4. qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod iſte effectus mutuæ inhæſionis poteſt intelligi & quantum ad vim apprehenſivam, & quantum ad vim appetitivam: Nam quantum ad vim apprehenſivam, amatum dicitur eſſe in amante in quantum amatum immoratur in apprehenſione amantis, ſecundum illud Philipp. 1. *eo quod habeam vos in corde*. Amans vero dicitur eſſe in amato ſecundum apprehenſionem, inquantum amans non eſt contentus ſuperficiali apprehenſione amati, ſed nititur ſingula quæ ad amatum pertinent intrinſecus diſquirere, & ſic ad interiora ejus ingreditur, ſicut de Spiritu Sancto, qui eſt amor Dei dicitur 1. ad Corinth. 2. quod *ſcrutatur etiam profunda Dei*. Sed quantum ad vim appetitivam, amatum dicitur eſſe in amante, prout eſt per quandam complacentiam in ejus affectu, ut vel delectetur in eo, aut in bonis ejus apud præſentiam, vel in abſentia per deſiderium tendat in ipſum amatum per amorem concupiſcentiæ, vel in bona quæ vult amato ejus per amorem amicitiæ, non quidem ex aliqua extrinſeca cauſa, ſicut cum aliquis deſiderat aliquid propter alterum, vel cum aliquis vult bonum alteri propter aliquid aliud: ſed propter complacentiam amati interius radicatam, unde & amor dicitur *intimus*, & dicuntur *viſcera charitatis*. E converſo autem amans eſt in amato, aliter quidem per amorem concupiſcentiæ, aliter per amorem amicitiæ: amore namque concupiſcentiæ non requieſcit in quacumque extrinſeca, aut ſuperficiali adeptione, vel fruitione amati, ſed quærit amatum perfecte habere quaſi ad intima illius perveniens: in amore vero amicitiæ amans eſt in amato, inquantum reputat bona vel mala amici ſicut ſua, & voluntatem amici ſicut ſuam; ut quaſi ipſe in ſuo amico videatur bona vel mala pati, & affici: & propter hoc *proprium eſt amicorum eadem velle, & in eodem triſtari, & gaudere*, ſecundum Philoſophum in 9. Eth. & in 2. Reth. ut ſic inquantum quæ ſunt amici, æſtimat ſua, amans videatur eſſe in amato, quaſi idem factus amato: inquantum autem e converſo vult, & agit propter amicum ſicut propter ſeipſum, quaſi reputans amicum idem ſibi, ſic amatum eſt in amante. Poteſt autem & tertio modo mutua inhæſio intelligi in amore amicitiæ ſecundum vim redamationis, inquantum mutuo ſe amant amici, & ſibi invicem bona volunt, & operantur. 1. 2. *q.* 28. *art.* 2. *in corp.*.

QUÆR. 8. An extaſis ſit etiam proprius amoris effectus, juxta illud D. Dionyſii cap. 4. de divinis nominibus dicentis, quod divinus amor extaſim facit, & quod ipſe Deus propter amorem eſt extaſim paſſus.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod extaſim pati aliquis dicitur, cum extra ſe ponitur; quod quidem contingit & ſecundum vim apprehenſivam, & ſecundum vim appetitivam: ſecundum quidem vim apprehenſivam aliquis dicitur extra ſe poni, quando ponitur extra cognitionem ſibi propriam; vel quia ad ſuperiorem ſublimatur, ſicut homo dum elevatur ad comprehendenda aliqua, quæ ſunt ſupra ſenſum & rationem, dicitur extaſim pati, inquantum ponitur extra connaturalem apprehenſionem rationis & ſenſus, vel quia ad inferiora deprimitur; puta cum aliquis in furiam, vel amentiam cadit, dicitur extaſim paſſus. Secundum appetitivam vero partem dicitur aliquis extaſim pati, quando appetitus alicujus in alterum fertur, exiens quodammodo extra ſe ipſum. Primam quidem extaſim facit amor diſpoſitive, inquantum ſcilicet facit meditari de amato, ut dictum eſt; Intenſa autem meditatio unius abſtrahit ab aliis: ſed ſecundam extaſim facit amor directe; ſimpliciter quidem amor amicitiæ; amor autem concupiſcentiæ non ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Nam in amore concupiſcentiæ quodammodo fertur amans extra ſe ipſum, inquantum ſcilicet non contentus gaudere de bono quod habet, quærit frui aliquo extra ſe: ſed quia illud extrinſecum bonum quærit ſibi habere; non exit ſimpliciter extra ſe; ſed talis affe-

Digitized by Google

affectio in fine intra ipſum concluditur: ſed in amore amicitiæ affectus alicujus ſimpliciter exit extra ſe, quia vult amico bonum, & operatur bonum, quaſi gerens curam & providentiam ipſius propter ipſum amicum. 1. 2. *q.* 28. *art.* 3. *in corp.*

QUÆR. 9. *Utrum zelus ſit effectus amoris, juxta illud D. Dionyſii 4. de divinis nominibus, quod Deus appellatur Zelotes propter multum amorem, quem habet ad exiſtentia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod zelus quocumque modo ſumatur, ex intenſione amoris provenit: manifeſtum eſt enim quod quanto aliqua virtus intenſius tendit in aliquid, fortius repellit omne contrarium, vel repugnans: cum igitur amor ſit quidam motus in amatum, ut Auguſtinus dicit in lib. 83. quæſt. intenſus amor quærit excludere omne id, quod ſibi repugnat: aliter tamen hoc contingit in amore concupiſcentiæ, & aliter in amore amicitiæ: Nam in amore concupiſcentiæ, qui intenſe aliquid concupiſcit, movetur contra omne illud, quod repugnat conſecutioni, vel fruitioni quietæ ejus, quod amatur: & hoc modo viri dicuntur zelare uxores, ne per conſortium aliorum impediatur ſingularitas, quam in uxore quærent. Similiter etiam qui quærunt excellentiam, moventur contra eos, qui excellere videntur, quaſi impedientes excellentiam eorum: & iſte eſt zelus invidiæ, de quo dicitur in Pſal. 36. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem.* Amor autem amicitiæ quærit bonum amici; unde quando eſt intenſus, facit hominem moveri contra omne illud, quod repugnat bono amici, & ſecundum hoc aliquis dicitur zelare pro amico, quando ſi qua dicuntur, vel fiunt contra bonum amici, homo repellere ſtudet: & per hunc etiam modum aliquis dicitur zelare pro Deo, quando ea quæ ſunt contra honorem, vel voluntatem Dei, repellere ſecundum poſſe conatur, ſecundum illud 3. Reg. 19. *Zelatus ſum pro Domino exercituum*; & Joa. 2. ſuper illud, *Zelus domus tuæ comedit me*, dicit Gloſſa, quod *bono zelo comeditur, qui quælibet prava quæ viderit, corrigere ſatagit, ſi nequit tolerat, & gemit.* 1. 2. *q.* 28. *art.* 4. *in corp.*

De amore Dei, & proximi plura videantur v. *Charitas.*

APPELLATIO.

QUÆR. 1. *Quando liceat appellare.*

RESP. D. Thomas, dicendum, quod duplici de cauſa contingit aliquem appellare; uno quidem modo confidentia juſtæ cauſæ, quia videlicet injuſte a judice gravatur; & ſic licitum eſt appellare, hoc enim eſt prudenter evadere: unde 29. q. 6. dicitur: *Omnis oppreſſus libere Sacerdotum, ſi voluerit, appellet judicium & a nullo prohibetur*: alio modo aliquis appellat cauſa differendæ moræ, ne contra eum juſta ſententia proferatur; & hoc eſt calumnioſe ſe defendere; quod eſt illicitum: facit enim injuriam & judici, cujus officium impedit, & adverſario ſuo, cujus juſtitiam, quantum poteſt, perturbat: & ideo ſicut dicitur 2. q. 6. *Omni modo puniendus eſt, cujus appellatio injuſta pronunciatur.* 2. 2. *q.* 69. *art.* 3. *in corp.*

QUÆR. 2. *A quo Judice liceat appellare. Et quare denegatur appellationis ſubſidium a judicibus arbitrariis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ex proprio defectu, vel negligentia procedit, quod aliquis ſua ſponte ſe alterius judicio ſubjiciat, de cujus juſtitia non confidit; levis etiam enim eſſe videtur, ut ſemper non permaneat in eo, quod ſemel approbavit: & ideo rationabiliter denegatur ſubſidium appellationis a Judicibus arbitrariis, qui non habent poteſtatem, niſi ex conſenſu litigantium.

Sed poteſtas Judicis ordinarii non dependet ex conſenſu illius, qui ejus judicio ſubditur, ſed ex authoritate Regis & Principis, qui eum inſtituit; & ideo contra ejus injuſtum gravamen lex tribuit appellationis ſubſidium; ita quod etiamſi ſit ſimul ordinarius, & arbitrarius Judex, poteſt ab eo appellari; quia videtur ordinaria poteſtas occaſio fuiſſe, quod arbiter eligeretur; nec debet ad defectum imputari ejus, qui conſenſit in eum, ſicut in arbitrum, non ut in eum, quem Princeps Judicem ordinarium dedit. 2. 2. *q.* 69. *ar.* 3. *ad* 2.

QUÆR. 3. *An liceat appellare ante & poſt ſententiam, & an liceat Catholico appellare ad infidelem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod poteſtati inferiori intantum aliquis ſubjici debet, inquantum ordinem ſuperioris ſervat, a quo ſi exorbitaverit, ei ſubjici non oportet, puta ſi aliud juſſerit Proconſul, & aliud Imperator, ut patet ex Gloſs. Rom. 13. cum autem judex aliquem injuſte gravat, quantum ad hoc reliquit ordinem ſuperioris poteſtatis, ſecundum quam neceſſitas ſibi juſte judicandi imponitur: & ideo licitum eſt ei, qui contra juſtitiam gravatur, ad directionem ſuperioris poteſtatis recurrere appellando vel ante ſententiam, vel poſt. Et quia non præſumitur eſſe rectitudo, ubi vera fides non eſt: ideo non licet Catholico ad infidelem judicem appellare, ſecundum illud 2. quæſt. 6. c. *Catholicus, qui cauſam ſuam ſive juſtam, ſive injuſtam ad*

Digitized by Google

judicium alterius fidei Judicis provocaverit, excommunicetur, nam & Apoſtolus arguit eos, qui judicio contendebant apud infideles. 2. 2. *q.* 69. *art.* 3. *ad* 1.

QUÆR. 4. *Intra quod tempus liceat appellare; & quot vicibus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod æquitas juris ita ſubvenit uni parti, quod altera non gravetur: & ideo tempus decem dierum conceſſit ad appellandum, quod ſufficiens exiſtimavit ad deliberandum an expediat appellare: ſi vero non eſſet determinatum tempus, in quo appellare liceret, ſemper certitudo judicii remaneret in ſuſpenſo; & ita pars altera damnificaretur: ideo autem eſt conceſſum, ut tertio aliquis appellet ſuper eodem; quia non eſt probabile toties Judices a recto judicio declinare. 2. 2. *q.* 69. *art.* 3. *ad* 3.

APOSTASIA.

QUÆR. quid ſit, & quotuplex apoſtaſia.

RESP. D. Thomas, dicendum, quod apoſtaſia importat retroceſſionem quandam a Deo, quæ quidem diverſimode fit ſecundum diverſos modos, quibus homo Deo conjungitur: primo namque conjungitur homo Deo per fidem; ſecundo per debitam, & ſubjectam voluntatem ad obediendum præceptis ejus; tertio per aliqua ſpecialia ad ſupererogationem pertinentia, ſicut per Religionem, & Clericaturam, & ſacrum Ordinem; remoto autem poſteriori remanet prius, ſed non convertitur.

Contingit ergo aliquem apoſtatare a Deo retrocedendo a Religione, quam profeſſus eſt, vel ab Ordine, quem ſuſcepit; & hæc dicitur apoſtaſia religionis, ſive ordinis: contingit etiam aliquem apoſtatare a Deo per mentem repugnantem divinis mandatis; quibus duabus apoſtaſiis exiſtentibus adhuc poteſt remanere homo Deo conjunctus per fidem. Sed ſi a fide diſcedat, tunc omnino a Deo retrocedere videtur: & ideo ſimpliciter, & abſolute erit apoſtaſia, per quam aliquis diſcedit a fide, quæ vocatur apoſtaſia per fidem; & ſecundum hunc modo apoſtaſia ſimpliciter dicta ad infidelitatem pertinet. 2. 2. *q.* 12. *art.* 1. *in corp.*

AQUA BENEDICTA.

QUÆR. 1. *Ad quid inſtituta ſit Aqua benedicta.*

RESP. D. Thomas, dicendum, quod aqua benedicta non ordinatur directe ad remedium præſtandum, ſed ad removendum prohibens; unde datur contra Dæmonum nequitias, & venialia, & omne id quod effectum Sacramentorum impedire poſſet: propter hoc non eſt Sacramentum; quia removens prohibens eſt agens per accidens; ſed eſt Sacramentale, quaſi diſpoſitio quædam ad Sacramenta. 4. *diſt.* 2. *qu.* 1. *art.* 2. *ad* 7. 4. *ad Hannib. d.* 2. *a.* 2. *ad* 5.

QUÆR. 2. *Cur aqua benedicta inſtituta ſuit in ſupplementum exorciſmi baptiſmalis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aqua benedicta datur contra impugnationes dæmonum, quæ ſunt ab exteriori: ſed exorciſmus ordinatur contra impugnationes dæmonum, quæ ſunt ab interiori; unde & energumeni dicuntur quaſi interius laborantes, illi qui exorcizantur. Vel dicendum quod ſicut in remedium contra peccatum ſecundo datur pœnitentia, quia baptiſmus non iteratur; ita in remedium contra impugnationes dæmonum ſecundo datur aqua benedicta, quia exorciſmi baptiſmales non iterantur. 3. *p. qu.* 71. *art.* 2. *ad* 3.

QUÆR. 3. *Utrum Aqua non benedicta ex eo, quod benedictæ ſuperaddatur, virtutem ejus recipiat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in aqua benedicta non fit aliqua mutatio ſubſtantialis ipſius aquæ; ſed acquiritur ei virtus aliqua ex benedictione; & ideo illa virtus poteſt pervenire ad aquam additam. 4. *ſent. d.* 12. *q.* 1. *art.* 2. *qu.* 6. *ad* 2.

QUÆR. 4. *Cur aqua prius exorcizetur, quam benedicatur: & quomodo cauſetur, vel impediatur effectus ipſius, aliorumque ſacramentalium.*

Reſp. infra, *v. Exorciſmus*, & *v. Sacramentale.*

ARBITER.

QUÆR. 1. *An poſſint elegi arbitri, & an ſit neceſſe vallari arbitrium pœna.*

RESP. D. Thomas, dicendum, quod in rebus humanis aliqui propria ſponte poſſunt ſe ſubjicere aliorum judicio; quamvis non ſint eis ſuperiores; ſicut patet in his, qui compromittunt in aliquos arbitros: & inde eſt, quod neceſſe eſt arbitrium pœna vallari; quia arbitri, qui non ſunt ſuperiores, non habent de ſe plenam poteſtatem coercendi. Sic & Chriſtus propria ſponte humano judicio ſe ſubdidit, ſicut etiam & Leo Papa ſe judicio Imperatoris ſubdidit. 2. 2. *q.* 67. *art.* 1. *ad* 2.

QUÆR. 2. *Cur non detur ſubſidium appellationis a judicibus arbitrariis.*

Reſpondetur *v. Appellatio qu.* 2.

ARO-

ARROGANTIA

Quæritur quinam dicantur arrogantes: & quænam ſit eorum pœna.

REſp. D. Thomas, dicendum, quod genus ſuperborum eſt, qui ſibi arrogant id quod ſupra ipſos eſt; & hi proprie arrogantes dicuntur; unde dicitur Hierem. 38. *Arrogantiam, & altitudinem cordis ipſius ego ſcio, ait Dominus; & quod non ſit juxta eum virtus ejus.*

Horum autem pœna propria eſt dejectio; cum enim volunt ſe erigere ſupra poſſe; conſequens eſt, ut per infirmitatem corruant, ſecundum illud Pſal. 72. *Dejeciſti eos dum allevarentur. Job* 40. *lect.* 1.

ARS.

QUÆR. 1. *Quænam artes ſint licitæ, & quænam illicitæ.*

REſp. D. Thomas, dicendum, quod ſi quæ ars eſt ad faciendum aliqua opera, quibus homines uti non poſſunt abſque peccato; per conſequens artifices ea faciendo peccarent, utpote præbentes directe aliis occaſionem peccandi; puta ſi quis fabricaret idola, vel aliqua ad cultum idololatriæ pertinentia: ſi quæ vero ars ſit, cujus operibus homines poſſunt bene, & male uti, ſicut gladii, ſagittæ, & alia hujuſmodi; uſus talium artium non eſt peccatum, & hæ ſolæ artes ſunt dicendæ; unde Chryſoſt. dicit homil. 50. in Matthæum, *eas ſolum artes opportet vocare, quæ neceſſariorum, & eorum quæ continent vitam noſtram, ſunt tributivæ, & conſtructivæ*. Si tamen operibus alicujus artis pluries aliqui male uterentur, quamvis de ſe non ſint illicitæ, ſunt tamen per officium Principis a civitate extirpandæ, ſecundum documenta Platonis.

Quia ergo mulieres licite ſe poſſunt ornare vel ut conſervent decentiam ſui ſtatus, vel etiam aliquid ſuperaddere, ut placeant viris: conſequens eſt, quod artifices talium ornamentorum non peccant in uſu talis artis; niſi forte inveniendo aliqua ſuperflua, & curioſa: unde Chryſoſtomus dicit ſuper Matthæum homil. 50. *quod etiam ab arte calceorum, & textorum multa abſcindere oportet, etenim artem ad luxuriam deduxerunt, neceſſitate ſuperata curioſitatem arti male commiſcentes*. 2. 2. *q.* 169. *art.* 2. *ad* 4.

QUÆR. 2. *An uti obſervantiis artis Notoriæ ſit illicitum.*

Reſp. infra *v. Notoria ars.*

ASTROLOGIA JUDICIARIA.

QUÆR. 1. *An Aſtrologia judiciaria ſit licita: & quænam ab aſtrorum influxu dependeant: & quomodo Dæmones ſe immiſcent aſtrologorum prædictionibus.*

REſp. D. Thomas, oportet ſcire, quod virtus cæleſtium corporum ad immutanda corpora inferiora ſe extendit: Dicit enim Auguſtinus 5. de civitate Dei: *Non uſquequaque abſurde dici poteſt, ad ſolas corporum differentias afflatus quoſdam Sydereos pervenire*: & ideo ſi aliquis judiciis aſtrorum utatur ad prænoſcendum corporales effectus, puta tempeſtatem & ſerenitatem aeris, ſanitatem & infirmitatem corporis, vel ubertatem & ſterilitatem frugum, & ſimilia, quæ ex corporalibus & naturalibus cauſis dependent, nullum videtur eſſe peccatum. Nam omnes homines circa tales effectus aliqua obſervatione utuntur corporum cæleſtium; ſicut agricolæ ſeminant & metunt certo tempore, quod obſervatur ſecundum motum Solis; Nautæ navigationem vitant in plenilunio, vel etiam in Lunæ defectu; Medici circa ægritudines criticos dies obſervant, qui determinantur ſecundum curſum Solis & Lunæ: unde non eſt inconveniens ſecundum aliquas alias occultiores ſtellarum obſervationes circa corporales affectus uti aſtrorum judicio. Hoc autem omnino tenere oportet, quod voluntas hominis non eſt ſubjecta neceſſitati aſtrorum: alioquin periret liberum arbitrium, quo ſublato non imputarentur homini, neque bona opera ad meritum, neque mala ad culpam. Et ideo certiſſime tenendum eſt cuilibet Chriſtiano, quod ea quæ ex voluntate hominis dependent, qualia ſunt omnia humana opera, non ex neceſſitate aſtris ſubduntur: Et ideo dicitur Hieremiæ 10. *A ſignis Cæli nolite metuere, quæ gentes timent*. Sed diabolus ut omnes pertrahat in errorem, immiſcet ſe operationibus eorum, qui judiciis aſtrorum intendunt; ideo Auguſtinus dicit 2. ſuper Geneſ. ad litteram: *Fatendum quando ab Aſtrologis vera dicuntur, inſtinctu quodam occultiſſimo dici, quem neſcientes humanæ mentes patiuntur: quod cum ad decipiendos homines ſit, ſpirituum immundorum, & ſeductorum operatio eſt, quibus quædam vera de temporalibus rebus noſſe permittitur*; & ideo Auguſtinus dicit 2. de Doctrina Chriſtiana, quod tales aſtrorum obſervationes referendæ ſunt ad quædam pacta cum Dæmonibus habita. Eſt autem omnino chriſtiano vitandum pactum, vel ſocietatem cum dæmonibus habere, ſecundum illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 10. *Nolo vos fieri ſocios dæmonio-*

rum;

Digitized by Google

rum: & ideo pro certo tenendum eſt grave peccatum eſſe circa ea, quæ a voluntate hominis dependent, judiciis aſtrorum uti. *Opuſc. 28. ad ſocium ſuum Reginaldum de judiciis aſtrorum*. 1. *qu.* 115. *art.* 4. 2. 2. *qu.* 95. *art.* 5.

QUÆR. 2. *Cur vana eſt Aſtrologia judiciaria, licet aſtra aliqualiter influant in actus noſtros: & quomodo ſapiens adjuvat opus aſtrorum.*

Reſp. D. Thomas, quod dicitur Hier. 10. *a ſignis cæli nolite metuere, quæ timent gentes; quia leges populorum vanæ ſunt*. Sciendum tamen eſt quod licet corpora cæleſtia non ſint directe cauſa electionum noſtrarum quaſi directe in voluntates noſtras imprimentia, indirecte tamen ex his aliqua occaſio noſtris electionibus præſtetur, ſecundum quod habent impreſſionem ſuper corpora; & hoc dupliciter: uno quidem modo, ſecundum quod impreſſiones corporum cæleſtium in exteriora corpora ſunt nobis cauſa alicujus electionis; ſicut cum per corpora cæleſtia diſponitur aer ad frigus intenſum, eligimus calefieri ad ignem; vel aliqua hujuſmodi facere quæ congruunt tempori: alio modo ſecundum quod imprimunt in corpora noſtra, ad quorum immutationem inſurgunt nobis aliqui motus paſſionum, vel per eorum impreſſionem efficimur habiles ad aliquas paſſiones, ſicut cholerici ſunt proni ad iram; vel ſecundum quod ex eorum impreſſione cauſatur in nobis aliqua diſpoſitio corporalis, quæ eſt occaſio alicujus electionis; ſicut cum nobis infirmantibus eligimus accipere medicinam: interdum etiam ex corporibus cæleſtibus actus humani cauſantur, in quantum ex indiſpoſitione corporis aliqui amentes efficiuntur uſu rationis privati, in quibus proprie electio non eſt, ſed moventur aliquo naturali inſtinctu ſicut & bruta. Manifeſtum eſt autem & experimento cognitum, quod tales occaſiones ſive ſint exteriores, ſive interiores, non ſunt cauſa neceſſaria electionis; cum homo per rationem poſſit eis reſiſtere vel obedire: ſed plures ſunt qui impetus tales naturales ſequuntur; pauciores autem, id eſt, ſoli ſapientes, qui occaſiones male agendi, & naturales impetus non ſequuntur: & propter hoc dicit Ptolomæus in Centiloquio, quod *anima ſapiens adjuvat opus ſtellarum*; & quod non poterit aſtrologus dare judicia ſecundum ſtellas, niſi vim animæ, & complexionem bene cognoverit; & quod aſtrologus non debet dicere rem ſpecialiter, ſed univerſaliter; quia ſcilicet impreſſio ſtellarum in pluribus ſortitur effectum, qui non reſiſtunt inclinationi quæ eſt ex corpore; non autem ſemper in hoc, vel illo, qui forte per rationem naturali inclinationi reſiſtit. 3. *contra gentes. cap.* 85.

QUÆR. 3. *Quare Aſtrologi ut plurimum divinant ea, quæ hominibus eveniunt: & quomodo ſapiens dominatur aſtris.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod appetitus ſenſitivus eſt actus organi corporalis; unde nihil prohibet ex impreſſione corporum cæleſtium aliquos eſſe habiles ad iraſcendum, vel aliquam hujuſmodi paſſionem: ſicut & ex complexione naturali plures hominum ſequuntur paſſiones, quibus ſoli ſapientes reſiſtunt: & ideo ut in pluribus verificantur, quæ prænunciantur de actibus hominum ſecundum conſiderationem cæleſtium corporum: ſed tamen ut Ptolomæus dicit in Centiloquio, *Sapiens dominabitur aſtris*; ſcilicet quia reſiſtens paſſionibus, impedit per voluntatem liberam, & nequaquam motui cæleſti ſubjectam, hujuſmodi cæleſtium corporum effectus. Vel ut Auguſtinus dicit 3. ſuper Geneſim ad litteram capite 17. *Fatendum eſt, quando ab Aſtrologis vera dicuntur, inſtinctu quodam altiſſimo dici, quem neſcientes humanæ mentes patiuntur: quod cum ad decipiendos homines fit, ſpirituum ſeductorum operatio eſt*. 1. 2. *q.* 20. *art.* 5. *ad* 3. *q.* 7. *de veritate art.* 10. *ad* 7. 2. *ſent. diſt.* 7. *qu.* 2. *art.* 2.

QUÆR. 4. *Quomodo aſtrologia judiciaria ortum habuit ab idololatria, & ad ipſam pertinet; & eſt valde periculoſa: & quo Chriſtiani nullatenus timere debent prædictiones aſtrologorum.*

Reſp. D. Thomas, quod quia Galatæ a fide convertebantur ad idololatriam, ideo dicit Apoſtolus: *quomodo convertimini a fide?* 2. Petri 2. *Melius erat eis non cognoſcere viam juſtitiæ, quam poſt &c.* Eſa. 42. *Converſi ſunt retrorſum &c. ad Elementa*, ſcilicet, *mundi*, quæ ſunt infirma, per ſe ſubſiſtere non valentia, quia in nihilum deciderent niſi ea manus cuncta regentis teneret: ſecundum illud Heb. 1. *portans omnia verbo virtutis ſuæ &c.* & egena, quia egent Deo, & ſe ipſis ad invicem, ad complementum univerſi; quibus ſcilicet elementis denuo ſervire vultis, ſervitute ſcilicet latriæ. Probatio hujus manifeſte apparet: quia obſervatis dies ſcilicet fauſtos, & infauſtos, & menſes, & tempora, & annos, id eſt, conſtellationes & curſum corporum cæleſtium, quæ omnia ortum habent ab idololatria, contra quod dicit Jer. 10. *a ſignis cæli nolite metuere, quæ gentes &c.* & quod obſervationes hujuſmodi malæ ſint, & contra cultum Chriſtianæ Religionis, patet: quia diſtinctio dierum, menſium, annorum, & temporum attenditur ſecundum curſum ſolis, & lunæ, & ideo tales temporum diſtinctiones obſervantes, venerantur corpora cæleſtia, & diſponunt actus ſuos ſecundum judicium aſtrorum, quæ nullam directam impreſſionem

habent

Digitized by Google

habent in voluntate hominis, & in his quæ dependent a libero arbitrio. Et ex hoc imminet grave periculum: unde dicit, *timeo ne forte ſine cauſa*, id eſt, inutiliter, *laboraverim in vobis*, & ideo cavendum eſt fidelibus talia obſervare. Sed nulla debet eſſe eis ſuſpicio harum rerum: quia proſpere poteſt cedere, quidquid ſub Dei devotione ſimpliciter agitur. Sed numquid licet in aliquo curſum ſtellarum ſervare? dicendum eſt quod corpora cæleſtia quorundam quidem effectuum cauſa ſunt, ſcilicet corporalium, & in iſtis licet ipſorum curſum attendere: quorundam autem non ſunt cauſa, ſcilicet eorum, quæ dependent a libero arbitrio, ſeu a fortuna, vel infortunio, & in iſtis ſervare curſum aſtrorum pertinet ad idololatriam: *Super caput quartum epiſt. ad Galat. lectione 4.*

Conformiter ad doctrinam ſancti Doctoris in præcedentibus reſponſionibus traditam Summus Pontifex Sixtus V. Bullam edidit contra exercentes artem aſtrologiæ judiciariæ, aut cujuſcumque divinationis, qua præcipit Ordinariis, & Inquiſitoribus, ut diligentius inquirant, & procedant, & ſeverius canonicis pœnis, aliiſque arbitrariis animadvertant, tam contra Aſtrologos, inquit, Mathematicos, & alios quoſcumque dictæ judiciariæ artem, præterquam circa agriculturam, navigationem, & rem medicam impoſterum exercentes; aut facientes judicia, & nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus, ſucceſſibus, fortuitiſque caſibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid eventurum, affirmare audent; etiamſi id ſe certo non affirmare aſſerant, aut proteſtentur; quam contra alios utriuſque ſexus, qui ſupra damnatas, vanas, fallaces, & pernicioſas divinandi artes, ſive ſcientias exercent, profitentur, & docent, aut diſcunt quia hujuſmodi illicitas divinationes, ſortilegas ſuperſtitiones, veneficia, incantationes, ac præmiſſa deteſtanda ſcelera, & delicta (ut præfertur) faciunt, aut in eis ſe quomodolibet intromittunt.

ATTRITIO.

Vide infra *v. Contritio.*

AVARITIA.

QUÆR. 1. Quid ſit avaritia.

RESP. D. Thomas, *quod dicit Auguſtinus in lib. de libero arbitrio: avaritia, quæ Græce phylargiria dicitur, non in ſolo argento, vel nummis, ſed in omnibus rebus, quæ immoderate cupiuntur, intelligenda eſt.* 2. 2. *q.* 118. *art.* 2.

QUÆR. 2. Quandonam avaritia ſit peccatum mortale vel veniale tantum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod avaritia dupliciter dicitur; uno modo ſecundum quod opponitur juſtitiæ, & hoc modo ex genere ſuo eſt peccatum mortale: ſic enim ad avaritiam pertinet, quod aliquis injuſte accipiat, vel retineat res alienas, quod pertinet ad rapinam, vel furtum, quæ ſunt peccata mortalia. Contingit autem in hoc genere avaritiæ aliquid eſſe peccatum veniale propter imperfectionem actus. Alio modo poteſt accipi avaritia ſecundum quod opponitur liberalitati, & ſecundum hoc importat inordinatum amorem divitiarum: Si ergo intantum amor divitiarum creſcat, quod præferatur charitati: ut ſcilicet propter amorem divitiarum aliquis non vereatur facere contra amorem Dei, & proximi, ſic avaritia erit peccatum mortale: ſi autem inordinatio amoris intra hoc ſiſtat, ut ſcilicet homo quamvis ſuperflue divitias amet, non tamen præfert earum amorem amori Divino; ut ſi propter divitias non velit aliquid facere contra Deum, & proximum, ſic avaritia eſt peccatum veniale. 2. 2. *q.* 118. *a.* 4. *in corp.*

QUÆR. 3. Qua ratione avaritia dicatur peccatum inſanabile.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aliter eſt inſanabile peccatum in Spiritum Sanctum, & aliter avaritia: nam peccatum in Spiritum Sanctum eſt inſanabile ex parte contemptus; puta quia homo contemnit vel miſericordiam, vel juſtitiam Divinam, aut aliquod horum, per quæ hominis peccata ſanantur: & ideo talis inſanabilitas pertinet ad majorem gravitatem peccati: avaritia vero habet inſanabilitatem ex parte defectus humani, in quem ſcilicet ſempre procedit humana natura; quia quo aliquis eſt magis deficiens, eo magis indiget adminiculo exteriorum rerum; & ideo magis in avaritiam labitur: unde per talem inſanabilitatem non oſtenditur peccatum eſſe gravius, ſed quodammodo per hoc eſſe periculoſius. 2. 2. *q.* 118. *a.* 5. *ad* 3. (*q.* 119. *a.* 3. *in corp.*) *q.* 13. *de malo a.* 2. *ad* 8.

QUÆR. 4. An ſenes, qui naturaliter ſunt avari excuſentur a peccato.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod inclinationes naturales ſunt regulandæ ſecundum rationem quæ principatum tenet in natura humana: & ideo quamvis ſenes propter naturæ defectum avidius exteriorum rerum inquirant ſubſidia, ſicut & omnis indigens quærit ſuæ indigentiæ ſupplementum: non tamen a peccato excuſantur, ſi debitam rationis menſuram circa divitias excedant. 2. 2. *q.* 118. *a.* 1. *ad* 3 *q.* 119. *a.* 3. *in corp.*

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 5. An & quomodo avaritia eſt vitium capitale.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod vitium capitale dicitur, ex quo alia vitia oriuntur ſecundum rationem finis, qui cum ſit multum appetibilis, propter ejus appetitum homo procedit ad multa facienda vel bona, vel mala: finis autem maxime appetibilis eſt beatitudo vel felicitas, qui eſt ultimus finis humanæ vitæ: & ideo quanto aliquid magis participat conditiones felicitatis, tanto magis eſt appetibile: eſt autem una de conditionibus felicitatis ut ſit per ſe ſufficiens; alioquin non quietaret appetitum tamquam ultimus finis; ſed *per ſe ſufficientiam maxime repromittunt divitiæ*, ut Boetius dicit 3. de Conſol. cujus ratio eſt, quia ſicut Philoſoph. dicit in Ethic. 5. *denario utimur quaſi fidejuſſore ad omnia habenda*: & Eccleſ. 10. dicitur; quod *pecuniæ obediunt omnia*: & ideo avaritiæ, quæ conſiſtit in appetitu pecuniæ, eſt vitium capitale. 2.2. *q.* 118. *a.* 7. *in corp.*

QUÆR. 6. An convenienter enumerentur a D. Gregorio 31. Moral. ſeptem avaritiæ filiæ, ſcilicet proditio, fraus, fallacia, perjurium, inquietudo, violentia, & contra miſericordiam obduratio.

Reſp. D. Thomas, avaritia, quæ eſt inordinatus appetitus, debet poni vitium capitale, cujus ponit Gregorius ſeptem filias, quarum diſtinctio ſic accipi poteſt. Ad avaritiam enim pertinent duo: quorum unum eſt ſuperabundare in retinendo; & ex hac parte ex avaritia oritur obduratio contra miſericordiam; quia videlicet obdurat cor ſuum avarus, ne alicui miſericorditer ſubveniat: aliud autem ad avaritiam pertinens eſt, quod ſuperabundat in accipiendo; & ſecundum hoc avaritia dupliciter conſiderari poteſt: Primo quidem ſecundum quod eſt in corde avari; & ſic ex ea oritur inquietudo; quia ingerit homini ſollicitudines, & curas ſuperfluas, avarus enim *non impletur pecunia*, ut dicitur Eccleſ. 5. Secundo vero conſiderari poteſt prout eſt in executione operis; & ſic in acquirendo aliena utitur quandoque quidem vi, & ſic ſunt violentiæ; quandoque autem dolo; qui quidem ſi fiat verbo erit fallacia in ſimplici verbo, quo quis decipit alium ad lucrandum, in verbo vero juramento confirmato erit perjurium: ſi autem dolus committatur in opere; ſic in rebus quidem erit fraus, quantum ad perſonas autem proditio; ſicut patet de Juda, qui propter avaritiam factus eſt proditor Chriſti. *q.* 13. *de malo, a.* 3. *in c.* 22. *q.* 118. *a.* 8. *in corp.*

QUÆR. 7. Quare avaritia dicitur idolorum ſervitus ad Epheſ. 5.

Reſp. D. Thomas, quod Apoſtolus avaritiam vocat idololatriam: quoniam idololatria eſt quando honor ſoli Deo debitus impenditur creaturæ. Nunc autem Deo dupliciter honor debetur, ſcilicet ut in eo finem noſtrum conſtituamus, & ut in eo fiduciam noſtram finaliter ponamus; ergo qui hoc in creaturis ponit, reus eſt idololatriæ. Hoc autem facit avarus, qui finem ſuum in re creata conſtituit, & etiam totam ſuam fiduciam: Oſee 8. *Argentum ſuum, & aurum ſuum fecerunt ſibi idola ut interirent*: & hoc quia, ut dicitur Proverb. 2. *Qui confidit in divitiis ſuis, corruet.*

Sed nunquid avari honorem Deo debitum exhibentes creaturæ, realiter ſunt idololatræ, & per ſe? dico quod non: quia in moralibus actus ſeu opera judicantur ex fine: Ille ergo eſt per ſe idololatra, qui intendit per ſe cultum exhibere creaturæ: Hoc autem non intendit avarus per ſe, ſed per accidens hoc facit, inquantum ſuperflue, & inordinate diligit. *In expoſitione illius c. 5. ad Epheſ. lect. 2.*

QUÆR. 8. Quomodo radix omnium malorum eſt cupiditas, ut ait Apoſt. 1. ad Timoth. ult. Ubi cupiditatis nomine avaritia intelligitur, ut ait Auguſt. 11. ſuper Gen. ad litt.

Reſp. D. Thomas, quod Apoſtolus ibi loquitur contra eos, qui *cum velint divites fieri incidunt in tentationes & in laqueum diaboli, eo quod radix omnium malorum eſt cupiditas*: unde manifeſtum eſt quod loquitur de cupiditate ſecundum quod eſt appetitus inordinatus divitiarum: & ſecundum hoc dicendum eſt, quod cupiditas ſecundum quod eſt ſpeciale peccatum, dicitur radix omnium peccatorum ad ſimilitudinem radicis arboris, quæ alimentum præſtat toti arbori; videmus enim quod per divitias homo acquirit facultatem perpetrandi quodcunque peccatum, & habendi deſiderium cujuſcunque peccati; eoquod ad habenda quæcunque temporalia bona poteſt homo per pecuniam juvari; ſecundum quod dicitur Eccl. 10. *Pecuniæ obediunt omnia*: & ſecundum hoc patet quod cupiditas divitiarum eſt radix omnium peccatorum. 1.2. *q.* 83. *a.* 1. *q.* 13. *de malo a.* 1. *in arg.* 5.

QUÆR. 9. Cur Eccleſ. 10. dicitur: avaro nihil eſt ſceleſtius: & poſtea ſubditur: nihil eſt iniquius quam amare pecuniam: hic enim & animam ſuam venalem habet: & Tullius dicit in 1. de offic. nihil eſt tam anguſti animi, tamque parvi quam amare pecuniam.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod authoritates illæ loquuntur de avaritia ex parte boni, cui ſubditur appetitus: unde & in Eccleſiaſtico pro ratione ſubditur, quod avarus *animam ſuam venalem habet*; quia videlicet animam ſuam (ideſt vitam ſuam) exponit periculis

Digitized by Google

culis pro pecunia: & ideo ſubdit, *quoniam in vita ſua projecit* (ideſt contempſit) *intima ſua*; ut ſcilicet pecuniam lucraretur. Tullius etiam addit hoc eſſe *anguſti animi*, ut ſcilic. velit pecuniæ ſubjici. 2.2.*q*. 118.*a*. 5. *ad* 1.

QUÆR. 10. *Quomodo divitiæ ſint aliquid divinum*.

Reſp. *v. Divitiæ*, *q*. 4.

AUDACIA.

QUÆR. 1. *Utrum audacia ſit peccatum, de quo dicitur Eccleſ.* 8. *Cum audace non eas in via, ne forte gravet mala ſua in te*.

RESp. D. Thomas, dicendum, quod audacia eſt quædam paſſio: paſſio autem quandoque quidem eſt moderata ſecundum rationem; quandoque autem caret moderatione vel per exceſſum, vel per defectum; & ſecundum hoc eſt paſſio vitioſa: ſumuntur autem quandoque nomina paſſionum a ſuperabundanti,ſicut ira dicitur, non quæcunque, ſed ſuperabundans, prout ſcilicet eſt vitioſa: & hoc etiam modo audacia per ſuperabundantiam dicta eſt peccatum. 2.2.*q*. 127.*a*. 1. *in corp.*

QUÆR. 2. *Quomodo audacia ſit laudabilis quando juvat ad velocitatem operandi, quam requirit Philoſophus in 6. Ethic. dicens: oportet conſiliari quidem tarde, operari autem velociter conſiliata*.

Reſp. D Thomas, dicendum, quod operatio feſtina commendabilis eſt poſt conſilium, quod eſt actus rationis; ſed ſi quis ante conſilium vellet feſtine agere, non eſſet laudabile, ſed vitioſum: Eſſet enim quædam præcipitatio actionis, quod eſt vitium prudentiæ oppoſitum: & ideo audacia, quæ operatur ad velocitatem operandi, intantum laudabilis eſt, in quantum a ratione ordinatur. 2.2.*q*.127. *art*. 1. *ad* 2.

QUÆR. 3. *Ex quibus cauſis oriatur audacia*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod audacia conſequitur ſpem, & contrariatur timori: unde quæcunque nata ſunt cauſare ſpem, vel excludere timorem, ſunt cauſa audaciæ: quia vero timor, & ſpes, & etiam audacia cum ſint paſſiones quædam, conſiſtunt in motu appetitus, & in quadam tranſmutatione corporali, dupliciter poteſt accipi cauſa audaciæ, ſive quantum ad provocationem ſpei, ſive quantum ad excluſionem timoris: uno modo quidem ex parte appetitivi motus: alio vero modo ex parte tranſmutationis corporalis; ex parte quidem appetitivi motus, qui ſequitur apprehenſionem, provocatur ſpes cauſans audaciam per ea, quæ faciunt nos æſtimare, quod poſſibile ſit adipiſci victoriam, vel ſecundum propriam potentiam, ſicut fortitudo corporis, experientia in periculis, multitudo pecuniarum, & alia hujuſmodi, ſive per potentiam aliorum, ſicut multitudo amicorum, vel quorumcumque auxiliantium; & præcipue ſi homo confidat de auxilio Divino: unde *illi, qui bene ſe habent ad Divina, audaciores ſunt*, ut etiam Philoſophus dicit in 2. Rethor. c. 5.

Timor autem excluditur ſecundum iſtum modum per remotionem terribilium appropinquantium; puta quia homo non habet inimicos, quia nulli nocuit, quia non videt aliquod periculum imminere; illis enim videtur maxime pericula imminere, qui aliis nocuerunt. Ex parte vero tranſmutationis corporalis cauſatur audacia per provocationem ſpei, & excluſionem timoris, vel ex his, quæ faciunt caliditatem circa cor; unde Philoſophus dicit in lib. 3. de partibus animal. cap. 4. quod *illi, qui habent parvum cor ſecundum quantitatem ſunt magis audaces, & animalia habentia magnum cor ſecundum quantitatem ſunt timida*: quia calor naturalis non tantum poteſt calefacere magnum cor ſicut parvum; ſicut ignis non tantum poteſt calefacere magnam domum, ſicut parvam; & in lib. de problematibus dicit, quod *habentes magnum pulmonem ſanguinem ſunt audaciores propter caliditatem cordis exinde conſequentem*: & ibidem dicit, quod *vini amatores ſunt magis audaces propter caliditatem vini*; unde & ebrietas facit ad bonitatem ſpei: caliditas enim cordis repellit timorem, & cauſat ſpem propter cordis extenſionem, & amplificationem. *p*.2. *q*. 45. *a*. 3. *in corp.*

QUÆR. 5. *Cur ſicut Philoſophus ait 3. Eth. injuſta paſſi audaciores eſſe ſolent*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut Philoſophus dicit in 2. Reth. *Injuſtum paſſi redduntur audaciores; quia æſtimant quod Deus injuſtum paſſis auxilium ferat*. 1. 2. *q*. 45. *a*. 3. *ad* 3.

QUÆR. 5. *Unde provenit quod, ut Philoſophus 3. Eth. dicit, audaces prævolantes ſunt & volentes ante pericula; in ipſis autem diſcedunt: Fortes vero in operibus acuti ſive fervidi ſunt, antea vero quieti*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod audacia, cum ſit quidam motus appetitus ſenſitivi, ſequitur apprehenſionem ſenſitivæ virtutis: virtus autem ſenſitiva non eſt collativa, nec inquiſitiva ſingulorum, quæ circunſtant rem ſed ſubitum habet judicium. Contingit autem quandoque, quod ſecundum ſubitam apprehenſionem non poſſunt cognoſci omnia, quæ difficultatem in aliquo negotio afferunt, unde ſurgit audaciæ motus ad aggrediendum

peri-

Digitized by Google

periculum: Unde quando jam experiuntur ipſum periculum, ſentiunt majorem difficultatem, quam æſtimaverunt: & ideo deficiunt. Sed ratio eſt diſcurſiva omnium quæ afferunt difficultatem negotio: & ideo fortes qui ex judicio rationis aggrediuntur pericula, in principio videntur remiſſi, quia non paſſi, ſed cum deliberatione debita aggrediuntur: quando autem ſunt in ipſis periculis, non experiuntur aliquid improviſum, ſed quandoque minora illis, quæ præcogitaverunt, & ideo magis perſiſtunt. Vel etiam quia propter virtutis amorem pericula aggrediuntur: cujus boni voluntas in eis perſeverat, quantacumque ſint pericula: audaces autem propter ſolam æſtimationem facientem ſpem, & excludentem timorem. 1.2. *q.* 45. *art.* 4.

AUGURIUM, AUSPICIUM.

Vide *Divinatio*.

BAPTISMUS.

QUÆR. 1. *Quid ſit Baptiſmus.*

RESp. D. Thomas, dicendum, quod in Sacramento Baptiſmi eſt tria conſiderare; aliquid ſcilicet, quod eſt Sacramentum tantum; aliquid autem, quod eſt res, & Sacramentum; aliquid vero, quod eſt res tantum. Sacramentum tantum eſt aliquid viſibile exterius exiſtens, quod ſcilicet eſt ſignum interioris effectus; hoc enim pertinet ad rationem Sacramenti, exterius autem ſuppoſitum ſenſui eſt, & ipſa aqua, & ejus uſus, qui eſt ablutio. Quidam ergo exiſtimaverunt, quod ipſa aqua ſit Sacramentum, quod quidem ſonare videntur verba Hugonis de Sancto Victore, nam ipſe in communi diffinitione Sacramenti dicit, quod eſt *materiale elementum*, & in diffinitione Baptiſmi dicit, quod eſt *aqua*. Sed hoc non videtur eſſe verum: cum enim Sacramenta novæ Legis ſanctificationem quandam operentur, ibi perficitur Sacramentum, ubi perficitur ſanctificatio; in aqua autem non perficitur ſanctificatio, ſed eſt ibi quædam ſanctificationis virtus inſtrumentalis non permanens, ſed fluens in hominem, qui eſt veræ ſanctificationis ſubjectum: & ideo Sacramentum non perficitur in ipſa aqua, ſed in applicatione aquæ ad hominem, quæ eſt ablutio.

Et ideo Magiſter in 4. diſt. 4. dicit, *quod Baptiſmus eſt ablutio corporis exterior facta ſub forma præſcripta verborum*. Res autem & Sacramentum eſt character baptiſmalis, qui eſt res ſignata per exteriorem ablutionem, & eſt ſignum Sacramentale interioris juſtificationis, quæ eſt res tantum hujus Sacramenti, ſcilicet ſignificata, & non ſignificans. 3.*p.* *q.*66. *art.* 1. *in corp.*

QUÆR. 2. *Utrum Aqua ſit propria & conveniens materia Baptiſmi.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ex inſtitutione Divina aqua eſt propria materia Baptiſmi; & hoc convenienter.

Primo quidem quantum ad ipſam rationem Baptiſmi, qui eſt generatio in ſpiritualem vitam, quod maxime congruit aquæ; unde & ſemina, ex quibus generantur omnia viventia, ſcilicet plantæ, & animalia, humida ſunt, & ad aquam pertinent; propter quod quidam Philoſophi poſuerunt aquam rerum omnium principium.

Secundo quantum ad effectus Baptiſmi, quibus competunt aquæ proprietates, quæ ſua humiditate lavat; ex quo conveniens eſt ad ſignificandam, & cauſandam ablutionem peccatorum; ſua frigiditate etiam temperat ſuperfluitatem caloris, & ex hoc competit ad mitigandam concupiſcentiam fomitis; ſua diaphaneitate eſt luminis ſuſceptiva; unde competit Baptiſmo inquantum eſt fidei Sacramentum.

Tertio, quia convenit ad repræſentandum myſteria Chriſti, quibus juſtificamur; ut enim dicit Chryſoſtomus ſuper illud Joann. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto: ſicut in quodam ſepulchro in aqua ſubmergentibus nobis capita vetus homo ſepelitur, & ſubmerſus deorſum occultatur, & deinde novus rurſus aſcendit.*

Quarto, quia ratione ſuæ communitatis, & abundantiæ eſt conveniens materia neceſſitatis hujus Sacramenti; poteſt enim ubique de facili haberi. 3.*p.* *qu.*66. *artic.* 3. *in corp.* (*q.*60. *art.* 7. *ad* 2.) *q.*66. *art.* 5. *ad* 7. (*q.* 67. *art.* 3. *in corp.*) *q.* 85. *art.* 1. *ad* 1.

QUÆR. 3. *Utrum ad Baptiſmum requiratur aqua ſimplex: & quænam ipſius tranſmutatio impediat hoc Sacramentum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aqua ſuam puritatem, & ſimplicitatem poteſt amittere dupliciter: uno modo per mixtionem alterius corporis: alio modo per alterationem; utrumque autem horum contingit fieri dupliciter, ſcilicet per artem, & per naturam: ars autem deficit ab operatione naturæ: quia natura dat formam ſubſtantialem, quod ars facere non poteſt; ſed omnes formæ artificiales ſunt accidentales; niſi forte apponendo proprium agens ad propriam materiam, ſicut ignem combuſtibili, per quem modum a quibuſdam quædam animalia per putrefactionem generantur.

Quæcunque igitur tranſmutatio circa aquam

Digitized by Google

facta eſt per artem ſive commiſcendo, ſive alterando non tranſmutatur ſpecies aquæ; unde in tali aqua poteſt fieri Baptiſmus; niſi forte aqua admiſceatur per artem in tam parva quantitate alicui corpori, quod compoſitum magis ſit aliud, quam aqua, ſicut lutum magis eſt terra, quam aqua, & vinum lymphatum magis eſt vinum, quam aqua.

Sed tranſmutatio, quæ fit a natura quandoque quidem ſpeciem aquæ ſolvit, & hoc fit quando aqua efficitur per naturam de ſubſtantia alicujus corporis mixti; ſicut aqua converſa in liquorem uvæ eſt vinum, unde non habet ſpeciem aquæ: aliquando autem fit per naturam tranſmutatio aquæ ſine ſolutione ſpeciei; & hoc tam per alterationem, ſicut patet de aqua calefacta a Sole; quam etiam per mixtionem; ſicut patet de aqua fluminis turbida ex permixtione terreſtrium partium.

Sic ergo dicendum eſt, quod in qualibet aqua qualitercumque tranſmutata; dummodo non ſolvatur ſpecies aquæ, poteſt fieri Baptiſmus: ſi vero ſolvatur ſpecies aquæ non poteſt fieri Baptiſmus. *3. p. q. 66. art. 4. in corp.*) *4 ſent. d. 3. art. 3. qu. 2. in corp.*

QUÆR. 4. An Baptiſmus poſſit fieri in aqua mixta Chriſmate, & in aqua lixatorum, vel ex luto expreſſa.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod admixtio Chriſmatis non ſolvit ſpeciem aquæ, ſicut nec etiam aqua decoctionis carnium, aut aliorum hujuſmodi, niſi forte ſit facta tanta reſolutio corporum lixatorum in aqua, quod liquor plus habeat de aliena ſubſtantia, quam de aqua, quod ex ſpiſſitudine perſpici poteſt: ſi tamen ex liquore ſic inſpiſſato exprimatur aqua ſubtilis, poteſt in ea fieri Baptiſmus; ſicut & in aqua, quæ exprimitur ex luto: licet in luto Baptiſmus fieri non poſſit. *3. p. q. 66. art. 4. ad 2.* (*4. ſent. d. 3. art. 3. qu. 3. ad 3.*) *q. 27. de veritate art. 4. ad 10.*

QUÆR. 5. An poſſit fieri Baptiſmus in lixivio, & in aquis ſulphureorum Balneorum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in lixivio, & in aquis ſulphureorum Balneorum poteſt fieri Baptiſmus, quia tales aquæ non incorporantur per artem, vel naturam aliquibus corporibus mixtis, ſed ſolum alterationem quandam recipiunt ex hoc, quod tranſeunt per aliqua corpora. *3. p. quæſt. 66. ar. 4. ad 4.*) *4. ſent. d. 3. art. 3. q. 2. ad 5.*

QUÆR. 6. An in aqua roſacea poſſit fieri Baptiſmus, vel in aquis alchymicis, aut pluvialibus, aut in vino.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aqua roſacea eſt liquor roſæ reſolutus, unde in ea non poteſt fieri Baptiſmus, & eadem ratione nec in aquis alchymicis; ſicut nec in vino: nec eſt eadem ratio de aquis pluvialibus, quæ generantur ex majori parte ex ſublimatione vaporum reſolutorum ex aquis; minimum autem eſt ibi de liquoribus corporum mixtorum, qui tamen per hujuſmodi ſublimationem virtute naturæ, quæ eſt fortior arte, reſolvuntur in veram aquam, quod ars facere non poteſt; unde aqua pluvialis nullam proprietatem retinet alicujus corporis mixti, quod de aquis roſaceis, & aquis alchymicis dici non poteſt. *3. p. qu. 66. art. 4. ad 5.*) *4. ſent. d. 3. art. 3. q. 2. in corp. & ad 5.*

QUÆR. 7. An in aquis maris, fluminis, ciſternæ, fontis, & ſtagni poſſit fieri Baptiſmus.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod diverſitas aquarum, quæ eſt inter loca, & ſitus, eſt differentia accidentalis; unde non mutat ſpeciem aquæ: & ideo in qualibet aqua hujuſmodi vel maris, vel fluminis, vel ciſternæ, vel fontis, vel ſtagni poteſt fieri Baptiſmus. *4. ſent. d. 3. art. 3. qu. 3. ad primum.*

QUÆR. 8. An Baptiſmus poſſit fieri in aqua Paludis.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſi aqua paludis eſſet intantum ingroſſata, quod recederet a vera raritate aquæ, non eſſet Baptiſmus, ſicut ſi eſſet lutum: alias eſſet Baptiſmus, quia adhuc ſpecies aquæ manet. *4. ſent. d. 3. art. 3. qu. 3. ad 3.*

QUÆR. 9 Utrum hæc ſit conveniens forma Baptiſmi, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Baptiſmus per ſuam formam conſecratur ſecundum illud Epheſ. 5. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Et Auguſtinus dicit in lib. 6. de unico Baptiſmo c. 25. *Quod Baptiſmus verbis evangelicis conſecratur.* Et ideo oportet, quod in forma Baptiſmi exprimatur cauſa Baptiſmi. Eſt autem ejus duplex cauſa, una quidem principalis, a qua quidem virtutem habet, quæ eſt Sancta Trinitas, alia autem inſtrumentalis, ſcilicet miniſter, qui tradit exterius Sacramentum: & ideo oportet in forma Baptiſmi de utraque fieri mentionem; miniſter autem tangitur, cum dicitur, *Ego te baptizo*; cauſa autem principalis, cum dicitur, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: unde hæc eſt conveniens forma Baptiſmi, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. 3. p. q. 66. art. 5. in corp.*) *4. ſent. d. 3. q. 1. art. 2. q. 1. in corp.*

QUÆR. 10. Quænam ſint conſideranda circa mutationes, quæ in hujuſmodi verbis contingere poſſunt.

Reſpondetur *v. Sacramentum, qu. 4.*

QUÆR. 11. An forma Baptiſmi proferri poſſit in quocumque idiomate.

Re-

Digitized by Google

Reſpondetur v. *Sacramentum*, *qu.* 5.

QUÆR. 12. *An benedictio aquæ ſit de neceſſitate Baptiſmi.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod illa benedictio, quæ adhibetur aquæ, non eſt de neceſſitate Baptiſmi, ſed pertinet ad quandam ſolemnitatem, per quam excitatur devotio fidelium, & impeditur aſtutia Dæmonis, ne impediat Baptiſmi effectum. *3.p.q.66.ar.3.ad 5.*

QUÆR. 13. *An liceat hanc benedictionem omittere.*

Reſp. D. Thomas, ſanctificatio materiæ, & benedictio præcedens Baptiſmum non eſt de neceſſitate Sacramenti, ſed de ſolemnitate, quam non licet prætermittere propter Eccleſiæ inſtitutionem. *4.d.5.q.2.art.1.qu.1.in corp.*

QUÆR. 14. *An Baptiſmus fieri poſſit per modum immerſionis, vel effuſionis, vel etiam aſperſionis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aqua aſſumitur in Sacramento Baptiſmi ad uſum corporalis ablutionis, per quam ſignificatur interior ablutio peccatorum: ablutio autem fieri poteſt per aquam non ſolum per modum immerſionis, ſed etiam per modum aſperſionis, vel effuſionis: & ideo quantumvis tutius ſit baptizare per modum immerſionis (quia hoc habet communior uſus) poteſt tamen fieri Baptiſmus per modum aſperſionis, vel etiam per modum effuſionis, ſecundum illud Ezechielis 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam*; ſicut B. Laurentius legitur baptizaſſe. Et hoc præcipue propter neceſſitatem; vel quia eſt magna multitudo baptizandorum, ut patet Act. 2. & 4. ubi dicitur: *quod crediderunt una die tria millia*. Quandoque autem poteſt imminere neceſſitas propter paucitatem aquæ, vel propter debilitatem miniſtri, qui non poteſt ſuſtentare baptizandum; vel propter debilitatem baptizandi, cui poſſet imminere periculum mortis ex immerſione: & ideo dicendum eſt quod immerſio non eſt de neceſſitate Baptiſmi. *3.p.q.66.art.7.in corp.* (*4.ſent.d.3.q.1.art.4.q.1.in corp.*)

Quamvis tempore D. Thomæ Baptiſmus communiter fieret per immerſionem: nunc tamen fieri ſolet per effuſionem.

QUÆR. 15. *An trina immerſio fieri debeat in Baptiſmo, vel ſufficiat unica effuſio.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ad Baptiſmum per ſe requiritur ablutio aquæ, quæ eſt de neceſſitate Sacramenti; modus autem ablutionis per accidens ſe habet ad Sacramentum: & ideo quantum eſt de ſe utrumque licite fieri poteſt, ſcilicet & ſemel, & ter immergere; quia unica immerſione ſignificatur unitas mortis Chriſti, & unitas Deitatis; per trinam autem immerſionem ſignificatur triduum ſepulturæ Chriſti, & etiam Trinitas Perſonarum. Sed diverſis ex cauſis ſecundum ordinationem Eccleſiæ quandoque inſtitutus eſt unus modus, quandoque alius: quia enim a principio naſcentis Eccleſiæ quidam de Trinitate male ſentiebant, Chriſtum purum hominem eſſe exiſtimantes, nec dici filium Dei, & Deum, niſi propter meritum ejus, quod præcipue fuit in morte; & ideo non baptizabant in nomine Trinitatis, ſed in commemoratione mortis Chriſti, & una immerſione, quod reprobatum fuit in primitiva Eccleſia: unde in Canonibus Apoſtolorum legitur: *Si quis Presbyter, aut Epiſcopus non trinam immerſionem unius miniſterii; ſed ſemel mergat in Baptiſmate, quod dari a quibuſdam dicitur in morte Domini, deponatur; non enim nobis dicit Dominus, in morte mea baptizate, ſed in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Poſtmodum vero inolevit quorundam ſchiſmaticorum & hæreticorum error homines rebaptizantium, ſicut de Donatiſtis Auguſtinus narrat ſuper Joannem: & ideo in deteſtationem erroris eorum fuit ſtatutum in Concilio Toletano, quod fieret una ſola immerſio, ubi ſic legitur: *Propter vitandum ſchiſmatis ſcandalum, vel hæretici dogmatis uſum, ſimplam tenemus Baptiſmi immerſionem*; ſed ceſſante tali cauſa communiter obſervatur in Baptiſmo trina immerſio: & ideo graviter peccaret aliter Baptizans quaſi ritum Eccleſiæ non obſervans, nihilominus tamen eſt Baptiſmus. *3.p.q.66.art.8.in corp.* (*4.ſent.d.3.art.4 quæſt.2.in corp.*) *d.23.q.1.art.1.q.2.in corp.*

Quamvis tempore D.Thomæ communiter obſervaretur trina immerſio: nunc tamen non fit niſi unica effuſio: & in hoc ſervari debet ritus Eccleſiæ, ut docet idem Angelicus Doctor.

QUÆR. 16. *An ſit triplex Baptiſmus, ſcilicet fluminis ſive aquæ, flaminis ſive charitatis, & ſanguinis ſive martyrii.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Baptiſmus aquæ efficaciam habet a Paſſione Chriſti, cui aliquis configuratur per Baptiſmum, & ulterius ſicut a prima cauſa a Spiritu Sancto. Licet autem effectus dependeat a prima cauſa, cauſa tamen ſuperexcedit effectum, nec dependet ab effectu: & ideo præter Baptiſmum aquæ poteſt aliquis conſequi Sacramenti effectum ex Paſſione Chriſti, inquantum quis ei conformatur pro Chriſto patiendo; unde dicitur Apoc. 10. *Hi ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine agni.*

Eadem etiam ratione aliquis per virtutem Spiritus Sancti conſequitur effectum Baptiſmi, non ſolum ſine Baptiſmo aquæ, ſed etiam ſine Baptiſmo ſanguinis; inquantum ſcilicet alicu-

Digitized by Google

cujus cor per Spiritum Sanctum movetur ad credendum & diligendum Deum, & pœnitendum de peccatis; unde etiam dicitur Baptiſmus pœnitentiæ; & de hoc dicitur Iſaiæ. 4. *Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Hieruſalem laverit de medio ejus in ſpiritu judicii, & ſpiritu ardoris.*

Sic igitur utrumque aliorum Baptiſmatum nominatur Baptiſmus inquantum ſupplet vicem Baptiſmi aquæ; unde dicit Auguſt. in 4. lib. de unico Baptiſmo parvulorum: *Baptiſmi vicem aliquando implere paſſionem, ut de latrone illo, cui non baptizato dictum eſt: Hodie mecum eris in Paradiſo, B. Cyprianus non leve documentum aſſumit. Quod etiam, atque etiam conſiderans, invenio non tantum paſſionem pro nomine Chriſti id, quod Baptiſmo deerat, poſſe ſupplere; ſed etiam fidem, confeſſionemque cordis, ſi forte ad celebrandum myſterium Baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt.* 3. *p. q.* 66. *a.* 11. *in corp.* (4. *ſent. d.* 4. *q.* 3. *a.* 3. *q.* 1. *in corp.*) *Quodlibet*6. *a.* 8. *in corp.* (*lect.*1. *ſuper c.*3. *Joannis*) *lect.* 1. *ſuper c.* 6. *ad Hebræos.*

QUÆR. 17. *An quicumque poſſit baptizare in caſu neceſſitatis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ad miſericordiam ejus, qui vult omnes homines ſalvos fieri, pertinet, ut in his, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, homo de facili remedium inveniat: inter omnia autem Sacramentum maxime neceſſitatis eſt Baptiſmus, qui eſt regeneratio hominis in vitam ſpiritualem; quia pueris aliter omnino ſubveniri non poteſt, & adulti non poſſunt aliter quam per Baptiſmum plenam remiſſionem conſequi & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam: & ideo ut homo circa remedium tam neceſſarium defectum pati non poſſit, inſtitutum eſt, ut & materia Baptiſmi ſit communis, ſcilicet aqua, quæ a quolibet de facili haberi poteſt; & miniſter Baptiſmi etiam ſit quicumque non ordinatus; ne propter defectum Baptiſmi homo ſalutis ſuæ diſpendium patiatur. 3. *p. q.* 67. *a.* 3. *in corp.*

QUÆR. 18. *An peccet laicus, ſi baptizet abſque neceſſitate.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod baptizare pertinet ad ordinem Sacerdotalem ſecundum quandam convenientiam, & ſolemnitatem; non autem hoc eſt de neceſſitate Sacramenti: unde etiam ſi extra neceſſitatis articulum laicus baptizat, peccat quidem, tamen Sacramentum Baptiſmi confert; nec eſt rebaptizandus ille, qui ſic eſt baptizatus. 3. *p. q.* 67. *a.* 3. *ad* 1.) 4. *ſent. ad* 1. *q.* 2. *a.* 1. *q.* 1. *in corp.*

QUÆR. 19. *An mulier peccet, ſi baptizet extra caſum neceſſitatis; & peccent etiam qui ei cooperantur.*

Reſp. D. Thomas, ſi mulier etiam extra caſum neceſſitatis baptizaret, non eſſet rebaptizandus, ſicut & de laico dictum eſt; peccaret tamen ipſa baptizans, & alii, qui ad hoc cooperarentur, vel Baptiſmum ab ea ſuſcipiendo, vel ei baptizandum aliquem offerendo. 3. *p. q.* 67. *a.* 4. *ad* 3.

QUÆR. 20. *Ad quem pertineat baptizare, quando plures diverſi ſtatus, & conditionis ſunt præſentes.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Chriſtus eſt qui principaliter baptizat, ſecundum illud Joannis 1. *Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem, hic eſt qui baptizat*: dicitur autem Coloſs. 3. *Quod in Chriſto non eſt maſculus, & femina*: ideo ſicut maſculus laicus poteſt baptizare, quaſi miniſter Chriſti, ita etiam & femina. *Quia tamen caput mulieris eſt vir, & caput viri eſt Chriſtus*, ut dicitur 1. Cor. 11. non debet mulier baptizare ſi adſit copia viri: ſicut nec laicus præſente clerico, nec clericus præſente Sacerdote: qui tamen poteſt baptizare præſente Epiſcopo, eo quod hoc pertinet ad officium Sacerdotis. 3. *p. q.* 67. *a.* 4. *in corp.*

QUÆR. 21. *A quo ſuſcipiendus ſit Baptiſmus ſolemniter celebrandus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quando Baptiſmus ſolemniter, & ordinarie celebratur, debet aliquis Sacramentum Baptiſmi ſuſcipere a Presbytero curam animarum habente, vel ab aliquo vice ejus. Hoc tamen non requiritur in articulo neceſſitatis. 3. *p. q.* 67. *a.* 4. *ad* 2.

QUÆR. 22. *An plures poſſint ſimul unum baptizare.*

Reſp. D. Thomas, conſiderandum eſt quod ex tali forma, *nos te baptizamus*, exprimitur talis intentio, quod plures conveniant ad unum Baptiſmum conferendum: quod quidem videtur eſſe contra rationem miniſterii; homo enim non baptizat, niſi ut miniſter Chriſti, & vicem ejus gerens; unde ſicut unus eſt Chriſtus, ita oportet eſſe unum miniſtrum, qui Chriſtum repræſentet; propter quod ſignanter Apoſtol. ait Epheſ. 4. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma*: & ideo contraria intentio videtur excludere Baptiſmi Sacramentum. Si vero uterque diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, uterque exprimeret ſuam intentionem quaſi ipſe ſingulariter Baptiſmum conferret, quod poſſet contingere in eo caſu, in quo contentioſe uterque aliquem baptizare conaretur; & tunc manifeſtum eſt, quod ille, qui prius verba proferret, daret Baptiſmi Sacramentum: alius vero quantumcumque jus baptizandi haberet, nihil faceret; & ſi verba

Digitized by Google

ba pronunciare præſumeret, eſſet puniendus tanquam rebaptizator. Si vero omnino ſimul ambo verba proferrent, & hominem immergerent, aut aſpergerent, eſſent puniendi de inordinato modo baptizandi; & non de intentione Baptiſmi; quia uterque intenderet non baptizatum baptizare; & uterque quantum eſt in ſe baptizaret; nec traderent aliud, & aliud Sacramentum, ſed Chriſtus, qui eſt unus interius baptizans, unum Sacramentum per utrumque conferret. 3. *p. q.* 67. *a.* 6. *in corp.* (*q.* 66. *a.* 5. *ad* 4. (4. *ſent. d.* 3. *art.* 2. *quæſtiunc.* 2. *ad* 3.) *d.* 6. *q.* 2. *a.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 3.

QUÆR. 23. *An unus poſſit plures baptizare.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in caſu neceſſitatis unus poſſet ſimul plures baptizare ſub hac forma: *Ego te baptizo*: puta ſi immineret ruina, aut gladius, aut aliquid hujuſmodi, quod omnino moram non pateretur; ut ſigillatim omnes baptizarentur. Nec per hoc diverſificaretur forma Eccleſiæ; quia plurale non eſt niſi ſingulare geminatum: præſertim cum pluraliter dicatur Matthæi ultimo, *Baptizantes eos, &c.* nec eſt ſimile de baptizante, & baptizato; quia Chriſtus, qui principaliter baptizat, eſt unus, ſed multi per Baptiſmum efficiuntur unum in Chriſto. 3. *p. q.* 67. *a.* 6. *ad* 2. (*q.* 66. *a.* 5. *ad* 4.) 4. *ſent. d.* 3. *a.* 2. *q.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 24. *An teneat Baptiſmus, quando unus immergit, & alter profert verba.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod integritas Baptiſmi conſiſtit in forma verborum, & in uſu materiæ, & ideo neque ille, qui tantum verba profert, baptizat, neque ille, qui immergit: & ideo ſi unus verba proferat, & alius immergat, nulla forma verborum poterit eſſe conveniens. Neque enim poterit dici: *Ego te baptizo*, cum ipſe non immergat, & per conſequens non baptizet; neque etiam poterit dici, *nos te baptizamus* cum neuter baptizet: ſi enim duo ſint, quorum unus unam partem libri ſcribat, & alius aliam, non erit propria locutio, nos ſcripſimus librum iſtum, ſed Synecdochica, inquantum totum ponitur pro parte. 3. *p. q.* 67. *a.* 6. *ad* 3.) *a.* 5. *ad* 4.

QUÆR. 25. *Utrum aliquis poſſit ſeipſum baptizare, & quid dicendum de Judæo, qui ſe baptizavit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quamvis poſſet aliquis non baptizatus baptizare alium, non tamen poteſt ſeipſum baptizare; quia nulla res ſecundum Auguſtinum ſeipſam gignit, ut ſic; Baptiſmus autem regeneratio quædam eſt: tum quia non poſſet ſervari forma Eccleſiæ.

Sed quod Innocentius Tertius in Decretali quadam dicit, *Judæus, qui ſeipſum in aqua immerſit dicens, Ego baptizo me in nomine Patris &c. ſi deceſſiſſet, ad Patriam evolaſſet*, intelligendum eſt propter vim contritionis, & devotionis, ex cujus magnitudine hoc procedere videbatur; ut inter Judæos exiſtens quaſi periculo mortis ſe offerret. 4. *ſent. d.* 5. *q.* 2. *a.* 1. *quæſtiunc.* 3. *ad* 2. (3. *p. q.* 82. *a.* 4. *ad* 2.) *Opuſc.* 63. *c.* 3.

QUÆR. 26. *An ſit laudabile, quod pueri baptizentur quam citius fieri poteſt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod magis laudabile eſt quod pueri quam citius poterunt baptizentur commode, non expectata perfecta ætate propter tres rationes: Primo, quia propter imbecillitatem naturæ de facili mori poſſunt, & damnari; unde ut damnationis periculum evitetur, debent Baptiſmo præveniri: Secundo, propter infeſtationes dæmonum, qui non habent tantam poteſtatem in pueris baptizatis ab originali mundatis, quantam in illis, qui adhuc originale habent; neque quantum ad nocumenta ſpiritualia, neque quantum ad nocumenta corporalia: Tertio, quia in pueritia facilius homo ad aliqua inducitur, & firmius inhæret, ſecundum quod Philoſophus dicit in 2. Ethic. c. 1. *Non parum refert ex juvene confeſtim aſſueſieri, ſed multum; magis autem &c.* Et hanc cauſam aſſignat Dionyſius in fine Eccleſ. Hierarch. dicens: *Tradit autem puerum ſacris ſymbolis* (ideſt, Sacramentalibus ſignis) *Summus Sacerdos, ut cum eis converſetur, & neque formetur in vitam alteram, niſi divina contemplantem ſemper.* 4. *ſent. d.* 4. *q.* 3. *a.* 1. *quæſtiunc.* 2. *in corp.*

QUÆR. 27. *An ſit differendus Baptiſmus parvulorum, aut adultorum: & utrum illum differre ſit peccatum.*

Reſp. D. Thomas, ſi pueri ſunt baptizandi non eſt differendum Baptiſma. Primo quidem, quia non expectatur in eis major inſtructio, aut etiam plenior converſio. Secundo propter periculum mortis; quia non poteſt eis alio remedio ſubveniri, niſi per Sacramentum Baptiſmi.

Adultis vero ſubveniri poteſt per ſolum Baptiſmi deſiderium; & ideo adultis non ſtatim cum convertuntur, eſt Sacramentum Baptiſmi conferendum, ſed oportet differre uſque ad aliquod certum tempus. Primo quidem propter cautelam Eccleſiæ, ne decipiatur Sacramentum ficte accedentibus conferens, ſecundum illud 1. Joannis c. 4. *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint*: quæ quidem probatio ſumitur de accedentibus ad Baptiſmum, quando per aliquod ſpatium eorum fides, & mores examinantur. Secundo hoc eſt neceſſarium ad utili-

Digitized by Google

tatem eorum, qui baptizantur; quia aliquo temporis ſpatio indigent ad hoc, quod plene inſtruantur de fide, & exercitentur in his, quæ pertinent ad vitam Chriſtianam. Tertio hoc eſt neceſſarium ad quandam reverentiam Sacramenti, dum in ſolemnitatibus præcipuis, ſcilicet Paſchæ, & Pentecoſtes homines ad Baptiſmum admittuntur, & ita devotius Sacramentum ſuſcipiunt.

Hæc tamen dilatio eſt prætermittenda duplici ratione. Primo quidem quando illi, qui ſunt baptizandi, apparent perfecte inſtructi in fide, & ad Baptiſmum idonei, ſicut Philippus ſtatim baptizavit Eunuchum, ut habetur Act. 8. & Petrus Cornelium, & eos qui cum eo erant, ut habetur Act. 10. Secundo propter infirmitatem, aut aliquod periculum mortis, unde Leo Papa dicit; *Hi qui neceſſitate mortis, ægritudinis, obſidionis, perſecutionis, & naufragii urgentur, omni tempore debent baptizari.* Si tamen aliquis morte præveniatur, articulo neceſſitatis Sacramentum excludente, dum expectat tempus ab Eccleſia inſtitutum, ſalvatur licet per ignem.

Peccat autem ſi ultra tempus inſtitutum ab Eccleſia differat accipere Baptiſmum: niſi ex cauſa neceſſaria, & licentia Prælatorum Eccleſiæ. Sed tamen & hoc peccatum cum aliis deleri poteſt per ſuccedentem contritionem, quæ ſupplet vicem Baptiſmi. *3. p. q. 68. a. 3. in corp.* (*4. ſent. d. 4. q. 3. a. 1. quæſtiunc. 2. in corp.*) *d. 6. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 2. ad 1.*

QUÆR. 28. An pueri Judæorum & aliorum infidelium, ſint invitis parentibus baptizandi.

Reſp. *v. Infidelitas, q. 15.*

QUÆR. 29. Utrum infantes poſſint baptizari in maternis uteris.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod de neceſſitate Baptiſmi eſt, quod corpus baptizandi aliquo modo aqua abluatur, cum Baptiſmus ſit quædam ablutio: corpus autem infantis antequam naſcatur ex utero non poteſt aliquo modo ablui aqua niſi forte dicatur, quod ablutio baptiſmalis, qua corpus matris lavatur, ad filium in ventre exiſtentem perveniat: ſed hoc eſſe non poteſt: tum quia anima pueri, ad cujus ſanctificationem ordinatur Baptiſmus, diſtincta eſt ab anima matris; tum quia corpus pueri animati jam eſt formatum, & per conſequens a corpore matris diſtinctum: & ideo Baptiſmus, quo mater baptizatur, non redundat in prolem in utero matris exiſtentem: unde Auguſtinus dicit contra Julianum; *Si ad matris corpus id, quod in ea concipitur, pertinet, ita ut ejus pars imputetur, non baptizaretur infans, cujus mater baptizata eſt in aliquo mortis urgente periculo, cum eum geſtaret in utero. Nunc vero cum ipſe etiam ſcilicet infans, baptizetur: non utique ad maternum corpus, cum eſſet in utero, pertinebat*: Et ita relinquitur, quod nullo modo infantes in maternis uteris exiſtentes baptizari poſſunt. *3. p. q. 68. a. 11. in corp.* (*3. ſent. d. 3. q. 1. a. 1. quæſtiunc. 3. ad 1.*) *4. ſent. d. 1. q. 2. a. 6. q. 2. ad 2.* (*diſt. 6. q. 1. a. 1. q. 1. in corp.*) *d. 23. q. 2. a. 2. q. 1. ad 1.*

QUÆR. 30. An ſit occidenda mater, ut baptizetur infans in utero exiſtens.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod *non ſunt facienda mala, ut veniant bona*, ut dicitur Rom. 3. & ideo non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum: ſi tamen mater mortua fuerit vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptizetur. *3. p. q. 68. a. 11. ad 3.*) *4. ſent. d. 6. q. 1. a. 1. q. 1. ad 4.*

QUÆR. 31. An in caſu neceſſitatis poſſit baptizari quælibet pars pueri.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod expectanda eſt totalis egreſſio pueri ex utero ad Baptiſmum, niſi mors immineat. Si tamen primo caput egrediatur, in quo fundantur omnes ſenſus, debet baptizari periculo imminente, & non eſt poſtea rebaptizandus, ſi eum perfecte naſci contigerit: & videtur idem faciendum, quæcunque alia pars egrediatur periculo imminente. Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita conſiſtit, ſicut in capite, videtur quibuſdam, quod propter dubium quacunque alia parte corporis abluta puer poſt perfectam nativitatem ſit baptizandus ſub hac forma: *Si non es baptizatus, ego te baptizo. 2. p. q. 68. a. 11. ad 4.* (*q. 66. a. 7. ad 3.*) *4. ſent. d. 3. a. 4. quæſtiunc. 1. ad 2.*) *a. 6. q. 1. a. 2. quæſtiunc. 1. ad tertium.*

QUÆR. 32. Utrum in caſu neceſſitatis poſſit fieri Baptiſmus in puero nondum perfecte nato, vel in quocunque alio.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quia a capite omnes operationes animales principium habent; ideo debet Baptiſmi ablutio fieri in capite: quamvis ſi neceſſitas immineret, poſſet in alio membro fieri, vel in puero nondum perfecte nato, vel in quocunque alio. *4. ad Hannib. d. 3. a. 1. ad 4.*

QUÆR. 33. An furioſi, & amentes ſint baptizandi.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod circa amentes, & furioſos eſt diſtinguendum: quidam enim ſunt a nativitate tales nulla habentes lucida intervalla, in quibus etiam nullus uſus rationis apparet: & de talibus quantum ad Baptiſmi ſuſceptionem videtur eſſe idem judicium, quod de pueris, qui baptizantur in fide Eccleſiæ.

Alii vero ſunt amentes, qui ex ſana mente quam habuerunt prius, in amentiam inciderunt:

Digitized by Google

runt : & tales ſunt judicandi ſecundum voluntatem, quam habuerunt, dum ſanæ mentis exiſterent : & ideo ſi tunc apparuit in eis voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum, debet eis exhiberi in furia, & amentia conſtitutis: etiamſi tunc actu contradicant: alioquin ſi nulla voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum in eis apparuit dum ſanæ mentis eſſent, non ſunt baptizandi.

Quidam vero ſunt, qui etſi a nativitate fuerint furioſi, vel amentes, habent tamen aliqua lucida intervalla, in quibus recta ratione uti poſſint: unde ſi tunc baptizari voluerint, baptizari poſſunt etiam in amentia conſtituti: & debet eis tunc Sacramentum conferri, ſi periculum timeatur: alioquin melius eſt ut tempus expectetur, in quo ſint ſanæ mentis ad hoc, quod devotius ſuſcipiant Sacramentum. Si autem tempore lucidi intervalli non appareat in eis voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum, baptizari non debent in amentia conſtituti.

Quidam vero ſunt, qui etſi non omnino ſanæ mentis exiſtant, intantum tamen ratione utuntur, quod poſſunt de ſua ſalute cogitare, & intelligere Sacramenti virtutem: & de talibus idem eſt judicium, ſicut de his, qui ſanæ mentis exiſtunt, qui baptizantur volentes, non autem inviti. *3. p. q. 68. a. 12. in corp.* (*4. ſent. d. 6. q. 1. a. 2. q. 3. ad 2.*) *q. 28. de verit. a. 3. ad 2.*

QUÆR. 34. *An ludo baptizati debeant iterum baptizari.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ludus aliquando excludit intentionem, & aliquando non: cum enim ludo fieri dicantur, quæ præter intentionem alicujus utilitatis fiunt ad ſolam delectationem, ludus baptizantium poteſt excludere intentionem reſpectu utriuſque effectus ablutionis, ſcilicet Sacramenti collationis, & rei Sacramenti: & tunc non intendit facere, quod facit Eccleſia in collatione Sacramenti: & ita talis ludus evacuat intentionem, quæ requiritur in Sacramento: vel poteſt excludere tantum ſecundam utilitatem, ut ſcilicet velit de hoc ludum ſuum facere ex eo, quod Baptiſmi Sacramentum conferat, non propter ſanctificationem baptizando hoc faciens & tunc manet intentio, quæ ſufficit ad Baptiſmum.

Et propter hoc dubium dixit Auguſtinus, *implorandum eſt Divinum judicium*: & ideo dicitur, quod puer Athanaſius ludendo ſimulans ſe Epiſcopum baptizavit quoſdam : & judicatum eſt ab Alexandro Epiſcopo, ut non rebaptizarentur : quia inventum eſt, quod ipſe intentionem baptizandi habuit: quod etiam patet ex hoc, quod non baptizabat, niſi cathecumenos. *4. ſent. d. 6. in expoſitione litteræ.*

QUÆR. 35. *An baptizati coacte ſint iterum baptizandi.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in Baptiſmo baptizatus duo recipit, ſcilicet Sacramentum, & rem Sacramenti: ſed ad hæc duo recipienda non requiritur aliquid cauſans ex parte recipientis; ſed ſolum impedimentum removens : quod quidem impedimentum nihil aliud eſt, quam voluntas contraria alteri prædictorum: & ideo in adultis, & in habentibus uſum rationis, in quibus poteſt eſſe contraria voluntas actu, vel habitu, requiritur & contritio, ſive devotio ad percipiendam rem Sacramenti, & intentio vel voluntas ad recipiendum Sacramentum: in pueris autem abſque utroque percipitur & Sacramentum, & res Sacramenti. Et ſimiliter eſt in carentibus uſu rationis, niſi contraria voluntas habitu inſit, etſi non actu.

Tamen ſciendum, quod non requiritur in adulto voluntas abſoluta ſuſcipiendi, quod Eccleſia confert; ſed ſufficit voluntas conditionata, ſicut eſt in voluntariis mixtis, ut dicitur in 3. Ethicorum: & ideo ſi ſit coactio ſufficiens, ita quod principium ſit ex toto extra, nihil conferente vim paſſo, ut cum aliquis reclamans immergitur violenter; tunc talis nec Sacramentum ſuſcipit, nec rem Sacramenti: ſi autem ſit coactio inducens ſicut minis, vel flagellis, ita quod baptizatus potius eligat Baptiſmum ſuſcipere, quam talia pati, tunc ſuſcipit Sacramentum, ſed non rem Sacramenti. *4. ſent. d. 6. q. 1. a. 2. q. 3. in corp.*

QUÆR. 36. *An dormientes baptizari poſſint.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod dormientes non ſunt baptizandi, niſi periculum mortis immineat; in quo caſu baptizari debent, ſi prius in eis voluntas apparuit ſuſcipiendi Baptiſmum, ſicut & de amentibus eſt: ſicut Auguſtinus narrat 4. confeſſ. de amico ſuo, qui baptizatus eſt neſciens, propter periculum mortis. *3. p. q. 68. a. 12. ad 3. 4. ſent. d. 4. q. 3. a. 1. q. 3. ad 3. diſt. 17. q. 1. a. 3. q. 2. ad 3. q. 25. de verit. a. 2. ad 2.*

QUÆR. 37. *An peccatores baptizandi teneantur ad confeſſionem ſuorum peccatorum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod duplex eſt peccatorum confeſſio; una quidem interior, quæ fit Deo, & talis confeſſio peccatorum requiritur ante Baptiſmum, ut ſcilicet homo ſua peccata recogitans de eis doleat; non enim poteſt inchoare novam vitam, niſi pœniteat eum veteris vitæ, ut dicit Auguſtinus in lib. de Pœnitentia; alia vero eſt confeſſio peccatorum exterior, quæ fit Sacerdoti, & talis confeſſio non requiritur ante Baptiſmum.

Primo quidem, quia talis confeſſio, cum

Digitized by Google

reſpiciat perſonam miniſtri, pertinet ad pœnitentiæ Sacramentum, quod non requiritur ante Baptiſmum, quia eſt janua omnium Sacramentorum.

Secundo, quia confeſſio exterior, quæ fit Sacerdoti ordinatur ad hoc, quod Sacerdos confitentem abſolvat a peccatis, & liget ad opera ſatisfactoria, quæ baptizatis non ſunt imponenda; nec etiam baptizati indigent remiſſione peccatorum per claves Eccleſiæ, quibus omnia remittuntur per Baptiſmum.

Tertio, quia ipſa particularis confeſſio homini facta eſt pœnoſa propter verecundiam confitentis; baptizato autem nulla exterior pœna imponitur.

Et ideo a baptizatis non requiritur ſpecialis confeſſio peccatorum, ſed ſufficit generalis, quam faciunt; cum ſecundum ritum Eccleſiæ abrenunciant Sathanæ & omnibus pompis ejus, & hoc modo dicit quædam Gloſſa Matth. 3. *in Baptiſmo Joannis exemplum dabatur baptizandis confitendi peccata, & promittendi meliora.*

Si qui tamen baptizandi ex devotione ſua peccata confiteri vellent, eſſet eorum confeſſio audienda, non ad hoc, quod eis ſatisfactio imponeretur, ſed ad hoc, quod contra peccata conſueta eis ſpiritualis informatio vitæ traderetur. *3. p. qu. 68. art. 6. in corp. lect. 4. ſuper cap. 11. Romanorum.*

QUÆR. 38. *An baptizatis ſint imponenda opera ſatisfactoria.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Apoſtolus dicit Rom. 7. *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto, in morte ipſius baptizati ſumus; conſepulti enim ſumus ei per Baptiſmum in mortem*; ita ſcilicet, quod homo per Baptiſmum incorporatur ipſi morti Chriſti. Manifeſtum eſt autem, quod mors Chriſti ſatisfactoria fuit ſufficienter pro peccatis non ſolum noſtris, ſed etiam totius Mundi, ut dicitur 1. Joannis 2. & ideo: ei qui baptizatur, pro quibuſcunque peccatis non eſt aliqua ſatisfactio injungenda: hoc enim eſſet injuriam facere paſſioni, & morti Chriſti, quaſi ipſa non eſſet ſufficiens ad plenariam ſatisfactionem pro peccatis baptizatorum. *3. p. q. 68. art. 5. in corp. lect. 4. ſuper cap. 11. Rom.*

QUÆR. 39. *An requiratur fides in Baptizante ad validitatem Baptiſmi.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod poteſt contingere, quod aliquis patiatur defectum fidei circa aliquid, & non circa veritatem Sacramenti, quod exhibet; puta ſi aliquis credat juramentum eſſe in omni actu illicitum, & tamen credat Baptiſmum efficaciam habere ad ſalutem; ſic talis infidelitas non impedit intentionem conferendi Sacramentum: ſi vero patiatur fidei defectum circa ipſum Sacramentum, quod exhibet, licet credat per id, quod agitur exterius, nullum ſequi interiorem effectum, non tamen ignorat, quod Eccleſia Catholica intendit per hujuſmodi, quæ exterius aguntur, præbere Sacramentum; unde non obſtante infidelitate, poteſt intendere facere id, quod facit Eccleſia, licet æſtimet id nihil eſſe: & talis intentio ſufficit ad Sacramentum, quia miniſter Sacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, ex cujus fide ſuppletur id, quod deeſt fidei in miniſtro. *3. p. q. 63. art. 9. ad 1. 4. ſent. d. 6. qu. 1. art. 3. q. 2. ad 1.*

QUÆR. 40. *An ſit neceſſaria fides in baptizando, ut percipiat finem Baptiſmi.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod eſt duplex finis in baptizatis; primus eſt perceptio Sacramenti, ſecundus eſt perceptio rei Sacramenti: dico ergo quod in adultis requiritur fides etiam perſonalis neceſſitate, quæ eſt ex ſuppoſitione finis ſecundi; quia niſi credat reputatur fictus, & ita non conſequitur rem Sacramenti: non autem requiritur ad primum finem conſequendum, quia Sacramentum percipit aliquis etiamſi non credat: unde Auguſtinus lib. 4. contra Donatiſtas c. 15. dicit: *Quod prorſus fieri poteſt, ut aliqui verum Baptiſma habeant, & non habeant veram fidem.* In parvulis autem ſufficit fides Eccleſiæ ad utrumque. *4. ſent. d. 6. q. 1. art. 3. q. 1. in corp. 3. p. q. 558. art. 8. ad 3.*

QUÆR. 41. *An requiratur charitas, & contritio in baptizando, vel ſufficiat fides, & attritio.*

Reſp. *v. Contritio, q. 36.*

QUÆR. 42. *Utrum Baptiſmus ab Angelo bono collatus eſſet validus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Angelo bono non eſt collata poteſtas Baptizandi: tum quia non habet convenientiam in natura cum Chriſto, qui eſt Sacramentorum author; tum quia per hoc neceſſitati Baptiſmi non ſubveniretur, cum non ſit nobis in promptu. Poſſet tamen Deus hanc poteſtatem ei conferre: unde ſi baptizaret aliquem, ille non eſſet rebaptizandus, dummodo conſtaret quod bonus Angelus eſſet: conſtat enim quod bonus Angelus non faceret, niſi eſſet ſibi conceſſum 4 *ad Hannib. diſtint. 5. art. 4 ad 5.*

QUÆR. 43. *An Baptiſmus eſſet validus, ſi conferretur a Dæmone in ſpecie hominis apparente, & divinam poteſtatem invocante, cum dicat D. Auguſtin. tract. 8. ſuper Joannem, talis eſt Baptiſmus, qualis ille, in cujus poteſtate datur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Dæmon baptizare non poteſt, cum ipſi prædicta

con-

Digitized by Google

convenientia deſit: ſed etſi baptizaret, reprobandus eſſet; quia intentione decipiendi feciſſe videretur, non autem ex commiſſione; qua ſuppoſita authoritas Auguſtini loquitur *in eodem art. 4. ad 6.*

QUÆR. 44. *An ſi quis in utero ſanctificaretur, foret nihilominus poſtea baptizandus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſanctificatus in utero, debet baptizari propter tres rationes. Primo, propter acquirendum characterem, quo annumeretur in populo Dei, & quo deputetur ad percipienda divina Sacramenta. Secundo, ut per Baptiſmi ſuſceptionem paſſioni Chriſti etiam corporaliter conformetur. Tertio, propter bonum obedientiæ; quia præceptum de Baptiſmo omnibus datum eſt, & ab omnibus eſt implendum; niſi articulus neceſſitatis Sacramentum excludat. 4. *ad Hannib. diſt. 6. art. 1. q. 2.*

QUÆR. 45. *Quomodo batizandi ſunt illi, de quibus dubitatur an ſint baptizati.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut dicit Decretalis Alexandri III. *de quibus dubium eſt, an baptizati fuerint, baptizentur bis verbis præmiſſis: Si baptizatus es, ego non te baptizo; ſed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo; &c. non enim videtur iterari, quod neſcitur eſſe factum. 3. par. q. 66. art. 4. ad 4. 9. ſent. d. 6. q. 2. art. 1. q. 1. in corp.*

QUÆR. 46. *An ſit æqualis effectus Baptiſmi, ſive detur per bonum miniſtrum, ſive per malum, juxta illud D. Auguſt. lib. 3. contra Creſconium. Non eſt melior Baptiſmus, qui per meliorem miniſtrum datur; ſed per miniſtros diſpares Dei munus eſt æquale.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aliquid dicitur effectus alicujus per ſe, & per accidens: *per ſe* quidem effectus alicujus eſt, quod per ipſum ad hoc ordinatum producitur, ſicut domus ædificatoris: *per accidens*, quod conjungitur ei quod eſt effectus per ſe; ſicut ſi habitatio domus dicatur effectus ædificatoris. Sic ergo dico, quod effectus per ſe Baptiſmi æqualis eſt (a quocunque detur, vel a malo, vel a bono) cæteris paribus ex parte baptizati: ſed cum effectu Baptiſmi poteſt aliquid aliud baptizato conferri, ſive pertineat ad ſalutem corporis, ſive animæ, ex merito baptizantis; & hoc non eſt proprie effectus Baptiſmi; quia Baptiſmus non eſt cauſa niſi inſtrumentalis, & non eſt inſtrumentum agens in virtute miniſtri, qui & ipſe inſtrumentum eſt agens in virtute Chriſti & Dei 4. *d. 5. q. 2. art. 2. quæſt. 4.*

QUÆR. 47. *Utrum Baptiſmus æqualem operetur effectum, ſive in parvulis, ſive in adultis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod duplex eſt effectus Baptiſmi, unus per ſe, & alius per accidens: per ſe quidem effectus Baptiſmi eſt id, ad quod Baptiſmus eſt inſtitutus, ſcilicet ad regenerandum homines in ſpiritualem vitam: & hunc effectum æqualiter facit in omnibus, qui æqualiter ſe habent ad Baptiſmum: unde quia omnes pueri æqualiter ſe habent ad Baptiſmum (quia non fide propria, ſed in fide Eccleſiæ baptizantur) omnes æqualem effectum percipiunt in Baptiſmo: adulti vero, quia per propriam fidem ad Baptiſmum accedunt non æqualiter ſe habent ad Baptiſmum: quidam enim cum majori, quidam cum minori devotione ad Baptiſmum accedunt: & ideo quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt: ſicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat, licet ignis quantum eſt de ſe, æqualiter ad omnes ſuum calorem effundat.

Effectus autem Baptiſmi per accidens eſt, ad quem Baptiſmus non eſt ordinatus, ſed divina virtus hoc in Baptiſmo miraculoſe operatur: ſicut ſuper illud Roman. 6. *Ut ultra non ſerviamus peccato*, dicit Gloſſa, *non hoc præſtatur in Baptiſmo, niſi forte miraculo ineffabilis creatoris, ut lex peccati, quæ eſt in membris, prorſus extinguatur.* Et tales effectus non æqualiter ſuſcipiuntur ab omnibus baptizatis, etiamſi cum æquali devotione accedant, ſed diſpenſantur hujuſmodi effectus ſecundum ordinem providentiæ divinæ. *3. p. q. 69. art. 8. in c. 4. diſt. 4. q. 2. art. 3. q. 1. & 2.*

QUÆR. 48. *An Baptiſmus imprimat characterem, ideoque reiterari non poſſit.* Reſp. *v. Sacramentum, qu. 54. & ſeq.*

QUÆR. 49. *Utrum omne peccatum tollatur per Baptiſmum, juxta illud Ezech. 36. Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Apoſtolus dicit Roman. 6. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus*; & poſtea concludit: *ita & vos exiſtimate mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Ex quo patet, quod per Baptiſmum homo moritur vetuſtati peccati, & incipit vivere novitate gratiæ; omne autem peccatum ad priſtinam vetuſtatem pertinet, unde conſequens eſt, quod omne peccatum per Baptiſmum tollatur. *3. p. q. 69. art. 1. in corp. q. 68. art. 7. ad 3. p. 70. art. 4. ad 5. q. 76. art. 5. ad 1. lect. 1. ſuper cap. 6. ad Hebræos. 4. ſent. d. 4. q. 2. art. 1. quæſt. 1. in corp. & ad 1.*

QUÆR. 50. *An Baptiſmus liberet ab omni pœna, juxta illud D. Ambroſii: gratia Dei in Baptiſmo gratis omnia condonat.*

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod per Baptiſmum aliquis incorporatur paſſioni & morti Chriſti; ſecundum illud Roman. 6. *Si mortui ſumus cum Chriſto, credimus quia etiam ſimul vivemus cum eo*: ex quo patet, quod omni baptizato communicatur paſſio Chriſti ad remedium, ac ſi ipſe paſſus & mortuus eſſet: paſſio autem Chriſti eſt ſufficiens ſatisfactio pro omnibus peccatis omnium hominum: & ideo ille qui baptizatur, liberatur a reatu totius pœnæ ſibi debitæ pro peccatis, ac ſi ipſe ſufficienter ſatisfeciſſet pro omnibus peccatis ſuis. *3. p. q. 69. art. 2. in corp.*

QUÆR. 51. *Cur per Baptiſmum non auferuntur omnes præſentis vitæ pœnalitates, juxta Gloſſam ſuper illud Rom. 6. ut deſtruatur corpus peccati, dicentem, per Baptiſmum id agitur, ut vetus homo crucifigatur, & corpus peccati deſtruatur; non ita ut in ipſo vivente carnis concupiſcentia conſperſa, & innata, repente abſumatur, & non ſit; ſed ne obſit mortuo, quæ inerat nato.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Baptiſmus habet virtutem auferendi pœnalitates præſentis vitæ, non tamen eas aufert in præſenti vita; ſed ejus virtute auferuntur a juſtis in reſurrectione, quando *mortale hoc immortalitatem*, ut dicitur 1. Corinth. 15. & hoc rationabiliter.

Primo quidem, quia per Baptiſmum homo incorporatur Chriſto, & efficitur membrum ejus; & ideo conveniens eſt, ut id agatur in membro incorporato, quod eſt actum in Capite: Chriſtus autem a principio conceptionis fuit plenus gratia & veritate, habuit tamen corpus paſſibile, quod poſt paſſionem & mortem eſt ad vitam glorioſam reſuſcitatum; unde & Chriſtianus in Baptiſmo gratiam conſequitur quantum ad animam: habet tamen corpus paſſibile, in quo pro Chriſto poſſit pati, ſed tandem reſuſcitabitur ad impaſſibilem vitam: unde Apoſt. dicit Roman. 8. *Qui ſuſcitavit Jeſum Chriſtum a mortuis, vivificavit & mortalia corpora propter inhabitantem ſpiritum ejus in vobis*; & infra: *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti; ſi tamen compatimur, ut & glorificemur.*

Secundo, hoc eſt conveniens propter ſpirituale exercitium, ut videlicet contra concupiſcentiam, & alias paſſibilitates pugnans homo victoriæ coronam acciperet: unde ſuper illud Roman. 6. *Ut deſtruatur corpus peccati*, dicit Gloſſa, *ſi poſt Baptiſmum vixerit homo in carne, habet concupiſcentiam cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo ſuperet*. In cujus figuram dicitur Jud. 3. *Hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Iſraelem; & poſtea diſcerent filii eorum certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi.*

Tertio, hoc fuit conveniens ne homines ad Baptiſmum accederent propter impaſſibilitatem præſentis vitæ, & non propter gloriam vitæ æternæ: unde Apoſt. dicit. 1. Corint. 15. *Si in hac vita tantum ſperantes ſumus in Chriſto, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* *3. p. q. 69. art. 3. in corp.*

QUÆR. 52. *An Baptiſmus liberet ſervum a ſervitute.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Baptiſmus non delet ſtatim omnes pœnalitates ex peccato primi parentis conſequentes, ſicut neceſſitatem moriendi, & cæcitatem, vel aliquid hujuſmodi; ſed regenerat in ſpem vivam illius vitæ, in qua omnia illa tollentur: & ſic non oportet, ut aliquis ſtatim baptizatus a ſervili conditione liberetur, quamvis illa ſit pœna peccati *2. ſent. d. 44. q. 2. art. 2. ad 2. & 3.* (*4. ſent. art. 39. art. 4. ad 1.*)

QUÆR. 53. *Utrum homicida baptizatus liberetur a pœna debita homicidio.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in pœnis, quæ judicio humano inferuntur, non ſolum attenditur qua pœna ſit homo dignus quoad Deum, ſed etiam in quo ſit obligatus quoad homines, qui læſi & ſcandalizati ſunt per peccatum alicujus: & ideo licet homicida per Baptiſmum liberetur a reatu pœnæ quoad Deum, remanet tamen obligatus adhuc quoad homines, quos juſtum eſt ædificari de pœna, ſicut ſunt ſcandalizati de culpa. Pie tamen talibus Princeps poſſet pœnam indulgere. *3. q. p. 69. art. 2. ad 3.*

QUÆR. 54. *An per Baptiſmum conferantur gratia, & virtutes, juxta illud ad Titum 3. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, quam effudit in nos abunde, idest, ad remiſſionem peccatorum, & copiam virtutum, ut exponit Gloſſa.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut Auguſtinus dicit in lib. de Baptiſmo parvulorum, ad hoc Baptiſmus valet, ut Baptizati Chriſto incorporentur ut membra ejus: a capite autem Chriſto in omnia membra ejus gratiæ, & virtutis plenitudo derivatur, ſecundum illud Joan. 2. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*; unde manifeſtum eſt quod per Baptiſmum aliquis conſequitur gratiam, & virtutes. *3. p. qu. 69. art. 4. in corp.*

QUÆR. 55. *An & quomodo concupiſcentia, vel fomes peccati mitigetur per gratiam Baptiſmi.*

Reſp. D. Thomas, per Baptiſmum gratia confertur, cujus virtute illa infectio ab homine tollitur, quæ ex natura in perſonam devolvitur: & ſecundum hoc anima purgatur a macula culpæ, & per conſequens ſolvitur reatus pœnæ. Illa autem diſpoſitio ad malum,

Digitized by Google

lum, quæ fomes, & concupiſcentia dicitur; non ex toto tollitur, quia illa diſpoſitio ſequitur conditionem naturæ: Baptiſmus autem non purgat naturam, niſi quantum pertinet ad infectionem perſonæ: & ideo illa diſpoſitio ex toto non tollitur uſque ad ſtatum beatitudinis, quo natura perfecte curabitur: ſed tamen diſpoſitio illa per Baptiſmum minuitur, inquantum gratia, quam quis in Baptiſmo conſequitur, in contrarium inclinat ei, ad quod fomes diſponebat: & ita virtus fomitis in nobis minuitur per auxilium gratiæ. *2. ſent. diſt. 32. q. 1. art. 1. in corp.*

QUÆR. 56. *Utrum gratia Baptiſmi faciat, quod concupiſcentia, & aliæ pœnalitates non dominentur ipſi, ſed potius ſubjiciantur, & in ejus utilitatem cadant.*

Reſp. D. Thomas, Baptiſmus non aufert pœnas, quæ conſequuntur principia naturæ deſtitutæ gratia innocentiæ primi ſtatus; cujuſmodi ſunt rebellio carnis ad ſpiritum, mors, & hujuſmodi pœnalitates, quæ conſequuntur ex hoc ipſo, quod homo ex contrariis compoſitus eſt & quantum ad corpus, & quantum ad animam quodammodo; ſcilicet quantum ad appetitus ſenſus, & intellectus: ſed per gratiam baptiſmalem efficitur, ut hæ pœnæ remanentes non dominentur in perſonam, ſed magis ei ſubjiciantur, & in utilitatem ipſius cedant, inquantum ſunt materia virtutis, & occaſio humilitatis, & exercitii. *4. ſent. d. 4. qu. 2. art. 1. quæſt. 3. in corp.*

QUÆR. 57. *Utrum per gratiam Baptiſmi nedum remittantur peccata præterita, ſed etiam impediantur futura.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Baptiſmus per gratiam quam confert, non ſolum removet peccata præterita, ſed etiam impedit peccata futura ne fiant: hoc autem præcipue deſiderandum eſt, ut homines non peccent; ſecundario autem ut levius peccent, vel etiam ut eorum peccata mundentur, ſecundum illud 1. Joann. 2. *Filioli mei, hæc ſcribo vobis, ut non peccetis: ſed etſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. 3. p. qu. 68. art. 3. ad 3.*

QUÆR. 58. *Utrum effectus Baptiſmi ſit apertio januæ regni Cæleſtis, ſicut ſuper illud Lucæ 3. Apertum eſt Cælum, Gloſſa Bedæ dicit: virtus hic Baptiſmatis oſtenditur, de quo quiſque cum egreditur, regni cæleſtis ei janua aperitur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aperire januam regni cæleſtis eſt removere impedimentum, quo quis impeditur regnum cæleſte introire: hoc autem impedimentum eſt culpa, & reatus pœnæ: oſtenſum eſt autem quod per Baptiſmum omnis culpa, & omnis reatus pœnæ tollitur: unde conſequens eſt, quod effectus Baptiſmi ſit apertio januæ regni Cæleſtis. *3. p. q. 69. art. 7. in corp. 4. ſent. d. 3. art. 1. q. 3. & diſt. 4. q. 2. art. 2. quæſt. 6.*

QUÆR. 59. *An & quomodo effectus Baptiſmi impediatur per fictionem, & ipſa poſtea recedente producatur.*

Reſp. *v. Fictio, qu. 2. & ſeq.*

QUÆR. 60. *Utrum in Baptiſmo requiratur aliquis, qui baptizatum levet de ſacro Fonte, ſive ſit patrinus, juxta illud D. Dionyſii 2. cap. Eccleſ. Hierarch. Sacerdotes aſſumentes Baptizatum, tradunt eum ad educationem ſuſceptori, & duci.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſpiritualis regeneratio, quæ fit per Baptiſmum, aſſimilatur quodammodo generationi carnali: unde dicitur 1. Petri 2. *Sicut modo geniti infantes, rationabiles, ſine dolo lac concupiſcite:* in generatione autem carnali parvulus nuper natus indiget nutrice, & pædagogo: unde & in ſpirituali generatione Baptiſmi requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis, & pædagogi, informando, & inſtruendo eum quaſi novitium in fide de his, quæ pertinent ad fidem, & vitam Chriſtianam, ad quod Prælati Eccleſiæ vacare non poſſunt, circa communem curam populi occupati: Parvuli enim, & novitii indigent ſpeciali cura præter communem; & ideo requiritur, quod aliquis ſuſcipiat baptizatum de ſacro Fonte, quaſi in ſuam inſtructionem, & tutelam: & hoc eſt, quod Dionyſius dicit ultimo cap. Cæleſtis Hierarch. *Divinis noſtris Ducibus* (ideſt Apoſtolis) *ad mentem venit, & viſum eſt ſuſcipere infantes ſecundum iſtum ſanctum modum, quod naturales pueri parentes traderent puerum cuidam docto in Divinis pædagogo, & reliquum ſub ipſo puer ageret, ſicut ſub Divino Patre, & ſalvationis ſanctæ ſuſceptore. 3. p. qu. 67. art. 7. in corp.*

QUÆR. 61. *An ſit de neceſſitate Sacramenti Baptiſmi, quod aliquis ſit Patrinus, vel ſufficiat Miniſter qui ſe habet ut pater, & aquæ quæ tenet locum matris, ut dicit D. Auguſtinus ſerm. 1. Domin. infra octavam Epiphaniæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in generatione carnali non requiritur ex neceſſitate niſi pater & mater; ſed ad facilem partum, & educationem pueri convenientem requiritur obſtetrix, & nutrix, & pædagogus; quorum vices implet in Baptiſmo ille qui puerum de ſacro Fonte levat: unde non eſt de neceſſitate Sacramenti; ſed unus ſolum poteſt aliquem baptizare, neceſſitate imminente. *Ibidem art. 7. ad 2.*

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR.62. An Pater ſpiritualis, ſive Patrinus debeat eſſe alius a Patre carnali.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut eſt alia generatio ſpiritualis a carnali; ita etiam debet eſſe alia diſciplina, ſecundum illud Hebr. 13. *Patres quidem carnis poſtea habemus eruditores, & reverebamur eos, non multo magis obtemperabimus Patri ſpirituum, & vivemus?* & ideo alius debet eſſe pater ſpiritualis a patre carnali; niſi neceſſitas contrarium exigat. 3. p. q. 67. ar. 8. ad 2.

QUÆR.63. Quomodo intelligi debeat Decretum Leonis Papæ dicentis, non plures ad ſuſcipiendum de Baptiſmo infantem, quam unus, accedant, ſive vir, ſive mulier.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod confuſio eſſet diſciplinæ, niſi eſſet unus principalis inſtructor: & ideo in Baptiſmo unus debet eſſe principalis ſuſceptor; alii tamen poſſunt admitti, quaſi coadjutores. 3. p. qu. 67. art. 8. ad 3.

QUÆR.64. In quo caſu ſuſceptor debeat eſſe doctus in divinis, & utrum non baptizatus poſſit eſſe patrinus.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ubi imminet periculum, oportet eſſe aliquem doctum in Divinis; ſicut Dionyſius dicit, qui baptizatum de ſacro fonte ſuſciperet: ſed ubi hoc periculum non immineret, propter hoc, quod pueri nutriuntur inter Catholicos, admittitur quicunque ad officium, quia ea, quæ pertinent ad Chriſtianam vitam, & fidem, publice omnibus nota ſunt; & tamen ille, qui non eſt baptizatus, non poteſt ſuſcipere baptizatum, ut eſt declaratum in Concilio Moguntino, licet non baptizatus poſſit baptizare; quia perſona baptizantis eſt de neceſſitate Sacramenti, non autem perſona ſuſcipientis. 3. p. q. 67. art. 8. ad primum. 4. ſent. diſt. 6. q. 2. art. 2. q. 2. ad tertium.

QUÆR.65. An patrini poſſint aliquando excuſari, ſi non doceant pueros, cum D. Auguſtinus in ſerm. Domin. 5. poſt Paſcha dicat: vos ante omnia tam viros quam mulieres, qui filios in Baptiſmo ſuſcepiſtis, moneo ut vos cognoſcatis fidejuſſores apud Deum extitiſſe pro illis, quos viſi eſtis de ſacro fonte ſuſcipere.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod unuſquiſque obligatur ad exequendum officium, quod accepit: dictum eſt autem, quod ille, qui ſuſcipit aliquem de ſacro fonte, aſſumit ſibi officium pædagogi; & ideo obligatur ad habendam curam de ipſo, ſi neceſſitas immineret: ſicut eo tempore, & loco in quo baptizati inter infideles nutriuntur. Sed ubi nutriuntur inter Catholicos Chriſtianos, ſatis poſſunt ab hac cura excuſari, præſumendo quod a ſuis parentibus diligenter inſtruantur. Si tamen quocunque modo ſentirent contrarium, tenerentur ſecundum ſuum modum ſaluti ſpiritualium filiorum curam impendere. 3. p. q. 67. art. 8. in corp.

QUÆR.66. Quid ſit catechiſmus, & quomodo debet Baptiſmum præcedere.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut in aliis ſcientiis, & doctrinis quædam ſunt communia, quibus ignoratis neceſſe eſt artem ignorare; quædam autem propria, quæ ſine ignorantia illius doctrinæ ignorari poſſunt: ita etiam in doctrina fidei quædam dicuntur, quæ ſunt fidei communia rudimenta, ad quæ credenda explicite omnes tenentur, ſicut eſt fides Trinitatis, & Incarnationis, & Paſſionis, & Divini Judicii, & Providentiæ Dei de factis hominum: & talis inſtructio catechiſmus dicitur. De aliis autem debet inſtrui poſt Baptiſmum temporis proceſſu. 4. ſentent. d. 6. q. 2. ar. 2. q. 1. in corp. 3. p. q. 71. art. 1.

QUÆR.67. Ad quos ſpectet catechizare, & de Baptiſmo inſtruere.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod triplex eſt inſtructio fidei: una admonitoria, qua quis ad fidem convertitur; & hæc proprie eſt Sacerdotum, quorum eſt prædicare, & docere; unde & Dionyſius hanc inſtructionem Epiſcopo attribuit: alia eſt inſtructio diſciplinabilis, qua quis inſtruitur qualiter ad Baptiſmum accedere debet, & quid credere debeat: & hæc pertinet ad officium Diaconi, & per conſequens Sacerdotis; quia quidquid eſt Diaconi, eſt etiam Sacerdotis: tertia, quæ ſequitur Baptiſmum, & hæc pertinet ad Anadochum, & ad Prælatos Eccleſiæ: Prælati enim Eccleſiæ habent quaſi doctrinam generalem, quæ per officium Anadochi ſpecialiter ad hunc, vel illum adaptatur, ſecundum quod ei competit. 4. ſentent. d. 6. q. 2. art. 2. q. 2. in corp. (3. p. q. 67. art. 3. ad 2.) q. 71. art. 4. in corp. & ad 3.

QUÆR.68. An Catechiſmus debeat præcedere Exorciſmum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Catechiſmus ordinat ad bonum non efficiendo aliquid, ſed ſolum inſtruendo: Exorciſmus autem removet malum in operando: & inſtructio in talibus debet operationem præcedere, ut ſciat homo quid in eo fieri debeat. 4. ſent. d. 6. in expoſitione litteræ.

QUÆR.69. Utrum exorciſmus debeat præcedere Baptiſmum, juxta illud Cæleſtini Papæ: ſive parvuli, ſive juvenes ad generationis veniant Sacramentum, non prius fontem vitæ adeant, quam exorciſmis, & exſufflationibus Clericorum ſpiritus immundus ab eis abjiciatur.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quicunque ſapienter aliquod opus facere proponit, prius removet impedimenta ſui operis; unde dicitur Hierem. 4. *Novate vobis novale, & nolite ſerere ſuper ſpinas.* Diabolus autem eſt hoſtis humanæ ſalutis, quæ homini per Baptiſmum exhibetur, & habet poteſtatem aliquam in hominem; ex hoc ipſo quod ſubditur originali peccato, vel etiam actuali: unde convenienter ante Baptiſmum expelluntur Dæmones per exorciſmos, ne ſalutem hominis impediant, quam quidem expulſionem ſignificat exſufflatio: Benedictio autem cum manus impoſitione præcludit expulſo viam ne redire poſſit: Sal autem in os miſſum, & narium, & aurium ſputo linitio ſignificat receptionem doctrinæ fidei quantum ad nares, & confeſſionem quantum ad os; olei vero inunctio ſignificat aptitudinem hominis ad pugnandum contra Dæmones. 3. *p. q.* 71. *a.* 2. *in corp.*

QUÆR. 70. *Utrum exorciſmus debeat ſuppleri poſt Baptiſmum, ſi ante fuit omiſſus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod diſpoſitio ſufficiens ad ſuſcipiendam gratiam baptiſmalem eſt fides, & intentio; vel propria ejus, qui baptizatur, ſi ſit adultus; vel ipſius Eccleſiæ, ſi ſit parvulus: ea vero, quæ aguntur in exorciſmo, ordinantur ad removendum impedimenta; & ideo ſine eo poteſt aliquis conſequi effectum Baptiſmi. Non tamen ſunt hujuſmodi prætermittenda, niſi in neceſſitatis articulo; & tunc ceſſante periculo debent ſuppleri, ut ſervetur uniformitas in Baptiſmo: nec fruſtra ſupplentur poſt Baptiſmum; quia ſicut impeditur effectus Baptiſmi antequam percipiatur, ita poteſt impediri poſtquam fuerit perceptus. 3. *p. q.* 71. *art.* 3. *ad tertium.* 4. *d.* 6. *q.* 2. *a.* 3. *q.* 2. *ad* 4.

QUÆR. 71. *Quinam ſint proprii effectus exorciſmorum in baptizandis: Et quomodo D. Auguſtinus dicit in lib. de ſymbolo: parvuli exſufflantur, & exorcizantur, ut tollatur ab eis poteſtas inimica, quæ decipit hominem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quidam dixerunt ea quæ in exorciſmo aguntur, nihil efficere, ſed ſolum ſignificare. Sed hoc patet eſſe falſum, per hoc quod Eccleſia in exorciſmis, imperativis verbis utitur ad expellendam Dæmonis poteſtatem, puta cum dicit, *ergo maledicte diabole exi ab eo &c.* & ideo dicendum eſt quod aliquem effectum habent; differenter tamen ab ipſo Baptiſmo; nam per Baptiſmum datur homini gratia ad plenam remiſſionem culparum; per ea vero quæ in exorciſmo aguntur, excluditur duplex impedimentum ſalutaris gratiæ percipiendæ: quorum unum eſt impedimentum extrinſecum, prout Dæmones hominis ſalutem impedire conantur; & hoc impedimentum excluditur per exſufflationes, quibus poteſtas Dæmonis pellitur, ut patet ex inducta authoritate Auguſtini, quantum ſcilicet ad hoc quod non præſtet impedimentum Sacramento ſuſcipiendo. Manet tamen poteſtas Dæmonis in homine quantum ad maculam peccati, & reatum pœnæ, quouſque peccatum per Baptiſmum tollatur; & ſecundum hoc Cyprianus dicit, *ſcias diaboli nequitiam poſſe remanere uſque ad aquam ſalutarem: in Baptiſmo autem omnem nequitiam amittere.* Aliud impedimentum eſt intrinſecum, prout ſcilicet homo ex infectione originalis peccati habet ſenſus præcluſos ad percipienda ſalutis myſteria: unde Rabanus de inſtitutione Clericorum dicit, quod *per ſalivam typicam, & Sacerdotis tactum ſapientia, & virtus divina ſalutem catechumeni operatur; ut aperiantur ei nares ad percipiendum odorem notitiæ Dei, ut aperiantur ei aures ad audiendum mandata Dei, ut aperiantur illi ſenſus in intimo corde ad reſpondendum.* 3. *p. quæſt.* 71. *art. in corp.*

QUÆR. 72. *Quare licet Dæmon per Baptiſmum expellatur, nihilominus præmittitur exorciſmus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quamvis in Baptiſmo ſufficienter pellatur, tamen propter baptizandi ſecuritatem, & facilitatem, & propter Baptiſmi ſolemnitatem exorciſmus convenienter præmittitur. 4. *ad Hannib. d.* 6. *a. t.* 4. *ad* 1.

QUÆR. 73. *Ad quem pertineat exorcizare baptizandum; & cur modo in Eccleſia id totum quod ad Baptiſmum ſpectat, Sacerdoti committitur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod exorcizare ad exorciſtas pertinet ex proprio officio ordinis; nihilominus tamen eſt & ſuperiorum ordinum: tamen propter oſtendendam unitatem Baptiſmi, conſuetum eſt in Eccleſia, ut totum quod ad Baptiſmum pertinet, expleatur ab uno, ſcilicet a Sacerdote; & præcipue nunc, quando non venit magna multitudo ſimul ad Baptiſmum, & ſunt multi Sacerdotes. In primitiva autem Eccleſia quandoque magna turba ſimul ad Baptiſmum accedebat, & erant pauci Sacerdotes; unde hujuſmodi Sacramentalia relinquebantur in minoribus ordinibus conſtitutis. 4. *diſt.* 6. *q.* 2. *a.* 2. *q.* 2.

QUÆR. 74. *Quomodo catechiſmus, & exorciſmus ſint Sacramentalia, & cur omnia ad cultum divinum ſanctificanda exorcizantur.*

Reſpondetur *v. Exorciſmus*, & *v. Sacramentale.*

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 75. An ſint convenientes unctiones, quæ in Baptiſmo fiunt, ex oleo, vel chriſmate.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod uſus olei, vel Chriſmatis adhibetur ad quandam ſolemnitatem; nam primo Baptizandus inungitur Oleo Sancto, & in pectore, & in ſcapulis quaſi athleta Dei, ut Ambroſius dicit in libro de Sacramentis, *ſicut pugiles inungi conſueverunt*: vel ſicut Innocentius dicit in quadam Decretali de Sacra Unctione, *Baptizandus in pectore inungitur, ut per Spiritus Sancti donum errorem abiiciat & ignorantiam, & fidem rectam ſuſcipiat, quia juſtus ex fide vivit: Inter ſcapulas autem inungitur, ut per Spiritus Sancti gratiam excutiat negligentiam, & torporem, & bonam operationem exerceat, quia fides ſine operibus mortua eſt: ut per fidei Sacramentum ſit munditia cogitationum in pectore, & per operis exercitium fortitudo laborum in ſcapulis*; poſt Baptiſmum vero (ut Rabanus dicit) *ſtatim ſignatur in cerebro a Presbytero cum ſacro Chriſmate, ſequente ſimul & oratione, ut Chriſti regni particeps fiat, & a Chriſto Chriſtianus poſſit vocari*, vel ſicut Ambroſius dicit: *Unguentum ſuper caput effunditur, quia ſapientiæ ſenſus in capite ejus*, ut ſcilicet *ſit paratus omni petenti de fide reddere rationem. 3. p. q. 66. a. 10. ad 2.*

QUÆR. 76. An ritus, quo Eccleſia in baptizando utitur, ſit conveniens.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in Sacramento Baptiſmi aliquid agitur quod eſt de neceſſitate Sacramenti, & aliquid eſt quod ad quandam ſolemnitatem Sacramenti pertinet. De neceſſitate quidem Sacramenti eſt, forma, quæ deſignat principalem cauſam Sacramenti; & miniſter qui eſt cauſa inſtrumentalis; & uſus materiæ, ſcilicet ablutio in aqua: cætera vero omnia, quæ in ritu baptizandi obſervat Eccleſia, magis pertinent ad quandam ſolemnitatem Sacramenti.

Quæ quidem adhibentur in Sacramento propter tria. Primo quidem ad excitandam devotionem fidelium, & reverentiam ad Sacramentum: ſi enim ſimpliciter fieret ablutio in aqua abſque ſolemnitate, de facili ab aliquibus æſtimaretur quaſi quædam communis ablutio. Secundo ad fidelium inſtructionem: ſimplices enim, qui litteris non erudiuntur, oporret erudire per aliqua ſenſibilia ſigna, puta per picturas, & alia hujuſmodi: & per hunc modum per ea, quæ in Sacramentis aguntur, vel inſtruuntur, vel ſollicitantur ad quærendum de his quæ per hujuſmodi ſenſibilia ſigna ſignificantur: & ideo quia præter principalem Sacramenti effectum oportet quædam alia ſcire circa Baptiſmum, conveniens fuit ut etiam quibuſdam exterioribus ſignis repræſentarentur. Tertio quia per orationes & benedictiones, & alia hujuſmodi cohibetur vis Dæmonis ab impedimento Sacramentalis effectus. *3. p. q. 66. a. 10. in corp.*

BELLUM.

QUÆR. 1. An Religio Chriſtiana prohibeat bellum.

Reſp. D. Thomas, quod Auguſtinus dicit in ſermone de puero Centurionis: *Si Chriſtiana diſciplina omnino bella culparet, hoc potius conſilium ſalutis petentibus in Evangelio daretur, ut abjicerent arma, ſeque militiæ omnino ſubtraherent; dictum eſt autem eis: neminem concutiatis: eſtote contenti ſtipendiis veſtris: quibus proprium ſtipendium ſufficere præcepit, militare non prohibuit. 2. 2. quæſt. 40. a. 1. in arg. Sed contra.*

QUÆR. 2. Quænam requirantur ad hoc ut aliquod bellum ſit juſtum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ad hoc quod aliquod bellum ſit juſtum tria requiruntur. Primo quidem authoritas Principis, cujus mandato bellum eſt gerendum: non enim pertinet ad perſonam privatam bellum movere: quia poteſt jus ſuum in judicio ſuperioris proſequi: ſimiliter etiam convocare multitudinem, quod in bellis oportet fieri, non pertinet ad privatam perſonam: cum autem cura Reipublicæ commiſſa ſit Principibus, ad eos pertinet Rempublicam Civitatis, vel Regni, ſeu Provinciæ ſibi ſubditæ tueri: Et ſicut licite defendunt eam materiali gladio contra interiores quidem perturbatores, dum malefactores puniunt, ſecundum illud Apoſtoli ad Rom. 13. *Non ſine cauſa gladium portat: miniſter enim Dei eſt, vindex in iram ei, qui male agit*: ita etiam gladio bellico ad eos pertinet Rempublicam tueri ab exterioribus hoſtibus: unde & Principibus dicitur in Pſalm. 81. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate*: unde Auguſtinus dicit contra Fauſtum, *Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poſcit, ut ſuſcipiendi belli authoritas, atque conſilium penes Principes ſit.*

Secundo requiritur cauſa juſta, ut ſcilicet illi, qui impugnantur, propter aliquam culpam impugnationem mereantur: unde Auguſtinus dicit in lib. 83. quæſt. *Juſta bella ſolent diffiniri, quæ ulciſcuntur injurias, ſi gens, vel civitas plectenda eſt, vel vindicare neglexerit, quod a ſuis improbe factum eſt, vel reddere, quod per injuriam ablatum eſt.*

Tertio requiritur ut ſit intentio bellantium, re-

Digitized by Google

recta, qua ſcilicet intenditur, vel ut bonum promoveatur, vel ut malum vitetur: unde Auguſtinus in lib. de verbis Domini, *Apud veros Dei cultores etiam illa bella peccata non ſunt, quæ non cupiditate, aut crudelitate, ſed pacis ſtudio geruntur, ut mali coerceantur, & boni ſubleventur.* Poteſt autem contingere, ut ſi ſit legitima authoritas indicentis bellum, & cauſa juſta, nihilominus propter pravam intentionem belli reddatur illicitum: dicit enim Auguſtinus in lib. contra Fauſtum; *Nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, implacatus, & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & ſi qua ſunt ſimilia, hæc ſunt, quæ in bellis jure culpantur.* 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. *in corp. q.* 41. *art.* 1. *ad* 2. & 3. *p. q.* 42. *art.* 2. *ad* 1.

QUÆR. 3. *An bellum ſit contrarium his divinis præceptis quæ traduntur Matth.* 5. *Ego dico vobis non reſiſtere malo: Et Rom.* 12. *Non vos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod hujuſmodi præcepta, ſicut Auguſtinus dicit in lib. de ſerm. Domini in monte, ſemper ſunt ſervanda in præparatione animi; ut ſcilicet ſemper homo ſit paratus non reſiſtere, vel ſe non defendere, ſi opus fuerit; ſed quandoque eſt aliter agendum propter commune bonum, vel etiam illorum cum quibus pugnatur: unde Auguſtinus dicit in epiſt. 5. ad Marcellinum: *Agenda ſunt multa etiam cum invitis, benigna quadam aſperitate plectendis: nam cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur; quoniam nihil eſt infelicius felicitate peccantium; qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas, velut hoſtis interior, roboratur.* 2. 2. *qu.* 40. *art.* 1. *ad* 2.

QUÆR. 4. *Quomodo etiam illi, qui bellum gerunt, pacem intendere debent.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod etiam illi, qui juſte bella gerunt, pacem intendunt; & ita paci non contrariantur niſi malæ, quam Dominus non venit mittere in terram, ut dicitur Matth. 10. unde Auguſtinus ad Bonifacium dicit: *non quæritur pax, ut bellum exerceatur, ſed bellum geritur, ut pax acquiratur: eſto ergo bellando pacificus, ut eos quos expugnas ad pacis utilitatem vincendo perducas. ibid. ad* 2.

QUÆR. 5. *Quænam exercitia bellica ſint prohibita, vel permiſſa.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod exercitia hominum ad res bellicas ſpectantia non ſunt univerſaliter prohibita; ſed inordinata exercitia, & periculoſa, ex quibus occiſiones, & deprædationes proveniunt. Apud antiquos autem exercitationes ad bella ſine hujuſmodi periculis erant: & ideo vocabantur meditationes armorum, vel bella ſine ſanguine, ut per Hieronymum patet in quadam Epiſtola. 2. 2. *q.* 40. *art.* 1. *ad* 4.

QUÆR. 6. *An liceat bellantibus accipere prædam ab hoſtibus, & utrum ad reſtitutionem teneantur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod circa prædam diſtinguendum eſt: quia ſi illi, qui deprædantur hoſtes, habent bellum juſtum, ea, quæ per violentiam in bello acquirunt; eorum efficiuntur; & hoc non habet rationem rapinæ; unde nec ad reſtitutionem tenentur: quamvis poſſint in acceptione prædæ juſtum bellum habentes peccare per cupiditatem ex prava intentione; ſi ſcilicet non propter juſtitiam, ſed propter prædam principaliter pugnent: dicit enim Auguſtinus in lib. de verbis Domini, *quod propter prædam militare peccatum eſt*: ſi vero illi, qui Prædam accipiunt, habent bellum injuſtum, rapinam committunt, & ad reſtitutionem tenentur. 2. 2. *q.* 66. *art.* 8. *ad* 1.

QUÆR. 7. *An ſit licitum uti inſidiis in bello.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod inſidiæ ordinantur ab fallendum hoſtes: dupliciter autem aliquis poteſt falli ex facto, vel ex dicto alterius; uno modo ex eo quod ei dicitur falſum, vel non ſervatur promiſſum; & iſtud ſemper eſt illicitum: & hoc modo nullus debet hoſtes fallere; *ſunt enim quædam jura bellorum, & fœdera etiam inter ipſos hoſtes ſervanda*, ut Ambroſius dicit in lib. de officiis: alio modo aliquis poteſt falli ex dicto, vel facto noſtro; quia ei propoſitum, aut intellectum non aperimus: hoc autem ſemper facere non tenemur; quia etiam in doctrina ſacra multa ſunt occultanda maxime infidelibus, ne irideant, ſecundum illud Matthæi 7. *Nolite ſanctum dare canibus*: unde multo magis ea, quæ ad impugnandum inimicos paramus, ſunt eis occultanda: unde inter cætera documenta rei militaris hoc præcipue ponitur de occultandis conſiliis, ne ad hoſtes perveniant, ut patet in lib. Stratagematum Francorum: & talis occultatio pertinet ad rationem inſidiarum, quibus licitum eſt uti in bellis juſtis. Nec proprie hujuſmodi inſidiæ vocantur fraudes, nec juſtitiæ repugnant, nec ordinatæ voluntati: eſſet enim inordinata voluntas, ſi aliquis vellet nihil ſibi ab aliis occultari. 2. 2. *q.* 40. *art.* 3. *in corp.*

QUÆR. 8. *Utrum Epiſcopis, & Clericis licitum ſit pugnare.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ad bonum ſocietatis humanæ plura ſunt neceſſaria: diverſa autem a diverſis melius, & expeditius aguntur, quam ab uno, ut patet per Philo-

Digitized by Google

loſophum in ſua Politica, & quædam negotia ſunt adeo ſibi repugnantia, ut convenienter ſimul exerceri non poſſint: & ideo illis, qui majoribus deputantur, prohibentur minora; ſicut ſecundum leges humanas militibus, qui deputantur ad exercitia bellica, negotiationes interdicuntur.

Bellica autem exercitia maxime repugnant illis officiis, quibus Epiſcopi, vel Clerici deputantur, propter duo. Primo quidem generali ratione; quia bellica exercitia maximas inquietudines habent, unde multum impediunt animum a contemplatione Divinorum, ſcilicet laude Dei, & oratione pro populo, quæ ad officium pertinent Clericorum: & ideo ſicut negotiationes propter hoc, quod nimis implicant animum, interdicuntur Clericis, ita & bellica exercitia ſecundum illud 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat ſe ſæcularibus negotiis*: Secundo propter ſpecialem rationem; nam omnes Clericorum ordines ordinantur ad altaris miniſterium, in quo ſub Sacramento repræſentatur paſſio Chriſti, ſecundum illud 1. ad Corinth. 11. *Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat*: & ideo non competit eis occidere, vel effundere ſanguinem, ſed magis eſſe paratos ad propriam ſanguinis effuſionem pro Chriſto; ut imitentur opere, quod gerunt miniſterio: & propter hoc eſt inſtitutum, ut effundentes ſanguinem etiam ſine peccato, ſint irregulares: nulli autem, qui eſt deputatus ad aliquod officium, licet id, per quod ſuo officio incongruus redditur: unde Clericis non licet omnino bella gerere, quæ ordinantur ad ſanguinis effuſionem. 1. 2. *qu.* 40. *art.* 2. *in corp.*

QUÆR. 9. *An Prælati, & Clerici poſſint intereſſe bello.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Prelati & Clerici ex authoritate Superioris poſſunt intereſſe bellis, non quidem ut ipſi propria manu pugnent, ſed ut juſte pugnantibus ſpiritualiter ſubveniant ſuis exhortationibus, & abſolutionibus, & aliis hujuſmodi ſpiritualibus ſubventionibus; ſicut & in veteri lege mandabatur Joſue 6. Quod Sacerdotes ſacris buccinis in bellis clangerent: & ad hoc primo fuit conceſſum, quod Epiſcopi, vel Clerici ad bella procederent. Quod autem aliqui propria manu pugnent, abuſionis eſt. 2. 2. *q.* 40. *art.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 10. *An liceat Clericis inducere alios ad bellandum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod omnis potentia, vel ars, vel virtus ad quam pertinet finis, habet diſponere de his, quæ ſunt ad finem: bella autem carnalia in populo fideli ſunt referenda ſicut ad finem ad bonum ſpirituale Divinum, cui Clerici deputantur: & ideo ad Clericos pertinet diſponere, & inducere alios ab bellandum bella juſta: non enim interdicitur eis bellare, quia peccatum ſit; ſed quia tale exercitium eorum perſonæ non congruit. 2. 2. *qu.* 40. *art.* 2. *ad tertium.*

QUÆR. 11. *Quibus armis uti debeant Prælati.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Prælati debent reſiſtere non ſolum lupis, qui ſpiritualiter interficiunt gregem, ſed etiam raptoribus, & tyrannis, qui corporaliter vexant; non autem materialibus armis in propria perſona utendo, ſed ſpiritualibus, ſecundum illud Apoſtoli 2. ad Corinth. 10. *Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Dei*: quæ quidem ſunt ſalubres admonitiones, devotæ orationes, contra contumaces excommunicationis ſententia, 2. 2. *q.* 40. *art.* 2. *ad* 1.

QUÆR. 12. *An liceat in diebus feſtis bellum exercere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod obſervatio feſtorum non impedit ea quæ ordinantur ad hominis ſalutem, etiam corporalem: unde Dominus arguit Judæos dicens Joannis 7. *Mihi indignamini, quia totum hominem ſanum feci in Sabbato*; & inde eſt, quod Medici licite poſſunt medicari homines in die feſto: multo autem magis eſt obſervanda ſalus Reipublicæ, per quam impediuntur occiſiones plurimorum, & innumera mala & temporalia, & ſpiritualia, quam ſalus corporalis unius hominis: & ideo pro tuitione Reipublicæ fidelium licitum eſt juſta bella exercere in diebus feſtis; ſi tamen hoc neceſſitas expoſcat: hoc enim eſſet tentare Deum, ſi quis imminente tali neceſſitate vellet a bello abſtinere. 2. 2. *qu.* 40. *art.* 2. *in corp.*

QUÆR. 13. *Quodnam ſit officium militis.*

Reſp. *v. Miles.*

BENEDICTIO.

QUÆR. 1. *Utrum a quocunque poſſit dari benedictio.*

RESp. D. Thomas, dicendum, quod quamvis purus homo non poſſit alteri ex condigno gratiam mereri; tamen unius meritum poteſt cooperari ad ſalutem alterius: & ideo duplex eſt benedictio; una quæ eſt ab ipſo homine puro, ſicut merente per proprium actum; & talis poteſt fieri a quolibet Sancto, in quo Chriſtus habitat per gratiam, & hæc requirit majoritatem bonitatis ad minus, inquantum meretur hujuſmodi: alia eſt benedictio, qua homo benedicit, ut benedictionem, quæ eſt ex merito Chriſti, inſtrumentaliter alicui applicans, & quantum ad hanc requiritur majoritas Ordinis, & non virtutis. 4. *ſent. d.* 19. *q.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 2.

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 2. An & quare ad ſolum Epiſcopum pertineat benedicere virgines, veſtes, & vaſa, & omnia, quæ ad divinum cultum applicantur.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod poteſtas Epiſcopalis ſe habet ad poteſtatem ordinum inferiorum, ſicut politica, quæ conjectat bonum commune, ad inferiores artes & virtutes, quæ conjectant aliquod bonum ſpeciale: politica autem, ut dicitur in 1. Ethicor. ponit legem inferioribus artibus, ſcilicet quis, quam debeat exercere; & quantum, & qualiter: & ideo ad Epiſcopum pertinet in omnibus divinis miniſteriis alios collocare: unde ipſe ſolus confirmat, quia confirmati in quodam officio confitendi fidem conſtituuntur: ideo ipſe ſolus virgines etiam benedicit, quæ figuram gerunt Eccleſiæ Chriſto deſponſatæ, cujus cura ipſi principaliter committitur: ipſe etiam in miniſtris ordinum ordinandos conſecrat, & vaſa, quibus uti debent eis determinat ſua conſecratione: ſicut etiam officia ſæcularia in civitatibus diſtribuuntur ab eo, qui habet excellentiorem poteſtatem, ſicut a Rege. 4. *ſent. diſt.* 35. *q.* 1. *a.* 1. *in corp.*

QUÆR. 3. An veſtibus cultui divino deputatis ſufficiat benedictio.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in veſtibus non requiritur alia conſecratio niſi quod divino cultui mancipentur: & ideo ſufficit eis pro conſecratione benedictio. 4. *ſent. d.* 24. *q.* 2. *a.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 4. Quid conferatur per benedictionem, ſive conſecrationem perſonarum, aut rerum, quæ divino cultui mancipantur.

Reſp. ſupra *v. Abbas q.* 2. & infra *V. Conſecratio, q.* 1. *& ſeq.*

BENEFICENTIA.

QUÆR. 1. Utrum omnibus teneamur benefacere, juxta illud Apoſtoli ad Gal. ult. dum tempus habemus operemur bonum ad omnes.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſimpliciter loquendo non poſſumus omnibus benefacere in ſpeciali: nullus tamen eſt, de quo non poſſit occurrere caſus, in quo oporteat ei benefacere etiam in ſpeciali: & ideo charitas requirit, ut homo etiam ſi non actu aliquibus benefaciat, habeat tamen hoc in animi ſui præparatione; ut benefaciat cuicumque, ſi tempus adeſſet: aliquod tamen beneficium eſt, quod poſſumus omnibus impendere, ſi non in ſpeciali, ſaltem in generali: ſicut cum oramus pro omnibus fidelibus, & infidelibus. 2. 2. *q.* 31. *a.* 2. *ad* 1.

QUÆR. 2. An ſit benefaciendum peccatoribus; & quomodo intelligi debeat illud Eccleſ. 12. da miſericordi, & non ſuſcipias peccatorem; & iterum, benefac humili, & non des impio.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſecundum Auguſtinum: *ſic diligendi ſunt homines, ut eorum non diligantur errores:* & quia exhibitio beneficii dilectioni correſpondet, ideo peccatori ad ſuſtentationem naturæ debet eleemoſynam facere, ſi indigeat; cum præcipiatur nobis benefacere amicis, & inimicis: ſed ad fovendum eorum malitiam, non debemus eis aliquid dare.

Vel ſi conſtaret, quod de eo quod eis datur, in peccatum abuterentur, non deberet eis dare aliquid, niſi neceſſitas extrema expoſceret. Et hoc modo intelligenda eſt authoritas inducta. 4. *ſent. diſt.* 16. *q.* 2. *a.* 6. *q.* 2. *in corp.* 2. 2. *q.* 31. *a.* 2. *ad* 2. *& q.* 32. *a.* 9. *ad* 1.

QUÆR. 3. An ſit benefaciendum excommunicatis, & inimicis Reipublicæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod excommunicatis, & Reipublicæ hoſtibus ſunt beneficia ſubtrahenda, inquantum per hoc arceantur a culpa: ſi tamen immineret neceſſitas, ne natura deficeret, eſſet eis ſubveniendum, debito tamen modo, puta ne fame, aut ſiti morerentur, aut aliquod hujuſmodi diſpendium, niſi ſecundum ordinem juſtitiæ, paterentur. 1. 2. *q.* 21. *a.* 2. *ad* 3.

QUÆR. 4. Quibus ſit magis benefaciendum; propinquis, an extraneis.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod gratia, & virtus imitantur naturæ ordinem, qui ex divina Sapientia eſt inſtitutus: eſt autem talis ordo naturæ, ut unumquodque agens naturale per prius magis diffundat ſuam actionem ad ea, quæ ſunt ſibi magis propinqua, ſicut ignis magis calefacit rem ſibi magis propinquam: & ſimiliter Deus in ſubſtantias ſibi propinquiores per prius, & copioſius dona ſuæ bonitatis diffundit, ut patet per Dionyſium 7. cap. cæleſtis Hierarchiæ: exhibitio autem beneficiorum eſt quædam actio charitatis in alios: & ideo oportet, quod ad magis propinquos ſimus magis benefici: ſed propinquitas unius hominis ad alium poteſt attendi ſecundum diverſa, in quibus ſibi ad invicem homines communicant, ut conſanguinei in naturali communicatione, concives in civili, fideles in ſpirituali, & ſic de aliis: & ſecundum diverſas conjunctiones ſunt diverſa beneficia diſpenſanda: nam unicuique eſt magis exhibendum beneficium pertinens ad illam rem, ſecundum quam eſt nobis magis conjunctus ſimpliciter loquendo: tamen hoc poteſt variari ſecundum diverſitatem loco-

locorum, & temporum, & negotiorum: nam in aliquo caſu eſt magis ſubveniendum extraneo, puta ſi ſit in extrema neceſſitate, quam etiam patri non tantam neceſſitatem patienti. 2. 2. *q.* 31. *a.* 3. *in corp. qu.* 71. *a.* 1. *in corp. & ad* 1.

QUÆR. 5. *Utrum in bello ſit magis benefaciendum militi, quam conſanguineo.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod bonum multorum commune divinius eſt, quam bonum unius: unde pro bono communi Reipublicæ vel ſpiritualis, vel temporalis virtuoſum eſt etiam, quod aliquis propriam vitam exponat periculo: & ideo cum communicatio in bellicis actibus ordinetur ad conſervationem Reipublicæ, in hoc miles impendens commilitonibus auxilium, non impendit ei tanquam privatæ perſonæ, ſed ſicut totam Rempublicam juvans: & ideo in hoc præfertur extraneus conjuncto ſecundum carnem. 2. 2. *q.* 31. *a.* 3. *ad* 1.

QUÆR. 6. *An prius ſint reſtituenda debita, quam benefaciendum propinquis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod duplex eſt debitum, unum quidem, quod non eſt numerandum in bonis ejus, qui debet, ſed potius in bonis ejus, cui debetur; puta ſi aliquis habet pecuniam, aut rem aliquam alterius vel furto ſublatam, vel mutuo acceptam, ſive depoſitam, vel aliquo alio ſimili modo: quantum ad hoc debet homo prius reddere debitum, quam ex eo benefacere conjunctis, niſi forte eſſet tantæ neceſſitatis articulus, in quo etiam liceret ipſi rem alienam accipere ad ſubveniendum neceſſitatem patienti, niſi forte & ille, cui res debetur, in ſimili neceſſitate eſſet; in quo tamen caſu penſanda eſſet utriuſque conditio ſecundum alias conditiones requiſitas prudentis judicio; quia in talibus non poteſt univerſalis regula dari propter varietatem ſingulorum caſuum, ut Philoſ. dicit in 9. Eth. aliud autem eſt debitum, quod computatur in bonis ejus, qui habet, & non ejus, cui debetur: puta ſi debeatur non ex juſtitiæ neceſſitate, ſed ex quadam morali æquitate, ut contingit in beneficiis gratis ſuſceptis; nullius autem benefactoris beneficium eſt tantum, ſicut parentum; & ideo parentes in recompenſandis beneficiis ſunt omnibus aliis præferendi, niſi neceſſitas ex alia parte præponderaret, vel alia conditio; puta communis utilitas Eccleſiæ, vel Reipublicæ: in aliis autem eſt æſtimatio habenda conjunctionis, & beneficii ſuſcepti, quæ ſimiliter non poteſt communi regula determinari. 2. 2. *q.* 31. *a.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 7. *Utrum in caſu neceſſitatis ſit magis benefaciendum parentibus, quam filiis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod parentes ſunt ſicut ſuperiores: & ideo amor parentum eſt ad benefaciendum, amor autem filiorum ad honorandum parentes: & tamen in neceſſitatis extremæ articulo magis liceret deſerere filios, quam parentes, quos nullo modo deſerere licet, propter obligationem beneficiorum ſuſceptorum, ut patet per Philoſophum in 8. Ethicor. c. ult. 2. 2. *q.* 31. *a.* 3. *ad* 4.

BENEFICIUM ECCLESIASTICUM.

QUÆR. 1. *Utrum abſque peccato acceptionis perſonarum in diſpenſatione ſpiritualium, qualia ſunt Eccleſiaſtica beneficia, attendi quandoque poſſit dignitas perſonarum, nedum juxta ſanctitatem, vel ſcientiam; ſed etiam juxta potentiam, vel induſtriam ſæcularem.*

RESp. D. Thomas, conſiderare oportet, quod dignitas alicujus perſonæ poteſt attendi dupliciter: uno modo ſimpliciter, & ſecundum ſe; & ſic majoris dignitatis eſt ille, qui magis abundat in ſpiritualibus gratiæ donis: alio modo per comparationem ad bonum commune: contingit enim quandoque, quod ille, qui eſt minus ſanctus, & minus ſciens, poteſt magis conferre ad bonum commune propter potentiam, vel induſtriam ſæcularem, vel propter aliquid hujuſmodi: & quia diſpenſationes ſpiritualium principalius ordinantur ad utilitatem communem, ſecundum illud 1. ad Corinth. 12. *Unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem*; ideo quandoque abſque acceptione perſonarum in diſpenſatione ſpiritualium qui ſunt ſimpliciter minus boni, melioribus præferuntur: ſicut etiam & Deus gratias gratis datas quandoque concedit minus bonis. 2. 2. *q.* .... *a.* 2. *in corp.*

QUÆR. 2. *An & quomodo teneatur Epiſcopus dare beneficia meliori, & grave peccatum aliter faceret.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aliquis poteſt dici melior dupliciter: uno modo ſimpliciter, ut qui eſt ſanctior plus habens de charitate: alio modo dicitur aliquis melior quoad aliquid, contingit autem quandoque aliquem eſſe meliorem ſimpliciter, qui tamen non eſt melior quantum ad hoc, quod beneficium percipiat; quia alius forte poteſt Eccleſiam magis juvare vel per conſilium ſapientiæ, vel per auxilium potentiæ, vel quia ſervivit in Eccleſia.

Non ergo Epiſcopus tenetur ſemper meliori ſimpliciter, ſed tenetur dare meliori quoad hoc;

Digitized by Google

hoc; non enim poteſt eſſe, quod unum præferat alteri, niſi propter aliquam cauſam, quæ ſi quidem pertineat ad honorem Dei, & utilitatem Eccleſiæ, jam quantum ad hoc ille eſt melior: ſi autem illa cauſa ad hoc non pertineat, erit acceptio perſonarum, quæ tanto eſt gravior, quanto in rebus Divinis committitur: unde ſuper illud Jacobi 2. *Tu ſede hic, bene &c.* dicit gloſſa Auguſtini, *ſi hanc diſtantiam ſedendi, & ſtandi ad honores Eccleſiaſticos referamus, non eſt putandum leve eſſe peccatum in acceptione perſonarum habere ſedem Domini gloriæ; quis enim ferat eligi divitem ad ſedem honoris Eccleſiæ contempto paupere ſanctiore, & inſtructiore? Quodlib. 6. a. 9. Quodlib. 8. a. 6. in corp.*

QUÆR. 3. An Prælati poſſint præferre conſanguineos æque dignos ex hoc ſolo titulo, quod de ipſis magis confidere poſſunt.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod circa conſanguineos Prælati diſtinguendum eſt: quia quandoque ſunt minus digni & ſimpliciter, & per reſpectum ad bonum commune; ſic ſi dignioribus præferantur, eſt peccatum perſonarum acceptionis in diſpenſatione ſpiritualium, quorum Prælatus Eccleſiaſticus non eſt dominus, ut poſſit ea dare pro libito, ſed diſpenſator ſecundum illud 1. ad Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores miniſteriorum Dei*: quandoque vero conſanguinei Prælati Eccleſiaſtici ſunt æque digni ut alii, & ſic licite poteſt abſque perſonarum acceptione conſanguineos ſuos præferre; quia ſaltem magis in hoc præeminent, quod de ipſis magis confidere poteſt, ut unanimiter ſecum negotia Eccleſiæ tractent. Eſſet tamen hoc propter ſcandalum dimittendum, ſi ex hoc aliqui exemplum ſumerent etiam præter dignitatem bona Eccleſiæ conſanguineis dandi. 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *ad* 1.

QUÆR. 4. Utrum in collatione beneficiorum poſſint Prælati præferre conſanguineos, ſecluſo ſcandalo, & malo exemplo; & de quibus bonis poſſint eis providere abſque peccato.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aliter eſt dicendum de conſanguineo Prælati æque idoneo, & aliter de minus idoneo: ſi enim ſit æque idoneus, poteſt Prælatus ſuum conſanguineum præferre; niſi forte ex hoc ſcandalum oriatur, vel aliqui exinde malum exemplum accipiant, ut probabiliter præſumi poſſit, quod alii Prælati hoc exemplo inducantur ad dandum ſuis conſanguineis etiam minus dignis; & hoc ideo, quia ex quo nihil deperit utilitati Eccleſiæ cum æque idoneo providetur, licet circa hujuſmodi proviſionem etiam amori naturali ſatisfacere, qui non eſt contrarius charitati, ſed magis charitati informatur: & hoc ſignificatur Geneſi 8. ubi Pharao dicit ad Joſeph de fratribus ſuis, *ſi noſti in eis viros induſtrios, conſtitue eos magiſtros pecorum meorum:* ſi vero ſit minus idoneus conſanguineus Prælati, non debet eum præficere ad curam Eccleſiæ poſtpoſito meliori, duplici ratione.

Primo quidem, quia hoc videtur eſſe contra fidelitatem, quam in bono diſpenſatore Dominus requirit: non enim faceret fideliter negotium alicujus Domini, qui poſſet rem ejus meliorare, ſi hoc prætermitteret, ut ſuis conſanguineis ſatisfaceret.

Secundo; quia hoc videtur ad perſonarum acceptionem pertinere, quæ conſiſtit in hoc, quod aliquis accipit pro cauſa conditionem perſonæ, quæ non facit ad negotium, ſicut ſi aliquis daret ſententiam pro aliquo, quia dives eſt, & non quia juſtitiam habet, quæ eſt conditio faciens ad negotium: eſſe autem conſanguineum non eſt aliqua conditio pertinens ad curam Eccleſiæ, quæ non obtinetur jure ſanguinis, ſed Divino munere.

Eſſet autem conditio faciens ad negotium circa diſpenſationem patrimonialium bonorum; unde ſi Epiſcopus de patrimonialibus bonis magis provideat ſuo conſanguineo minus idoneo non eſt acceptio perſonarum; ſed ſi ratione conſanguinitatis ei provideat in patrimonio Crucifixi, non caret vitio perſonarum acceptionis, quam Auguſtinus dicit eſſe in Eccleſiaſticis gradibus diſpenſandis, exponens illud; quod habetur Jacobi 2. *Nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti*; Hieronymus etiam dicit, ut habetur 8. q. 1. *extraneus ex alia Tribu a Moyſe eligitur, ut ſignaret Principatum in populos non ſanguini deferendum eſſe, ſed vitæ; at nunc cernimus plurimos hanc rem in beneficio conferendo facere, ut non quærant eos in Eccleſia columnas erigere, quos plus cognoſcant Eccleſiæ prodeſſe; ſed quos, vel ipſi amant, vel quorum ſunt obſequiis deliniti. Quodlibeto* 4. *art.* 15.

QUÆR. 5. An ſit omnium ſententia, quod neceſſe ſit eligere meliorem; & cur ſufficiat in foro externo eligere bonum.

Reſponſio videatur infra, *v. Electio, qu.* 1. & 2.

QUÆR. 6. An & quomodo per quodlibet mortale reddatur aliquis indignus ad quodlibet ſpirituale officium, vel beneficium.

Reſponſio habetur *v. Officium q.* 1. & *ſeq.*

QUÆR. 7. An Clerici uxorati poſſint habere beneficium Eccleſiaſticum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod illi, qui ſunt in minoribus ordinibus conſtituti,

ex vi ordinis non prohibentur Matrimonium contrahere, quia quamvis ordines illi deputentur ad aliqua ſpiritualia, non tamen immediate habent acceſſum ad tractandum ſacra, ſicut illi, qui ſint in ſacris ordinibus: ſed ſecundum ſtatutum Occidentalis Eccleſiæ Matrimonii uſus executionem Ordinis non ſacri impedit propter ſervandam majorem honeſtatem in officiis Eccleſiæ; & quia aliquis ex beneficio Eccleſiaſtico tenetur ad executionem Ordinis, & ex hoc ipſo privilegio Clericali gaudet: ideo hæc apud Latinos Clericis uxoratis auferuntur. 4. *ſent. d.* 37. *qu.* 1. *ad quartum*.

QUÆR. 8. *Utrum habere plura beneficia ſit contra jus divinum, vel naturale; quænam ex hoc ſequantur inconvenientia, & quando diſpenſatio ſit licita vel illicita.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod omnis quæſtio in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſſe veritas habeatur, periculoſe determinatur: quia error, quo non creditur eſſe peccatum mortale quod eſt peccatum mortale, conſcientiam non excuſat a toto licet forte a tanto; error vero quo creditur eſſe mortale quod non eſt mortale, ex conſcientia ligat ad peccatum mortale: præcipue autem periculoſum eſt, ubi veritas ambigua eſt; quod in hac quæſtione accidit. Cum enim hæc quæſtio ad Theologos pertineat (inquantum dependet ex jure divino, vel ex jure naturali) & ad Juriſtas (inquantum dependet ex jure poſitivo) inveniuntur in ea Theologi Theologis, & Juriſtæ Juriſtis contrarie ſentire. In jure namque divino non invenitur determinata expreſſe, cum in ſacra ſcriptura expreſſa determinatio de ea non fiat; quamvis ad eam argumenta ex aliquibus authoritatibus ſcripturæ forte adduci poſſint, quæ tamen non lucide veritatem oſtendunt.

Determinando vero eam ſecundum jus naturale, ſic videtur ad præſens de ea dicendum, quod actionum humanarum multiplex eſt differentia: Quædam enim ſunt quæ habent deformitatem inſeparabiliter annexam; ut fornicatio, adulterium, & alia hujuſmodi, quæ nullo modo bene fieri poſſunt: de numero talium non eſt habere plures præbendas; alias in nullo caſu diſpenſationem recipere poſſet; quod nullus dicit. Quædam vero ſunt actiones, quæ de ſe indifferentes ſunt ad bonum, vel malum, ut levare feſtucam de terra, vel aliquod hujuſmodi; inter quarum numerum quidam computant habere plures præbendas, dicentes, ita licitum eſt habere plures præbendas, ſicut habere plura Poma.

Sed hoc non videtur eſſe verum, cum hoc quod eſt habere plures præbendas, plurimas in ſe inordinationes contineat; utpote, quia non eſt poſſibile aliquem in pluribus Eccleſiis deſervire, in quibus eſt præbendatus, cum præbendæ videantur eſſe ordinatæ quaſi quædam ſtipendia Deo ibidem miniſtrantium: ſequitur etiam diminutio cultus divini, dum unus loco plurium inſtituitur: ſequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum teſtatorum, qui ad hoc aliqua bona Eccleſiis contulerunt, ut certus numerus Deo deſervientium ibi eſſet: ſequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus beneficiis abundat, & alius nec unum habere poteſt: & multa alia hujuſmodi quæ de facili patent: Unde non poteſt contineri inter indifferentes actiones, & multo minus inter eas quæ ſunt ſecundum ſe bonæ, ut dare eleemoſynam & hujuſmodi.

Sunt vero quædam actiones, quæ abſolute conſideratæ deformitatem vel inordinationem quandam important, quæ tamen aliquibus circumſtantiis advenientibus bonæ efficiuntur; ſicut occidere hominem, vel percutere, in ſe deformitatem quandam importat; ſed ſi addatur, occidere malefactorem propter juſtitiam, vel percutere delinquentem cauſa diſciplinæ, non erit peccatum, ſed virtuoſum. In numero harum actionum videtur eſſe habere plures præbendas: Quamvis enim aliquas inordinationes contineat, tamen aliæ circumſtantiæ poſſunt ſupervenire, ita honeſtantes actum, quod prædictæ inordinationes totaliter evacuentur; ut puta, ſi ſit neceſſitas in pluribus Eccleſiis ejus obſequio, & poſſit plus ſervire Eccleſiæ, vel tantundem abſens quam alius præſens; & ſi qua alia ſunt hujuſmodi; & tunc iſtis conditionibus ſupervenientibus cum recta intentione, non erit peccatum, etiam nulla diſpenſatione interveniente, ſi conſideretur tantum jus naturale; quia diſpenſatio ad jus naturale non pertinet; ſed ſolum ad poſitivum: ſi vero aliquis hac intentione plura beneficia habeat, ut ſit ditior, ut lautius vivat, ut facilius ad Epiſcopatum perveniat in aliqua Eccleſiarum ubi eſt præbendatus, non tolluntur prædictæ deformitates, ſed augentur; quia cum tali intentione & unum beneficium habere, quod nullam inordinationem importat, eſſet illicitum: & ſic quidem eſſet dicendum ſecundum jus naturale, etiam nullo jure poſitivo ſuperveniente, nunc autem certum eſt per antiqua jura hoc eſſe prohibitum: patet etiam huic prohibitioni conſuetudinem eſſe contrariam, per quam quidam dicunt illa jura eſſe abrogata: nam per contrariam conſuetudinem jura humana abrogantur.

Qui-

Digitized by Google

Quidam vero dicunt per hanc conſuetudinem antiqua jura non abrogari, eo quod quædam decretalis dicit: *multa per patientiam tolerantur, quæ ſi in judicium fuerint deducta, juſtitia cogente ceſſarentur*: & hæc controverſia Juriſtis eſt relinquenda. Quamvis hoc videatur eſſe probabile, quod quantum ad hoc quod jura illa antiqua continent, jus naturale abrogari non poſſit per contrariam conſuetudinem, utpote irrationalem: Quantum autem ad hoc quod ſolum de jure poſitivo continent, poſſunt eſſe abrogata, præcipue ſi diſſimulantes hanc contrariam conſuetudinem, in quorum poteſtate eſt jus poſitivum mutare, intendunt per talem diſſimulationem antiqua jura mutare: ſi ergo antiqua jura, quæ hoc prohibent, in ſuo robore maneant, contraria conſuetudine non obſtante, certum eſt non poſſe aliquem plures præbendas habere abſque diſpenſatione; etiam illis circunſtantiis ſupervenientibus, quæ ſecundum conſiderationem juris naturalis actum poterant honeſtare: ſi autem antiqua jura ſunt per conſuetudinem abrogata, tunc prædictis circunſtantiis ſupervenientibus, etiam ſine diſpenſatione licitum eſt plures præbendas habere: ſine quibus circumſtantiis licitum non eſt, quantuncumque diſpenſatio interveniat: eoquod diſpenſatio humana non aufert ligamen juris naturalis, ſed ſolum ligamen juris poſitivi, quod per hominem ſtatuitur, & per hominem diſpenſari poteſt. *Quodl. 9. art. 15.*

QUÆR. 9. Quomodo in petitione, vel collatione beneficiorum committatur ſimonia.

Reſp. *v. Simonia, qu. 30. & ſeq.*

Propoſitiones beneficia concernentes, quæ a Summo Pontifice Alexandro VII. damnatæ fuerunt, videantur v. Confeſſ., Horæ Canonicæ, Simonia.

Benevolentia, Benignitas, *v. Fructus Spiritus Sancti.*

BIGAMIA.

QUÆR. 1. Quænam bigamia inducat irregularitatem, & quot ſint modi bigamiæ.

RESp. D. Thomas, dicendum quod aliquis per Sacramentum Ordinis miniſter Sacramentorum conſtituitur; & ille, qui aliis Sacramenta miniſtrare debet nullum defectum in Sacramentis pati debet: defectus autem in Sacramento eſt, quando Sacramenti ſignificatio integre non invenitur: Sacramentum autem Matrimonii ſignificat conjunctionem Chriſti ad Eccleſiam, quæ eſt unius ad unam: & ideo requiritur ad perfectam ſignificationem Sacramenti, ut vir ſit tantum unius vir, & uxor tantum unius uxor: & ideo bigamia, quæ hoc tollit, irregularitatem inducit.

Et ſunt quatuor modi bigamiæ. Primus eſt, cum quis habet plures uxores de jure ſucceſſive. Secundus cum ſimul habet plures, unam de jure, aliam de facto. Tertius cum plures habet ſucceſſive, unam de jure, aliam de facto. Quartus, quando viduam ducit in uxorem, & his omnibus eſt irregularitas adjuncta. *4. ſent. d. 27. quæſt. 3. art. 1. quæſtiunc. 1. in corp.* (*d. 42. qu. 3. art. 2. ad 4.*) *2. 2. qu. 108. art. 4. ad 2.*

QUÆR. 2. Utrum ad hoc, quod bigamia inducat irregularitatem, requiratur conjunctio tam corporum, quam animarum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod bigamia cauſat irregularitatem, inquantum tollit perfectam ſignificationem matrimonii, quæ quidem conſiſtit in conjunctionem animorum, quæ fit per conſenſum, & in conjunctione corporum: & ideo ratione utriuſque oportet ſimul eſſe bigamiam, quæ irregularitatem faciat: unde per Decretum Innocentii abrogatur id, quod Magiſter dicit, *quod ſolus conſenſus per verba de præſenti ſufficit ad irregularitatem inducendam. 4. ſent. d. 27. qu. 3. art. 1. quæſtiunc. 1. ad tertium. 4. ad Hannib. d. 27. art. 4. ad 1.*

QUÆR. 3. Quid ſit dicendum in caſu, quo aliquis antequam cognoſcat carnaliter illam, cum qua de jure contraxit, cum alia contrahit de facto, non de jure, & eam carnaliter cognoſcit, ſive prima mortua, ſive prima vivente.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in tali caſu non reputatur bigamus; quia primum matrimonium non habuit perfectam ſuam ſignificationem: tamen ſi per judicium Eccleſiæ compellatur ad primam redire, & eam cognoſcere, ſtatim efficitur irregularis; quia irregularitatem non facit peccatum, ſed imperfectio ſignificationis. *4. ſent. d. 27. qu. 3. art. 1. quæſt. 2. ad 3.*

QUÆR. 4. An cognoſcens uxorem fornicariam, etiam coactus ab Eccleſia, fiat irregularis.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſi mulier fornicetur poſt contractum matrimonium, non efficitur ex hoc vir irregularis, niſi poſt corruptionem adulterinam eam iterato cognoſcat; quia alias corruptio uxoris nullo modo cadit ſub actu matrimoniali viri: ſed ſi etiam per jus ei debitum compellatur reddere, vel ex conſcientia propria illa petente debitum, ante condemnationem adulterii, irregularis efficitur, quamvis de hoc ſint opiniones, ſed hoc, quod dictum eſt, eſt probabilius; quia hic non quæritur quid ſit peccatum,

tum, ſed ſignificatio tantum. 4. *ſent. diſt.* 27. *qu.* 3. *art.* 1. *quæſtiunc.* 3. *ad* 4.

QUÆR. 5. *An ſit bigamus ille, qui contraxit cum aliqua, cum qua prius fornicatus eſt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in hoc caſu ſunt diverſæ opiniones; tamen probabilius eſt, quod non ſit irregularis, quia carnem ſuam non diviſit in plures. 4. *ſent. diſt.* 27. *qu.* 3. *art.* 1. *quæſt.* 3. *ad* 2.

QUÆR. 6. *An fiat bigamus ducens in uxorem non virginem, vel ſi etiam ipſe non fuerit virgo.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in conjunctione Chriſti, & Eccleſiæ unitas ex utraque parte invenitur: & ideo ſive diviſio carnis inveniatur ex parte viri, ſive ex parte uxoris, eſt defectus Sacramenti: ſed tamen diverſimode, quia ex parte viri requiritur, quod aliam non duxerit in uxorem, non quod ſit virgo; ſed ex parte uxoris requiritur etiam, quod ſit virgo.

Cujus ratio eſt, quod defectus in ipſo Sacramento cauſat irregularitatem: corruptio autem carnis extra matrimonium contingens, quæ præceſſit matrimonium, nullum defectum facit in Sacramento ex parte illius, in quo eſt corruptio: ſed facit defectum ex parte alterius, quia actus contrahentis matrimonium non cadit ſupra ſeipſum, ſed ſupra alterum: & ideo ex termino ſpecificatur, qui etiam eſt reſpectu illius actus, quaſi materia Sacramenti: unde ſi mulier eſſet ordinis ſuſceptiva, ſicut vir efficitur irregularis ex hoc, quod ducit in uxorem corruptam, non autem ex hoc quod corruptus contrahit: ita fieret mulier irregularis, ſi contraheret cum corrupto, non autem ſi contraheret corrupta, niſi in alio matrimonio prius fuiſſet corrupta. 4. *ſent. d.* 27. *q.* 3. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp.* 4. *ad Hannib. d.* 27. *art.* 4. *ad* 2.

QUÆR. 7. *An bigamia etiam involuntaria inducat irregularitatem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod irregularitas non eſt pœna inflicta, ſed defectus quidam Sacramenti; & ideo non oportet, quod ſemper ſit voluntaria bigamia ad hoc quod irregularitatem cauſet; & ideo ille, qui uxorem ducit corruptam, quam virginem credit, irregularis eſt, eam cognoſcens. *ibid. ad* 3.

QUÆR. 8. *An bigamia tollatur per Baptiſmum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Baptiſmus ſolvit culpas, & non ſolvit conjugia; unde cum ex ipſo conjugio ſequatur irregularitas, per Baptiſmum tolli non poteſt, ut dicit Auguſtinus. 4. *ſent. d.* 27. *q.* 3. *art.* 2. *in corp.*

QUÆR. 9. *Cur Eccleſia inſtituerit, ut illi potius impediantur ab ordinibus, qui plures habuerunt uxores ſine peccato, quam qui plures habent concubinas.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod hoc ſit non propter incontinentiam tantum, ſed propter repræſentationem Sacramenti; quia ſponſus Eccleſiæ eſt Chriſtus, & una eſt Eccleſia. 1. *ad Timoth.* 3. *lect.* 1.

QUÆR. 10. *An & quando Papa, & Epiſcopus poſſint diſpenſare in Bigamiæ irregularitate.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Bigamiæ non eſt adjuncta irregularitas de jure naturali, ſed de jure poſitivo; nec iterum eſt de eſſentialibus ordinis, quod aliquis non ſit bigamus, quod patet ex hoc, quod ſi aliquis bigamus ad Ordines accedat, characterem recipit: & ideo Papa poteſt diſpenſare in tali irregularitate totaliter: ſed Epiſcopus quantum ad minores ordines: & quidam dicunt, quod etiam quantum ad majores in illis, qui volunt Deo in Religione ſervire propter vitandum Religioſorum diſcurſum. 4. *ſent. d.* 27. *qu.* 3. *art.* 3. *in corp.*

QUÆR. 11. *Quomodo intelligatur Decretalis de Bigamia, in qua dicitur: Cum Clericis, qui inquantum in ipſis fuerit, ſecundas mulieres ſibi conjunxerunt matrimonialiter, tanquam cum Bigamis non licet diſpenſare.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod oſtenditur eadem eſſe difficultas diſpenſandi in illis, qui de facto cum pluribus contraxerunt, ac ſi de jure contraxiſſent, non quod ſubtrahatur ſimpliciter poteſtas Papæ in talibus. 4. *ſent.* 27. *quæſt.* 3. *art.* 3. *ad* 1.

QUÆR. 12. *An licet Papa ſuper bigamiam diſpenſare poſſit, non debeat tamen hoc facere, niſi ex magna, & evidenti cauſa.*

Reſp. D. Thomas, manifeſtum eſt, quod Bigamum non promoveri, neque eſt de lege naturæ, neque pertinet ad articulos fidei, neque eſt de neceſſitate Sacramenti; quod patet ex hoc, quod ſi bigamus ordinetur, recipit ordinis Sacramentum: ſed hoc pertinet ad quandam determinationem divini cultus. Unde circa hoc poteſt Papa diſpenſare; licet diſpenſare non debeat, niſi ex magna, & evidenti cauſa. *Quodlibeto* 4. *art.* 13. *in corp.*

BLASPHEMIA.

QUÆR. 1. *Quid ſit blaſphemia, & utrum opponatur confeſſioni fidei.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod nomen blaſphemiæ importare videtur quan-

Digitized by Google

quandam derogationem alicujus excellentis bonitatis, & præcipue Divinæ: Deus autem, ut Dionyſius dicit 1. cap. de Divinis nominibus, *eſt ipſa eſſentia veræ bonitatis*; unde quidquid Deo convenit, pertinet ad bonitatem ipſius; & quidquid ad ipſum non pertinet, longe eſt a ratione perfectæ bonitatis, quæ eſt ejus eſſentia: quodcunque ergo vel negat aliquid de Deo, quod ei convenit, vel aſſerit de Deo, quod ei non convenit, derogat Divinæ bonitati.

Quod quidem poteſt contingere dupliciter: uno quidem modo ſecundum ſolam opinionem intellectus; alio modo conjuncta quadam affectus deteſtatione: ſicut e contrario fides Dei per dilectionem perficitur. Hujuſmodi ergo derogatio Divinæ Bonitatis vel eſt ſecundum intellectum tantum, vel etiam ſecundum affectum; ſi conſideretur tantum in corde, eſt cordis blaſphemia; ſi autem exterius prodeat per locutionem, eſt oris blaſphemia: & ſecundum hoc blaſphemia confeſſioni opponitur. 2. 2. *q.* 13. *art.* 1. *in corp.*) 4. *ſent. d.* 4. *in expoſitione litteræ*.

QUÆR. 2. *An blaſphemia, quæ profertur in Sanctos, redundet in ipſum Deum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut Deus in Sanctis laudatur, inquantum laudantur opera, quæ Deus in Sanctis efficit: ita & blaſphemia, quæ fit in Sanctos, ex conſequenti in Deum redundat. 2. 2. *q.* 13. *art.* 1. *ad* 2.

QUÆR. 3. *An blaſphemia ſit peccatum mortale, de quo dicitur Levit.* 24. *Qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod peccatum mortale eſt, per quod homo ſeparatur a primo principio ſpiritualis vitæ, quod eſt charitas Dei: unde quæcunque charitati repugnant, ex ſuo genere ſunt peccata mortalia: blaſphemia autem ſecundum genus ſuum repugnat charitati Divinæ, quia derogat bonitati, quæ eſt objectum charitatis; & ideo blaſphemia eſt peccatum mortale ex ſuo genere. 2. 2. *q.* 13. *art.* 2. *in corp.* (*q.* 158. *art.* 7. *ad* 1.) *lect.* 2. *c.* 3. *ad Coloſſ.*

QUÆR. 4. *An blaſphemia ex ſurreptione ſit peccatum mortale, vel veniale.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod blaſphemia poteſt abſque deliberatione ex ſurreptione procedere dupliciter: uno modo, quod aliquis non advertat hoc, quod dicit eſſe blaſphemiam, quod poteſt contingere cum aliquis ſubito ex aliqua paſſione in verba imaginata prorumpit, quorum ſignificationem non conſiderat; & tunc eſt peccatum veniale, & non habet proprie rationem blaſphemiæ: alio modo quando advertit hoc eſſe blaſphemiam conſiderans ſignificata verborum; & tunc non excuſatur a peccato mortali: ſicut nec ille, qui ex ſubito motu iræ aliquem occidit juxta ſe ſedentem. 2. 2. *quæſt.* 13. *art.* 2. *ad* 3. *lect.* 2. *ad Coloſſ.* 3.

QUÆR. 5. *An blaſphemia ſit maximum peccatorum, juxta Gloſſam ſuper illud Iſaiæ* 18. *ad populum terribilem, ubi dicit: Omne peccatum blaſphemiæ comparatum levius eſt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, blaſphemia opponitur confeſſioni fidei: & ideo habet in ſe gravitatem infidelitatis: & aggravatur peccatum, ſi ſuperveniat deteſtatio voluntatis: & adhuc magis ſi prorumpat in verba: ſicut & laus Dei augetur per dilectionem, & confeſſionem: unde cum infidelitas ſit maximum peccatum ſecundum ſuum genus, conſequens eſt, quod etiam blaſphemia ſit peccatum maximum ad idem genus pertinens, & ipſum aggravans. 2. 2. *qu.* 13. *art.* 3. *in corp. qu.* 105. *art.* 2. *in corp.* 4. *ſent. d.* 9. *art.* 3. *quæſt.* 3. *q.* 2. *de malo, art.* 10. *in corp.*

QUÆR. 6. *An & quomodo blaſphemia ſit peccatum in Spiritum Sanctum.*

Reſp. *v. Peccatum*, in ultimis quæſtionibus.

BONA ECCLESIASTICA.

QUÆR. Utrum Epiſcopi, & Clerici ſint Domini, vel ſolummodo diſpenſatores bonorum Eccleſiaſticorum, & quomodo hæc bona ſint diſpenſanda.

Reſpondetur *v. Clericus, q.* 6. *& ſeq.* & *v. Epiſcopus, qu.* 30. *& ſeq.*

CÆCITAS MENTIS.

QUÆR. 1. *Quid ſit cæcitas mentis, & utrum ſit peccatum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut cæcitas corporalis eſt privatio ejus, quod eſt principium corporalis viſionis, ita etiam cæcitas mentis eſt privatio ejus quod eſt principium mentalis, ſive intellectualis viſionis, cujus quidem principium eſt triplex: unum quidem eſt lumen naturalis rationis, & hoc lumen, cum pertineat ad ſpeciem animæ rationalis, nunquam privatur ab anima; impeditur tamen quandoque a proprio actu per impedimenta virium inferiorum, quibus indiget intellectus humanus ad intelligendum, ſicut patet in amentibus, & furioſis: aliud autem principium intellectualis viſionis eſt aliquod lumen habituale naturali lumini rationis ſuperadditum: & hoc quidem lumen interdum privatur ab anima, & talis pri-

vatio eſt cæcitas, quæ eſt pœna ſecundum quod privatio luminis gratiæ quædam pœna ponitur: unde dicitur de quibuſdam Sap. 2. *Excæcavit illos malitia eorum*. Tertium principium viſionis intellectualis eſt aliquod intelligibile principium, per quod homo intelligit alia: cui quidem principio intelligibili mens hominis poteſt intendere, vel non intendere; & quod ei non intendat, contingit dupliciter: quandoque quidem ex hoc, quod habet voluntatem ſpontanee ſe avertentem a conſideratione talis principii, ſecundum illud Pſ. 35. *Noluit intelligere, ut bene ageret*; alio modo per occupationem mentis circa alia, quæ magis diligit, quibus ab inſpectione hujus principii mens avertitur, ſecundum Pſ. 57. *Supercecidit ignis*, ſcilicet concupiſcentiæ, *& non viderunt Solem*; & utroque modo cæcitas eſt peccatum; 2. 2. *q.* 15. *art.* 1. *in corp.*

QUÆR. 2. *Utrum hebetudo ſenſus ſit aliud peccatum a cæcitate mentis.*

Reſp. *v. Hebetudo ſenſus.*

QUÆR. 3. *An & quomodo hebetudo ſenſus, & cæcitas mentis proveniunt ex gula, & luxuria.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod perfectio intellectualis operationis in homine conſiſtit in quadam abſtractione a ſenſibilium phantaſmatibus; & ideo quanto intellectus hominis magis fuerit liber ab hujuſmodi phantaſmatibus, tanto potius conſiderare intelligibilia poterit, & ordinare omnia ſenſibilia: ſicut & Anaxagoras dicit, quod *oportet intellectum eſſe immixtum ad hoc, quod imperet*, & agens oportet, quod dominetur ſuper materiam ad hoc, quod poſſit eam movere, ut narrat Philoſ. 8. Phyſic. manifeſtum eſt autem, quod delectatio applicat intentionem ad ea, in quibus aliquis delectatur: unde Philoſophus dicit in 10. Ethic. *quod unuſquiſque ea, in quibus delectatur, optime operatur: contraria vero nequaquam, vel debiliter.*

Vitia autem carnalia, ſcilicet gula, & luxuria conſiſtunt circa delectationes tactus, ciborum ſcilicet & venereorum, quæ ſunt vehementiſſimæ inter omnes corporales delectationes: & ideo per hæc vitia intentio hominis maxime applicatur ad corporalia, & per conſequens debilitatur operatio hominis circa intelligibilia: magis autem per luxuriam, quam per gulam, quanto delectationes venereorum ſunt vehementiores quam ciborum: & ideo ex luxuria oritur cæcitas mentis, quæ quaſi totaliter ſpiritualium bonorum cognitionem excludit: ex gula autem hebetudo ſenſus, quæ reddit hominem debilem ad hujuſmodi intelligibilia. Et econverſo oppoſitæ virtutes, ſcilicet abſtinentiæ & caſtitatis, maxime diſponunt hominem ad perfectionem intellectualis operationis: unde dicitur Daniel. 1. quod *pueris his*, ſcilicet abſtinentibus & continentibus, *dedit Deus ſcientiam, & diſciplinam in omni libro, & ſapientia*. 2. 2. *qu.* 15. *art.* 3. *in corp.*

QUÆR. 4. *An ſubtili ingenio præditi impediantur a contemplatione propter vitia carnalia: cum dicat D. Auguſt. in tract. multos etiam immundos multa vera ſcire.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quamvis aliqui vitiis carnalibus ſubditi poſſint quandoque ſubtiliter ſpeculari aliqua circa intelligibilia propter bonitatem ingenii naturalis, vel habitus ſuperadditi, tamen neceſſe eſt, ut ab hac ſubtilitate contemplationis eorum intentio plerumque retrahatur propter delectationes corporales, & ita immundi poſſunt aliqua vera ſcire, ſed ex ſua immunditia circa hoc impediuntur. 2. 2. *quæſt.* 15. *art.* 3. *ad primum.*

CALIX.

QUÆR. 1. *Ex qua materia debeat fieri Calix.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut legitur de conſecr. *d.* 1. *c. Vaſa*, quondam Sacerdotes non aureis, ſed ligneis Calicibus utebantur. Zepherinus autem Papa patenis vitreis Miſſam celebrari conſtituit. Deinde Urbanus omnia fecit argentea. Poſtmodum autem ſtatutum eſt, ut Calix Domini cum Patena ſive ex auro omnino, ſive ex argento fiat, vel ſaltem ſtanneus Calix habeatur. De ære autem aut ex auricalco non fiat, quia hoc vini virtute æruginem parit, pariterque vomitum provocat. Nullus autem in ligneo, ſeu vitreo Calice præſumat Miſſam cantare; quia ſcilicet lignum poroſum eſt, & ſanguis conſecratus in eo remaneret: vitrum autem fragile eſt, & poſſet fractionis periculum imminere. Et eadem ratio eſt de lapide: & ideo propter reverentiam Sacramenti ſtatutum eſt, ut ex prædictis materiis Calix fiat. 3. *part. quæſt.* 83. *articul.* 3. *ad* 6.) 4. *ſentent. d.* 13. *quæſt.* 1. *articul.* 2. *qu.* 4. *ad* 4.

QUÆR. 2. *An poſſit Calix conſecrationem amittere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ut habetur Levit. ult. illud quod ſemel ſanctificatum eſt Domino, non poteſt in alios uſus commutari: non autem poteſt facere aliquis Eccleſiæ Prælatus, ut id quod eſt ſanctificatum, ſanctificationem amittat, etiam in rebus inanimatis, puta quod calix conſecratus

Digitized by Google

tus deſinat eſſe conſecratus, ſi maneat integer. 2. 2. q. 88. a. 3. in corp.

CALUMNIA.

QUÆR. 1. Utrum ille, qui falſum crimen alteri imponit, ſit calumniator, vel ſolum ille, qui hoc facit ex malitia.

Reſpondetur ſupra, *verb. Accuſatio quæſtione.* 8.

QUÆR. 2. Utrum illi qui accuſatur, licitum ſit calumnioſe ſe defendere.

Reſp. D. Thomas, quod in caſu criminali juramentum de calumnia eſt præſtandum; ut habetur extra, de juramento calumniæ, capite *inhærentes*: quod non eſſet, ſi calumnioſe ſe defendere liceret: ergo non eſt licitum accuſato calumnioſe ſe defendere. 2. 2. *q. 69. a. 2. in argum. Sed contra.*

QUÆR. 3. Utrum in aliquo caſu liceat accuſato veritatem tacere, quamvis in nullo caſu liceat ipſi falſitatem dicere, vel dolum, aut fraudem adhibere, ſive calumnioſe ſe defendere.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aliud eſt veritatem tacere, aliud eſt falſitatem proponere; quorum primum in aliquo caſu licet, non enim aliquis tenetur omnem veritatem confiteri, ſed illam ſolum, quam ab eo poteſt, & debet requirere judex ſecundum ordinem juris, puta cum præceſſit infamia ſuper aliquo crimine, vel aliqua expreſſa indicia apparuerunt, vel etiam cum præceſſit probatio ſemiplena; falſitatem tamen proponere in nullo caſu licet alicui; ad id autem, quod licitum eſt, poteſt aliquis procedere, vel per vias licitas, & fini intento accommodas, quod pertinet ad prudentiam, vel per aliquas vias illicitas, propoſito fini incongruas, quod pertinet ad aſtutiam, quæ exercetur per fraudem, & dolum; quorum primum eſt laudabile, ſecundum vero vitioſum.

Sic ergo reo, qui accuſatur, licet ſe defendere veritatem occultando, quam confiteri non tenetur, per aliquos convenientes modos; puta quod non reſpondeat, ad quæ reſpondere ſe non tenetur; hoc autem non eſt calumnioſe ſe defendere, ſed magis prudenter evadere: non autem licet ei vel falſitatem dicere, vel veritatem tacere, quam confiteri tenetur; neque etiam aliquem dolum, vel fraudem adhibere; quia fraus & dolus vim mendacii habent, & hoc eſt calumnioſe ſe defendere. 2. 2. *quæſt. 69. art. 2. in corp.*

Inter propoſitiones a S. P. Alexandro VII. damnatas, decima ſeptima ſic habet: Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni, publice, & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.

CAMBIUM.

QUÆR. 1. Utrum cambium, ſive commutatio denariorum ad denarios ſit ſpecies negotiationis de ſe vitioſa, & turpis, licet ex bono fine reddatur licita.

Reſponſio habetur infra *verb. Negotiatio quæſt.* 1.

QUÆR. 2. Ex quo fine ars campſoria reddatur nedum licita, ſed etiam bona, & utilis humanæ vitæ, imo etiam neceſſaria.

Reſp. D. Thomas, ars iſta non tantum eſt ad lucrum hominum, ſed potiſſime ad neceſſitatem, & utilitatem peregrinantium, & viatorum. Quod probatur, in hoc quod in toto genere humano neceſſaria, & utilis eſt humanæ vitæ commutatio, quæ non poterat fieri commode, niſi mediante numiſmate; non enim in diverſa, & remota loca poſſunt ipſæ res deferri ad permutationem aliorum faciendam; propter quod uſus numiſmatis per leges poſitivas inventus eſt valore determinato per ipſas ſecundum naturam materiæ, & pondus, & formam impreſſam, in ſignum valoris determinati. Et quia pondus ipſorum per uſum minuitur, & quia materia paratior in uno loco, vel tempore invenitur: ideo & leges poſitivæ aliquando majori valore, aliquando minori, aliquando nullo; determinant numiſmata in ſuis locis, & regionibus. Quare neceſſe fuit, ut eſſent in locis variis ſecundum numiſmatum varietatem, & ſecundum diverſitatem legis poſitivæ, remedia hujuſmodi neceſſitatis, quæ non poſſunt commodius fieri quam per campſores. Et ideo ex fine bona eſt & utilis vitæ hominum ars campſoria. *Opuſculo de uſuris p. 2. cap. 6. juxta additionem factam in impreſſione Pariſienſi ex Bibliothec. Carnotenſi.*

QUÆR. 3. Utrum in cambio commutatio pecuniæ fieri poſſit nedum ſecundum legis poſitivæ determinationem, ſed etiam ſecundum naturæ rei æſtimationem.

Reſp. D. Thomas, quod poteſt conſiderari in numiſmate, eſt ipſum pondus, & natura materiæ, etiam præter formam, per quam ipſe valor determinatur a lege poſitiva. Et

Et per iſtum modum frequenter accidit, quod aliquod numiſma in comparatione ad aliud genus, non erit tanti valoris, ſicut lex poſitiva illius loci determinavit. Quare quando campſor aliquod genus numiſmatis ſic accipit, non ſecundum legis poſitivæ determinationem, ſed ſecundum naturæ rei æſtimationem, ex pondere, & natura ipſius rei, & aliud genus dat loco ejus, ſecundum legis poſitivæ æſtimationem, fit jam recompenſatio æqualitatis dati & accepti, comparando valorem numiſmatis dati ſecundum legem poſitivam, ad valorem accepti ſecundum naturam rei; & eſt æquitas juſtitiæ ſimilis illi, quæ in venditionibus & emptionibus invenitur, *in eodem c. 6. ejuſdem opuſc.*

Beatus Pius V. in Bulla de Cambiis edita Calend. Febr. Anni 1571. *ſic loquitur: Damnamus ea omnia cambia, quæ ſicca nominantur, & ita confinguntur, ut contrahentes ad certas nundinas, ſeu ad alia loca cambia celebrare ſimulent, ad quæ loca ii qui pecuniam recipiunt, litteras quidem ſuas cambii tradunt, ſed non mittuntur: vel ita mittuntur, ut tranſacto tempore unde proceſſerant inanes referantur: aut etiam nullis hujuſmodi litteris traditis pecunia ibi denique cum intereſſe recipitur, ubi contractus fuerat celebratus. Nam inter dantes, & recipientes uſque a principio ita convenerat, vel certe talis intentio erat; neque quiſquam eſt, qui in nundinis, aut locis ſupradictis hujuſmodi litteris receptis ſolutionem faciat. Cui malo ſimile etiam illud eſt cum pecuniæ ſive depoſiti, ſive alio nomine ficti cambii traduntur, ut poſtea in eodem loco, vel alibi cum lucro reſtituatur. Sed & in ipſis cambiis, quæ realia appellantur, interdum (ut ad nos perfertur) emptores præſtitutum ſolutionis terminum, lucro ex tacita vel expreſſa conditione recepto, ſeu etiam tantummodo promiſſo, differunt. Quæ omnia nos uſuraria eſſe declaramus, & ne fiant diſtrictius prohibemus.*

CANONIZATIO.

QUÆR.* 1. *Utrum Eccleſia poſſit errare in canonizatione Sanctorum.

RESp. D. Thomas, dicendum, quod aliquid poteſt judicari poſſibile ſecundum ſe conſideratum, quod relatum ad aliquid extrinſecum impoſſibile invenitur: dico ergo, quod judicium eorum, qui præſunt Eccleſiæ poteſt errare in quibuslibet, ſi perſonæ earum tantum reſpiciantur. Si vero conſideretur Divina providentia, quæ Eccleſiam ſuam Spiritu Sancto dirigit ut non erret, ſicut ipſe promiſit Joannis 14. Quod Spiritus adveniens doceret omnem veritatem, de neceſſariis ſcilicet ad ſalutem; certum eſt, quod judicium Eccleſiæ univerſalis errare in his, quæ ad fidem pertinent, impoſſibile eſt: unde magis eſt ſtandum ſententiæ Papæ, ad quem pertinet determinare de fide, quam in judicio profert, quam quorumcunque ſapientum hominum in ſcripturis opinioni; Cum Caiphas, quamvis nequam, tamen quia Pontifex, legitur etiam inſcius prophetaſſe, Joan. 11.

In aliis vero ſententiis, quæ ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de poſſeſſionibus, vel de criminibus, vel de hujuſmodi, poſſibile eſt judicium Eccleſiæ errare propter falſos teſtes.

Canonizatio vero Sanctorum medium eſt inter hæc duo: quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quædam profeſſio fidei eſt, qua Sanctorum gloriam credimus; pie credendum eſt, quod nec etiam in his judicium Eccleſiæ errare poſſit. *Quodlibeto* 9. *a.* 16. *in corp.*

QUÆR.* 2. *Quomodo Summus Pontifex certificetur de Sanctitate eorum, qui ab ipſo canonizantur.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Pontifex, cujus eſt Canonizare Sanctos, poteſt certificari de ſtatu alicujus per inquiſitionem vitæ, & atteſtationem miraculorum, & præcipue per inſtinctum Spiritus Sancti, qui *omnia ſcrutatur etiam profunda Dei*, ut dicitur 1. ad Corinth. 2. *in Quodlib. & art. citatis.*

QUÆR.* 3. *Quomodo Eccleſia in Canonizatione Sanctorum non erret, licet procedat per teſtimonium hominum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Divina providentia præſervat Eccleſiam, ne in talibus per fallibile teſtimonium hominum fallatur. *Ibidem.*

CANTUS.

QUÆR.* 1. *An cantus convenienter in divinis laudibus fuerit inſtitutus.

RESp. D. Thomas, dicendum, quod laus vocalis ad hoc neceſſaria eſt, ut affectus hominis provocetur in Deum: & ideo quæcunque ad hoc utilia eſſe poſſunt, in divinas laudes congruenter aſſumuntur. Manifeſtum eſt autem, quod ſecundum diverſas melodias ſonorum animi hominum diverſimode diſponuntur, ut patet per Philoſ. 8. Politic. & per Boetium in prologo muſicæ: & ideo ſalubriter fuit inſtitutum, ut in Divinas laudes cantus aſſumeretur, ut animi infirmorum

rum magis provocarentur ad devotionem: unde Auguſtinus dicit in 10. Confeſſion. *Adducor cantandi conſuetudinem approbare in Eccleſia, ut per oblectamenta aurium, infirmorum animus in affectum pietatis aſſurgat.* Et de ſeipſo dicit in nono Confeſſionum: *Flevi in hymnis, & canticis tuis, ſuave ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter.* 2. 2. qu. 91. *art.* 2. *in corp.* (3. *ſent. d.* 9. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 3. *in corp.* & *ad* 2.) 4. *ſent. d.* 15. *q.* 4. *art.* 2. *quæſt.* 1. *in corp. ſuper Pſalm.* 32. *lect.* 7. *ſuper cap.* 5. *ad Epheſios.*

QUÆR. 2. *An cum cantu ſint aſſumenda inſtrumenta muſicalia, ut cithara, & hujuſmodi.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Philoſophus dicit in 8. Polit. *Neque fiſtulas ad diſciplinam eſt adducendum, neque aliquod aliud artificiale organum, puta citharam, & ſi quid tale alterum eſt, ſed quæcunque faciunt auditores bonos*: hujuſmodi enim muſica inſtrumenta magis animum movent ad delectationem, quam per ea formetur interius bona diſpoſitio. In veteri autem teſtamento uſus erat talium inſtrumentorum; tum quia populus erat magis durus, & carnalis, unde erat per hujuſmodi inſtrumenta provocandus, ſicut & per promiſſiones terrenas; tum etiam quia hujuſmodi inſtrumenta corporalia aliquid figurabant. 2. 2. *q.* 91. *art.* 2. *ad* 4.

QUÆR 3. *Qui cantus in Eccleſia ſint reprehendendi, & quinam vituperentur a Divo Hieronymo.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Hieronymus non ſimpliciter vituperat cantum, ſed reprehendit eos, qui in Eccleſia cantant more Theatrico, non propter devotionem excitandam, ſed propter oſtentationem, vel delectationem provocandam: unde Auguſtinus dicit in 10. Confeſſionum: *Cum mihi accidit, ut me amplius cantus, quam res, quæ cantatur, movet, pœnaliter me peccare confiteor; & tunc mallem non audire cantantem. Ibid. ad* 2.

QUÆR. 4. *An Prælati, & Diaconi debeant vacare cantui, vel potius Doctrinæ, & prædicationi.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod nobilior modus eſt provocandi homines ad devotionem per doctrinam, & prædicationem, quam per cantum, & ideo Diaconi, & Prælati, quibus competit per prædicationem, & doctrinam animos hominum provocare in Deum, non debent cantibus inſiſtere, ne per hoc a majoribus retrahantur; unde Gregorius dicit: *Conſuetudo eſt valde reprehenſibilis, ut in Diaconatus ordine conſtituti modulationi vocis inſerviant, quos ad prædicationis officium, & eleemoſynarum ſtudium vacare congruebat. Ibid. ad* 3.

QUÆR. 5. *An cantus devotionem impediat, ſive quatenus cantantium intentio abſtrahitur a conſideratione eorum, quæ cantant, ſive quatenus ea, quæ cantantur, minus ab aliis intelligi poſſunt, quam ſi ſine cantu proferrentur.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod per cantum quo quis ſtudioſe ad delectandum utitur, abſtrahitur animus a conſideratione eorum, quæ cantantur: ſed ſi aliquis cantet propter devotionem, attentius conſiderat, quæ dicuntur, tum quia diutius moratur ſuper eodem, tum quia, ut Auguſtinus dicit in 10. Confeſſionum: *Omnes affectus ſpiritus noſtri pro ſuavi diverſitate habent proprios modos in voce, atque cantu, quorum occulta familiaritate excitantur.* Et eadem etiam eſt ratio de audientibus, in quibus etſi aliqui non intelligant quæ cantantur, intelligunt tamen propter quid cantantur; ſcilicet ad laudem Dei: & hoc ſufficit ad devotionem excitandam. 2. 2. *q.* 91. *art.* 2. *ad* 5.

CAPITALE VITIUM.

QUÆR. 1. *Quid ſit capitale vitium.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod capitale dicitur a capite: caput autem proprie quidem eſt quoddam membrum animalis, quod eſt principium, & directivum totius animalis; unde metaphorice omne principium directivum caput vocatur; & etiam homines, qui alios dirigunt, & gubernant, capita aliorum eſſe dicuntur. Dicitur ergo vitium capitale uno modo a capite proprie dicto, & ſecundum hoc, peccatum capitale dicitur peccatum, quod capitis pœna punitur; ſed ſic nunc non intendimus de capitalibus peccatis, ſed ſecundum quod alio modo dicitur peccatum capitale, prout metaphorice ſignat principium, vel directivum aliorum; & ſic dicitur vitium capitale, ex quo alia vitia oriuntur, & præcipue ſecundum originem cauſæ finali, quæ eſt formalis origo: & ideo vitium capitale non ſolum eſt principium aliorum, ſed etiam eſt directivum, & quodammodo ductivum aliorum: ſemper enim ars, vel habitus, ad quem pertinet finis, principatur, & imperat circa ea, quæ ſunt ad finem: unde Gregorius 31. Moralium, hujuſmodi vitia capitalia Ducibus exercituum comparat *p.* 2. *qu.* 84. *art.* 3. *in corp.* (2. 2. *qu.* 34. *art.* 5. *in corp.*) 2. *ſent. d.* 42. *q.* 2. *art.* 3. *in corp. q.* 8. *de malo art.* 1. *in corp.*

QUÆR. 2. *An convenienter aſſignentur ſeptem vitia*

Digitized by Google

vitia capitalia, ſcilicet Superbia, Avaritia, Luxuria, Gula, Invidia, Ira, & Acedia, ſive pigritia.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut dictum eſt, vitia capitalia dicuntur, ex quibus alia oriuntur, præcipue ſecundum rationem cauſæ finalis: hujuſmodi autem origo poteſt attendi dupliciter; uno quidem modo ſecundum conditionem peccantis, qui ſic diſpoſitus eſt, ut maxime afficiantur ad unum finem, ex quo ut plurimum in alia peccata procedat; ſed iſte modus originis ſub arte cadere non poteſt, eo quod infinitæ ſunt particulares hominum diſpoſitiones: alio modo ſecundum naturalem habitudinem ipſorum finium ad invicem, & ſecundum hoc in pluribus unum vitium ex alio oritur; unde iſte modus originis ſub arte cadere poteſt: ſecundum hoc ergo illa vitia capitalia dicuntur, quorum fines habent quaſdam primarias rationes movendi appetitum, & ſecundum harum rationum diſtinctionem diſtinguuntur capitalia vitia: movet autem aliquid appetitum dupliciter: uno modo directe, & per ſe, & hoc modo bonum movet appetitum ad proſequendum; malum autem ſecundum eandem rationem ad fugiendum: alio modo indirecte, & quaſi per aliud, ſicut aliquis aliquod malum proſequitur propter aliquod bonum conjunctum, vel aliquod bonum fugit propter aliquod malum adjunctum.

Bonum autem hominis eſt triplex; eſt enim primo quoddam bonum animæ, quod ſcilicet ex ſola apprehenſione rationem appetibilitatis habet, ſicut excellentia laudis, vel honoris; & hoc bonum inordinate proſequitur inanis gloria: aliud eſt bonum corporis, & hoc vel pertinet ad conſervationem individui ſicut cibus, & potus, & hoc bonum inordinate proſequitur gula, aut ad conſervationem ſpeciei, ſicut coitus, & ad hoc ordinatur luxuria: tertium bonum eſt exterius, ſcilicet divitiæ, & ad hoc ordinatur avaritia, & eadem quatuor vitia inordinata fugiunt quatuor mala contraria.

Vel aliter, bonum præcipue movet appetitum ex hoc, quod participat aliquid de proprietate felicitatis, quam naturaliter omnes appetunt, de cujus ratione eſt primo quædam perfectio; nam felicitas eſt perfectum bonum, ad quod pertinet excellentia, vel claritas, quam appetit ſuperbia, vel inanis gloria: ſecundo de ratione ejus eſt ſufficientia, quam appetit avaritia in divitiis eam promittentibus; tertio eſt de conditione ejus delectatio, ſine qua felicitas eſſe non poteſt, ut dicitur in 1. & 10. Ethicor. & hanc appetunt gula & luxuria.

Quod autem aliquis bonum fugiat propter aliquod malum conjunctum, hoc contingit dupliciter: quia aut hoc eſt reſpectu boni proprii, & ſic eſt acedia, quæ triſtatur de bono ſpirituali propter laborem corporalem adjunctum: aut eſt de bono alieno, & hoc ſi ſit ſine inſurrectione pertinet ad invidiam, quæ triſtatur de bono alieno inquantum eſt impeditivum propriæ excellentiæ; aut eſt cum quadam inſurrectione ad vindictam, & ſic eſt ira; & ad eadem vitia pertinet proſecutio mali oppoſiti. *p. 2. q. 84. art. 4. in corp. (2. ſent. d. 42. q. 3. art. 2. in corp.) q. 8. de malo art. 1. in corp.*

CAPITULUM RELIGIOSORUM.

QUÆR. 1. An & quomodo Prælatus in capitulo præſit ut Judex Eccleſiaſticus in foro judiciali: & utrum ad eadem obligare poſſit.

RESP. D. Thomas, dicendum, quod Religioſus Prælatus in capitulo præeſt, ſicut Judex Eccleſiaſticus in foro judiciali: unde ad ea poteſt ex præcepto ſubditos obligare, ut ei pandantur, propter quæ poteſt Judex Eccleſiaſticus in foro judiciali juramentum exigere. Eſt ergo ſciendum, quod in criminibus triplex eſt modus procedendi; unus per denunciationem, alius per inquiſitionem, alius per accuſationem. In via ergo denunciationis intenditur correctio delinquentis: Et ideo ſecundum præceptum Domini Matth. 18. debet præcedere fraterna correctio; ut ſcilicet corripias eum inter te & ipſum ſolum; quod ſi non audierit, coram duobus, vel tribus teſtibus; & ultimo dicatur Eccleſiæ: Charitatis enim eſt, ut aliquis parcat fratri quantum poteſt: Unde prius debet niti ut corrigat conſcientiam fratris ſervata fama, ſolitarie admonendo: & poſtmodum coram duobus, vel tribus teſtibus; tandem negligenda eſt fama, ut emendetur conſcientia, & dicendum eſt Eccleſiæ: in quo etiam proceſſu conſulitur conſcientiæ: nam peccator ſi a principio videret ſe publicatum, amitteret verecundiam, & obſtinatior fieret ad peccandum. In inquiſitione vero debet præcedere infamia. In accuſatione vero debet præcedere inſcriptio, per quam ipſe obligat ſe ad talionem. In inquiſitione autem, & accuſatione intenditur pœna peccatis propter multitudinis bonum. Si ergo appareat accuſator in capitulo, qui ſe obliget ad talionem, poteſt Prælatus præcepto veritatis confeſſionem exigere, ſicut & Judex Eccleſiaſticus juramento. Et ſimiliter ſi præcedat infamia, poteſt Prælatus præcepto veritatem exquirere, & ſubditi tenentur obedire. Si autem procedatur

datur

Digitized by Google

datur per viam ſimplicis denunciationis, non tenetur Religioſus præcipienti culpam fratris revelare, niſi præcedente monitione eum viderit incorrectum; Imo magis peccaret, ſi ad præceptum Prælati revelaret, quia plus tenetur obedire Evangelio, quam Prælato. Et multo magis Prælatus peccaret, ſi ſubditum induceret ad pervertendum ordinem Evangelii. *Quodlibeto* 1. *artic.* 16. *in corp.*

QUÆR. 2. *Quomodo intelligi debet D. Hieronymus dicens: Non debet occultari culpa unius in præjudicium multorum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod de peccato præterito, de quo jam aliquis correctus eſt ad ſecretam admonitionem, vel de quo poteſt ſperari corrigendus (niſi contrarium inveniatur) non poteſt imminere periculum multitudini: ſed de peccato futuro, quod eſt periculoſum multitudini vel ſpiritualiter, vel corporaliter, procedit objectio. Tunc enim non oportet admonitionem ſecretam expectare, ſed ſtatim periculo occurrere: Unde & Dominus non dicit, ſi peccare intendat, in futuro; ſed, *Si peccaverit*, in præterito, *in eodem art.* 16. *ad* 1.

QUÆR. 3. *De quibus peccatis accuſatio fieri poſſit in capitulo Religioſorum admonitione prætermiſſa.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod de levibus peccatis non ſurgit infamia, nec ſcandalum: & ideo de talibus non eſt lis, ſi quis in capitulo accuſetur admonitione prætermiſſa: Niſi forte probabiliter credi poſſit, quod tali accuſatione magis deterioretur, qui corripitur, & collegio etiam non multum profit, cujus bonum ſemper præponendum eſt bono unius; unde & aliquando, etiam ſi peccantis emendatio non expectetur, poteſt aliquis coram multitudine accuſari, ſi profectus multitudinis credatur. Sed de peccatis, ex quibus poſſet infamia ſurgere, non debet aliquis in publico accuſari, niſi aliis præmiſſis, quæ ordo fraternæ correptionis depoſcit; & graviter peccaret accuſans, ſicut fratrem ſuum infamans. 4. *ſent. diſt.* 19. *q.* 2. *art.* 3. *quæſtiunc.* 1. *ad* 3.

QUÆR. 4. *Quomodo proclamationes, quæ fiunt in capitulis Religioſorum ſunt potius commonitiones, quam accuſationes, vel denunciationes.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod proclamationes, quæ fiunt in capitulis Religioſorum, magis ſunt quædam commonitiones, quam accuſationes, vel denunciationes. Reducitur enim fratri ad memoriam culpa, de qua purgare ſe debet, quod famæ ejus detrimentum non facit. Fiunt enim hujuſmodi proclamationes de levibus culpis. Si autem proclamaretur aliquis in publico de aliqua gravi culpa, ex qua infamari poſſet, monitione non præcedente, hoc eſſet illicitum, & contra præceptum Chriſti. *quæſt.* 2. *de virt. art.* 2. *ad* 8. 2. 2. *quæſt.* 33. *art.* 7. *ad* 4.

CARCER.

QUÆR. 1. *An liceat aliquem incarcerare.*

RESP. D. Thomas, dicendum, quod in bonis corporis tria per ordinem conſiderantur; primo quidem integritas corporalis ſubſtantiæ, cui detrimentum affertur per occiſionem, vel mutilationem: ſecundo delectatio, vel quies ſenſus, cui opponitur vel mutilatio, vel quodlibet ſenſum dolore afficiens: tertio motus, & uſus membrorum, qui impeditur per ligationem, vel incarcerationem, ſeu quamcunque detentionem: & ideo incarcerare aliquem, vel qualitercumque detinere, eſt illicitum, niſi fiat ſecundum ordinem juſtitiæ, aut in pœnam, aut ad cautelam alicujus mali vitandi. 2. 2. *qu.* 65. *art.* 3. *in corp.*

QUÆR. 2. *Ad quem pertineat incarcerare alios.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod detinere hominem ad horam ab aliquo opere illicito ſtatim perpetrando cuilibet licet; ſicut cum aliquis detinet aliquem, ne ſe præcipitet, vel ne alium feriat: ſed ſimpliciter aliquem includere, vel ligare, ad eum ſolum pertinet, qui habet diſponere univerſaliter de actibus, & vita alterius; quia per hoc impeditur non ſolum a malis faciendis, ſed etiam a bonis agendis, *in eodem art.* 3. *ad* 3.

CASTITAS.

QUÆR. 1. *An caſtitas ſit virtus.*

RESP. D. Thomas, dicendum, quod nomen caſtitatis ſumitur ex hoc, quod per rationem concupiſcentia caſtigatur, quæ ad modum pueri eſt refrænanda, ut patet per Philoſ. in 3. Eth. In hoc autem ratio virtutis humanæ conſiſtit, quod ſit aliquid ſecundum rationem modificatum: unde manifeſtum eſt caſtitatem eſſe virtutem. 2. 2. *quæſt.* 15. *art.* 1. *in corp. lect.* 2. *ſuper cap.* 12. *ad Hebræos.*

QUÆR. 2. *Quænam ſint Impedimenta Continentiæ, ſive Caſtitatis; & quænam remedia.*

Reſp. D. Thomas, tria eſſe impedimenta Continentiæ apparet; primum quidem ex parte corporis: ſecundum ex parte animæ; ter-

Digitized by Google

tertium ex parte exteriorum perſonarum, vel rerum: ex parte quidem proprii corporis, quia ſicut Apoſt. dicit ad Gal. 5. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum*, cujus carnis opera ibidem eſſe dicuntur, *fornicatio, immunditia, impudicitia*, & cætera hujuſmodi; hæc autem concupiſcentia carnis eſt lex, de qua dicit Apoſt. ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*: Quanto autem caro magis fovetur per ciborum affluentiam, & deliciarum mollitiem, tanto hujuſmodi concupiſcentia magis creſcit, unde Hieronymus dicit: *Venter mero æſtuans cito deſpumat in libidinem*; & proverb. 21. *Luxurioſa res, vinum*, & Job 40. dicitur de Behemoth, per quem diabolus ſignificatur, *ſub umbra dormit in ſecreto calami in locis humentibus*: quod exponens Greg. 33. moralium dicit, *loca humentia ſunt opera voluptuoſa, pes quippe in arida terra non labitur, fixus vero in lubrica vix tenetur. In locis ergo humentibus iter vitæ præſentis faciunt, qui in hac ad juſtitiam recti ſtare non poſſunt*. Oportet igitur continentiæ viam aſſumentibus carnem propriam abſtractis deliciis, vigiliis, & jejuniis, & hujuſmodi exercitiis caſtigare; cujus rei exemplum Apoſt. nobis oſtendit 1. ad Cor. 9. dicens, *omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet*, & poſt modica ſubdit: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar*. Et quod opere perfecit, verbo docuit. Dicit enim ad Rom. 13. cum præmiſiſſet *non in cubilibus, & impudicitiis, & carnis*, inquit, *curam ne feceritis in deſideriis*. Recte autem dicit in deſideriis, ideſt, ad voluntatem; quia ad neceſſitatem naturæ carni cura eſt impendenda: Unde idem dicit ad Epheſ. *nemo carnem ſuam unquam odio habuit; ſed nutrit, & fovet eam*.

Ex parte autem animæ propoſitum continentiæ impeditur, dum laſcivis cogitationibus immoratur. Unde Dominus per Prophetam dicit Iſaiæ 1. *auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis*. Malæ enim cogitationes plerumque ad malum faciendum inducunt: unde dicit Michæas 2. *væ qui cogitatis inutile*; & ſtatim ſubditur, *& operamini malum in cubilibus veſtris*: Inter cæteras autem cogitationes malas magis ad peccatum inclinant cogitationes de delectationibus carnis: Cujus ratio etiam ſecundum Philoſophorum doctrinam dupliciter aſſignari poteſt. Una quidem quia cum ipſa delectatio ſit homini connaturalis, & a juventute connutrita, facile in ipſam appetitus fertur, cum eam cogitatio proponit: Unde Philoſophus dicit 2. Ethic. quod *delectationem judicare non poſſumus de facili, quin accipiamus eam*. Secunda ratio eſt, quia ut idem dicit, in tertio Ethicor. *delectabilia in particulari ſunt magis voluntaria, quam in univerſali*. Manifeſtum eſt autem, quod per moram cogitationis ad particularia quæque deſcendimus; unde per cogitationem diutinam maxime libido provocatur: Et propter hoc Apoſt. 1. ad Cor. 6. dicit: *Fugite fornicationem*; quia, ut Gloſſa dicit ibidem, *cum aliis vitiis poteſt exſpectari conflictus, ſed hanc fugite, ne approximet, quia non aliter poteſt vinci*. Contra igitur hujuſmodi incontinentiæ impedimentum multiplex remedium invenitur, cujus primum & præcipuum eſt, ut mens circa contemplationem, & divinorum orationem occupetur, unde dicit Apoſt. ad Epheſ. 5. *nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria, ſed implemini Spiritu Sancto, loquentes vobiſmetipſis, in Pſalmis, Hymnis, & canticis ſpiritualibus*, quod ad contemplationem pertinere videtur: *cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino*, quod ad orationem pertinere videtur. Hinc etiam Dominus per Prophetam dicit Iſa. 48. *laude mea infrænabo te, ne intereas*: Eſt enim quoddam frænum, animam ab interitu peccati retrahens, laus divina.

Secundum remedium eſt, ſtudium Scripturarum, ſecundum illud Hieronym. ad Ruſt. *Ama Scripturarum ſtudia, & carnis vitia non amabis*. Unde Apoſt. cum dixiſſet 1. ad Timoth. 4. *Exemplum eſto fidelium in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate*: Statim ſubdit: *Dum venio attende lectioni*.

Tertium remedium eſt quibuſcumque cogitationibus bonis animum occupare; unde Chryſ. ſuper Matth. dicit, quod *abſciſſio membri ita non comprimit tentationes, & tranquillitatem facit, ut bonæ cogitationis frænum*; unde Apoſt. ad Philip. 4. dicit: *de cætero, fratres, quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque juſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, ſi quæ virtus, ſi quæ laus diſciplinæ, hæc cogitate*.

Quartum remedium eſt, ut homo ab otio deſiſtens, etiam in corporalibus laboribus ſeipſum exerceat: Dicitur enim Eccleſiaſt. 33. *multam malitiam docuit otioſitas*. Et ſpecialiter otium eſt carnalium incentivum, unde dicitur Ezech. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius*: & ideo Hieronymus ad Ruſt. Mon. ſcribens, dicit: *facito aliquid operis, ut ſemper diabolus inveniat te occupatum*.

Quintum remedium adhibetur contra carnis concupiſcentiam, etiam per aliquas animi perturbationes: unde Hier. refert in eadem Epiſt. quod in quodam cænobio erat quidam adoleſcens,

ſcens,

Digitized by Google

ſcens, qui nulla abſtinentia, nulla operis magnitudine, flammam poterat carnis extinguere, unde eum periclitantem pater monaſterii hac arte ſervavit: Imperavit enim cuidam viro gravi, ut jurgiis atque conviciis eum inſectaretur; & poſt irrogatam injuriam, primus veniret ad conquerendum: vocati etiam teſtes pro eo loquebantur, qui contumeliam fecerat; ſolus Pater monaſterii defenſionem ſuam opponebat, ne abundanti triſtitia frater abſorberetur. Ita annus ductus eſt, quo expleto interrogatus adoleſcens ſuper cogitationibus priſtinis, reſpondit: *Pappa, vivere mihi non licet, & fornicari libet?*

Ex parte autem Exteriorum rerum, propoſitum continentiæ impeditur per aſpectum & frequentia colloquia mulierum, & earum conſortia: Unde dicitur Eccleſ. 9. *Propter ſpeciem mulieris multi perierunt, ex hac concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit.* Et poſtea ſubditur: *Colloquium ipſius quaſi ignis exardeſcit*: & ideo contra hoc eſt adhibendum remedium, quod ibidem dicitur: *ne reſpicias mulierem multivolam, ne forte incidas in laqueos illius: cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius*; & Eccleſ. 42. dicitur: *Omni homini noli intendere in ſpecie, & in medio mulierum noli commorari: De veſtimentis enim procedit tinea, & a muliere iniquitas viri.* Unde Hieron. contra Vigilantium ſcribens dicit, quod *Monachus ſciens imbecillitatem ſuam, & vas fragile quod portat, timet offendere, ne impingat, & corruat, atque frangatur: unde & mulierum maxime adoleſcentularum vitat aſpectum, ne eum capiat oculus meretricis, ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus.* Ex quo patet, quod ſicut Abbas Moyſes dicit in collationibus Patrum, pro puritate ſervanda, ſolitudo ſectanda eſt; ac jejuniorum inediam, vigilias, labores corporis, nuditatem, lectionem, cæteras virtutes debere nos ſuſcipere novimus; ut ſcilicet, per illas ab univerſis paſſionibus noxiis illæſum parare cor noſtrum, & conſervare poſſimus, & ad perfectionem charitatis iſtis gradibus innitendo aſcendere. Ob hoc igitur in Religionibus ſunt hujuſmodi opera inſtituta; non quia in ipſis principaliter conſiſtat perfectio, ſed quia his quaſi quibuſdam inſtrumentis ad perfectionem pervenitur. Unde poſt pauca ſubditur ibidem, *igitur jejunia, vigiliæ, inedia, meditatio Scripturarum, nuditas, ac privatio omnium facultatum, non perfectio, ſed inſtrumenta perfectionis ſunt*: quia non in ipſis conſiſtit diſciplinæ finis; ſed per illa pervenitur ad finem. *Opuſculo* 18. *de perfectione vitæ ſpiritualis cap.* 9.

QUÆR. 3. *Cur Apoſtolus* 2. *ad Cor.* 6. *ait: in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in caſtitate.*

Reſp. D. Thomas, notandum eſt, quod immediate poſt multos labores, vigilias, & jejunia, ſubdit de caſtitate; quia qui vult habere virtutem caſtitatis, neceſſe habet laboribus dari, vigiliis inſiſtere, & macerari jejuniis. *In expoſitione prædicti loci.*

QUÆR. 4. *An quandoque nimiæ vigiliæ ſint cauſa motuum carnis, qui contra voluntatem ſuboriuntur ſine ulla cogitatione impudica, vel alia cauſa inhoneſta.*

Reſp. D. Thomas, vel ſaltem author Opuſculi 64. quidam putant quod provenit ex nimia vigilia, quod poteſt eſſe, maxime quando conſtat eis, quod non provenit ex aliqua cauſa prædicta. Sic habetur in illo *Opuſc.* 64. *de modo confitendi, & puritate conſcientiæ, art.* 21. *de motibus carnis.*

QUÆR. 5. *Cur quandoque jejunantes patiuntur pollutiones nocturnas, non ex ipſa abſtinentia provenientes, ſed ex præterito exceſſu in cibo, & potu; & qualis quantaque debeat eſſe moderatio in utroque ad obtinendam caſtitatem perfectam.*

Reſp. D. Thomas, vel ſaltem auctor prædicti opuſculi, quandoque accidit aliquos relaxari in gula nimis aliquo tempore; & poſtea quando abſtinent, polluuntur in ſomnis, credunt quod hoc non accedat ex culpa immoderantiæ, ſed potius ex debilitate, & neceſſitate naturæ: ſed errant, quia debent cavere, & judicare ne venerit ex nimietate ſaturitatis præteritæ. Quod enim fuerat per voracitatem, & ingluviem congregatum in medullis, neceſſe eſt ut aliquando per pruritum, vel per inſenſibilitatem corporis jejunio afflicti egeratur; propter quod non ſolum abſtinendum eſt a delicatis cibis, verum etiam a vilibus, & cum æquali continentia temperandum eſt. Imo panis, & aquæ ſatietas eſt timenda, ut poſſit in nobis acquiſita puritas permanere. Sic habetur in *prædicto opuſculo art.* 15. *de tribus cauſis pollutionis nocturnæ.*

QUÆR. 6. *Utrum præſertim ad caſtitatem conſervandam vitanda ſit nimia familiaritas cum mulieribus; & in hoc ſenſu intelligatur illud Eccleſiaſtici* 42. *melior eſt iniquitas viri, quam mulier benefaciens.*

Reſp. D. Thomas, ſecundum litteralem ſenſum melior eſt iniquitas viri, ideſt vir iniquus ad commorandum, quam mulier benefaciens, facilius enim homo præcipitaretur in peccatum ex familiari converſatione cum bona muliere, quam cum malo viro. Et hoc patet per hoc quod præmittitur: *in medio mulierum noli commorari*; & per illud ſequitur, *& mulier confundens in opprobrium. q.* 3. *de malo, art.* 13. *ad* 3.

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 7. Utrum hoc remedium ſit ita neceſſarium ad extinguendum amorem impurum, & caſtitatem ſervandam, ut ſine ipſo alia omnia ſint inutilia.

Reſp. D. Thomas, vel ſaltem Author prædicti opuſculi, ſatis poſſet quis hac ſagitta percuſſus ſe jejuniis, vigiliis, ac diſciplinis affligere, & orare; quia ſi non fugiat perſonam, & omnem occaſionem deſpiciat, nunquam curabitur ab illo morbo, ſed magis augebitur illud vulnus. Sic habetur in illo *Opuſculo, alias 64. nunc autem 22. de modo confitendi; & puritate conſcientiæ art. 22. de periculo familiaritatis mulierum.*

Plura caſtitatem concernentia videantur ſub his titulis, Abſtinentia, Concupiſcentia, Continentia, Jejunium, Luxuria, Maceratio corporis, Mutilatio membrorum, Pollutio nocturnæ, Virginitas.

Paratum habeo librum integrum de hac virtute caſtitatis, in quo omnia, quæ ad ipſam ſpectant, fuſe tractantur: interim quouſque imprimatur, videri poteſt ſub finem iſtius operis novum, ac ſingulare pro tuenda caſtitate remedium, tam facile, quam efficax ad hanc virtutem conferens, & etiam ad ſanitatem.

CASUS.

QUÆR. 1. Quot ſint caſus reſervati Epiſcopo, aut alteri Superiori.

RESp. D. Thomas: Sunt quinque caſus, in quibus oportet, quod ſimplex Sacerdos ad Superiorem pœnitentem remittat. Primus eſt, quando eſt ſolemnis imponenda pœnitentia; quia ejus miniſter proprius Epiſcopus eſt. Secundus eſt de excommunicatis, quando inferior Sacerdos non poteſt abſolvere. Tertius quando invenit irregularitatem contractam, pro cujus diſpenſatione debet ad Superiorem remittere. Quartus de incendiariis. Quintus quando eſt conſuetudo in aliquo Epiſcopatu, quod enormia crimina ad terrorem Epiſcopo reſervantur: quia conſuetudo dat, vel aufert in talibus poteſtatem. *4. ſent. d. 19. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 2. in corp.*

QUÆR. 2. Quænam excommunicationes Summo Pontifici reſerventur.

Reſp. *v. Excommunicatio, qu. ult.*

QUÆR. 3. Utrum ille, qui non habet facultatem abſolvendi a caſibus reſervatis, poſſit abſolvere ab aliis, dummodo pœnitens omnes ei confiteatur.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod etiamſi Sacerdos non poſſit de omnibus abſolvere, tenetur ei omnia confiteri, ut quantitatem totius culpæ cognoſcat; & de illis, de quibus non poteſt abſolvere, ad Superiorem remittat. *4. d. 17. q. 3. art. 4. quæſtiunc. 2. ad 4.*

QUÆR. 4. Utrum illi, qui non ſunt faciles ad dandam licentiam confitendi aliis, peccent, & damnationis laqueum tam ſibi, quam aliis injiciant; cum aliqui ex timore, aut verecundia non audeant ipſis confiteri.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in hoc, quod oportet proprio Sacerdoti confiteri, non arctatur via ſalutis; ſed ſufficiens ad ſalutem via ſtatuitur: peccaret autem Sacerdos, ſi non eſſet facilis ad præbendam licentiam confitendi alteri; quia multi ſunt adeo infirmi, quod potius ſine confeſſione morerentur, quam tali Sacerdoti confiterentur: unde illi qui ſunt nimis ſolliciti, ut conſcientias ſubditorum per confeſſionem ſciant, multis laqueum damnationis injiciunt, & per conſequens ſibi ipſis. *4. ſent. d. 17. q. 3. art. 3. qu. 4. ad 6.*

In noviſſimo Bullario refertur Decretum Summi Pontif. Urbani VIII. datum 26. Maii Anno 1639. in quo ſub finem ſic habetur: Si Regularium Confeſſariis caſus alicujus reſervati facultatem petentibus Superior dare noluerit, poſſint nihilominus Confeſſarii illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta a Superiore facultate abſolvere.

Regulares non poſſunt in virtute ſuorum privilegiorum abſolvere a caſibus, quos Epiſcopus ſibi reſervat; ne quidem illi, qui facultatem habent abſolvendi ab omnibus caſibus Summo Pontifici reſervatis, ut declaravit Clemens X. in Bulla, cujus ſummam referemus v. Privilegium.

CATECHISMUS.

Vide ſupra *v. Baptiſmus, qu. 66. & ſeq.*

CATHEDRA.

QUÆR. 1. An liceat pro ſe petere Cathedram magiſtralem potius quam Pontificalem.

RESp. D. Thomas, dicendum, quod oportet triplicem differentiam conſiderare cathedræ magiſtralis ad Cathedram Pontificalem, quarum prima eſt, quod ille, qui accipit Cathedram magiſtralem, non accipit aliquam eminentiam, quam prius non habuerit, ſed ſolum opportunitatem communicandi ſcientiam, quam prius non habebat; non enim ille, qui licentiat aliquem, dat ei ſcientiam, ſed authoritatem docendi: ille vero, qui accipit Cathedram Epiſcopalem, accipit eminentiam poteſtatis, quam prius non habebat, ſed quantum ad hoc in nullo ab aliis differebat: ſecunda differentia eſt, quod eminentia ſcien-

ſcientiæ, quæ requiritur ad cathedram magiſtralem eſt perfectio hominis ſecundum ſeipſum; eminentia vero poteſtatis, quæ pertinet ad cathedram Pontificalem, eſt hominis per comparationem ad alium: tertia differentia eſt, quod ad Cathedram Pontificalem fit homo idoneus per charitatem excellentem; unde Dominus antequam Petro ſuarum ovium curam committeret, quæſivit ab eo: *Simon Joannis diligis me plus his*, ut dicitur Joan. ultimo: ad Cathedram autem magiſtralem redditur homo idoneus ex ſufficientia ſcientiæ.

His ergo conſideratis, manifeſtum eſt, quod appetere aliquid, quod pertinet ad perfectionem ſui ipſius eſt laudabile; unde appetitus ſapientiæ eſt laudabilis: dicitur enim Sap. 6. quod *concupiſcentia ſapientiæ pertinet ad regnum perpetuum*; appetitus autem poteſtatis ſuper alios eſt vitioſus, quia, ut Gregorius dicit; *contra naturam ſuperbire eſt hominem homini velle dominari*; unde ſi ille, qui dat licentiam ad cathedram magiſtralem, poſſet eminentiam ſapientiæ dare, ſicut ille, qui promovet ad Cathedram Pontificiam, dat eminentiam poteſtatis, eſſet ſimpliciter expoſcenda; cum tamen petere excellentiam poteſtatis ſit turpe: cum autem ille, qui accipit licentiam ad cathedram magiſtralem, accipiat ſolum oportunitatem communicandi quod ſcit, petere hujuſmodi licentiam quantum in ſe eſt, nullam videtur turpitudinem continere; quia communicare aliis ſcientiam, quam quis habet, laudabile eſt, & ad charitatem pertinens, ſecundum illud Sapient. 8. *Quam ſine fictione didici, & ſine invidia communico*; & 1. Petri 4. dicitur: *Unuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes*. Poteſt tamen turpitudinem continere ratione præſumptionis, quæ eſſet, ſi ille, qui non eſt idoneus ad docendum, peterat docendi officium.

Sed hæc præſumptio non æqualiter eſt in petentibus licentiam ad docendum, & in petentibus Pontificatum: nam ſcientiam, per quam aliquis eſt idoneus ad docendum, poteſt aliquis ſcire per certitudinem ſe habere; Charitatem autem, per quam aliquis eſt idoneus ad officium paſtorale, non poteſt aliquis per certitudinem ſcire ſe habere: & ideo ſemper eſt vitioſum Pontificatum petere; non ſemper autem vitioſum eſt petere licentiam docendi: quamvis honeſtius ſit, quod per alium petatur, niſi forte aliquando ex cauſa aliqua ſpeciali. *Quodlibeto 3. art. 9. in corp.*

QUÆR. 2. Cur liceat Cathedram magiſtralem petere potius quam Epiſcopalem, cum non ſit laudabile, quod aliquis ſe exponat periculis, & Gregorius dicat in Paſtorali: gradus Magiſtrorum eſt periculoſus; gradus autem diſcipulorum eſt ſecurus.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quicunque non cavet pericula, videtur contemnere id, cujus detrimentum pericula inducere poſſunt: & quia laudabile eſt, quod homo contemnat bona corporalia propter ſpiritualia, laudabile eſt, quod aliquis periculis corporalibus ſe exponat propter ſpiritualia bona: ſed contemnere bona ſpiritualia eſt valde vitioſum: & ideo quod aliquis periculis ſpiritualibus ſe exponat, eſt valde vituperandum; imminent autem pericula ſpiritualia his, qui habent magiſterii locum: ſed pericula magiſterii cathedræ paſtoralis devitat ſcientia cum charitate, quam homo neſcit ſe per certitudinem habere; pericula autem magiſterii cathedræ magiſtralis vitat homo per ſcientiam, quam poteſt homo ſcire ſe habere: unde non eſt ſimilis ratio de utroque. *in eod. art. 9. ad 3.*

QUÆR. 3. An ſit conveniens plures eſſe cathedras Magiſtrales ad docendum.

Reſp. *v. Docere, q. ult.*

CENSURA.

Cenſura eſt pœna ſpiritualis, inflicta ab Eccleſiaſtica poteſtate, privans hominem baptizatum uſu aliquorum ſpiritualium per ordinem ad ſalutem. Communiter aſſignantur a Caſuiſtis tres cenſurarum ſpecies, ſcilicet excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum: de quibus agitur in hoc Opere ſub propriis earum titulis.

Inter propoſitiones ab Alexandro VII. damnatas, hæc eſt 44. Quoad forum conſcientiæ, reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ.

CHARITAS.

QUÆR. 1. Quid addat charitas ſupra amorem, amicitiam, & dilectionem.

RESp. D. Thomas, dicendum, quod quatuor nomina inveniuntur ad idem quodammodo pertinentia, ſcilicet amor, dilectio, charitas, & amicitia: differunt tamen in hoc, quod amicitia ſecundum Philoſophum in 8. Ethicor. eſt quaſi habitus: amor autem & dilectio ſignificantur per modum actus, vel paſſionis: Charitas autem utroque modo accipi poteſt; differenter tamen ſignificatur actus per iſta tria. Nam amor communius inter ea eſt: omnis enim dilectio, vel charitas eſt amor, ſed non e converſo: addit enim dilectio

ctio ſupra amorem electionem præcedentem, ut ipſum nomen ſonat. Unde dilectio non eſt in concupiſcibili, ſed in voluntate tantum, & eſt in ſola rationali natura. Charitas autem addit ſupra amorem perfectionem quandam amoris, inquantum id quod amatur, magni pretii æſtimatur, ut ipſum nomen deſignat. 1. 2. *q. 26. a. 3. in corp.*

QUÆR. 2. *Utrum charitas ſit finis, & perfectio totius vitæ ſpiritualis, ipſiuſque Præceptum ſit omnium maximum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod præceptum importat rationem debiti: intantum ergo aliquid cadit ſub præcepto, inquantum habet rationem debiti: eſt autem aliquid debitum dupliciter: uno modo per ſe, alio modo propter aliud; per ſe quidem debitum eſt in unoquoque negotio id quod eſt finis, quia habet rationem per ſe boni; propter aliud autem eſt debitum id quod ordinatur ad finem: ſicut Medico per ſe debitum eſt ut ſanet; propter aliud autem ut medicinam det ad ſanandum.

Finis autem ſpiritualis vitæ eſt, ut homo uniatur Deo, quod fit per charitatem, & ad hoc ordinantur ut ad finem, omnia quæ pertinent ad ſpiritualem vitam; unde & Apoſtol. dicit 1. ad Timoth. 1. *Finis præcepti eſt Charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta;* omnes enim virtutes de quarum actibus dantur præcepta; ordinantur vel ad purificandum cor a turbinibus paſſionum, ſicut virtutes, quæ ſunt circa paſſiones; vel ſaltem ad habendam bonam conſcientiam, ſicut virtutes, quæ ſunt circa operationem; vel ad habendam rectam fidem, ſicut illæ quæ pertinent ad cultum divinum; & hæc tria requiruntur ad diligendum Deum: nam cor impurum a Dei dilectione abſtrahitur propter paſſionem inclinantem ad terrena: conſcientia vero mala facit horrere divinam juſtitiam propter timorem pœnæ: fides autem ficta trahit affectum in id, quod de Deo fingitur ſeparans a Dei veritate; in quolibet autem genere id quod eſt per ſe, potius eſt eo quod eſt propter aliud: & ideo maximum præceptum eſt de charitate, ut dicitur Matthæi 22. *ſecunda 2. q. 43. a. 1. in corp.*

QUÆR. 3. *An præceptum charitatis ſit majus, & nobilius, & utilius cæteris omnibus.*

Reſp. D. Thomas: interrogatus Chriſtus, quod eſſet maximum, & primum mandatum? dixit, Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, hoc eſt maximum, & primum mandatum.* Et vere iſtud eſt majus, & nobilius, & utilius inter omnia mandata, ſicut ſatis manifeſtum eſt; in hoc enim omnia mandata implentur. *Opuſculo 4. de duobus præceptis charitatis, & decem præceptis, cap. 4.*

QUÆR. 4. *An præceptum charitatis ſit primæ neceſſitatis, & obliget tam in ſpeciali, quam in generali.*

Reſp. D. Thomas: præcepta primæ neceſſitatis ſunt, ſine quibus Dei ſimilitudo non ſalvatur, quæ a principio naturaliter obligant & in generali, & in ſpeciali. *Opuſculo 61. de dilectione Dei, & proximi, c. 1.*

QUÆR. 5. *An licet modus dilectionis non cadat ſub præceptis aliarum virtutum, actus tamen dilectionis cadat ſub præceptis ſpecialibus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod modus dilectionis non cadit ſub illis præceptis, quæ dantur de aliis actibus virtutum, puta ſub hoc præcepto, honora patrem tuum, & matrem tuam, non cadit, quod hoc ex charitate fiat: cadit tamen actus dilectionis ſub præceptis ſpecialibus. 2. 2. *q. 44. a. 1. ad 1.*

QUÆR. 6. *Utrum de charitate dari debuerint duo præcepta, ſcilicet amoris Dei, & proximi, juxta illud 1. Joan. 4. Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod hoc modo ſe habent præcepta in lege ſicut propoſitiones in ſcientiis ſpeculativis, in quibus concluſiones virtute continentur in primis principiis. Unde qui perfecte cognoſceret principia ſecundum totam ſuam virtutem, non opus haberet, ut ei concluſiones ſeorſum proponerentur. Sed quia non omnes, qui cognoſcunt principia, ſufficiunt conſiderare quidquid in principiis virtute continetur; neceſſe eſt propter eos, ut in ſcientiis concluſiones ex principiis deducantur. In operabilibus autem, in quibus præcepta legis nos dirigunt, finis habet rationem principii: Dilectio autem Dei finis eſt, ad quem dilectio proximi ordinatur: Et ideo non ſolum oportet dari præceptum de dilectione Dei, ſed etiam de dilectione proximi propter minus capaces, qui non de facili conſiderant unum horum præceptorum ſub alio contineri. 2.2. *q. 44. a. 2. in corp.*

QUÆR. 7. *An licet Deus diligatur in proximo, oportuerit tamen de utroque explicite dari præceptum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Deus diligitur in proximo ſicut finis in eo quod eſt ad finem, & tamen oportuit de utroque explicite dari præcepta, ratione jam dicta, *in eodem art. 2. ad 2.*

QUÆR. 8. *An licet in dilectione proximi includatur dilectio Dei, oportuerit tamen utriuſque præceptum eſſe explicitum.*

Reſp.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in dilectione proximi includitur dilectio Dei, ſicut finis in eo quod eſt ad finem, & e converſo; & tamen oportuit utrumque præceptum explicite dari, ratione jam dicta. *ibid. ad 4.*

Juxta iſtam doctrinam noſtri ſancti Doctoris S. P. Alexander VII. cum pluribus aliis propoſitionibus, hanc omnium primam damnavit: Homo nullo unquam tempore vitæ ſuæ tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

QUÆR. 9. An præceptum charitatis obliget ſtatim atque puer incipit habere uſum rationis.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ab aliis peccatis mortalibus poteſt puer incipiens habere uſum rationis, per aliquod tempus abſtinere: ſed a peccato omiſſionis non liberatur, niſi quam cito poteſt ſe convertat ad Deum: primum enim quod occurrit homini diſcretionem habenti eſt quod de ipſo cogitet, ad quem alia ordinet ſicut ad finem; finis enim eſt prior in intentione; & ideo hoc eſt tempus pro quo obligatur ex præcepto Dei affirmativo, quo Dominus dicit, *convertimini ad me, & ego convertar ad vos, Zachariæ primo. 1. 2. q. 89. a. 6. ad 3. in 2. diſt. 28. q. 1. a. 3. ad 5. in 4. diſt. 44. q. 1. art. 3. ad 6. De veritate q. 24. art. 12. ad 2. De malo q. 7. art. 10.*

QUÆR. 10. An, & quomodo præceptum charitatis impleri perfecte poſſit tam in via quam in patria.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod perfectio charitatis poteſt intelligi dupliciter: uno modo ex parte diligibilis: alio modo ex parte diligentis. Ex parte quidem diligibilis perfecta eſt charitas, ut diligatur aliquid quantum diligibile eſt; Deus autem tantum diligibilis eſt, quantum bonus eſt: bonitas autem ejus eſt infinita: unde infinite diligibilis eſt: nulla autem creatura poteſt eum diligere infinite, cum quælibet virtus creata ſit finita: unde per hunc modum nulla creaturæ charitas poteſt eſſe perfecta; ſed ſolum charitas Dei, qua ſeipſum diligit.

Ex parte vero diligentis tunc eſt charitas perfecta, quando diligit tantum quantum poteſt: quod quidem contingit tripliciter: uno modo ſic, quod totum cor hominis actualiter ſemper feratur in Deum: & hæc eſt perfectio charitatis patriæ; quæ non eſt poſſibilis in hac vita, in qua impoſſibile eſt propter humanæ vitæ infirmitatem, ſemper actu cogitare de Deo, & moveri dilectione ad ipſum: alio modo ut homo ſtudium ſuum deputet ad vacandum Deo & rebus divinis; prætermiſſis aliis, niſi quantum neceſſitas præſentis vitæ requirit: & iſta eſt perfectio charitatis quæ eſt poſſibilis in via: non tamen eſt communis omnibus habentibus charitatem; tertio modo ita quod habitualiter aliquis totum cor ſuum ponat in Deo, ita ſcilicet quod nihil cogitet, vel velit quod divinæ dilectioni ſit contrarium: & hæc perfectio eſt communis omnibus charitatem habentibus. 2. 2. *q. 24. art. 8. in corp. q. 44. a. 6. 3. ſent. diſt. 27. q. 3. a. 4. opuſculo 18. de perfectione vitæ ſpiritualis c. 5. 6. & 7. tertio ad Hannibaldum diſt. 29. a. 4.*

QUÆR. 11. Quomodo ſit intelligendum illud Scripturæ præceptum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod hoc præceptum diverſimode invenitur traditum in diverſis locis: nam Deut. *6.* ponuntur tria, ſcilicet *ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota fortitudine*: Matthæi. 22. ponuntur duo horum, ſcilicet *ex toto corde, & ex tota anima*, & dimittitur ex tota fortitudine; ſed additur *in tota mente*: ſed Marci 12. ponuntur 4. ſcilicet *ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, & ex tota virtute*, quæ eſt idem fortitudini: & hæc etiam quatuor tanguntur Lucæ 10. nam loco fortitudinis ſeu virtutis ponitur, *ex omnibus viribus tuis*: & ideo horum quatuor eſt ratio aſſignanda: nam quod alicubi unum horum omittitur, hoc eſt quia unum intelligitur ex aliis.

Eſt ergo conſiderandum, quod dilectio eſt actus voluntatis, quæ hic ſignificatur per cor: nam ſicut cor corporale eſt principium omnium corporalium motuum, ita etiam voluntas; & maxime quantum ad intentionem finis ultimi, qui eſt objectum Charitatis, eſt principium omnium ſpiritualium motuum: tria autem ſunt principia actuum, quæ moventur a voluntate, ſcilicet intellectus, qui ſignificatur per mentem, vis appetitiva inferior, quæ ſignificatur per animam, & vis executiva exterior, quæ ſignificatur per fortitudinem, ſeu virtutem, ſive vires: Præcipitur ergo nobis, ut tota noſtra intentio feratur in Deum, quod eſt ex toto corde; & quod intellectus noſter ſubdatur Deo, quod eſt ex tota mente; & quod appetitus noſter reguletur ſecundum Deum, quod eſt ex tota anima; & quod exterior actus noſter obediat Deo, quod eſt ex tota fortitudine, vel virtute, vel viribus Deum diligere.

Chryſoſtomus autem ſuper Matthæum accipit e contrario cor, & animam, quam dictum ſit. Auguſtinus vero in 1. de Doctr. Chriſtiana refert cor ad cogitationes, & animam

Digitized by Google

ad vitam, mentem ad intellectum. Quidam autem dicunt, ex toto corde, ideſt intellectu; anima, ideſt voluntate; mente, ideſt memoria. Vel ſecundum Gregorium Nyſſenum per cor ſignificat animam vegetabilem: per animam, ſenſitivam; per mentem, intellectivam: quia hoc quod nutrimur, ſentimus, & intelligimus, debemus ad Deum referre. 2.2. *q. 45. in corp.*

QUÆR. 12. An convenienter aſſignentur quatuor ex charitate diligenda: unum quod ſupra nos eſt, ſcilicet Deus; alterum quod nos ſumus; tertium quod juxta nos eſt, ſcilicet proximus; quartum quod infra nos eſt, ſcilicet corpus proprium, ut ait D. Auguſtin.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut dictum eſt, amicitia charitatis ſuper communicatione beatitudinis fundatur, in qua quidem communicatione unum quidem eſt, quod conſideratur ut principium influens beatitudinem, ſcilicet Deus; aliud eſt beatitudinem directe participans, ſcilicet homo, & Angelus; tertium autem eſt id, ad quod per quandam redundantiam beatitudo derivatur, ſcilicet corpus humanum: Id quidem, quod eſt beatitudinem influens eſt hac ratione diligibile, quia eſt beatitudinis cauſa: id autem quod eſt beatitudinem participans poteſt eſſe duplici ratione diligibile, vel quia eſt unum nobiſcum, vel quia eſt nobis conſociatum in beatitudinis participatione; & ſecundum hoc ſumuntur duo ex charitate diligibilia, prout ſcilicet homo diligit & ſeipſum, & proximum. 2.2. *quæſt. 25. art. 12. in corp.*

QUÆR. 13. Utrum homo debeat magis diligere ſeipſum, quam proximum: Itaut non debeat velle peccare, ut alium liberet a peccato.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in homine duo ſunt, ſcilicet natura ſpiritualis, & natura corporalis: per hoc autem homo dicitur diligere ſeipſum, quod diligit ſe ſecundum naturam ſpiritualem, & ſecundum hoc debet homo magis ſe diligere poſt Deum, quam quemcumque alium, & hoc patet ex ipſa ratione diligendi: nam, ſicut ſupra dictum eſt, Deus diligitur, ut principium boni, ſuper quo fundatur dilectio charitatis: homo autem ſeipſum diligit ex charitate ſecundum rationem, qua eſt particeps prædicti boni: proximus autem diligitur ſecundum rationem ſocietatis in ipſo bono: conſociatio autem eſt ratio dilectionis ſecundum quandam unionem in ordine ad Deum: unde ſicut unitas potior eſt, quam unio: quod homo ipſe participet bonum Divinum eſt potior ratio diligendi, quam quod alius aſſocietur ſibi in hac participatione: & ideo homo ex charitate debet magis ſeipſum diligere, quam proximum. Et hujus ſignum eſt, quod homo non debet ſubire aliquod malum peccati, quod contrariatur participationi beatitudinis, ut proximum liberet a peccato. 2.2. *qu. 26. art. 4. in corp.*

QUÆR. 14. An & quomodo debeat homo ex charitate ſubire damnum propter proximum, juxta illud Prover. 12. qui reliquit damnum propter amicum, juſtus eſt.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod detrimenta corporalia debet homo ſuſtinere propter amicum; & in hoc ipſo ſeipſum magis diligit ſecundum ſpiritualem mentem; quia hoc pertinet ad perfectionem virtutis, quæ eſt bonum mentis: ſed in ſpiritualibus non debet homo pati detrimentum peccando, ut proximum liberet a peccato, ut dictum eſt. 2.2. *q. 26. art. 4. ad 2.*

QUÆR. 15. An debeamus magis diligere ex charitate proximum, quam corpus proprium.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod illud magis eſt ex charitate diligendum, quod habet pleniorem rationem diligibilis ex charitate: conſociatio autem in plena participatione beatitudinis, quæ eſt ratio diligendi proximum, eſt major ratio diligendi, quam participatio beatitudinis per redundantiam, quæ eſt ratio diligendi proprium corpus: & ideo proximum quantum ad ſalutem animæ magis debemus diligere, quam proprium corpus. 2.2. *q. 26. art. 5. in corp.*

QUÆR. 16. An & quando debeat homo exponere vitam corporalem pro ſalute proximi, juxta illud Joan. 15. majorem charitatem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod cuilibet homini imminet cura proprii corporis; non autem imminet cuilibet homini cura de ſalute proximi, niſi forte in caſu: & ideo non eſt de neceſſitate charitatis; quod homo proprium corpus exponat pro ſalute proximi, niſi in caſu quo tenetur ejus ſaluti providere: ſed quod aliquis ad hoc ſponte ſe offerat, pertinet ad perfectionem charitatis. *In eodem art. 5. ad 1.*

QUÆR. 17. An debeamus magis diligere meliores, quam nobis conjunctiores.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod omnis actus oportet quod proportionetur & objecto, & agenti, ſed ex objecto habet ſpeciem, ex virtute autem agentis habet motum ſuæ intenſionis, ſicut motus habet ſpeciem ex termino, ad quem eſt, ſed intenſionem velocitatis habet ex diſpoſitione mobilis, & virtute moventis: ſic ergo dilectio ſpeciem habet ex objecto, ſed intenſionem habet ex parte ipſius diligentis: objectum autem charitativæ dile-

dile-

Digitized by Google

dilectionis Deus eſt, homo autem diligens eſt: diverſitas ergo dilectionis, quæ eſt ſecundum Charitatem quantum ad ſpeciem eſt attendenda in proximis diligendis ſecundum comparationem ad Deum, ut ſcilicet ei, qui eſt Deo propinquior, majus bonum ex Charitate velimus; quia licet bonum, quod omnibus vult Charitas, ſcilicet Beatitudo æterna, ſit unum ſecundum ſe, habet tamen diverſos gradus ſecundum diverſas Beatitudinis participationes; & hoc ad Charitatem pertinet, ut velit juſtitiam Dei ſervari, ſecundum quam meliores perfectius Beatitudinem participiant; & hoc pertinet ad ſpeciem dilectionis: ſunt enim diverſæ dilectionis ſpecies ſecundum diverſa bona, quæ optamus his, quos diligimus: ſed intentio dilectionis eſt attendenda per comparationem ad ipſum hominem, qui diligit, & ſecundum hoc illos, qui ſunt ſibi propinquiores, intenſiori affectu diligit homo ad illud bonum, ad quod omnes diligit, quam meliores ad majus bonum.

Eſt etiam & ibi alia differentia attendenda: nam aliqui proximi ſunt propinqui nobis ſecundum naturalem originem, a qua diſcedere non poſſunt, quia ſecundum eam ſunt id quod ſunt; ſed bonitas virtutis, ſecundum quam aliqui appropinquant Deo, poteſt accedere, & recedere, augeri, & minui: & ideo poſſum ex Charitate velle, quod iſte, qui eſt mihi conjunctus, ſit melior alio, & ſic ad majorem Beatitudinis gradum pervenire poſſit.

Eſt autem & alius modus, quo plus diligimus ex charitate magis nobis conjunctos, quia pluribus modis eos diligimus, ad eos enim, qui non ſunt nobis conjuncti, non habemus niſi amicitiam Charitatis; ad eos vero, qui ſunt nobis conjuncti, habemus aliquas alias amicitias ſecundum modum conjunctionis eorum ad nos; cum autem bonum, ſuper quod fundatur quælibet alia amicitia honeſta, ordinetur ſicut ad finem ad bonum, ſuper quod fundatur Charitas; conſequens eſt, ut Charitas imperet actui cujuslibet alterius amicitiæ; ſicut ars, quæ eſt circa finem imperat arti, quæ eſt circa ea, quæ ſunt ad finem; & ſic hoc ipſum, quod eſt diligere aliquem, quia conſanguineus, vel conjunctus eſt, vel quia concivis, vel propter quodcunque hujuſmodi aliud licitum ordinabile in finem Charitatis, poteſt a Charitate imperari, & ita ex Charitate eliciente, & imperante pluribus modis diligimus magis nobis conjunctos. 2. 2. *q.* 26. *art.* 7. *in corp.*

QUÆR. 18. *An ſit magis diligendus ille, qui nobis eſt magis conjunctus ſecundum carnalem originem, vel communionem civilem; aut etiam bellicam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod illi, qui ſunt nobis magis conjuncti, ſunt ex Charitate magis diligendi, tum quia intenſius diliguntur, tum etiam quia pluribus rationibus diliguntur: intenſio autem dilectionis eſt ex conjunctione dilecti ad diligentem; & ideo diverſorum dilectio eſt menſuranda ſecundum diverſam rationem conjunctionis, ut ſcilicet unuſquiſque diligatur magis in eo, quod pertinet ad illam conjunctionem, ſecundum quam diligitur; & ulterius comparanda eſt dilectio dilectioni ſecundum comparationem conjunctionis ad conjunctionem.

Sic ergo dicendum eſt, quod amicitia conſanguineorum fundatur in conjunctione naturalis originis; amicitia autem concivium in communione civili; & amicitia commilitantium in communicatione bellica: & ideo in his, quæ pertinent ad naturam, plus debemus diligere conſanguineos; in his autem, quæ pertinent ad civilem converſationem, plus debemus diligere concives; & in bellicis plus commilitones; unde & Philoſophus dicit in 9. Eth. cap. 2. *Quod ſingulis propria, & congruentia ſunt attribuenda; ſic autem facere videntur quidam, qui ad nuptias vocant cognatos, videbitur utique & nutrimentum parentibus oportere maxime ſufficere, & honorem parentum, & ſimile eſt etiam in aliis.*

Si autem comparemus etiam conjunctionem ad conjunctionem, conſtat, quod conjunctio naturalis originis eſt prior, & immobilior, quia eſt ſecundum id, quod pertinet ad ſubſtantiam: aliæ autem conjunctiones ſunt ſupervenientes, & removeri poſſunt: & ideo amicitia conſanguineorum eſt ſtabilior, ſed aliæ amicitiæ poſſunt eſſe potiores ſecundum illud, quod eſt proprium unicuique amicitiæ. 2. 2. *q.* 26. *art.* 8. *in corp.*

QUÆR. 19. *Quomodo intelligi debeat illud Prov.* 18. *Vir amicabilis ad ſocietatem magis erit amicus quam frater: & Valerius Maximus dicit, quod amicitiæ vinculum prævalidum eſt, neque ulla ex parte ſanguinis viribus inferius: hoc etiam certius & exploratius, quod iſtud naſcendi ſors fortuitum opus dedit. Hoc uniuscujuſque ſolido judicio incoacta voluntas contrahit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quia amicitia ſociorum propria electione contrahitur in his, quæ ſub noſtra electione cadunt (puta in agendis) præponderat hæc dilectio dilectioni conſanguineorum; ut ſcilicet magis illis conſentiamus in agendis: amicitia tamen conſanguineorum eſt ſtabilior; utpote naturalior exiſtens, & prævalet in his, quæ ad naturam ſpectant; unde magis tene-

Digitized by Google

mur eis in proviſione neceſſariorum. *ibidem ad* 1.

QUÆR. 20. *In quo ſenſu dixit D. Ambroſius 1. de Officiis: Non minus vos diligo, quos in Evangelio genui, quam ſi in conjugio ſuſcepiſſem: non enim vehementior eſt natura ad diligendum, quam gratia: plus certe diligere debemus quos perpetuo nobiſcum putamus futuros, quam quos tantum in hoc ſæculo.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Ambroſius loquitur de dilectione quantum ad beneficia, quæ pertinent ad communicationem gratiæ, ſcilicet de inſtructione morum: in hac enim magis debet homo ſubvenire filiis ſpiritualibus, quos ſpiritualiter genuit, quam filiis corporalibus, quibus tenetur magis providere in corporalibus ſubſidiis. *ibid. ad* 2.

QUÆR. 21. *Utrum homo ex Charitate magis debeat diligere filium, quam Patrem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod gradus dilectionis ex duobus penſari poteſt; uno modo ex parte objecti, & ſecundum hoc id, quod habet majorem rationem boni, eſt magis diligendum, & quod eſt Deo ſimilius; & ſic Pater eſt magis diligendus quam filius, quia ſcilicet patrem diligimus ſub ratione principii, quod habet rationem eminentioris boni, & Deo ſimilioris: alio modo computatur gradus dilectionis ex parte ipſius diligentis, & ſic magis diligitur quod eſt conjunctius, & ſecundum hoc filius eſt magis diligendus quam pater, ut Philoſ. dicit in 8. Ethicor. cap. 12.

Primo quidem, quia parentes diligunt filios ut aliquid ſui exiſtentes: pater autem non eſt aliquid filii, & ideo dilectio ſecundum quam pater diligit filium, ſimilior eſt dilectioni, quam quis diligit ſeipſum: ſecundo, quia parentes magis ſciunt aliquos eſſe ſuos filios, quam e converſo: tertio, quia filius eſt magis propinquus parenti, utpote pars exiſtens, quam pater filio, ad quem habet habitudinem principii: quarto, quia parentes diutius amaverunt; nam ſtatim pater incipit diligere filium, filius autem tempore procedente incipit diligere patrem; dilectio autem quanto eſt diuturnior, tanto eſt fortior, ſecundum illud Eccleſ. 9. *Non derelinquas amicum antiquum: novus enim non erit ſimilis illi.* 2.2. *qu.* 26. *in corp.*

QUÆR. 22. *An ſicut Deus magis diligit filios quam diligatur ab eis; ita etiam homo ſe gerere debeat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut Auguſtinus dicit in 1. de Doctr. Chriſt. *Deus diligit nos ad utilitatem noſtram, & ſuum honorem.* Et ideo quia Pater comparatur ad nos in habitudine principii, ſicut & Deus, ad Patrem proprie pertinet ut eis a filiis honor impendatur; ad filium autem, ut ejus utilitati a parentibus provideatur: quamvis in articulo neceſſitatis filius obligatus ſit ex beneficiis ſuſceptis, ut parentibus maxime provideat. 2.2. *q.* 26. *art.* 9. *ad* 3.

QUÆR. 23. *Utrum homo magis debeat diligere matrem, quam patrem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in iſtis comparationibus id quod dicitur eſt intelligendum per ſe, ut videlicet intelligatur eſſe quæſitum de patre, inquantum eſt pater, an ſit plus diligendus matre, inquantum eſt mater: *poteſt enim in omnibus hujuſmodi tanta eſſe diſtantia virtutis, & malitiæ, ut amicitia ſolvatur, vel minuatur,* ut Philoſophus dicit in 8. Ethicor. & ideo ut Ambroſius dicit: *Boni domeſtici ſunt malis filiis præponendi*; ſed per ſe loquendo, pater magis eſt amandus, quam mater: amantur enim pater & mater, ut principia quædam naturalis originis; pater autem habet excellentiorem rationem principii quam mater; quia pater eſt principium per modum agentis, mater autem magis per modum patientis & materiæ: & ideo per ſe loquendo, pater eſt magis diligendus. 2.2. *quæſt.* 26. *artic.* 10. *in corp.*

QUÆR. 24. *Utrum homo plus debeat diligere uxorem, quam patrem, & matrem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut dictum eſt, gradus dilectionis attendi poteſt & ſecundum rationem boni, & ſecundum conjunctionem ad diligentem: ſecundum ergo rationem boni, quod eſt objectum dilectionis, magis ſunt diligendi parentes, quam uxores; quia diliguntur ſub ratione principii, & eminentioris cujuſdam boni: ſecundum autem rationem conjunctionis magis diligenda eſt uxor, quia uxor conjungitur viro, ut una caro exiſtens, ſecundum illud Matth. 19. *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro*; & ideo intenſius diligitur uxor, ſed major reverentia eſt parentibus exhibenda. 2.2. *qu.* 26. *art.* 11. *in corp.*

QUÆR. 25. *Quomodo intelligatur illud dictum Geneſ. 2. Propter quod relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod non quantum ad omnia deſeritur pater, & mater propter uxorem; in quibuſdam enim magis debet homo aſſiſtere parentibus, quam uxori: ſed quantum ad unionem carnalis copulæ, & cohabitationis, relictis omnibus parentibus, homo adhæret uxori. 2.2. *q.* 26. *art.* 11. *ad* 1.

QUÆR. 26. *Utrum homo magis debeat diligere benefactorem, quam beneficiatum.*

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, aliquid diligitur magis dupliciter: uno modo, quia habet rationem excellentioris boni; alio modo ratione majoris conjunctionis: primo quidem modo benefactor eſt magis diligendus, quia cum ſit principium boni in beneficiato, habet excellentioris boni rationem, ſicut & de patre dictum eſt: ſecundo autem modo magis diligimus beneficiatos, ut Philoſophus probat in 9. Ethicor. per quatuor rationes.

Primo quidem, quia beneficiatus eſt quoddam opus benefactoris; unde conſuevit dici de aliquo, iſte eſt factura illius; naturale eſt autem cuilibet ut diligat opus ſuum, ſicut videmus, quod Poetæ diligunt Poemata ſua; & hoc ideo, quia unumquodque diligit ſuum eſſe, & ſuum vivere, quod maxime manifeſtatur in ſuo opere: Secundo, quia unuſquiſque naturaliter diligit illud, in quo inſpicit ſuum bonum; habet quidem & benefactor in beneficiato aliquod bonum, & e converſo, ſed benefactor inſpicit in beneficiato ſuum bonum honeſtum, & beneficiatus in benefactore ſuum bonum utile; bonum autem honeſtum delectabilius conſideratur quam bonum utile; tum quia eſt diuturnius; utilitas enim cito tranſit, & delectatio memoriæ non eſt ſicut delectatio rei præſentis; tum etiam quia bona honeſta magis cum delectatione recolimus, quam utilitates, quæ nobis ab aliis evenerunt: Tertio, quia ad amantem pertinet agere, vult enim & operatur bonum amato; ad amatum autem pertinet bonum pati; & ideo excellentius eſt amare; & propter hoc ad benefactorem pertinet, ut plus amet: Quarto, quia difficilius eſt beneficia impendere, quam recipere; ea vero in quibus laboramus, plus diligimus; quæ vero nobis de facili proveniunt, quodammodo contemnimus. 2.2. *quæſt.26. artic.* 12. *in corp.*

QUÆR.27. An & quomodo inimici ſint ex charitate diligendi.

Reſpondetur infra *v. Inimicus.*

QUÆR.28. An ſit magis meritorium diligere amicum, quam inimicum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ratio diligendi proximum ex Charitate Deus eſt: cum ergo quæritur, quid ſit melius, vel magis meritorium, utrum diligere amicum, vel inimicum, dupliciter iſtæ dilectiones comparari poſſunt; uno modo ex parte proximi, qui diligitur; alio modo ex parte rationis, propter quam diligitur: Primo quidem modo dilectio amici præeminet dilectioni inimici, quia amicus & melior, & magis conjunctus eſt; unde eſt materia magis conveniens dilectioni, & propter hoc actus dilectionis ſuper hanc materiam tranſiens melior eſt; unde & ejus oppoſitum eſt deterius; pejus enim eſt odire amicum, quam inimicum: Secundo autem modo dilectio inimici præeminet propter duo; primo quidem, quia dilectionis amici poteſt eſſe alia ratio quam Deus, ſed dilectionis inimici ſolus Deus eſt ratio: Secundo, quia præſuppoſito quod uterque propter Deum diligatur, fortior oſtenditur eſſe Dei dilectio, quæ animum hominis ad remotiora extendit, ſcilicet uſque ad dilectionem inimicorum, ſicut virtus ignis tanto oſtenditur eſſe fortior, quanto ad remotiora diffundit ſuum calorem: tanto ergo oſtenditur Divina dilectio eſſe fortior, quanto propter ipſam difficiliora implemus, ſicut & virtus ignis tanto eſt fortior, quanto comburere poteſt materiam minus combuſtibilem; ſed ſicut idem ignis in propinquiora fortius agit, quam in remotiora, ita etiam Charitas ferventius diligit conjunctos, quam remotos: & quantum ad hoc dilectio amicorum ſecundum ſe conſiderata eſt ferventior, & melior, quam dilectio inimicorum. 2.2. *quæſt.27. artic.* 7. *in corp.*

QUÆR.29. An peccatores ſint diligendi ex charitate.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in peccatoribus duo poſſunt conſiderari, ſcilicet natura & culpa: ſecundum naturam quidem, quam a Deo habent, capaces ſunt Beatitudinis, ſuper cujus communicatione Charitas fundatur; & ideo ſecundum naturam ſunt ex Charitate diligendi: ſed culpa eorum Deo contrariatur, & eſt Beatitudinis impedimentum; unde ſecundum culpam, quæ Deo adverſatur, ſunt odiendi quicunque peccatores, etiam pater, & mater, & propinqui, ut habetur Lucæ 14. debemus enim in peccatoribus odire, quod peccatores ſunt, & diligere, quod homines ſunt Beatitudinis capaces, & hoc eſt eos vere ex Charitate diligere propter Deum. 2.2. *q.25. art.6. in corp.*

QUÆR.30. An poſſimus Dæmones ex charitate diligere.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, in peccatoribus ex charitate diligere debemus naturam, peccatum autem odire: In nomine autem Dæmonis ſignificatur natura peccato deformata: & ideo Dæmones ex Charitate non ſunt diligendi. Et ſi non fiat vis in nomine, & quæſtio referatur ad illos ſpiritus, qui Dæmones dicuntur; utrum ſint ex charitate diligendi: reſpondendum eſſe ſecundum præmiſſa, quod aliquid ex Charitate diligitur dupliciter. Uno modo ſicut ad quem amicitia habetur, &

Digitized by Google

ſic ad illos ſpiritus charitatis amicitiam habere non poſſumus: pertinet enim ad rationem amicitiæ, ut amicis noſtris bonum velimus: illud autem bonum vitæ æternæ, quod reſpicit charitas, ſpiritibus illis a Deo æternaliter damnatis ex charitate velle non poſſumus; hoc enim repugnaret charitati Dei, per quam ejus juſtitiam approbamus; Alio modo diligitur aliquid, ſicut quod volumus permanere ut bonum alterius: per quem modum ex Charitate diligimus irrationales creaturas, inquantum volumus eas permanere ad gloriam Dei, & utilitatem hominum, ut ſupra dictum eſt: Et per hunc modum & naturam Dæmonum etiam ex Charitate diligere poſſumus: inquantum ſcilicet volumus illos ſpiritus in ſuis naturalibus conſervari ad gloriam Dei. 2. 2. *q.* 25. *art.* 11. *in corp.*

QUÆR. 31. *An & quomodo debemus ex Charitate omnes creaturas diligere exemplo ipſius Dei, de quo Sap.* 11. *dicitur: diligit enim omnia quæ ſunt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Charitas ſecundum prædicta eſt amicitia quædam: per amicitiam autem amatur aliquid dupliciter: uno quidem modo amicum, ad quem amicitia habetur: & alio modo bona, quæ amico optantur. Primo ergo modo nulla creatura irrationalis poteſt ex Charitate amari. Et hoc triplici ratione, quarum duæ pertinent communiter ad amicitiam, quæ ad creaturas irrationales haberi non poteſt. Primo quidem, quia amicitia ad eum habetur, cui volumus bonum: ſed non proprie poſſumus bonum velle creaturæ irrationali; quia non eſt ejus proprie habere bonum, ſed ſolum creaturæ rationalis, quæ eſt domina utendi bono, quod habet, per liberum arbitrium: & ideo Philoſophus dicit in 2. Phyſic. Quod hujuſmodi rebus non dicimus aliquid bene vel male contingere, niſi ſecundum ſimilitudinem. Secundo, quia omnis amicitia fundatur ſuper aliqua communicatione vitæ: nihil enim ita proprium eſt amicitiæ ſicut bona vita, ut patet per Philoſophum 8. Ethicor.; creaturæ autem irrationales non poſſunt communicationem habere in vita humana, quæ eſt ſecundum rationem: unde nulla amicitia poteſt haberi ad creaturas irrationales, niſi forte ſecundum metaphoram. Tertia ratio eſt propria charitati: quia charitas fundatur ſuper communicatione Beatitudinis æternæ; cujus creatura irrationalis capax non eſt: Unde amicitia charitatis non poteſt haberi ad creaturam irrationalem. Poſſunt tamen ex charitate diligi creaturæ irrationales ſicut bona, quæ aliis volumus, inquantum ſcilicet ex Charitate volumus eas conſervari ad honorem Dei, & utilitatem hominum: Et ſic etiam ex charitate Deus eas diligit. *ibid. art.* 3. *in corp.*

QUÆR. 32. *Quodnam ſit expreſſius charitatis ſignum.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod labor exterior operatur ad augmentum præmii accidentalis; ſed augmentum meriti reſpectu præmii eſſentialis conſiſtit principaliter in charitate; cujus quoddam ſignum eſt labor exterior toleratus propter Chriſtum: ſed multo expreſſius ejus ſignum eſt, quod aliquis prætermiſſis omnibus quæ ad hanc vitam pertinent, ſoli divinæ contemplationi deſervire delectetur. 2. 2. *qu.* 181. *art.* 2. *ad* 1.

CHOREA.

Quæritur, An ludi choreales ſine peccato exerceri poſſint.

RESp. Div. Thomas, dicendum, quod ludus ſecundum ſe non eſt malus, aliter in ludis non eſſet virtus, quæ dicitur Eutrapelia; ſed ſecundum quod ordinatur diverſo fine, & veſtitur diverſis circumſtantiis, poteſt eſſe actus virtutis, & vitii; quia enim impoſſibile eſt ſemper agere in vita activa, & contemplativa; ideo oportet interdum gaudia curis interponere, ne animus nimia ſeveritate frangatur, & ut homo promptius vacet ad opera virtutum: & ſi tali fine fiat de ludis cum aliis circumſtantiis, erit actus virtutis, & poterit eſſe meritorius, ſi gratia informetur. Iſtæ autem circumſtantiæ videntur in ludo choreali obſervandæ; ut non ſit perſona indecens, ſicut Clericus, vel Religioſus; ut ſit tempore lætitiæ, ut liberationis gratia, vel in nuptiis, & hujuſmodi; ut fiat cum honeſtis perſonis, & cum honeſto cantu, & quod geſtus non ſint nimis laſcivi, & ſi quæ hujuſmodi ſunt: ſi autem fiant ad provocandum laſciviam, & ſecundum alias circumſtantias, conſtat quod actus vitioſus erit. *Super c.* 3. *Iſaiæ.*

CHRISMA.

QUÆR. 1. *Cur Chriſma conſecratur priuſquam ad uſum Sacramentorum adhibeatur.*

REſp. *v. conſecratio qu.* 6.

QUÆR. 2. *Cur balſamum admiſcetur Chriſmati, non autem oleo infirmorum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod incorruptio gloriæ eſt Sacramenti Confirmationis res ſignata, & non contenta: & hanc non oportet per materiam Sacramenti ſignificari, ſed

Digitized by Google

tantum rem contentam, quæ eſt nitor conſcientiæ per oleum ſignificatus: odor autem famæ ſignificatus per Baptiſmum non eſt neceſſarius morienti, ſed viventi: unde in Chriſmate, & non in oleo infirmorum, balſamum admiſcetur. 4. *ad Hannib. d. 33. art.* 1. *ad* 1.

QUÆR. 3. *Quo tempore debeat confici Chriſma.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut ex conſilio Martini Papæ habetur, omni tempore licebat Chriſma conficere: ſed quia ſolemnis Baptiſmus, ad quem requiritur uſus Chriſmatis, in vigilia Paſchæ celebratur, congrue ordinatum eſt, ut per biduum ante ab Epiſcopo Chriſma benedicatur, ut poſſit per diœceſim deſtinari. Dies etiam ille ſatis congruit ad materias Sacramentorum benedicendas, in quo fuit Euchariſtiæ Sacramentum inſtitutum, ad quod omnia alia Sacramenta quodammodo ordinantur. 3. *p. q.* 72. *art.* 12. *ad* 3. 4. *ſent. d.* 7. *q.* 1. *art.* 2. *q.* 3. *in corp.*

CIRCUNSTANTIA.

QUÆR. 1. *Quid ſit circunſtantia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod nominibus pertinentibus ad motum localem utimur ad ſignificandum alios motus, eo quod corpora, quæ loco circunſcribuntur, ſunt maxime nobis nota; & inde eſt, quod nomen circunſtantiæ ab his, quæ in loco ſunt, derivatur ad actus humanos: dicitur autem in localibus aliquid circunſtare, quod eſt quidem extrinſecum a re, tamen attingit ipſam, vel appropinquat ei ſecundum locum; & ideo quæcunque conditiones ſunt extra ſubſtantiam actus, & tamen attingunt aliquo modo actum humanum, circunſtantiæ dicuntur: quod autem eſt extra ſubſtantiam rei ad rem ipſam pertinens accidens ejus dicitur: unde circunſtantiæ actuum humanorum accidentia eorum dicenda ſunt. *p.* 2. *q* 7. *art.* 1. 1. *in corp.*

QUÆR. 2. *Quot ſint circunſtantiæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Tullius in ſua Rhetorica aſſignat ſeptem circunſtantias quæ hoc verſu continentur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Conſiderandum eſt enim in actibus, quis fecit; quibus auxiliis, vel inſtrumentis fecit; quid fecerit; ubi fecerit; cur fecerit; quomodo fecerit; & quando fecit. Sed Ariſt. in 3. Ethic. addit aliam ſcilicet circa quid, quæ a Tullio comprehenditur ſub quid: & ratio hujus enumerationis ſic accipi poteſt.

Nam circunſtantia dicitur quaſi extra ſubſtantiam actus exiſtens, ita tamen quod aliquo modo attingit ipſam; contingit autem hoc fieri tripliciter: uno modo inquantum attingit ipſum actum: alio modo inquantum attingit cauſam actus; tertio modo inquantum attingit effectum: ipſum autem actum attingit, vel per modum menſuræ ſicut tempus, & locus: vel per modum qualitatis actus, ſicut modus agendi: ex parte autem effectus, ut cum conſideratur, quid aliquis fecerit: ex parte vero cauſæ actus quantum ad cauſam finalem accipitur propter quid: ex parte autem cauſæ materialis, ſive objecti accipitur circa quid: ex parte vero cauſæ agentis principalis accipitur quis egerit: ex parte vero cauſæ agentis inſtrumentalis accipitur quibus auxiliis. *p.* 2. *qu.* 7. *art.* 3. *in corp.* (4. *ſent. d.* 16. *qu.* 3. *art.* 1. *qu.* 2. 3. *in corp.*)

QUÆR. 3. *Quænam ſit principalis circunſtantia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod actus proprie dicuntur humani, prout ſunt voluntarii; voluntatis autem motivum, & objectum eſt finis: & ideo principaliſſima eſt omnium circunſtantiarum illa, quæ attingit actum ex parte finis, ſcilicet cujus gratia: ſecundaria vero, quæ attingit ipſam ſubſtantiam actus, ideſt quid fecit: aliæ vero circunſtantiæ ſunt magis, vel minus principales ſecundum quod magis, vel minus ad has appropinquant. *p.* 2. *qu.* 7. *art.* 4. *in corp.* (4. *ſent. d.* 16. *qu.* 3. *art.* 2. *qu.* 2. *in corp.*) *d.* 33. *qu.* 1. *art.* 3. *qu.* 2. *ad* 4.) *lect.* 3. *Eth. tertii.*

QUÆR. 4. *An diuturnitas, frequentia, vel aſſiduitas in peccato ſit circunſtantia trahens in aliam ſpeciem, vel ſolummodo aggravans.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod diuturnitas non eſt circunſtantia trahens in aliam ſpeciem: ſimiliter nec frequentia, vel aſſiduitas, niſi forte per accidens ex aliquo ſupervenienti: non enim aliquid acquirit novam ſpeciem ex hoc quod multiplicatur, vel protelatur: niſi forte in actu protelato, vel multiplicato ſuperveniat aliquid, quod variet ſpeciem, puta inobedientia, vel contemptus, vel aliquid hujuſmodi. *q.* 2. *q.* 88. *art.* 5. *ad* 1.

QUÆR. 5. *Quid dicendum ſit de circunſtantia diei feſti.*

Reſp. *v. Debitum conjugale, q.* 29.

QUÆR. 6. *An & quomodo circunſtantiæ ſint indifferentes, vel diminuentes, vel aggravantes, vel etiam ſpeciem mutantes.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod omnis circunſtantia poteſt ſpeciem peccati mutare, ſed non ſemper mutat. Cum enim privationes, & negationes differant ſpecie ſecundum diſ-

differentiam habitum, & poſitionum oppoſitarum, & malum ſit privatio boni, oportet, quod ubi diverſum bonum ad virtutem neceſſarium aufertur, ibi ſit diverſa ſpecies peccati. Una autem ſola circunſtantia peccati rectitudinem virtutis aufert. Unde ſi aliæ circunſtantiæ nullam aliam obliquitatem peccato tribuant, niſi ex ſuppoſitione præcedentis, non mutabunt ſpeciem peccati, ſed ſorte aggravabunt quantitatem peccati illius: quandoque etiam neque quantitatem peccati aggravabunt, quia etiam ex ſuppoſitione præcedentis nullam inordinationem addunt: quandoque etiam peccatum diminuent, ſi aliqua circunſtantia rationem peccati ſubtrahat; ſicut accipere rem alienam, habet rationem peccati ex circunſtantia quid, inquantum res aliena eſt; quod autem manu dextera, vel ſiniſtra accipiatur, aut de mane, aut de ſero, nihil ad rationem mali pertinet. Et ideo iſtæ circunſtantiæ non excuſant, nec aggravant, nec ſpeciem mutant. Quod autem accipiat multum, vel parum, ex ſe deformitatem aliquam non importat, niſi ex ipſa ſuppoſitione primi, quia multum de alieno recipere eſt ab æqualitate magis diſcedere; unde talis circunſtantia aggravat, ſed peccatum non mutat. Quod autem rem alienam conſecratam accipiat, aliam deformitatem importat; quia quæcunque irreverentia circa res ſacras adhibita, ſpecialem rationem peccati habet; & ideo talis circunſtantia dicitur ſpeciem mutare. Si autem coactus accipiat, talis circunſtantia peccatum excuſat in parte, quia cauſa peccati (ſcilicet voluntarium) minuitur. *ſent. diſt. 16. q. 3. art. 2. qu. 3. in corp.)* 1. 2. *quæſt. 73. art. 7. in corp.*

QUÆR. 7. *An & quomodo circunſtantia, quæ novam ſpeciem peccati conſtituit, dicatur aggravans in infinitum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod circunſtantia, quæ ſic aggravat, ut novam ſpeciem peccati conſtituat, poteſt conſtituere ſpeciem peccati mortalis, & ita aggravat in infinitum, puta ſi aliquis loquatur verbum jocoſum, ut provocet ad libidinem, vel ad odium: ſi autem ſic aggravet, quod non conſtituat novam peccati ſpeciem, non poteſt aggravare in infinitum faciendo de veniali mortale, quia ſemper major eſt gravitas, quæ eſt ex peccati ſpecie, quam quæ eſt ex circunſtantia ſpeciem non conſtituente. *q. 2. de malo, art. 8. in corp. in 1. ſcripto ſent. lib. 4. diſt. 16. qu. 3. art. 2. quæſtiunc. 4. in 2. ſcripto lib. 4. diſt. 16. art. 2.*

QUÆR. 8. *An non ſint de neceſſitate confitendæ niſi illæ circunſtantiæ, quæ novam rationem peccati mortalis addunt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod peccatum mortale neceſſario eſt confitendum: ideo circunſtantia, quæ novam rationem peccati mortalis addit, de neceſſitate eſt confitenda, alia autem non. *in 2. ſcripto ſent. diſt. 16. art. 3. in corp.*

QUÆR. 9. *An teneatur homo confiteri circunſtantias trahentes in aliud genus peccati, non autem circunſtantias intra idem genus aggravantes; quamvis laudabile ſit etiam iſtas confiteri.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod videtur, quod omnino debet has homo confiteri: non enim homo confitetur peccatum ſuum, niſi ſpeciem confiteatur peccati, quæ cognoſci non poteſt, niſi per circunſtantias trahentes in aliud genus, ex quibus peccatum ſpecificatur. Circunſtantias vero non aggravantes, quæ in aliud genus peccati non trahunt, non tenetur homo confiteri, ſicut nec peccata venialia, licet ſit laudabile quod homo ea confiteatur. Eadem enim ratio videtur eſſe de hujuſmodi circunſtantiis, & de venialibus peccatis. Circunſtantiæ autem dicuntur in aliud genus trahere, quæ ſpecialem repugnantiam important ad aliud præceptum Divinæ legis: Sicut furtum ſimplex repugnat huic præcepto, Non furtum facies; Si autem furtum in loco ſacro committatur, habet jam repugnantiam ad aliud præceptum, quod eſt de veneratione ſacrorum; & ſic additur nova ſpecies peccati: unde conſequens eſt, quod addat aliam repugnantiam ad legem Dei: & ideo novam deformitatem peccati mortalis habebit, quod ex neceſſitate confiteri tenebitur. Sic igitur hujuſmodi circunſtantias aggravantes, quæ non trahunt in aliud genus peccati, non credo, quod aliquis teneatur confiteri. *Opuſc. 12. quæſt. 6.*

QUÆR. 10. *An ſententia, quæ docet non eſſe de neceſſitate confeſſionis, ut exprimantur circunſtantiæ notabiliter aggravantes, ſed ſolummodo circunſtantiæ ſpeciem mutantes, ſit probabilior oppoſita.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod omnes circunſtantias confiteri eſt impoſſibile, quaſdam vero confiteri eſt neceſſitatis, ſed in hoc eſt differentia opinionis: quidam enim dicunt, quod omnes circunſtantiæ, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri neceſſitatis eſt, ſi memoriæ occurrant: Alii vero dicunt, quod non ſunt de neceſſitate confitendæ, niſi circunſtantiæ, quæ ad aliud genus peccati trahunt; & hoc probabilius eſt: ſed addendum eſt, *quæ ad aliam ſpeciem mortalis trahunt*. Cujus ratio eſt, quod venialia non ſunt de neceſſitate confeſſionis, ſed ſolum mortalia, quæ quantitatem infinitam quo-

Digitized by Google

quodammodo habent: & quia circunſtantiæ aggravantes, quæ aliam ſpeciem peccato non tribuunt (vel quæ tribuunt quidem, ſed non mortalis peccati) non ſunt de neceſſitate confeſſionis; tamen eaſdem confiteri perfectionis eſt, ſicut & de venialibus dictum eſt. 4. *ſent. diſt.* 16. *quæſt.* 3. *art. quæſtiunc.* 5. *in corpore*, *diſt.* 41. *a.* 4. *quæſtiunc.* 1. *in corp.*

QUÆR. 11. *Utrum pœnitens teneatur exprimere circunſtantias aggravantes licet ſpeciem non mutantes, ut poſſit ei Sacerdos injungere debitam ſatisfactionem.*

Reſp. D. Thomas, de ſatisfactione recipienda, dicendum, quod determinata quantitas peccati non poteſt Sacerdoti innoteſcere, quia nec ipſe peccator ſcit: unde ſufficit, quod cognoſcat quantitatem, quæ ex ſpecie peccati conſurgit. Vel dicendum quod ſi cognoſceret, non tamen teneretur confiteri; quia tantum peccatum mortale eſt de neceſſitate confitendum. 4. *ad Hannib. d.* 16. *a.* 3. *ad* 2. 4. *ſent. diſt.* 16. *q.* 3. *a.* 2. *q.* 5. *ad* 2.

QUÆR. 12. *Quomodo ſit intelligenda D. Auguſtini ſententia lib. de vera, & falſa pœnitentia, de peccatore pœnitente dicentis: conſideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perſeverantia; in varietate perſonæ, & quali hoc fecerit tentatione, & in ipſius vitii multiplici executione; & poſtea ſubdit: Omnis iſta varietas confitenda eſt, & deflenda. Et paulo poſt: immoretur, inquit, in ſingulis iſtis, & ſentiat modum criminis, purgans lacrymis omnem qualitem vitii.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod nec in contritione oportet, quod de ſingulis circunſtantiis doleat pœnitens, quantum eſt de neceſſitate ſalutis; ſed oportet quod de ſingulis peccatis ad minus in prima contritione doleat, & de circunſtantiis, quæ peccati ſpeciem mutant. Hoc autem quod Auguſtinus dicit, pertinet ad perfectionem contritionis. 4. *ſentent. diſt.* 16. *q.* 2. *quæſtiunc.* 3. *ad* 3. *ad Hannib.* 2. *lib.* 4. *diſt.* 4. *art.* 16. *quæſt. unica*, *a.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 13. *An pœnitens debeat exprimere circunſtantias, in quibus aliorum peccata dignoſci poſſunt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod homo in confeſſione debet famam alterius cuſtodire quantum poteſt; ſed ſuam conſcientiam magis purgare debet: & ideo ſi circunſtantia, quæ ducit in cognitionem perſonæ, ſit de neceſſitate confeſſionis ſecundum regulam datam, tunc debet confiteri, occultando perſonam quantum poteſt: ſi autem non ſit de neceſſitate confeſſionis, debet dimittere, ne peccatum alterius prodat. 4. *ſent. d.* 16. *q.* 3. *a.* 2. *q.* 5. *ad* 5.

QUÆR. 14. *Utrum hæc circunſtantia ita ſit exprimenda, ut altera perſona in ſpeciali lateat, etſi cognoſcatur in generali.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſi talis circunſtantia non trahit in aliud genus mortalis, non eſt confitenda: ſi autem trahat, ſic; quia magis aliquis debet ſuam purgare conſcientiam, quam famam alterius cuſtodire; ita tamen caute, ut quantum fieri poteſt, in ſpeciali lateat, etſi in generali dicatur. 4. *ad Hannibal. diſt.* 16. *a.* 3. *ad* 5.

QUÆR. 15. *Cur in Confeſſione non ſit exprimenda perſona complicis, ſi hoc vitari poteſt; & utrum teneatur pœnitens eam notificare, ſi non poteſt aliter declarare ſpeciem ſui peccati, nec invenire aliquem Confeſſorem, qui complicem nec cognoſcat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod de expreſſione perſonæ, cum qua aliquis peccavit, videtur quod non ſit in Confeſſione facienda, quando poteſt vitari. Primo quidem, quia prodere crimen alterius, & lædere famam eſt peccatum, quod maxime vitandum eſt in Confeſſione, per quam quis quærit præterita peccata delere. Secundo, quia a Domino Matth. 18. eſt forma denuntiandi peccatum proximi deſcripta, contra quam agere non licet. Tertio, quia in Confeſſione eſt credendum peccatori confitenti & pro ſe, & contra ſe; ſed contra alium nullo modo eſt ei credendum, alioquin daretur multis occaſio fictæ confeſſionis, & fraudulentæ infamationis: & ideo ſi poteſt ſpeciem peccati confiteri non innoteſcendo perſonam cum qua peccavit, peccat eam exprimendo, niſi forte ſalvato correctionis ordine quem Dominus ſtatuit. Si vero ſpeciem peccati exprimere non poſſit, niſi exprimendo perſonam, cum qua peccavit, puta ſi cum ſorore concubuit, neceſſe eſt, ut exprimendo peccati ſpeciem, exprimat perſonam. Sed ſi fieri poteſt, debet quærere talem Confeſſorem, qui perſonam ſororis penitus non cognoſcat. *Opuſc.* 12. *q.* 6.

QUÆR. 16. *An ſit eadem ratio de numero peccatorum, ac de circunſtantiis aggravantibus, & ſpeciem non mutantibus.*

Reſp. D. Thomas, quod dixi circunſtantias aggravantes, quæ non trahunt in aliud genus peccati, non eſſe de neceſſitate confitendas, non eſt referendum ad numerum, quem aliquis confiteri tenetur, ſi poteſt; quia jam non eſt unum peccatum, ſed multa. *Opuſc.* 12. *q.* 6.

QUÆR. 17. *An circunſtantiæ peccatorum carnalium ſint in Confeſſione exprimendæ: & utrum quandoque laudabiliter reticeantur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod circunſtantiæ particulares peccati carnalis, quæ in aliam

Digitized by Google

aliam ſpeciem peccati mortalis trahunt, ſemper ſunt confitendæ, quia gratia, quæ in Sacramento pœnitentiæ datur, reſtaurat, ſi qua inclinatio ad peccatum ex talium cogitatione proveniat vel in confitente, vel in Sacerdote: Unde dicit Gregorius in Paſtorali: *Fit plerumque, ut dum rectoris animus aliena tentamenta cognoſcit, audit, tentationibus etiam ipſe pulſetur: ſed hæc nequaquam paſtori timenda ſunt; quia tanto facilius a ſua eripitur, quanto miſericordius ex aliena tentatione fatigatur*. Si tamen Sacerdotem laſcivum, & ad hujuſmodi peccata pronum viderit, debet accipere licentiam confitendi alteri Sacerdoti, & ſi non dederit, ad Superiorem recurrere: ſi autem circunſtantiæ non aggravant in infinitum novam ſpeciem peccati mortalis conferendo, quandoque laudabiliter reticentur adhibita debita diſcretione ſecundum conſiderationem turpitudinis circunſtantiæ, & pronitatem inclinationis ad peccatum ex ejus confeſſione in ipſo confitente, vel in Sacerdote. 4. *ſent. diſt.* 16. *q.* 3. *a.* 2. *quæſtiunc.* 5. *ad* 4.

QUÆR. 18. *Utrum ad hoc quod circunſtantia ingratitudinis innoteſcat, teneatur recidivans peccata ſibi dimiſſa iterum confiteri vel in ſpeciali, vel in generali*.

Reſponſio habetur infra *v. Recidivans*.

CIVITAS.

QUÆR. 1. *Quid requiratur ad hoc quod bonum civitatis bene ſe habeat*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod bonitas cujuslibet partis conſideratur in proportione ad ſuum totum; unde & Auguſt. dicit in 3. Confeſſ. quod *turpis eſt omnis pars, quæ ſuo toti non congruit*: cum igitur quilibet homo ſit pars civitatis, impoſſibile eſt, quod aliquis homo ſit bonus, niſi ſit bene proportionatus bono communi; nec totum poteſt bene exiſtere niſi ex partibus ſibi proportionatis: unde impoſſibile eſt, quod bonum commune civitatis bene ſe habeat, niſi cives ſint virtuoſi, ad minus illi, quibus convenit principari: ſufficit autem quantum ad bonum communitatis, quod alii intantum ſint virtuoſi, quod Principum mandatis obediant: & ideo Philoſophus dicit in 3. Politicorum, quod *eadem eſt virtus Principis, & boni viri; non autem eadem eſt virtus cujuſcunque civis, & boni viri*. *p.* 2. *q.* 92. *a.* 1. *ad* 3. *Opuſc. de regimine Principum l.* 4. *c.* 23. *& ſeq.*

QUÆR. 2. *An expulſi a Civitate propter partes, poſſint exigere bona ſua ab illis, qui in Civitate manent*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aut ſunt expulſi juſte, ſcilicet propter eorum culpam; & ſic non poſſunt repetere amiſſa: aut injuſte, ideſt ſine culpa, & ſine debito ordine juſtitiæ, & ſic poſſunt repetere: ſi autem habent ſuperiorem, debent per ſuperiorem petere ſibi reſtitui: ſi autem non habent ſuperiorem, ipſimet poſſunt recuperare. *Quodlibeto* 12. *a.* 23. *in corp.*

CLEMENTIA.

QUÆR. 1. *Utrum tam clementia quam manſuetudo ſit virtus*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ratio virtutis moralis conſiſtit in hoc, quod appetitus rationi ſubdatur, ut patet per Philoſophum in 1. Ethic. Hoc autem ſervatur tam in clementia, quam in manſuetudine: nam clementia in diminuendo pœnas aſpicit ad rationem, ut Seneca dicit in 2. de clementia: ſimiliter etiam manſuetudo ſecundum rationem rectam moderatur iras, ut dicitur in 4. Ethic. Unde manifeſtum eſt quod tam clementia, quam manſuetudo eſt virtus. 2. 2. *q.* 157. *a.* 2. *in corp.*

QUÆR. 2. *Quomodo clementia ſit diminutiva pœnarum*.

Reſp. D. Thomas, clementia eſt diminutiva pœnarum, non quidem in reſpectu ad id, quod eſt ſecundum rationem rectam, ſed in reſpectu ad id, quod eſt ſecundum legem communem, quam reſpicit juſtitia legalis. Sed propter aliqua particularia conſiderata, clementia diminuit pœnas, quaſi decernens hominem non eſſe magis puniendum; unde dicit Seneca in 2. de clementia: *Clementia hoc primum præſtat, ut quos dimittit, nihil aliud illos pati debuiſſe pronunciet*. 2. 2. *q.* 157. *a.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 3. *Cur vitium clementiæ oppoſitum dicatur inſania, juxta illud Senecæ in* 2. *de clementia, cui voluptati ſævitia eſt, poſſumus inſaniam vocare*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod inſania dicitur per corruptionem ſanitatis. Sicut autem ſanitas corporalis corrumpitur per hoc, quod corpus recedit a debita complexione humanæ ſpeciei; ita etiam inſania ſecundum animam accipitur per hoc, quod anima humana recedit a debita diſpoſitione humanæ ſpeciei. Quod quidem contingit & ſecundum rationem, puta cum aliquis uſum rationis amittit; & quantum ad vim appetitivam, puta cum aliquis amittit affectum humanum, ſecundum quem *homo eſt naturaliter omni homini amicus*, ut dicitur in 6. Ethic. Inſania autem, quæ excludit uſum rationis, opponitur pruden-

Digitized by Google

dentiæ. Sed quod aliquis delectetur in pœnis hominum, dicitur eſſe inſania, quia per hoc videtur homo privatus affectu humano, quem ſequitur clementia. 2.2. *qu.* 157. *art.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 4. *An clementia, & manſuetudo ſint maximæ omnium virtutum.*

Reſpondetur. *v. Manſuetudo qu.* 2.

CLERICUS.

QUÆR. 1. *An Clericis conveniat tonſura, & raſura.*

REſp. D. Thomas, dicendum, quod eis qui ad divina miniſteria applicantur, competit tonſura, & raſura in modum coronæ; & ratione figuræ, quia corona eſt ſignum regni; & ratione perfectionis, cum ſit circularis: illi autem qui divinis miniſteriis applicantur, adipiſcuntur regiam dignitatem, & perfecti in virtute eſſe debent. Competit etiam eis ratione ſubtractionis capillorum, & ex parte ſuperiori per raſuram, ne mens eorum temporalibus occupationibus a contemplatione divinorum retardetur; & ex parte inferiori per tonſuram, ne eorum ſenſus temporalibus obvolvantur. 4. *ſent. diſt.* 24. *quæſt.* 3. *art.... quæſtiunc.* 1.

QUÆR. 2. *An corona clericalis ſit Ordo, vel ſolummodo præambulum ad Ordinem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod miniſtri Eccleſiæ a populo ſeparantur ad vacandum divino cultui; in cultu autem divino quædam ſunt, quæ per potentias determinatas ſunt exercenda: & ad hoc datur ſpiritualis poteſtas Ordinis: quædam autem ſunt quæ communiter a toto miniſtrorum collegio fiunt: ſicut dicere divinas laudes: & ad hoc non præexigitur aliqua poteſtas Ordinis, ſed ſolum quædam deputatio ad tale officium, & hoc fit per coronam: & ideo non eſt ordo, ſed præambulum ad ordinem. *ibid. in quæſtiunc.* 2. *in corp.*

QUÆR. 3. *An licet per coronam illam non imprimatur character, debeat tamen fieri per Epiſcopum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quamvis per coronam non imprimatur character, tamen deputatur homo ad cultum divinum: & ideo talis deputatio debet fieri per ſummum miniſtrorum, ſcilicet Epiſcopum: *in eadem quæſtiunc.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 4. *An clerici per coronam renuncient patrimonio.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod clerici in hoc, quod coronam accipiunt, non renunciant patrimonio, neque aliis rebus temporalibus; quia terrenorum poſſeſſio non contrariatur Divino cultui, ad quem clerici deputantur, ſed nimia eorum ſollicitudo: quia, ut dicit Gregorius, *affectus in crimine eſt.* 4. *ſent. d.* 24. *q.* 3. *art.* 1. *q.* 3. *in corp.*

QUÆR. 5. *An liceat negotiationi inſiſtere, cum dicat D. Hier. in epiſt. ad Nepotianum: negotiatorem clericum, & ex inope divitem, ex ignobili glorioſum, quaſi quandam peſtem fuge.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod clerici non ſolum habent abſtinere ab his, quæ ſunt ſecundum ſe mala, ſed etiam ab his, quæ habent ſpeciem mali: quod quidem in negotiatione contingit; tum propter hoc, quod eſt ordinata ad lucrum terrenum, cujus clerici debent eſſe contemptores, tum etiam propter frequentia negotiatorum vitia, quia *difficulter exuitur negotiator a peccatis labiorum*, ut dicitur Eccleſ. 26. eſt & alia cauſa, quia negotiatio nimis implicat animum ſæcularibus curis, & per conſequens a ſpiritualibus retrahit: unde Apoſtolus dicit 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus.* Licet tamen clericis uti prima commutationis ſpecie, quæ ordinatur ad neceſſitatem vitæ, emendo, vel vendendo. 2. 2. *q.* 77. *art.* 4. *ad* 3. 4. *ſent. d.* 16. *q.* 4. *art.* 2. *q.* 3. *in corp.* 2. 2. *q.* 40. *art.* 2. *in corp. q.* 187. *art.* 2. *in corp.*

QUÆR. 6. *An clerici ſint Domini, vel ſolummodo diſpenſatores bonorum patrimonialium, vel Eccleſiaſticorum: & utrum mortaliter peccent, ſi ea, quæ eis ſuperfluunt, in eleemoſynas non elargiantur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aliter videtur ſe habere circa bona patrimonialia, & circa bona Eccleſiaſtica; nam bonorum patrimonialium, vel licite acquiſitorum vere eſt dominus; unde quantum pertinet ad conditionem ipſius rei poteſt re ſua uti ut vult, & ex hac parte non accedit peccatum. Poteſt tamen peccatum accidere ex inordinato modo utendi: vel per ſuperabundantiam, dum ſcilicet inutiliter conſumit bona propria in quæ non oportet: vel ſecundum defectum, inquantum ſcilicet non erogat ea in quæ oportet: utroque enim modo corrumpitur virtus, ut dicitur in 2. Eth.

Bonorum vero Eccleſiaſticorum clerici non ſunt vere domini, ſed diſpenſatores, ſecundum illud 1. ad Corinth. 7. *Diſpenſatio autem mihi credita eſt*; pertinet autem ad diſpenſatorem, ut fideliter diſtribuat ea, quæ ejus diſpenſationi committuntur, ſecundum illud 1. Corinth. 4. *Hic jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur*: in his ergo poteſt dupliciter peccatum contingere: uno modo ex conditione ipſius rei, dum ſcilicet uſurpat ſibi quaſi rem propriam, & in

& in uſus ſuos convertit id quod eſſet aliis erogandum: alio modo ex inordinato uſu eorum, quæ in partem ſuam cedunt. Verum quia horum diſpenſatio fidei diſpenſatoris committitur, ſi quis bona fide diſpenſet Eccleſiaſtica bona, inde accipiens quod ſibi convenit ſecundum conditionem ſtatus, & perſonæ, & aliis largiatur ſecundum quod ſibi videtur bona fide expedire, non peccat mortaliter: etiamſi forte aliquid plus in ſuos uſus convertat, quam oporteat: talia enim quia in ſingularibus eſt eorum judicium, non poſſunt per omnimodam certitudinem definiri: unde ſi non ſit multus exceſſus poteſt compati bonam fidem diſpenſatoris; ſi vero multus exceſſus fiat, non poteſt latere, & ita non poteſt cum bona fide diſpenſatoris hoc agi: ſi autem non conſervet bonam fidem in diſpenſando peccat mortaliter. *Quodlibeto. 6. art. 12. in corp.*

QUÆR. 7. *An ſicut Epiſcopi, ita etiam clerici ad reſtitutionem teneantur, ſi ea ſibi retineant, quæ pauperibus ſunt eroganda.*

Reſponſio videatur infra, *v. Epiſcopus quæſt.* 21.

QUÆR. 8. *Quomodo intelligendum ſit quod D. Ambroſius ſuper illud Lucæ* 12. *hominis cujuſdam divitis uberes fructus ager attulit, ait, proprium nemo dicat quod e communi pluſquam ſufficiat ſumptum, & violenter obtentum eſt; & poſtea ſubdit: neque minus eſt criminis habenti tollere, quam cum poſſis, & abundas, indigentibus denegare.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod verbum illud Ambroſii non ſolum eſt referendum ad diſpoſitionem rerum Eccleſiaſticarum, ſed quorumcunque bonorum, ex quibus teneatur aliquis debito charitatis providere neceſſitatem patientibus: non autem poteſt determinari quando ſit iſta neceſſitas quæ ad peccatum mortale obliget, ſicut nec cætera particularia quæ in humanis actibus conſiderantur: horum enim determinatio relinquitur humanæ prudentiæ. 2. 2. *q.* 185. *art.* 7. *ad* 1.

QUÆR. 9. *An & quando Epiſcopi vel clerici bona Eccleſiaſtica ſuis conſanguineis, vel aliis dare poſſunt: & quomodo intelligatur Gloſſa Hieron. ſuper illud Iſaiæ* 3. *Rapina pauperum in domo veſtra, dicentis, quod bona Eccleſiaſtica ſunt pauperum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod bona Eccleſiarum non ſunt ſolum expendenda in uſus pauperum, ſed etiam in alios uſus: & ideo ſi de eo, quod uſui Epiſcopi, vel alicujus Clerici eſt deputatum, velit aliquis ſibi ſubtrahere, & conſanguineis, vel aliis dare, non peccat, dummodo illud faciat moderate, id eſt, ut non indigeant, non autem ut ditiores inde fiant; unde Ambroſius dicit in lib. de officiis: *Hæc eſt approbanda libertas, ut proximos ſeminis tui ne deſpicias, ſi egere cognoſcas: non tamen ut illos ditiores fieri velis ex eo, quod tu potes conferre inopibus.* 2. 2. *q.* 185. *art.* 7. *ad* 2.

QUÆR. 10. *Quomodo intelligi debeat illud Hieronymi in Epiſtola ad Damaſum Papam, dicentis: Clericos illos convenit ſtipendiis Eccleſiæ ſuſtentari, quibus parentum, & propinquorum bona nulla ſuffragantur: qui autem bonis parentum, & opibus propriis ſuſtentari poſſunt, ſi quod pauperum eſt accipiunt, ſacrilegium committunt, & incurrunt: Unde Apoſtolus dicit* 2. *ad Timoth.* 5. *Si quis fidelis habet viduas, ſubminiſtret illis, & non gravetur Eccleſia, ut his quæ vere viduæ ſunt ſufficiat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod non omnia bona Eccleſiarum ſunt pauperibus eroganda, niſi forte in articulo neceſſitatis, in quo pro redemptione captivorum, & aliis neceſſitatibus pauperum, etiam vaſa cultui divino dicata diſtribuuntur, ut Ambroſius dicit; & in tali neceſſitate peccaret clericus, ſi vellet de rebus Eccleſiæ vivere, dummodo haberet patrimonialia bona, de quibus vivere poſſet. *ibid. ad* 3.

QUÆR. 11. *Utrum ea quæ ſuperfluunt de bonis Eccleſiæ, laudabiliter reſervari poſſint in futurum, quando non imminet neceſſitas pauperum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod bona Eccleſiarum uſibus pauperum deſervire debent: & ideo ſi quis neceſſitate non imminente providendi pauperibus de his quæ ſuperfluunt ex proventibus Eccleſiæ, poſſeſſiones ducat, vel in theſauro reponat in futurum, utilitati Eccleſiæ, & neceſſitatibus pauperum, laudabiliter facit: ſi vero neceſſitas immineat pauperibus erogandi, ſuperflua cura eſt & inordinata, ut aliquis in futurum conſervet, quod Dominus prohibet Matth. 6. dicens: *Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum. Ibid. ad* 4.

QUÆR. 12. *Quomodo bona Eccleſiæ ſint dividenda, & quot modis committantur peccata circa ipſa, & quando ſit facienda reſtitutio.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod bona Eccleſiaſtica non ſolum ſunt diſpenſanda pauperibus, ſed etiam Eccleſiæ miniſtris: unde ſecundum Canones debent dividi hoc modo, ut aliqua pars cedat in uſus pauperum, & aliqua pars in uſus miniſtrorum, & in cultum Eccleſiæ. Aliter autem dicendum eſt de illis Eccleſiaſticis bonis, quæ principaliter ſunt attribuenda neceſſitatibus pauperum, & ex conſequenti neceſſitatibus miniſtrorum, ſicut ſunt bona hoſpitalium, & aliorum hujuſmodi;

Digitized by Google

modi; & aliter de illis bonis, quæ ſunt principaliter attributa uſibus miniſtrorum, ſicut ſunt præbendæ clericorum, & alia hujuſmodi: nam in primis bonis peccatum committitur non ſolum ex abuſu, ſed etiam ex ipſa rerum conditione, dum aliquis in ſuos uſus aſſumit quod eſt alterius; & ideo tenetur ad reſtitutionem tanquam defraudator rei alienæ: in ſecundis vero bonis non committitur peccatum niſi per abuſum, ſicut & de bonis patrimonialibus dictum eſt: unde non tenetur quis ad reſtitutionem, ſed ſolum ad pœnitentiam peragendam. *Quodlib.6. art.12. ad 3.*

QUÆR. 13. *An clericus peccet mortaliter expendens ſuperflue in conviviis; & quomodo vivere poteſt ſecundum decentiam ſui ſtatus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod neque moderatus uſus divitiarum, neque bona fides diſpenſatorum ſalvari videtur in eo, qui ſcienter ſuperfluas expenſas facit in voluptuoſis conviviis, & aliis hujuſmodi ſuperfluitatibus; & ſic non eſt dubium, quod in talibus peccat mortaliter: Unde dicitur Matth. 24. *Si dixerit malus ſervus ille in corde ſuo, moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere conſervos ſuos* (quod pertinet ad ſuperbum, & crudele dominium) *manducet autem & bibat cum ebrioſis* (quod pertinet ad ſuperflua, & voluptuoſa convivia) *Veniet Dominus ſervi illius in die qua non ſperat, & hora qua ignorat, & dividet eum* (ſcilicet a ſocietate Sanctorum) *partemque ejus ponet cum hypocrytis* (ſcilicet in Inferno) unde ibi ſubditur, *ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Si autem aliquis non multum in talibus excedat, poteſt bona fide fieri ab aliquo, qui vult ſecundum decentiam ſui ſtatus morem gerere his, quibus convivit. *Quodlibeto 6. art.12. ad 4.*

QUÆR. 14. *Utrum Epiſcopus teneatur alere pauperes clericos a ſe ordinatos in ſacris: & quomodo intelligatur Hugo, dicens: Poſtquam aliquis factus eſt clericus, deinceps debet de ſtipendiis Eccleſiæ ſuſtentari.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſi ſint indigentes clerici ad ſacros Ordines promoti, Epiſcopus, qui eos promovit, debet eis providere; alias non tenetur: ipſi autem ex ordine ſuſcepto tenentur Eccleſiæ miniſtrare: verbum autem Hugonis intelligitur, quando non habent unde ſuſtententur. 4. *ſent. diſt.* 24. *q.* 3. *art.* 1. *quæſtiunc.* 3. *ad* 3.

COEMETERIUM.

Quæritur, An Cœmeterium conſecratum vendi poſſit.

Reſponſio videatur *v. Simonia*, *q.* 28.

COGNATIO.

Vide in *v. Matrimonium*, de impedimento cognationis.

COMMUNIO.

QUÆR. 1. *An liceat alicui omnino a communione ceſſare; & an fuerit neceſſaria inſtitutio Eccleſiæ de communione.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod nulli licet omnino a communione ceſſare, quia Eccleſia ſtatuit tempus, in quo fideles communicare debent: unde qui omnino deſiſtunt, efficiuntur rei tranſgreſſionis præcepti. Inſtitutio autem Eccleſiæ fuit neceſſaria, quia enim in quotidiana pugna ſumus, vita ſpiritualis in nobis evaneſceret, niſi aliquando cibum vitæ ſumeremus. 4. *ſent. d.* 12. *q.* 3. *ar.* 1. *quæſtiunc.* 1. *in corp.*) 3. *p. qu.* 80. *art.* 10.

QUÆR. 2. *Utrum ſit contemptus, & puſillanimitas, quod aliquis omnino a communione ceſſet.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod reverentia Deo debita in hoc exhibetur, quod homo non ſe nimis divinis ingerat ſuper ſuum modum: ſed quod homo omnino ſe ſubtrahat, hoc eſt contemptus, & puſillanimitatis. *In eadem qu.* 1. *ad* 2.

QUÆR. 3. *An votum Euchariſtiæ ſit de neceſſitate ſalutis; & utrum ad communionem obligemur nedum præcepto Eccleſiæ, ſed etiam Chriſti Domini, juxta illud Joannis. 6. Niſi manducaveritis carnem Filii Hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod duplex eſt modus percipiendi hoc Sacramentum, ſcilicet ſpiritualis, & ſacramentalis. Manifeſtum eſt autem, quod omnes tenentur ſaltem ſpiritualiter manducare, quia hoc eſt Chriſto incorporari: ſpiritualis autem manducatio includit votum, ſeu deſiderium percipiendi hoc Sacramentum; & ideo ſine voto percipiendi hoc Sacramentum, non poteſt homini eſſe ſalus: fruſtra autem eſſet votum niſi impleretur, quando opportunitas adeſſet: & ideo manifeſtum eſt, quod homo tenetur hoc Sacramentum ſumere, non ſolum ex ſtatuto Eccleſiæ, ſed ex mandato Domini dicentis Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Ex ſtatuto autem Eccleſiæ ſunt determinata tempora exequendi Chriſti præceptum. 3. *p. q.*80. *art.* 11. *in corp.*

QUÆR. 4. *An ſit laudabile, quod aliquis a Communione omnino abſtineat ex humilitate.*

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſicut Gregorius dicit in paſtorali: *Illa vera eſt humilitas, cum ad reſpuendum quod utiliter præcipitur, pertinax non eſt*; & ideo non poteſt eſſe laudabilis humilitas, ſi contra præceptum Chriſti, & Eccleſiæ aliquis omnino a Communione abſtineat. *In eod. art. 11. ad 1.*

QUÆR. 5. An ſit melius Communicare, quam abſtinere.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in his, quæ ſunt ex genere ſuo bona, peccatum non accidit niſi ex aliquo accidente, dum inordinate expletur: & ideo in eis perficere per ſe bonum eſt; ſed abſtinere ab eis non eſt bonum, niſi ratione alicujus accidentis: unde cum Euchariſtiam accipere ſit bonum ex genere, aſſumere eam eſt bonum per ſe, abſtinere eſt bonum per accidens, inquantum ſcilicet timetur ne inordinate ſumatur: & quia quod eſt per ſe, præjudicat ei, quod eſt per accidens: ideo ſimpliciter loquendo, melius eſt Euchariſtiam ſumere, quam ab ea abſtinere. Sed in caſu aliquo nihil prohibet eſſe melius abſtinere, quando aliquis probabiliter præſumit ex ſumptione reverentiam minui.

Si autem hæc duo ad invicem comparemus, adhuc invenitur prævalere ſumptio Sacramenti abſtinentiæ a Sacramento, tum ratione effectus Sacramenti, tum ratione præparationis quantulacumque ſit, tum etiam ratione virtutis elicientis actum: quia ſumere videtur eſſe charitatis, in qua radix meriti conſiſtit; abſtinere autem timoris: amor autem timori prævalet. 4. *ſentent. diſtinct.* 12. *qu.* 3. *art.* 2. *quæſt.* 3. *in corp.* 3. *par. quæſt.* 80. *artic.* 11.

QUÆR. 6. An ſit major gloria Dei, quod aliquis ad Communionem accedat, quam quod abſtineat.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in hoc maxime eſt gloria Dei & bonitas, quod ſe creaturis pro captu earum communicat: unde magis videtur ad Dei gloriam pertinere, quod aliquis ad Communionem accedat, quam quod abſtineat. *In eadem quæſtiunc.* 3. *ad ſecundum.*

QUÆR. 7. Utrum homo debeat frequentare Communionem.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ea, quæ in Sacramento Euchariſtiæ geruntur, habent ſimilitudinem cum his, quæ accidunt in corporali nutrimento: quia enim fit quaſi continua deperditio naturalis humiditatis per actionem caloris naturalis, & exercitium laboris, ideo oportet frequenter corporalem cibum aſſumere ad reſtaurationem deperditi, ne perditio continua mortem inducat. Similiter etiam ex concupiſcentia innata, & occupatione circa exteriora fit deperditio devotionis, & fervoris, ſecundum quæ homo in Deum colligitur; unde oportet, quod pluries deperdita reſtaurentur, ne homo totaliter alienetur a Deo. 4. *ſent. diſt.* 12. *qu.* 3. *art.* 1. *quæſtiunc.* 1. *in corp.*

QUÆR. 8. An frequentatio Communionis debeat eſſe neceſſaria.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in Sacramento Euchariſtiæ duo requiruntur ex parte recipientis; ſcilicet deſiderium conjunctionis ad Chriſtum, quod facit amor; & reverentia Sacramenti, quæ ad donum timoris pertinet: primum autem invitat ad frequentationem hujus Sacramenti quotidianam, ſed ſecundum retrahit: unde ſi aliquis experimentaliter cognoſceret ex quotidiana ſumptione fervorem amoris augeri, & reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare; ſi autem ſentiret per quotidianam frequentationem reverentiam minui, & fervorem non multum augeri, talis deberet interdum abſtinere, ut cum majori reverentia, & devotione poſtmodum accederet.

Unde quantum ad hoc unuſquiſque relinquendus eſt judicio ſuo: & hoc eſt, quod Auguſtinus dicit: *Si dixerit quiſpiam non quotidie accipiendam eſſe Euchariſtiam, alius affirmat quotidie ſumendam: faciat unuſquiſque, quod ſecundum fidem ſuam pie credit eſſe faciendum*; & probat per exemplum Zacchæi, & Centurionis, quorum unus recepit Dominum gaudens; alius dixit, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum; & uterque miſericordiam conſecutus eſt. 4. *ſent. d.* 12. *q.* 3. *artic.* 1. *quæſtiunc.* 2. *in corp.*) 4. *ad Hannib. d.* 12. *art.* 3. *ad* 3. *Joann.* 11. *lect.* 7.

QUÆR. 9. An ſit utile, & laudabile quotidie Euchariſtiam ſumere, juxta illud Auguſtini in lib. de verbis Domini: iſte panis quotidianus eſt; accipe quotidie, ut quotidie tibi proſit.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod circa uſum hujus Sacramenti duo poſſunt conſiderari: unum quidem ex parte hujus Sacramenti, cujus virtus eſt hominibus ſalutaris; & ideo utile eſt quotidie ipſum ſumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat: unde Ambroſius dicit in lib. de Sacramentis: *Si quotieſcunque effunditur Sanguis Chriſti, in remiſſionem peccatorum effunditur; debeo ſemper accipere, ut ſemper mihi peccata dimittantur: qui ſemper pecco, debeo ſemper habere medicinam*: alio modo poteſt conſiderari ex parte ſumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione, & reverentia ad hoc Sacramentum accedat: & ideo ſi aliquis ſe quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile eſt, quod quo-

Digitized by Google

quotidie ſumat: unde Auguſtin. cum dixiſſet: *Accipe quotidie, ut quotidie tibi proſit*, ſubjungit: *Sic vive, ut merearis accipere*. Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indiſpoſitionem, vel animæ, non eſt utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere; ſed quotieſcunque ſe ad illud homo invenerit præparatum; Unde in lib. de Eccleſiaſt. dogmatibus dicitur: *Quotidie Eucharistiæ communionem accipere, nec laudo, nec vitupero*. 3. *p. qu.* 80. *art.* 10. *in corp.*

QUÆR. 10. *Cur, licet Baptiſmus nonniſi ſemel in vita ſuſcipiatur, Eucharistia tamen laudabiliter quotidie ſumatur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod per Sacramentum Baptiſmi configuratur homo morti Chriſti, in ſe ſuſcipiens ejus characterem; & ideo ſicut Chriſtus ſemel mortuus eſt, ita ſolum ſemel debet homo baptizari: ſed per hoc Sacramentum non recipit homo Chriſti characterem, ſed ipſum Chriſtum, cujus virtus manet in æternum: unde Hebr. 10. dicitur: *Una oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos*: & ideo quia quotidie homo indiget ſalutifera Chriſti virtute, quotidie poteſt laudabiliter hoc Secramentum ſumere. Et quia præcipue Baptiſmus eſt ſpiritualis regeneratio; ideo ſicut homo ſemel carnaliter naſcitur, ita debet ſemel ſpiritualiter renaſci per Baptiſmum, ut Auguſtinus dicit ſuper illud Joan. 3. *Quomodo poteſt homo naſci cum ſit ſenex*; ſed hoc Sacramentum eſt cibus ſpiritualis: unde ſicut cibus corporalis quotidie ſumitur, ita & hoc Sacramentum quotidie ſumere laudabile eſt: unde Dominus Lucæ 11. docet petere, *panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*. In cujus expoſitione Auguſtinus dicit in lib. de verbis Domini: *ſi quotidie accipis, quotidie tibi eſt hodie; tibi quotidie Chriſtus reſurgit, hodie enim eſt tibi quicunque dies, quo tibi Chriſtus reſurgit*. *In eodem art.* 10. *ad* 1.

QUÆR. 11. *Quot vicibus teneatur Chriſti fidelis communicare: & utrum ſit laudabile communicare omnibus diebus Dominicis.*

Reſp. D. Thomas, quod ſecundum diverſos ſtatus fidei, diverſus mos de hoc inolevit: nam in primitiva Eccleſia, quando vigebat devotio major ex propinquitate Paſſionis Chriſti, & erat major impugnatio ab infidelibus, quia hæc menſa adverſus tribulationes Eccleſiæ præparatur, quotidie communicandum fidelibus indicebatur; unde Calixtus Papa dicit: *Peracta conſecratione omnes communicent, qui nolunt Eccleſiaſticis carere liminibus; ſic enim Apoſtoli ſtatuerunt*; poſtmodum indictum fuit, ut ſaltem ter in anno communicarent, propter ſolemnitatem illorum dierum: ſed poſtmodum arctatum eſt, ut ſaltem ſemel in anno, ſcilicet in Paſcha communicent; & ad hoc etiam multi idonei non inveniuntur. Et quamvis ſtatutum Eccleſiæ non liceat præterire, tamen licet pluries communicare: unde Auguſtinus laudat omnibus diebus Dominicis communicandum eſſe: & ita pluries in anno poteſt communicare quis. 4. *ſent. d.* 12. *quæſt.* 3. *art.* 1. *quæſt.* 3. *in corp.*

QUÆR. 13. *An & quando peccatores excuſentur a tranſgreſſione præcepti Eccleſiæ, licet a communione abſtineant etiam in Paſchate.*

Reſp. D. Thomas, licet in peccatis permanentes non excuſentur propter hoc a tranſgreſſione præcepti, pœnitentes tamen, qui (ut Innocentius dicit) ſecundum conſilium Sacerdotis abſtinent, excuſantur. 3. *p. q.* 80. *art.* 11. *ad* 3.

QUÆR. 13. *An liceat pluribus vicibus in una die communicare.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod homo non debet pluries in una die communicare; ut ſaltem quantum ad unam diem repræſentetur unitas Dominicæ Paſſionis, & ut quantum ad aliquid reverentia Sacramento exhibeatur ſemel ſumendo. 4. *ſent. d.* 12. *qu.* 3. *art.* 1. *q.* 4. *in corp.*

QUÆR. 14. *An ſit conveniens laicos non communicare niſi ſub una ſpecie juxta conſuetudinem, quæ tempore D. Thomæ in aliquibus Eccleſiis ſervabatur, & nunc ſervatur in omnibus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod circa uſum hujus Sacramenti duo poſſunt conſiderari, unum ex parte ipſius Sacramenti, aliud ex parte ſumentium: ex parte quidem ipſius Sacramenti convenit, quod utrumque ſumatur, ſcilicet & Corpus & Sanguis, quia in utroque conſiſtit perfectio Sacramenti: & ideo quia ad Sacerdotem pertinet hoc Sacramentum conſecrare, & perficere, nullo modo debet Corpus Chriſti ſumere ſine ſanguine: ex parte autem ſumentium requiritur ſumma reverentia, & cautela, ne aliquid accidat, quod vergat ad injuriam tanti myſterii, quod præcipue poſſet accidere in ſanguinis ſumptione, qui quidem ſi incaute ſumeretur, de facili poſſet effundi; & quia crevit multitudo populi Chriſtiani, in qua continentur ſenes & juvenes, & parvuli, quorum quidam non ſunt tantæ diſcretionis, ut cautelam debitam circa uſum hujus Sacramenti adhibeant, ideo provide in quibuſdam Eccleſiis obſervatur, ut populo Sanguis ſumendus non detur, ſed ſolum a Sacerdote ſumatur. 3. *p. quæſt.* 80. *art.* 12. *in corp. quæſt.* 74. *art.* 1. *ad* 3. 4. *d.* 11. *q.* 2. *art.* 1. qu.

Digitized by Google

qu. 1. 3. *diſt.* 12. *qu.* 3. *art.* 2. *Joann.* 6. *lect.* 7.

QUÆR. 15. *Quot, & quæ requiruntur ad digne communicandum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ad hoc quod homo digne ad Sacramentum Euchariſtiæ accedat, tria requiruntur: primo munditia conſcientiæ, quæ nonniſi per peccatum tollitur: ſecundo erectio mentis ad Deum per actualem devotionem, & hæc per mentis hebetudinem, vel occupationem, aut evagationem interdum ſine peccato amittitur; tertio munditia corporalis; unde & celebrantes, vel tractaturi aliquod Sacramentum propter reverentiam manus lavant. Unde primo, & principaliter peccatum impedit: Secundo indevotio ſeu hebetudo mentis: Tertio corporalis immunditia. 4. *ſent. d.* 9. *quæſt.* 1. *art.* 4. *qu.* 2.

QUÆR. 16. *Utrum ad communionem debet quis accedere confeſſus.*

Reſp. D. Thomas, ad confeſſionem obligatur aliquis, ſi debeat Euchariſtiam percipere, ad quam nullus poſt peccatum mortale niſi confeſſus accedere debet, copia Sacerdotis oblata, & neceſſitate non urgente: & inde venit obligatio, qua Eccleſia omnes obligat ad ſemel in anno confitendum; quia inſtituit, ut ſemel in anno, ſcilicet in Paſcha, omnes Sacram Communionem accipiant: & ideo ante tempus illud confiteri tenentur. 4. *ſent. d.* 17. *q.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 4. *in corp.*

QUÆR. 17. *Quando reputetur aliquis indignus Communione: & in quo caſu liceat communicare cum ſola contritione.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod dicitur aliquis indignus ex eo, quod cum voluntate peccandi mortaliter accedit ad Euchariſtiam: dicitur enim Levitici 12. *Non accedat ad Altare, qui maculam habet*: intelligitur aliquis maculam peccati habere, quamdiu eſt in voluntate peccandi, quæ tamen tollitur per pœnitentiam; per contritionem quidem, quæ tollit voluntatem peccandi cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi quantum ad remiſſionem culpæ, & pœnæ æternæ; per confeſſionem autem, & ſatisfactionem quantum ad totalem remiſſionem pœnæ, & reconciliationem ad membra Eccleſiæ.

Et ideo in neceſſitate quidem, puta quando aliquis copiam Confeſſoris habere non poteſt, ſufficit contritio ad ſumptionem hujus Sacramenti; regulariter autem debet confeſſio præcedere cum aliqua ſatisfactione: unde in lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 53. dicitur: *Communicaturus ſatisfaciat lacrymis, & orationibus, & confidens de Domino mundus accedat ad Euchariſtiam intrepidus, & ſecurus; ſed hoc de illo dico, quem capitalia peccata, & mortalia non gravant, nam quem mortalia crimina poſt Baptiſmum commiſſa premunt, hortor prius publica pœnitentia ſatisfacere, & ita Sacerdotis judicio reconciliatum communioni ſociari, ſi non vult ad condemnationem Euchariſtiam percipere.* lect. 7. *ſuper cap.* 11. *primæ ad Corinth.*

QUÆR. 18. *An ſit conſulendum alicui, quod ſtatim poſt nocturnam pollutionem, vel etiam mortale peccatum ad Euchariſtiam accedat, ſi contritus fuerit, & confeſſus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod non eſſet conſulendum alicui, quod ſtatim poſt peccatum mortale etiam contritus, & confeſſus ad Euchariſtiam accederet; ſed deberet, niſi magna neceſſitas urgeret, per aliquod tempus propter reverentiam abſtinere. Et præterea confeſſio purgat maculam mentis, non autem immunditiam corporalem, & hebetudinem quæ contingit in mente ex depreſſione ipſius ad carnem. 4. *ſentent. diſt.* 9. *qu.* 1. *artic.* 4. *quæſt.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 19. *Quomodo intelligendus ſit Auguſtinus in libro de vera & falſa pœnitentia dicens: Caveat ne prius ad Dominicum corpus accedat, quam confortet ſe bona conſcientia; & doleat quod nondum audeat ſumere, quem multum deſiderat, cibum ſalutarem.*

Reſp. D. Thomas, bona conſcientia confortatur, quando certis ſignis conjicere poteſt peccatum ſibi eſſe dimiſſum; & hoc, quando facit quod in ſe eſt: & ideo qui habet copiam Sacerdotis, & neceſſitate non urgetur ad communicandum, ſicut urgentur Sacerdotes Parrochiales, non debet accedere ante confeſſionem. Sed etiam poſt contritionem, & confeſſionem gravium peccatorum conſilium videtur eſſe Divi Auguſtini, quod non ſtatim accedat propter reverentiam Sacramenti, & ut magis ſeipſum probet. 4. *diſt.* 16. *in expoſ. textus.*

QUÆR. 20. *An non ſit de neceſſitate abſtinendum a communione niſi propter peccatum mortale.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ex neceſſitate quidem non impeditur homo a ſumptione hujus Sacramenti, niſi propter peccatum mortale: ſed ex quadam convenientia poteſt homo impediri per alias cauſas. 3. *p.* *q.* 80. *art.* 7. *ad* 1.

QUÆR. 21. *An & quare comeſtio impediat communionem, excepto caſu infirmitatis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aliquid impedit ſumptionem hujus Sacramenti dupliciter; uno modo ſecundum ſe, ſicut peccatum mortale, quod habet repugnantiam ad ſignificatum hujus Sacramenti; alio modo pro-

propter prohibitionem Eccleſiæ: & ſic impeditur aliquis a ſumptione hujus Sacramenti poſt cibum, & potum aſſumptum, triplici ratione. Primo quidem ſicut Auguſt. dicit, in honorem hujus Sacramenti, ut ſcilicet in os hominis intret nondum aliquo cibo, vel potu infectum. Secundo propter ſignificationem, ut ſcilicet detur intelligi, quod Chriſtus (qui eſt res hujus Sacramenti) & charitas ejus debet primo fundari in cordibus noſtris, ſecundum illud Matthæi 6. *Quærite primum regnum Dei*. Tertio propter periculum vomitus, & ebrietatis, quæ quandoque contingunt ex hoc quod homines inordinate cibis utuntur; ſicut & Apoſt. dicit 1. ad Cor. 11. *Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt.*

Ab hac tamen generali regula excipiuntur infirmi, qui ſtatim communicandi ſunt etiam poſt cibum, ſi de eorum periculo dubitatur, ne ſine communione decedant: quia neceſſitas legem non habet, ut dicitur de conſecr. d.2. *Presbyter infirmum ſtatim communicet, ne ſine communione moriatur*. 3. *p. q.*80. *ar.*9. *in corp.* 4. *d.*8. *q.* 1. *art.* 4. *q.* 2.

*QUÆR.*22. *An communio requirat jejunium naturæ: & quænam ipſum frangunt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod duplex eſt jejunium: primum eſt jejunium naturæ, quod importat privationem cujuſcunque præaſſumpti per modum cibi, vel potus; & tale jejunium requiritur ad hoc Sacramentum propter prædicta: & ideo neque poſt aſſumptionem aquæ, vel alterius cibi, aut potus, vel etiam medicinæ in quantumcumque parva quantitate, licet hoc Sacramentum accipere. Nec refert utrum aliquid hujuſmodi nutriat, aut per ſe, aut cum aliis, dummodo ſumatur per modum cibi, vel potus. Reliquiæ tamen cibi remanentes in ore, ſi caſualiter tranſglutiantur, non impediunt ſumptionem hujus Sacramenti: quia non trajiciuntur per modum cibi; ſed per modum ſalivæ. Et eadem ratio eſt de reliquiis aquæ, vel vini, quibus abluitur; dummodo non trajiciuntur in magna quantitate, ſed permixtæ ſalivæ, quod vitari non poteſt.

Aliud autem eſt jejunium Eccleſiæ, quod inſtituitur ad carnis macerationem, & tale jejunium per prædicta non impeditur: quia prædicta non multum nutriunt, ſed magis ad alterandum ſumuntur. 3. *p. q.* 80. *art.* 8. *ad* 4.) 4. *ſent. diſ.*8. *q.* 1. *art.* 4. *qu.* 2. *in corp. ad Cor.* 11. *lect.* 3.

*QUÆR.*23. *Cur generaliter loquendo interdictum ſit omnibus quidquam ſumere dum communicare debent, cum ſumptio cibi, & potus in parva quantitate in nullo ſobrietatem diminuat; imo magis augeat, naturam confortando.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod legis præcepta ſe habent ad ea, quæ agenda ſunt, ſicut univerſalia ad ſingularia, ut dicitur in 5. Ethic. quia enim legiſlator non poteſt ad omnes eventus attendere, oportet quod ad ea quæ in pluribus accidunt attendens univerſalem legem conſtituat, ut lex univerſalis ſit; & quia ut frequenter per cibum turbatur hominis diſcretio, & ſobrietas, quæ præcipue in hoc Sacramento exigitur: ideo univerſaliter prohibitum eſt poſt cibum Corpus Chriſti ſumi; quamvis aliqua cibi ſumptio non impediat rationem. Præcipue cum nihil periculi accidat, ſi poſt cibum ſumptum abſtineatur a perceptione hujus Sacramenti; quia in articulo neceſſitatis licet illud ſumere poſt alios cibos. 4. *ſent. diſt.* 8. *q.* 1. *ar.* 4. *qu.* 2. *ad* 1.

QUÆR. 24. *Utrum inſomneitas, vel indigeſtio impediat jejunium naturæ ad communionem requiſitum.*

Reſp. D. Thomas, non impedit aliquos eſſe jejunos, ſi tota nocte nihil dormierint; vel ſi etiam non ſint plene digeſti: dummodo eadem die omnino cibi, vel potus nihil ſumpſerint. 1. *ad Corinth.* 11. *lect.* 4.

QUÆR. 25. *Utrum ille communicare poſſit, qui aliquid ſumpſit poſt mediam noctem; & utrum inſomneitas, vel indigeſtio quandoque reddant hominem ineptum ad Eucbariſtiam.*

Reſp. D. Thomas, Eccleſia Romana diem a media nocte incipit: & ideo ſi poſt mediam noctem aliquis ſumpſerit aliquid per modum cibi, vel potus, non poteſt eadem die hoc ſumere Sacramentum: poteſt vero ſi ante mediam noctem. Nec refert utrum poſt cibum, vel potum aſſumptum dormierit, aut etiam digeſtus ſit quantum ad rationem præcepti: refert autem quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter inſomneitatem, vel indigeſtionem; ex quibus ſi mens multum perturbatur, homo redditur ineptus ad ſumptionem hujus Sacramenti. 3. *p. q.* 80. *art.* 8. *ad* 5.

*QUÆR.*26. *Utrum licet ea, quæ interius geruntur in homine, non ſolvant jejunium naturæ, nec Communionem impediant; quandoque tamen propter ipſa poſſit abſtineri a Communione ex reverentia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod jejunium naturæ dicitur per privationem actus comeſtionis, ſecundum quod comeſtio etiam potionem includit: comeſtio autem principalis dicitur a ſumptione exterioris cibi, quamvis terminetur ad trajectionem cibi in ventrem, & ulterius ad nutritionem; & ideo quæ interius geruntur, ſine exterioris cibi ſumptione, non videntur ſolvere jejunium naturæ, nec

Digitized by Google

nec impedire Euchariſtiæ perceptionem, ſicut deglutio ſalivæ. Et ſimiliter videtur de his, quæ intra dentes remanent, & etiam de eructationibus. Tamen propter reverentiam, niſi neceſſitas incumbat, poteſt ſine periculo abſtineri. 4. *diſt.*8. *q.*1. *art.*4. *quæſt.*2. *ad* 3.

QUÆR. 27. *Utrum ſtatim poſt Communionem poſſit ſumi cibus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ propter reverentiam tanti Sacramenti poſt ejus ſumptionem homo debet in gratiarum actione perſiſtere; unde etiam in Miſſa oratio gratiarum actionis poſt communionem dicitur; & Sacerdotes poſt celebrationem ſuas ſpeciales orationes habent ad gratiarum actionem; & ideo oportet eſſe aliquod intervallum inter ſumptionem Euchariſtiæ, & aliorum ciborum. Sed quia non requiritur magnum intervallum, & quod parum deeſt, nihil deſſe videtur, ut dicitur in 2. Phyſicor. ideo poſſumus in hoc ſenſu concedere, quod ſtatim poteſt aliquis cibos alios ſumere poſt Euchariſtiæ ſumptionem. 4. *diſt.*8. *qu.*1. *art.*4. *quæſt.* 3.) 3. *part. qu.*80. *art.*8. *ad* 6.

QUÆR. 28. *An carentibus uſu rationis ſit neganda Communio; & utrum Sacramentum Pænitentiæ, & Euchariſtiæ concedi debeant illis, qui oppreſſi infirmitate reſpondere non poſſunt; vel in phreneſim inciderunt, antequam Sacerdos vocatus accederet.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aliqui dicuntur non habere uſum rationis dupliciter: uno modo, quia habent debilem uſum rationis, ſicut dicitur non videns, qui male videt; & quia tales poſſunt aliquam devotionem hujus Sacramenti concipere, non eſt eis hoc Sacramentum denegandum; alio modo dicuntur aliqui non habere totaliter uſum rationis: aut igitur nunquam habuerunt uſum rationis, ſed ſic a nativitate permanſerunt, & ſic talibus non eſt hoc Sacramentum exhibendum, quia in eis nullo modo præceſſit hujus Sacramenti devotio; aut non ſemper caruerunt uſu rationis, & tunc ſi prius quando erant compotes ſuæ mentis, apparuit in eis devotio hujus Sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc Sacramentum exhiberi, niſi forte timeatur periculum vomitus, vel expulſionis: unde in Concilio Carthaginenſi legitur in Decret. 26. quæſt. 2. *Is, qui in infirmitate pænitentiam petit, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim converſus fuerit, dent teſtimonium quicunque audierunt, & accipiat pænitentiam: & ſi continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia.* 3. *p. q.*80. *art.*9. *in corp.* 4. *ſent. diſt.* 9. *q.* 1. *art.*5. *q.* 3. *in corp.*

QUÆR. 29. *An Communio dari debeat furioſis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod furioſus aut habet lucida intervalla, & tunc poteſt communicare, aut non: aut ergo eſt perpetuo furioſus, & ſic non debet: aut ad tempus ex infirmitate aliqua incidit in phreneſim: & tunc ſi ante petierat, & præſumitur poſſe accipere ſine periculo deriſionis, aut vomitus, aut hujuſmodi, debet ei dari; aliter, non. 3. *ad Hann. d.*9. *art.*4. *ad* 5.

QUÆR. 30. *Utrum energumenis deneganda ſit communio, cum dicat D. Dionyſius in lib. de Eccleſ. Hierarchia, quod etiam ab inſpectione hujus Sacramenti arceantur.*

Reſp. D. Thomas, quod Dionyſius loquitur de energumenis nondum baptizatis, in quibus ſcilicet nondum eſt vis Dæmonis extincta, quæ viget in eis per originale peccatum. Sed de baptizatis, qui corporaliter ab immundis ſpiritibus vexantur eſt eadem ratio, ac de aliis amentibus; unde Caſſianus dicit: *eis qui ab immundis vexantur ſpiritibus communionem ſacroſanctam a ſenioribus noſtris nunquam meminimus interdictam. In eodem, art.*9. *ad* 2.

QUÆR. 31. *Utrum hujuſmodi energumenis deneganda ſit communio, quando conſtat eos vexari a Dæmone propter aliquod crimen.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Dæmoniacis non eſt deneganda Communio, niſi forte certum ſit, quod pro aliquo crimine a Diabolo torqueantur. 4. *d.*9. *q.*1. *art.* 5. *q.* 3. *ad* 2.

QUÆR. 32. *An & quando Communio danda ſit pueris.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod eadem ratio eſt de pueris recenter natis, & de amentibus, qui nunquam habuerunt uſum rationis; unde talibus non ſunt ſacra myſteria danda: quamvis quidam Græci contrarium faciant, propter hoc quod Dionyſ. 2. lib. Eccleſ. Hierarchiæ dicit, baptizatis etiam ſacram Communionem dandam, non intelligentes, quod Dionyſ. ibi loquitur de Baptiſmo adultorum. Nec tamen propter hoc aliquod detrimentum vitæ patiuntur, propter hoc quod Dominus dicit Joa. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*; quia ſicut Auguſtinus ſcribit Bonifacio: *Tunc unuſquiſque fidelium Corporis, & Sanguinis Domini particeps fit* (ſcilicet ſpiritualiter) *quando in Baptiſmate membrum Corporis Chriſti efficitur.* Sed quando jam pueri incipiunt aliqualem uſum rationis habere, ut poſſint devotionem concipere hujus Sacramenti, tunc poteſt eis hoc

Digitized by Google

Sacramentum conferri. *3. p. q. 80. art. 9. ad 3.*

QUÆR. 33. Utrum ætas, in qua poteſt communio dari pueris, ſit circiter decem, vel undecim annorum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod pueris carentibus uſu rationis, qui non poſſunt diſtinguere inter cibum ſpiritualem & corporalem, non debet Euchariſtia dari: pueris autem jam incipientibus habere diſcretionem etiam ante perfectam ætatem, puta cum ſint decem, vel undecim annorum, aut circa hoc, poteſt dari, ſi in eis ſigna diſcretionis appareant, & devotionis. *4. ſent. diſt. 9. qu. 1. art. 5. quæſt. 4. in corp.*

QUÆR. 34. An pueri poſſint Euchariſtiam ſumere circa ætatem adultam.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſi ſunt in ætate apta ad dijudicandum, & reverendum corpus Domini, vel prope ætatem adultam (ſcilicet 12. annorum, vel 11.) tunc ſi apparent ſigna reverentiæ & diſcretionis, poſſunt ſumere; alias, non. *4. ad Hann. diſt. 9. art. 4. ad 3.*

QUÆR. 35. An ſit deneganda Communio illis, qui ſunt ſuſpecti de aliquo mortali peccato.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod triplex eſt ſuſpicio; quædam eſt violenta, ad cujus contrarium non admittitur probatio, ſicut ſi inveniatur ſolus cum ſola nudus in loco ſecreto, & tempore apto ad commixtionem; alia eſt probabilis, ſicut ſi inveniatur ſolus cum ſola colloquens in locis ſuſpectis, & frequenter; tertia eſt præſumptuoſa, quæ ex levi conjectura ortum habet. Hæc autem ultima deponenda eſt: in ſecunda non debet denegari, quia pœna non infligitur ubi culpa ignoratur: ſed de prima eſt idem judicium, quod de peccato: unde ſi ſit ſuſpicio procedens ex fama publica, non debet ei dari neque in occulto, neque in manifeſto; ſi autem ſit ſingularis ipſius Sacerdotis, ſic debet dari in publico, ſed non in occulto. *4. ſent. d. 9. qu. 1. art. 5. quæſtiunc. 2. in corp.*

QUÆR. 36. An ſuſpectis de aliquo crimine dari debeat Communio ad criminis examen.

Reſp. D. Thomas, dicit Stephanus Papa, *ferri candentis, vel aquæ ferventis examinatione, confeſſionem extorqueri a quolibet, ſacri Canones non concedunt. Spontanea enim confeſſione, vel teſtium approbatione, publicata delicta commiſſa ſunt regimini noſtro judicare: occulta vero & incognita, illi ſunt relinquenda, qui ſolus novit corda filiorum hominum.* Et idem habetur extra de purgationibus, cap. *Et tuarum.* In omnibus enim talibus eſſe videtur Dei tentatio, unde ſine peccato fieri non poſſunt. Et gravius videtur, ſi in hoc Sacramento, quod eſt inſtitutum ad remedium ſalutis, aliquis incurreret judicium mortis; unde nullo modo Corpus Chriſti debet dari alicui ſuſpecto de crimine, quaſi ad examinationem. *3. p. q. 8. art. 6. ad 3.*

QUÆR. 37. Utrum immunditia corporalis impediat Communionem; & utrum leproſi, & patientes fluxum ſanguinis, vel ſeminis, ab ipſa abſtinere debeant.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod cum iſte cibus non ſit corporis, ſed mentis, magis in ejus ſumptione conſideranda eſt diſpoſitio mentis, quam corporis, & ideo diſtinguendum eſt in immunditia corporali tantum, quia aut eſt perpetua, ſicut lepra, aut diuturna; vel eſt temporalis, & cito purgabilis: ſi quidem ſit perpetua, vel diuturna, tunc nullo modo propter hoc quis abſtinere debet, ne propter immunditiam corporis perdatur fructus mentis, ſicut accidit in leproſis, patientibus fluxum ſanguinis, vel ſeminis: ſi autem ſit temporalis, & facile expurgabilis, tunc ſi aliquis in mente ſit bene diſpoſitus ſumere non prohibetur: quamvis etiam poſſit ad tempus laudabiliter abſtinere propter reverentiam tanti Sacramenti. *4. ſent. diſt. 9. quæſt. 2. art. 4. quæſtiunc. 3. in corp.*

QUÆR. 38. Cur immunditiæ corporales, quæ in veteri legi impediebant ab ingreſſu Sanctuarii, in nova lege non impediant a ſumptione hujus Sacramenti, ſicut de muliere pariente, vel menſtruata, vel fluxum ſanguinis patiente ſcribit Gregor.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut Gregorius dicit in epiſtola ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum, *in veteri teſtamento aliqui polluti dicebantur figuraliter, quod populus novæ legis ſpiritualiter intelligit.* Unde hujuſmodi corporales immunditiæ ſi ſint perpetuæ vel diuturnæ, non impediunt ſumptionem hujus Sacramenti ſalutaris, ſicut impediebant acceſſum ad Sacramenta figuralia. Si vero cito tranſeant; ſicut immunditia pollutionis nocturnæ, ex quadam congruentia impediunt ſumptionem hujus Sacramenti per illum diem quo accidit: unde & Deut. 15. dicitur: *ſi fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus ſit ſomnio, egredietur extra caſtra, & non revertetur priuſquam ad veſperam lavetur aqua. 3. p. quæſt. 80. art. 7. ad 3.*

QUÆR. 39. Quænam immunditia corporalis communionem impediat.

Reſp. D. Thomas, dicendum, de immunditia corporali: aut eſt perpetua, ſive difficile purgabilis, ſicut lepra, fluxus ſeminis, & alia hujuſmodi; & propter talem immunditiam cor-

Digitized by Google

corporalem non debet Euchariſtiæ ſumptio prætermitti: aut de facili purgabilis; & tunc poteſt prætermitti propter reverentiam; ſed non eſt neceſſitatis ſi ſit pure corporalis, niſi expreſſe cadat in irreverentiam Sacramenti; ſicut ſi aliquis manibus deturpatis ad celebrandum accederet. 4. *ad Hann. d. 9. art. 4. ad 6.*

QUÆR. 40. *An ſicut leproſus prohibetur a celebratione hujus Sacramenti, ita etiam prohiberi debeat ab ejus ſumptione.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Sacerdoti leproſo interdicitur ne publice celebret propter horrorem; tamen ſecreto poteſt ex devotione celebrare, niſi adeo corruptus ſit quod periculum timeatur: leproſus tamen non debet ad Sacerdotium promoveri. Nec eſt ſimile de Sacerdote celebrante, & Euchariſtiam ſumente, quia plus requiritur in celebrante, quam in ſumente. *Ibidem ad 7.*

QUÆR. 41. *An & quando debitum conjugale, vel nocturna pollutio communionem impediant.*

Reſpondetur infra *v. Debitum conjugale, qu.* 31. & *v. pollutio nocturna, qu.* 5.

QUÆR. 42. *Cur licet veniale peccatum non impediat communionem, imo neque peccatum mortale poſt pænitentiam; nihilominus nocturna pollutio eam impediat, quamvis de mane pænitens de ipſa conteratur, & confiteatur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod licet per contritionem, & confeſſionem auferatur reatus culpæ, non tamen aufertur corporalis immunditia, & diſtractio mentis ex pollutione conſecuta. *3. qu. 80. art. 7. ad 4.*

QUÆR. 43. *Cur ſomnium de homicidio perpetrato, vel de furto, aut alio quovis peccato non impedit communionem; bene tamen ſomnium de fornicatione.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quod ſomnium homicidii non inducit corporalem immunditiam, nec etiam tantam diſtractionem mentis, ſicut fornicatio ſomniata, propter delectationis intentionem. Si tamen ſomnium homicidii proveniat ex cauſa, quæ eſt peccatum, præſertim mortale, impedit a ſumptione hujus Sacramenti ratione ſuæ cauſæ. *in eodem art. 7. ad 5.*

QUÆR. 44. *Ad quem pertineat diſpenſatio Corporis Chriſti, & an liceat alicui illud tangere præterquam Sacerdoti.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ad Sacerdotem pertinet diſpenſatio Corporis Chriſti propter tria. Primo quidem, quia ipſe conſecrat in perſona Chriſti: ipſe autem Chriſtus ſicut conſecravit Corpus ſuum in cœna, ita & aliis ſumendum dedit: unde ſicut ad Sacerdotem pertinet conſecratio Corporis Chriſti, ita ad eum pertinet diſpenſatio. Secundo, quia Sacerdos conſtituitur medius inter Deum, & populum: unde ſicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre, ita ad eum pertinet dona ſanctificata divinitus populo tradere. Tertio, quia in reverentiam hujus Sacramenti a nulla re contingitur, niſi conſecrata: unde & Corporale, & Calix conſecrantur, & ſimiliter manus Sacerdotis ad tangendum hoc Sacramentum: unde nulli tangere licet, niſi in neceſſitate, puta ſi caderet in terram, vel in aliquo alio neceſſitatis caſu. *3. par. quæſt. 82. art. 3. in corp.*

QUÆR. 45. *An poſſit Diaconus diſpenſare Corpus Chriſti in neceſſitate.*

Reſp. D. Thomas, Diacono non licet Corpus Chriſti tangere, cum non habeat manus ſacratas: & ideo non debet corpus diſpenſare, niſi de mandato Presbyteri, vel Epiſcopi, vel Presbytero longe poſito in caſu neceſſitatis. *4. ſent. d. 9. quæſt. 1. art. 3. quæſtiunc. 2.*

QUÆR. 46. *An liceat Corpus Chriſti accipere ab hæreticis, vel excommunicatis, vel peccatoribus, aut eorum Miſſas audire.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Sacerdotes ſi ſint hæretici, vel excommunicati, vel etiam peccatores, quamvis habeant poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam, non tamen ea recte utuntur, ſed peccant utentes; quicunque autem communicat alicui in peccato, ipſe particeps peccati efficitur: unde & in ſecunda Canon. Joannis dicitur, quod *qui dixerit ei Ave*, ſcilicet hæretico, *communicat operibus illius malignis*; & ideo non licet a prædictis communionem accipere, aut eorum Miſſam audire.

Differt tamen inter prædictas ſectas: nam hæretici & ſchiſmatici, & excommunicati ſunt per ſententiam Eccleſiæ executione conſecrandi privati; & ideo peccat quicunque eorum Miſſam audit, vel ab eis accipit Sacramenta; ſed non omnes peccatores ſunt per ſententiam Eccleſiæ executione hujus poteſtatis privati, & ſic quamvis ſint ſuſpenſi ad ſe ex ſententia Divina, non tamen quantum ad alios ex ſententia Eccleſiæ: & ideo uſque ad ſententiam Eccleſiæ licet ab eis Communionem accipere, & eorum Miſſam audire: unde ſuper illud 1. ad Corinth. 5. *cum hujuſmodi nec cibum ſumere*, dicit gloſſa Auguſtini: *hoc dicendo noluit hominem ab homine judicari ex arbitrio ſuſpicionis, vel etiam extraordinario uſurpato judicio; ſed potius ex lege Dei ſecundum ordinem Eccleſiæ, ſive ultro confeſſum, ſive accuſatum & convictum. 3. p. q. 82. art. 9. in corp.*

QUÆR. 47. *An ſit licitum ſuſcipere Commu-*

nio-

Digitized by Google

nionem a ſimoniaco, vel ſchiſmatico, vel excommunicato, vel concubinario, vel alio peccatore, juxta illud Auguſtini: neque in homine bono, neque in homine malo aliquis Sacramenta Dei fugiat.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſi aliquis cum peccato ad hoc Sacramentum accedit, magis cedit ei in nocumentum, quam in profectum: quicunque autem contra ordinationem Eccleſiæ accedit, per inobedientiam peccat: ſimoniaci autem, & ſchiſmatici, & excommunicati ex ſtatuto Eccleſiæ a diſpenſatione hujus Sacramenti ſunt ſuſpenſi, quia ſunt extra unitatem Eccleſiæ, in qua Sacramenta conferuntur: & ſimiliter interdictum eſt concubinariis Sacerdotibus propter ſpiritualitatem maximam, quæ in hoc Sacramento requiritur: unde ſi aliquis ab aliquo prædictorum Sacramentum ſuſcipiat, peccat, & ſic gratiam non conſequitur: tamen differt de fornicariis, & aliis prædictis: quia aliis non debet homo communicare in divinis ſcientes, quantumcunque ſint occulti: ſed concubinarii Sacerdotes non ſunt vitandi, niſi ſint notorii: & dicuntur notorii tribus modis: vel propter ſententiam, qua convicti ſunt: vel per confeſſionem in jure factam: vel per rei evidentiam; ſicut quando eſt ita manifeſtum, quod nulla poteſt tergiverſatione celari: ab aliis autem peccatoribus licet Sacramenta recipere. 4. *d.* 13. *qu.* 1. *art.* 3. *queſt.* 3.

QUÆR. 48. *Cur ſpecialiter prohibeat Eccleſia audire Miſſam Sacerdotis concubinarii, ſi ejus peccatum ſit notorium.*

Reſpondetur *v. Miſſa qu.* 32.

QUÆR. 49. *Utrum veneremur Sacramenta, dum refugimus Miſſam audire, vel Communionem recipere a talibus Sacerdotibus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in hoc, quod refugimus audire Miſſas talium Sacerdotum, aut ab eis communionem recipere, non refugimus Dei Sacramenta, ſed potius ea veneramur: unde Hoſtia a talibus Sacerdotibus conſecrata eſt adoranda; & ſi reſervetur, licite poteſt ſumi a Sacerdote legitimo: ſed refugimus culpam indigne miniſtrantium. 3. *p.* *q.* 82. *art.* 9. *ad* 1.

QUÆR. 50. *An neceſſe ſit Hoſtiam conſecratam conſervari pro infirmis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod oportet Hoſtias conſecratas pro infirmis conſervare: unde de conſecrat. d. 2. legitur: *Presbyter Euchariſtiam ſemper habeat paratam, ut quando quis infirmatus fuerit, ſtatim eum communicet, ne ſine communione moriatur.* 3. *p.* *q.* 83. *art.* 5. *ad undecimum.*

QUÆR. 51. *An poſſit dari infirmo pars Hoſtiæ conſecratæ in Miſſa, ſi infirmetur ad mortem, & inſtanter petat Corpus Chriſti.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in tali caſu non oportet, quod Sacerdos communionem intermittat, ſed poteſt dare infirmo petenti partem Hoſtiæ conſecratæ. 4. *ſent. d.* 12. *q.* 3. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 1.

QUÆR. 52. *Quomodo ſpiritualiter ſumatur Euchariſtiæ Sacramentum.*

Reſp. D. Thomas; manducat ſpiritualiter Chriſtum, qui fidem & charitatem ad ipſum habet ſine ordine ad hoc Sacramentum: non tamen manducat talis ſpiritualiter hoc Sacramentum, ſed ſolum ille qui habet fidem & charitatem ad Chriſtum cum devotione & propoſito ſumendi hoc Sacramentum, etiamſi Sacramentaliter non manducet. 4. *ſent. d.* 9. *qu.* 1. *art.* 2. *qu.* 4. *in corp.* 3. *p.* *q.* 80. *art.* 1.

QUÆR. 53. *Utrum ampliorem gratiam conſequatur ille, qui Euchariſtiam ſumit Sacramentaliter ſimul & ſpiritualiter, quam qui ſumit ſpiritualiter tantum.*

Reſp. D. Thomas, ſicut Baptizatus Baptiſmo flaminis emundationem conſecutus eſt propter propoſitum Baptiſmi Sacramentalis, & accipiens Sacramentum ampliorem gratiam conſequitur; ita etiam qui ſpiritualiter manducavit, in propoſito & devotione habuit manducationem Sacramentalem, ad quam accedens ex ipſa vi Sacramenti majorem gratiam conſequitur: unde non ſequitur quod Sacramentalis manducatio ſuperfluat. *in eadem qu.* 4. *ad* 1. *& eodem art.* 1. *ad* 3.

QUÆR. 54. *Utrum effectus Euchariſtiæ poſſit impediri abſque peccato mortali, per ſolum defectum actualis devotionis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod omnis perfectio acquirenda impeditur per remotionem propriæ diſpoſitionis: ſicut autem diſpoſitiones materiales ſe habent ad perfectionem formæ, ita actus ſe habent ad perfectionem finis: unde cum Sacramentum perficiat conjungendo fini, ad hoc quod effectum ſuum plene habeat in ſumente, oportet quod adſit actualis devotio: & quia interdum abſque mortali peccato actualis devotio impediri poteſt, cum diſtractiones variæ ipſam impediant, & peccata venialia virtutum actum tollant, abſque peccato mortali poteſt effectus hujus Sacramenti impediri: ita quod aliquod augmentum gratiæ non conſequatur. Nec tamen reatum peccati mortalis incurrit; ſed forte reatum venialis peccati, ex eo quod imparatus accedit. 4. *ſent. diſtinct.* 12. *q.* 2. *art.* 1. *qu.* 3. *in corp.*

QUÆR. 55. *Utrum peccata venialia impediant effectum Euchariſtiæ.*

Reſp. D. Thomas, quod Damaſcenus dicit in 4. lib. de fide orthod. cap. 14. *ignis ejus quod in nobis eſt deſiderii, aſſumens eam quæ*

Digitized by Google

ex carbone (id eſt ex hoc Sacramento) *ignitionem, comburat noſtra peccata, & illuminet corda noſtra, ut participatione divini ignis igniamur & Deificemur*: ſed ignis noſtri deſiderii, vel amoris impeditur per peccata venialia, quæ impediunt fervorem charitatis; ergo peccata venialia impediunt effectum hujus Sacramenti. *3. p. q. 79. art.* 8. *in arg. ſed contra*.

QUÆR. 56. *Quomodo peccata venialia impediant effectum Euchariſtiæ*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod peccata venialia dupliciter accipi poſſunt; uno modo prout ſunt præterita; alio modo prout ſunt actu exercita. Primo quidem modo peccata venialia nullo modo impediunt effectum hujus Sacramenti: poteſt enim contingere, quod aliquis poſt multa peccata venialia commiſſa devote accedat ad hoc Sacramentum, & plenarie hujus Sacramenti conſequatur effectum. Secundo autem modo peccata venialia non ex toto impediunt hujus Sacramenti effectum, ſed in parte; effectus enim hujus Sacramenti non ſolum eſt adeptio habitualis gratiæ, vel charitatis, ſed etiam quædam actualis refectio ſpiritualis dulcedinis, quæ quidem impeditur, ſi aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mentem diſtractus, non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ, vel charitatis. *3. p. q. 79. art.* 8. *in corp.*

QUÆR. 57. *Quæ indevotio circa communionem ſit mortalis, & quænam venialis*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aliquis indigne manducat, ex hoc quod non devota mente accedit ad Euchariſtiam: quæ quidem indevotio quandoque eſt venialis; puta cum aliquis diſtracta mente ad ſæcularia negotia, accedit ad hoc Sacramentum, habitualiter retinens debitam reverentiam ad ipſum; & talis indevotio licet impediat fructum hujus Sacramenti, qui eſt ſpiritualis refectio, non tamen facit reum Corporis, & Sanguinis Domini, ſicut Apoſtolus loquitur: quædam vero indevotio eſt peccatum mortale, quæ ſcilicet eſt cum contemptu hujus Sacramenti, prout dicitur Malach. 1. *Vos polluiſtis nomen meum in eo quod dicitis, menſa Domini contaminata eſt, & quod ſuperponitur contemptibile. lect. 7. ſuper cap.* 11. *primæ ad Corinth.*

QUÆR. 58. *An communicans in peccato mortali, cujus eſt oblitus poſt diligens examen, licet forte inſufficiens, peccet, vel potius juſtificetur*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ignorantia circunſtantiæ a peccato excuſat adhibita debita diligentia, præcipue quando eſt talis circumſtantia cujus certitudo plene haberi non poteſt; quod autem homo ſit omnino a peccato immunis, per certitudinem ſcire non poteſt 1. Cor. 1. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum*: poteſt tamen de hoc haberi aliqua conjectura, præcipue per quatuor ſigna, ſicut Bernardus dicit: primo cum quis devote verba Dei audit, quia *qui eſt ex Deo, verba Dei audit*, Joannis 8. ſecundo cum quis ſe promptum ad bene operandum invenit, quia *probatio dilectionis exhibitio eſt operis*, ut dicit Gregorius hom. 30. tertio cum quis a peccatis abſtinendi in futurum propoſitum habet: quarto cum de præteritis dolet, quia in his vera pœnitentia ſecundum Gregorium conſiſtit.

Unde ſi aliquis per hujuſmodi ſigna facta diligenti diſcuſſione ſuæ conſcientiæ, quamvis forte non ſufficienti, ad Corpus Chriſti devote accedat aliquo peccato mortali in ipſo manente, quod ejus cognitionem præterſugiat, non peccat; magis ex vi Sacramenti remiſſionem conſequitur: unde Auguſtinus dicit in quodam ſermone, quod *quando Corpus Chriſti manducatur, vivificat mortuos*. 4. *ſent. d. 9. qu. 1. art. 3. q. 2. in corp.*

QUÆR. 59. *Utrum communicans ſine conſcientia peccati mortalis, peccet, ſi hoc proveniat ex ignorantia, vel negligentia, vel ſine ipſius culpa, & ſi non fuerit ſufficienter contritus*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod hoc quod non habeat aliquis conſcientiam ſui peccati, poteſt contingere dupliciter: uno modo per culpam ſuam; vel quia per ignorantiam juris, quæ non excuſat, reputat non eſſe peccatum quod eſt peccatum; puta ſi aliquis fornicator reputaret ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum mortale; vel quia negligens eſt in examine ſui ipſius, contra id quod Apoſtolus dicit 1. Corinth. 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*: & ſic nihilominus peccat ſumens Corpus Chriſti, licet non habeat conſcientiam peccati; quia ipſa ignorantia eſt ei peccatum.

Alio modo poteſt contingere ſine culpa ipſius, puta cum doluit de peccato, ſed non eſt ſufficienter contritus: & in tali caſu non peccat ſumendo Corpus Chriſti, quia homo per certitudinem ſcire non poteſt utrum ſit vere contritus; ſufficit enim ſi in ſe ſigna contritionis inveniat, puta ſi doleat de præteritis, & proponat cavere de futuris. Si vero ignorat hoc quod facit eſſe actum peccati, propter ignorantiam facti, quæ excuſat (puta ſi acceſſit ad non ſuam, quam credebat eſſe ſuam) non ex hoc dicendus eſt peccator. Similiter ſi totaliter eſt peccati oblitus, ſufficit ad ejus deletionem generalis contritio; unde jam non eſt dicendus peccator. *3. p. quæſt.* 80. *art.* 4. *ad* 5. 4. *ſent.*

Digitized by Google

ſent. diſt. 15. *q.* 1. *a.* 3. *quæſtiunc.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 60. *Quibus peccatoribus ſit deneganda communio, & quomodo ſint admonendi.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod circa peccatores diſtinguendum eſt: quidam enim ſunt occulti, quidam vero manifeſti, ſcilicet per evidentiam facti, ſicut publici uſurarii, aut publici raptores, vel etiam per aliquod judicium Eccleſiaſticum, vel ſæculare; manifeſtis ergo peccatoribus non debet etiam petentibus ſacra communio dari: unde Cyprianus ſcribit ad quendam: *Pro dilectione tua conſulendum me exiſtimaſti, quid mihi videatur de hiſtrionibus, & mago illo, qui apud vos conſtitutus adhuc in artis ſuæ dedecore perſeverat: an talibus ſacra communio cum cæteris Chriſtianis debeat dari: puto nec Majeſtati Divinæ, nec Evangelicæ Diſciplinæ congruere, ut pudor, & honor Eccleſiæ tam turpi, & infami contagione fœdetur.*

Si vero non ſunt manifeſti peccatores, ſed occulti, non poteſt eis petentibus ſacra communio denegari; cum enim quilibet Chriſtianus ex hoc ipſo, quod eſt baptizatus, ſit admiſſus ad Dominicam menſam, non poteſt ei jus ſuum tolli, niſi pro aliqua cauſa manifeſta; unde ſuper illud 1. ad Corinth. 5. *Si is, qui frater nominatur inter vos &c.* dicit gloſſa Auguſtini: *Nos a communione quemquam prohibere non poſſumus; niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo judicio Eccleſiaſtico, vel ſæculari nominatum, atque convictum.*

Poteſt tamen Sacerdos, qui eſt conſcius criminis, occulte monere peccatorem occultum, vel etiam in publico generaliter omnes, ne ad menſam Domini accedant, antequam de peccatis pœniteant, & Eccleſiæ reconcilientur; nam poſt pœnitentiam, & reconciliationem etiam publicis peccatoribus non eſt communio deneganda, præcipue in articulo mortis; unde in Concilio Cartaginenſi legitur: *Scenicis, atque Hiſtrionibus, cæteriſque hujuſmodi perſonis, vel apoſtatis converſis ad Deum reconciliatio non negetur.* 3. *p. q.* 80. *a.* 6. *in corp. q.* 81. *a.* 2. *in corp. & ad* 2.

QUÆR. 61. *An & quando peccatori ſive occulto, ſive publico danda ſit, vel deneganda communio.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſi Sacerdos ſciat peccatum alicujus qui Euchariſtiam petit, per confeſſionem, vel aliquo quolibet modo, diſtinguendum eſt, quia aut peccatum eſt occultum, aut manifeſtum: ſi eſt occultum, aut exigit in occulto; aut in manifeſto; ſi in occulto, debet ei denegare, & monere ne in publico petat: ſi autem in manifeſto petit, debet ei dare. Primo quia peccato occulto pœnam inferens publicam, revelator eſt confeſſionis, aut proditor criminis. Secundo, quia quilibet chriſtianus habet jus in perceptione Euchariſtiæ, niſi illud per peccatum mortale amittat: unde cum in facie Eccleſiæ non conſtet illum amiſiſſe jus ſuum, non oportet ei in facie Eccleſiæ denegari, alias daretur facultas malis Sacerdotibus pro ſuo libito punire maxima pœna quos vellent. Tertio, propter incertitudinem ſtatus ſumentis; quia *ſpiritus ubi vult ſpirat*, Joan. 3. unde ſubito poteſt eſſe compunctus, & divinitus a peccatis purgatus, & divina inſpiratione ad Sacramentum accedere. Quarto, quia eſſet ſcandalum ſi denegaretur. Si vero peccatum eſt manifeſtum, debet ei denegari, ſive in occulto, ſive in manifeſto petat. 4. *diſt.* 9. *q.* 1. *a.* 5. *q.* 1. *n.* 4. *ad Hannib. d.* 9. *art.* 2. *ad* 4.

QUÆR. 62. *Quid ſit pejus, an communicare indignum, an infamare peccatorem occultum non communicando ipſum, & an liceat dare Hoſtiam non conſecratam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod licet pejus ſit peccatori occulto peccare mortaliter ſumendo Corpus Chriſti, quam infamari, tamen Sacerdoti miniſtranti Corpus Chriſti pejus eſt peccare mortaliter infamando injuſte peccatorem occultum, quam quod ille mortaliter peccet: quia nullus debet peccatum mortale committere, ut alium liberet a peccato: unde Auguſtinus dicit in lib. 9. ſuper Geneſim: *Periculoſiſſime admittitur hæc compenſatio, ut nos faciamus aliquid mali, ne alius gravius malum faciat.* Peccator tamen occultus potius deberet eligere infamari, quam indigne ad menſam Domini accedere.

Hoſtia tamen non conſecrata nullo modo debet dari loco conſecratæ, quia Sacerdos hoc faciens, quantum in ſe eſt facit idololatrare illos, qui credunt eſſe Hoſtiam conſecratam, ſive alios præſentes, ſive etiam ipſum ſumentem: quia ut Auguſtin. dicit: *Nemo carnem Chriſti manducet, niſi prius adoret*; unde extra de celebratione Miſſarum, cap. *de homine* dicitur: *Licet is, qui pro ſui criminis conſcientia reputat ſe indignum, peccet graviter, ſi ſe ingerat, gravius tamen videtur offendere, qui fraudulenter illud præſumpſerit ſimulare.* 3. *p. q.* 80. *a.* 6. *ad* 2. 4. *ſent. d.* 11. *q.* 1. *a.* 5. *quæſtiunc.* 1. *in corp.*

QUÆR. 63. *Utrum in caſu, quo peccator occultus poſtulat communionem, vel in aliquo alio caſu, poſſet Sacerdos Hoſtiam non conſecratam exhibere pro conſecrata.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod veritati non eſt aliqua fictio adjungenda: quia *nulla eſt conventio lucis ad tenebras*, ut Apoſtol. dicit 2. ad Corinth. 6. & propter hoc Auguſtin. probat in lib. 83. quæſt. quod Corpus

Chri-

Digitized by Google

Chriſti non fuit phantaſticum, quia veritas, quæ eſt Chriſtus, non potuit fallere: Et ideo in Sacramentis Eccleſiæ nihil eſt per fictionem agendum; & præcipue in Sacramento Altaris, in quo totus Chriſtus continetur; eſſet autem quædam fictio, ſi Hoſtia non conſecrata loco conſecratæ daretur: & cum etiam Sacerdos (quantum in ſe eſt) populo fieret idololatrandi occaſio, quamvis peccatum idololatriæ non incurreret, æſtimans probabiliter Hoſtiam eſſe conſecratam, tamen Sacerdos in hoc ipſo, quod Hoſtiam non conſecratam populo exhiberet adorandam, idololatriæ crimen incurreret: unde hoc in nullo caſu eſt faciendum, ut Hoſtia non conſecrata exhibeatur uni, vel pluribus, tanquam conſecrata. Debet ergo Sacerdos peccatorem occultum primo quidem monere, ut pœnitentiam agat, & ſic ad Sacramentum accedat: Quod ſi pœnitere noluerit, debet ei occulte inhibere, ne aliis communicantibus in publico ſe immiſceat: quod ſi ſe immiſcuerit, debet ei dare Hoſtiam conſecratam. *Quodlib.* 5. *a.* 12. *in corp.*

QUÆR: 64. *Utrum peccet juſtus, qui ſe credit peccatorem, & ita communicat, licet non peccet peccator, qui communicat habens peccatum, quod ignorat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut ignorantia circumſtantiæ, quæ excuſat peccatum, excuſat a peccato, ita error circumſtantiæ talis cauſat peccatum; ut patet in eo, qui accedit ad ſuam, quam credit non eſſe ſuam: & ſimiliter eſt in propoſito; quia juſtus credens ſe peccatorem errat in hac circumſtantia; unde ſi in tali opinione manens Corpus Chriſti manducaret, conſtat quod eligeret ſe peccatorem Corpus Chriſti manducare: & ita electio eſſet prava, & peccaret; ſed electio non eſt prava in eo, qui peccatum habet, quod neſcit: & ideo quamvis juſtus ſit ſimpliciter melius diſpoſitus, tamen eſt pejus diſpoſitus quoad hoc. 4. *d.* 9. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 65. *Utrum ille qui habet conſcientiam peccati mortalis quod dimittere non proponit, peccet ſive communicando quando præcipit Eccleſia, ſive non communicando; & utrum deberet potius permittere ſe excommunicari, quam ita indigne Euchariſtiam ſumere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod habens conſcientiam peccati mortalis, quod dimittere non proponit, peccat accedens ad ſumendum Corpus Chriſti, quia indigne accedit: peccat etiam non accedendo tempore ab Eccleſia conſtituto, quia inobediens eſt; non tamen eſt perplexus, quia poteſt ſe ab hoc dubio eripere peccati propoſitum dimittendo. Nihilominus tamen manente tali propoſito minus peccat non ſumendo, quia illud quod eſt malum ſecundum ſe, eſt majus malum quam illud quod eſt malum quia prohibitum: unde prius ſe debet dimittere excommunicari, quam cum propoſito peccati Corpus Chriſti ſumat. 4. *ſent. d.* 9. *q.* 1. *a.* 3. *q.* 1. *ad* 3. 4. *ad Hannib. d.* 9. *a.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 66. *Utrum accedere ad Euchariſtiæ Sacramentum cum conſcientia peccati mortalis ſit graviſſimum omnium peccatorum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod dupliciter aliquod peccatum poteſt dici gravius alio: uno modo per ſe; alio modo per accidens. Per ſe quidem ſecundum rationem ſuæ ſpeciei, quæ attenditur ex parte objecti: Et ſecundum hoc, quanto id contra quod peccatur, eſt majus, tanto peccatum eſt gravius; & quia divinitas Chriſti eſt major humanitate ipſius; & ipſa humanitas eſt potior quam Sacramenta humanitatis, inde eſt, quod graviſſima peccata ſunt, quæ committuntur in ipſam divinitatem, ſicut eſt peccatum infidelitatis & blaſphemiæ: ſecundario autem ſunt gravia peccata, quæ committuntur in humanitatem Chriſti: unde & Matth. 12. dicitur: *Qui dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Tertio autem loco ſunt peccata, quæ committuntur contra Sacramenta, quæ pertinent ad humanitatem Chriſti. Et poſt hæc, ſunt alia peccata contra puras creaturas. Per accidens autem unum peccatum eſt gravius alio ex parte peccantis, puta peccatum quod eſt ex ignorantia, vel infirmitate, eſt levius peccato quod eſt ex contemptu, vel ex certa ſcientia. Et eadem ratio eſt de aliis circumſtantiis. Et ſecundum hoc iſtud peccatum in quibuſdam poteſt eſſe gravius: ſicut in his, qui ex actuali contemptu, cum conſcientia peccati ad hoc Sacramentum accedunt, in quibuſdam vero minus grave, puta in his qui ex quodam timore, ne deprehendantur in peccato, cum conſcientia peccati ad hoc Sacramentum accedunt. Sic ergo patet, quod hoc peccatum eſt multis aliis gravius ſecundum ſuam ſpeciem, non tamen eſt omnium graviſſimum. 3. *p. q.* 80. *a.* 5. *in corp.*

QUÆR. 67. *An peccet mortaliter ille, qui ad communionem accedit cum conſcientia peccati mortalis, ſive certa, ſive ſolummodo dubia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſi alicui accedenti ad ſacram communionem dictat conſcientia, quod ſit in peccato mortali, peccat mortaliter; quia cuilibet conſcientia dictat, quod immundus Sacramentorum partici-

patio-

Digitized by Google

patione indignus eſt : unde quicunque cum conſcientia peccati mortalis ad Euchariſtiam (quæ eſt Sacramentum Sacramentorum) accedit, contra conſcientiam agit: Nec differt quantum ad hoc, utrum habeat certam conſcientiam, vel cum dubitatione; quia qui dubitat, diſcrimini ſe exponit: ſi autem ſit aliqua levis cogitatio, quæ dubitationem non inferat, contrariis rationibus repulſa, non impedit Euchariſtiæ perceptionem: impedit autem, ſi dubitationem inferat, quantumcunque levis ſit. Si vero aliquis peccatum habet quod non tenet in conſcientia, ſi hoc ex culpa ipſius accidit, vel propter ignorantiam juris, vel propter negligentiam diſcuſſionis propriæ conſcientiæ, non excuſatur a peccato, ſi ad Euchariſtiam accedat: ſi vero non ex culpa ſua contingat, excuſatur a peccato, & gratiam conſequitur virtute Sacramenti; niſi alias obicem ponat Spiritui Sancto. 4. *ad Hannib. diſt. 9. art. 2. in corp.*

QUÆR. 68. Quanam requiratur certitudo de exemptione a peccato mortali, ut aliquis poſſit ad communionem accedere ſine periculo.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod non requiritur ad cavendum periculum diſcriminis certitudo ſcientiæ, ſed probabilis conjecturæ, quæ poteſt haberi per quatuor ſigna, ſicut dicit Bernardus: Primo cum quis devote verba Dei audit: Secundo cum quis ſe promptum ad bene operandum invenit: Tertio cum quis abſtinendi a peccato propoſitum habet: Quarto cum quis de peccato dolet. 4. *ad Hannib. diſt. 9. art. 2. ad 3.*

QUÆR. 69. Utrum ille, qui eſt injuſte excommunicatus, vel ſuſpenſus, vel interdictus, peccet ſi communicet.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quamvis non ſit indignus, tamen propter obedientiam Eccleſiæ debet humiliter abſtinere; alias per inobedientiam actu peccaret. 4. *ad Hann. d. 9. art. 4. ad 3.*

QUÆR. 70. An licet peccator ſit contritus, teneatur tamen confiteri priuſquam communicet, juxta illud Hugonis a S. Victore; audacter dico: ſi ante Sacerdotis abſolutionem criminoſus ad communionem Corporis Chriſti accedat, pro certo judicium ſibi manducat & bibit, etiamſi ante multum pœniteat, & vehementer doleat, & ingemiſcat.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod peccator contritus ante confeſſionem, qui vult communicare, aut habet copiam Confeſſoris, & tunc peccat ſine Confeſſione communicando; quia ad Sacramentum Eccleſiæ requiritur reconciliatio ſecundum judicium Eccleſiæ: aut non habet: aut ergo imminet aliqua neceſſitas celebrandi, vel communicandi, vel quia timet ſcandalum proprium, vel jam incœpit miniſterium Sacramenti, vel amiſit loquelam; & tunc non peccat, cum propoſito confitendi quando poterit; ſed ſi non habet hoc propoſitum, peccat. 4. *ad Hannib. d. 9. ar. 3. in corp.*

QUÆR. 71. Quomodo ſe gerere debeat Sacerdos in prædicto caſu.

Reſp. v. *Miſſa qu.* 17.

Juxta hanc doctrinam ſancti Doctoris Sacrum Concilium Trident. ſeſſ. 13. c. 7. inter alia ſic habet: Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat. Quod a Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuo ſervandum eſſe decrevit, modo non deſit illis copia Confeſſoris. Quod ſi neceſſitate urgente Sacerdos abſque prævia Confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur.

QUÆR. 72. Quomodo intelligendum ſit illud Apoſtol. 1. ad Corinth. 2. Quicunque manducaverit panem, & biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini; ubi Gloſſa ait: hoc eſt, ac ſi Chriſtum occiderit, punietur.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod peccatum indigne ſumentium hoc Sacramentum, comparatur peccato occidentium Chriſtum ſecundum ſimilitudinem, (quia utrumque committitur contra Corpus Chriſti) non tamen ſecundum criminis quantitatem: peccatum enim occidentium Chriſtum, fuit multo gravius. Primo quidem, quia illud peccatum fuit contra Corpus Chriſti in ſpecie propria: hoc autem peccatum eſt contra Corpus Chriſti in ſpecie Sacramenti. Secundo, quia illud peccatum proceſſit ex intentione nocendi Chriſto, non autem hoc peccatum. *3. p. qu. 80. art. 5. ad 1.*

QUÆR. 73. Quomodo intelligi debeat Divus Hieronymus dicens in quadam ep. Quid tibi cum feminis, qui ad Altare cum Deo fabularis, dic Sacerdos, dic clerice, qualiter eiſdem labiis filium Dei oſcularis, quibus oſculatus es labia meretricis? cum Juda oſculo filium hominis tradis? & utrum ſimilitudo criminis non minus competat aliis peccatoribus quam fornicatoribus: & utrum, maxime infideles, ſint inepti ad hoc Sacramentum.

Reſp. D. Thomas, dicendum; quod fornicator accipiens Corpus Chriſti, comparatur Judæ Chriſtum oſculanti, quantum ad ſimilitudinem criminis (quia uterque ex ſigno charitatis Chriſtum offendit) non tamen quantum ad criminis

nis quantitatem. Hæc tamen criminis ſimilitudo non minus competit aliis peccatoribus, quam fornicatoribus. Nam & per alia peccata mortalia agitur contra charitatem Chriſti, cujus ſignum eſt hoc Sacramentum, & tanto magis, quanto peccata ſunt graviora. Secundum quid tamen peccatum fornicationis magis reddit hominem ineptum ad perceptionem hujus Sacramenti, inquantum ſcilicet per hoc peccatum ſpiritus maxime carni ſubjicitur, & ita impeditur fervor dilectionis, qui requiritur in hoc Sacramento. Plus tamen ponderat impedimentum ipſius charitatis, quam fervoris ejus: unde & peccatum infidelitatis, quod funditus ſeparat hominem ab Eccleſiæ unitate, ſimpliciter loquendo maxime hominem ineptum reddit ad ſuſceptionem hujus Sacramenti, quod eſt Sacramentum Eccleſiaſticæ unitatis, ut ſupra dictum eſt. Unde & gravius peccat infidelis accipiens hoc Sacramentum, quam fidelis peccator: & magis contemnit Chriſtum ſecundum quod eſt ſub hoc Sacramento; præſertim ſi non credat Chriſtum vere ſub hoc Sacramento eſſe: quia quantum eſt in ſe, diminuit ſanctitatem hujus Sacramenti, & virtutem Chriſti operantis in hoc Sacramentum in ſeipſo. Fidelis autem, qui cum conſcientia peccati ſumit, contemnit hoc Sacramentum, non in ſeipſo, ſed quantum ad uſum, indigne accipiens: unde & Apoſtolus 1. Corint. 2. aſſignans rationem hujus peccati dicit, *non dijudicans Corpus Domini*, ideſt, non diſcernens ipſum ab aliis cibis, quod maxime facit ille, qui non credit Chriſtum eſſe ſub hoc Sacramento. *Ibid. ad* 2.

QUÆR. 74. *An gravius peccaret, qui hoc Sacramentum in lutum projiceret, vel canibus daret ad manducandum, quam qui indigne ſumeret.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ille qui projiceret hoc Sacramentum in lutum, multo gravius peccaret, quam ille qui cum conſcientia peccati mortalis ad hoc Sacramentum accedit. Primo quidem, quia ille hoc faceret ex intentione injuriam faciendi huic Sacramento, quod non intendit peccator indigne Corpus Chriſti accipiens.

Secundo, quia homo peccator eſt capax gratiæ, unde etiam magis eſt aptus ad ſuſcipiendum hoc Sacramentum, quam quæcunque alia irrationalis creatura. Unde maxime inordinate uteretur hoc Sacramento, qui projiceret ipſum canibus ad manducandum, vel qui projiceret ad lutum conculcandum. *Ibid. ad* 3. *&* 4. *ſent. d.* 9. *q.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 3. *ad* 2.

QUÆR. 75. *Quomodo ſicut ait D. Dionyſ. Eucharistia virtutem habet perfectiſſimam: & ſicut dicit S. P. Innocentius III. Euchariſtia liberat a malo, conſervat in bono, delet venialia, & cavet mortalia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod proprius effectus cujuslibet Sacramenti debet aſſumi ex ſimilitudine naturalis effectus materiæ Sacramenti illius; ſicut expurgatio veteris vitæ quæ fit in Baptiſmo, ſimilis eſt expurgationi exteriorum ſordium per aquam: Eſt enim effectus Baptiſmi expurgatio veteris vitæ: & ideo, cum materiale in hoc Sacramento ſit cibus, oportet quod effectus proprius hujus Sacramenti accipiatur ſecundum ſimilitudinem ad effectus cibi: cibus autem corporalis primo in cibatum convertitur; & ex converſione deperdita reſtaurat, & quantitatem auget: ſed cibus ſpiritualis non convertitur in manducantem, ſed eum ad ſe convertit: unde proprius effectus hujus Sacramenti eſt converſio hominis in Chriſtum; ut dicat cum Apoſtolo, *Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Chriſtus*, Galat. 2. Et ad hoc ſequuntur duo effectus; ſcilicet augmentum ſpiritualis quantitatis in augmento virtutum, & reſtauratio deperditorum in remiſſione venialium, & reparatio cujuſcunque defectus præcedentis. 4. *ad Hannib. d.* 12. *art.* 4. *in corp.*

COMÆDIA.

Videatur *v. Spectaculum.*

CONCILIUM.

QUÆR. An ſequens Concilium poſſit præcedens exponere: utrum ad ſolum Papam ſpectet congregare Concilium, & ipſum approbare: & utrum ad dirimendas fidei controverſias neceſſe ſit univerſale Concilium congregari.

RESP. D. Thomas, ſicut poſterior Synodus poteſtatem habet interpretandi ſymbolum a priore Synodo conditum, ac ponendi aliqua ad ejus explanationem; ita etiam Romanus Pontifex hoc ſua authoritate poteſt, cujus authoritate ſola Synodus congregari poteſt, & a quo ſententia Synodi confirmatur, & ad ipſum a Synodo appellatur. Quæ omnia patent ex geſtis Chalcedonenſis Synodi. Nec eſt neceſſarium quod ad ejus expoſitionem faciendam univerſale Concilium congregetur, cum quandoque id fieri prohibeant bellorum diſſidia, ſicut in ſeptima Synodo legitur, quod Conſtantinus Auguſtus dicit, quod propter imminentia bella univerſaliter Epiſcopos congregare non potuit. Sed tamen illi, qui convenerunt, quædam dubia in fide exorta, ſequentes ſententiam Agathonis

Papæ

Digitized by Google

Papæ determinaverunt; ſcilicet quod in Chriſto ſint duæ voluntates, & duæ actiones. Et conſimiliter Patres in Chalcedonenſi Synodo congregati, ſecuti ſunt ſententiam Leonis Papæ, qui determinavit, Chriſtum eſſe in duabus naturis poſt incarnationem. *q. 10. de potentia art. 4. ad 13. 1. par. q. 36. art. 2. ad 2. 2. 2. qu. 1. ar. 10. ad 2.*

Videatur etiam ſupra *v. Canonizatio*, & infra *v. Eccleſia*, & *v. Papa*.

CONCORDIA.

QUÆR. 1. Utrum concordia ſit idem ac pax, & quomodo per diſcordiam tollitur.

RESP. *v. Diſcordia*, & *v. Pax.*

QUÆR. 2. Quomodo amor concordiam importet, & quare concordia non reſpicit ſpeculativa, ſed practica.

Reſp. D. Thomas, homo ea quæ ſibi bona videntur, implere conſentit; & ſecundum quod hoc ad amicum fit, amor concordiam includit, ſecundum quam aliquis conſentit in his quæ amico videntur; non quidem in ſpeculativis, quia concordia in his ſecundum Philoſoph. 9. Ethic. ad amicitiam non pertinet, & diſcordia in eiſdem eſſe poteſt ſine amicitiæ præjudicio, eo quod in his concordare vel diſcordare, voluntati non ſubjacet, cum intellectus ratione cogatur. *3. d. 27. q. 2. art. 1. in corp.*

QUÆR. 3. Cur ſicut D. Hieronym. ſuper illud Matth. 11. omne regnum contra ſe diviſum deſolabitur, ait, quomodo concordia parvæ res creſcunt, ſic diſcordia maximæ dilabuntur.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ideo concordia parvæ res creſcunt, & per diſcordiam maximæ dilabuntur; quia virtus quanto magis eſt unita, tanto eſt fortior, & per ſeparationem diminuitur, ut dicitur in libro de cauſis: unde patet quod hoc pertinet ad proprium effectum diſcordiæ, quæ eſt diviſio voluntatum. *2. 2. q. 37. art. 2. ad 3.*

CONCUBINATUS.

QUÆR. 1. Utrum habere concubinam ſit contra legem naturæ.

RESP. D. Thomas, dicendum, quod quicunque concubitu utitur propter delectationem, quæ in ipſo eſt, non referendo ad finem a natura intentum, contra naturam facit; & ſimiliter etiam niſi ſit talis concubitus, qui ad illum finem convenienter ordinari poſſit: & quia res a fine plerumque nominantur tanquam ab optimo, ſicut conjunctio Matrimonii a prolis bono nomen accepit, quod per Matrimonium principaliter quæritur; ita concubinæ nomen illam conjunctionem exprimit, qua ſolus concubitus propter ſeipſum quæritur. Et ſi etiam aliquis quandoque ex tali concubitu prolem quærat, non tamen eſt conveniens ad prolis bonum, in quo non ſolum intelligitur ipſius procreatio, per quam proles eſſe accipit; ſed etiam educatio, & inſtructio, per quam accipit nutrimentum, & diſciplinam ex parentibus, in quibus tribus parentes proli tenentur, ſecundum Philoſ. in 8. Eth.

Cum autem educatio, & inſtructio prolis a parentibus debeatur per longum tempus, exigit lex naturæ, ut pater & mater in longum tempus commaneant ad ſubveniendum communiter proli: unde & aves, quæ communiter pullos nutriunt ante completam nutritionem non ſeparantur a mutua ſocietate, quæ incipit a concumbendo: hæc autem obligatio ad commanendum fœminam cum marito matrimonium facit: & ideo patet, quod accedere ad mulierem non junctam ſibi matrimonio, quæ concubina vocatur, eſt contra legem naturæ. *4. ſent. d. 33. qu. 1. art. 3. in corp.* (*2. 2. quæſt. 154. art. 2.*) *3. cont. gent. c. 122. q. 15. de malo art. 1. & 2. Quodlib. 8. art. 15.*

QUÆR. 2. An accedere ad concubinam ſit peccatum mortale.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod cum concubitus fornicarius tollat debitam ordinationem parentis ad prolem, quam natura ex concubitu intendit, non eſt dubium, quod fornicatio ſimplex de ſui ratione eſt peccatum mortale; etiamſi lex ſcripta non eſſet. *4. ſent. d. 33. qu. 1. art. 3. quæſtiunc. 2. in corp.* (*4. ad Hann. d. 33. art. 2.*) *1. ad Cor. 6. lect. 3. 1. ad Theſſal. 4. lect. 1.*

QUÆR. 3. Utrum concubinatus ita ſit contra legem naturæ, ut nullo unquam tempore in ipſo diſpenſatum fuerit; imo ſit contra prima præcepta legis naturæ, in quibus diſpenſari nequit.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod cum habere concubinam non matrimonio junctam ſit contra legem naturæ, ut dictum eſt, nullo tempore ſecundum ſe licitum fuit, nec etiam ex diſpenſatione: Sicut enim ex dictis patet, concubitus cum ea quæ non eſt matrimonio juncta, non eſt conveniens actus ad bonum prolis, quod eſt principalis finis matrimonii; & ideo eſt contra prima præcepta legis naturæ, quæ diſpenſationem non recipiunt; unde ubicunque legitur in veteri teſtamento aliquos concubinas habuiſſe, quos neceſſe ſit a peccato mortali excuſari, oportet eas eſſe matrimonio junctas; & tamen con-

concubinas dici, quia aliquid habebant de ratione uxoris, & aliquid de ratione concubinæ: ſecundum enim quod matrimonium ordinatur ad ſuum principalem finem, qui eſt bonum prolis, uxor viro conjungitur inſolubili conjunctione, vel ſaltem diuturna, ut ex dictis patet; & contra hoc non eſt aliqua diſpenſatio: ſed quantum ad ſecundum finem, qui eſt diſpenſatio familiæ, & communicatio operum, uxor conjungitur ut ſocia; ſed hoc deerat in his, quæ concubinæ nominabantur: in hoc enim poterat eſſe diſpenſatio, cum ſit ſecundarius matrimonii finis; & ex parte habebant aliquid ſimile concubinis, ratione cujus concubinæ nominatur. 4. *ſent. d.* 33. *qu.* 1. *art.* 3. *quæſtiunc.* 3.

Quadrageſimaprima ex propoſitionibus ab Alexand. VII. damnatis ſic habet: Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgo Regalo, *& aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent: & alia famula nimis difficile inveniretur.*

CONCUPISCENTIA.

QUÆR. 1. *Quid ſit concupiſcentia, & in quo ſubjectetur.*

RESP. D. Thomas, dicendum, quod ſicut Philoſoph. dicit in 1. Reth. *Concupiſcentia eſt appetitus delectabilis*; eſt autem duplex delectatio, una quæ eſt in bono intelligibili, quod eſt bonum rationis; alia quæ eſt in bono ſecundum ſenſum; prima quidem delectatio videtur eſſe animæ tantum; ſecunda autem eſt animæ, & corporis, quia ſenſus eſt virtus in organo corporeo: unde & bonum ſecundum ſenſum eſt bonum totius conjuncti: talis autem delectationis appetitus videtur eſſe concupiſcentiam, quæ ſimul pertineat & ad animam, & ad corpus, ut ipſum nomen concupiſcentiæ ſonat; unde concupiſcentia proprie loquendo eſt in appetitu ſenſitivo, & in vi concupiſcibili, quæ ab ea nominatur, *p.* 2. *qu.* 30. *art.* 1. *in corp.*

QUÆR. 2. *Quare concupiſcentia refertur a Philoſ.* 3. *Ethic. inter puerilia peccata: & utrum diminuatur ei ſatisfaciendo, vel potius reſiſtendo.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aliquid dicitur puerile dupliciter: uno modo, quia convenit pueris, & ſic Philoſophus non intendit dicere, quod peccatum intemperantiæ ſit puerile, dum dicit in 3. Ethic. quod *nomen intemperantiæ referimus ad puerilia peccata*; alio modo ſecundum quandam ſimilitudinem, & hoc modo peccata intemperantiæ puerilia dicuntur: peccatum enim intemperantiæ eſt peccatum ſuperfluæ concupiſcentiæ, quæ aſſimilatur puero quoad tria.

Primo quidem quantum ad id, quod uterque appetit; ſicut enim puer, ita & concupiſcentia appetit aliquid turpe, cujus ratio eſt, quia pulchrum in rebus humanis attenditur, prout aliquid eſt ordinatum ſecundum rationem; unde Tullius dicit in 1. de Offic. quod *pulchrum eſt, quod conſentaneum eſt hominis excellentiæ in eo, in quo natura ejus a reliquis animantibus differt*. Puer autem non attendit ad ordinem rationis, & ſimiliter concupiſcentia non audit rationem, ut dicitur in 7. Eth.

Secundo conveniunt quantum ad eventum; puer enim ſi ſuæ voluntati dimittatur, creſcit in propria voluntate; unde Eccl. 30. dicitur: *Equus indomitus evadit durus, & filius remiſſus evadit præceps*, ita etiam & concupiſcentia, ſi ei ſatisfiat, majus robur accipit; unde Auguſtin. dicit in 7. Confeſſ. *Dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas.*

Tertio, quantum ad remedium, quod utrque præbetur: puer enim emendatur per hoc, quod coercetur; unde dicitur Proverb. 23. *Noli ſubtrahere a puero diſciplinam, tu virga percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis*; & ſimiliter dum concupiſcentiæ reſiſtitur, reducitur ad debitum honeſtatis modum; & hoc eſt, quod Auguſtinus dicit in 7. Muſicæ, quod *mente in ſpiritualia ſuſpenſa, atque ibi infixa, & manente, conſuetudinis, ſcilicet carnalis concupiſcentiæ impetus frangitur, & paulatim repreſſus extinguitur; major enim erat cum ſequeremur, non omnino nullus, ſed certe minor cum refrenamus*; & ideo Philoſophus dicit in 3. Ethicor. quod quemadmodum puerum oportet ſecundum præceptum pædagogi vivere, ſic & concupiſcibile conſonare rationi. 2. 2. *q.* 142. *art.* 2. *in corp.*

QUÆR. 3. *Quandonam debilitas, & magnitudo concupiſcentiæ augeat, vel minuat meritum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod magnitudo concupiſcentiæ, ſeu debilitas ejus ex duplici cauſa procedere poteſt: quandoque enim procedit ex cauſa corporali; quidam enim ex naturali complexione ſunt magis proni ad concupiſcendum, quam alii; & iterum quidam habet oportunitates delectationum concupiſcentiam inflammantes magis paratas, quam alii, & talis debilitas concupiſcentiæ diminuit meritum, magnitudo vero auget: quandoque vero debilitas, vel magnitudo concupiſcentiæ provenit ex cauſa ſpirituali laudabili,

bili, puta ex vehementia charitatis, vel fortitudine rationis, ſicut eſt in homine temperato; & hoc modo debilitas concupiſcentiæ auget meritum ratione ſuæ cauſæ, magnitudo vero minuit. 2. 2. *q.* 155. *a.* 4. *ad* 2.

QUÆR. 4. *Quænam concupiſcentia non ſit peccatum, ſed potius materia exercendæ virtutis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod concupiſcentia carnis contra ſpiritum, quando ratio ei actualiter reſiſtit, non eſt peccatum, ſed materia exercendæ virtutis. *p.* 2. *q.* 80. *a.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 5. *An concupiſcentia liget totaliter rationem, & utrum diminuat peccatum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod concupiſcentia non totaliter ligat rationem, ſicut ebrietas, niſi forte ſit tanta, quod faciat hominem inſanire; & tamen paſſio concupiſcentiæ diminuit peccatum, quia levius eſt ex infirmitate, quam ex malitia peccare. 2. 2. *q.* 150. *a.* 4. *ad* 3.

QUÆR. 6. *An & quomodo concupiſcentia tollat rationem voluntarii corrumpendo cognitionem, juxta illud Philoſ. 6. Ethicor. Delectatio, ſive concupiſcentia delectationis corrumpit æſtimationem prudentiæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſi concupiſcentia totaliter rationem auferret, ſicut contingit in illis, qui propter concupiſcentiam fiunt amentes, ſequeretur, quod concupiſcentia voluntarium tolleret, nec tamen proprie eſſet ibi involuntarium, quia in his, quæ uſum rationis non habent, neque voluntarium eſt, neque involuntarium. Sed quandoque in his, quæ per concupiſcentiam aguntur, non totaliter tollitur cognitio, quia non tollitur poteſtas cognoſcendi, ſed ſolum conſideratio actualis in particulari agibili; & tamen hoc ipſum eſt voluntarium, ſecundum quod voluntarium dicitur quod eſt in poteſtate voluntatis, ut non agere, & non velle, ſimiliter autem & non conſiderare; poteſt enim voluntas paſſioni reſiſtere. 1. 2. *q.* 6. *a.* 7. *ad* 3.

QUÆR. 7. *An & quomodo ex paſſione concupiſcentiæ præveniente, vel ſubſequente peccatum ſit minus, vel majus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſi ſub concupiſcentia includatur etiam ipſe motus voluntatis, ſic ubi eſt major concupiſcentia, majus eſt peccatum: ſi vero concupiſcentia dicatur paſſio quædam, quæ eſt motus vis concupiſcibilis, ſi major concupiſcentia præcedens judicium rationis, & motum voluntatis diminuit peccatum; quia qui majori concupiſcentia ſtimulatus peccat, cadit ex graviori tentatione; unde minus ei imputatur: ſi vero concupiſcentia ſic ſumpta ſequatur judicium rationis, & motum voluntatis ſic ubi eſt major concupiſcentia eſt majus peccatum: inſurgit enim interdum major concupiſcentiæ motus ex hoc quod voluntas effrænate tendit in ſuum objectum. 1. 2. *q.* 77. *a.* 6. *ad* 2.

QUÆR. 8. *Utrum omnes concupiſcentiæ motus ſint peccata.*

Reſp. *v. Senſualitas.*

CONDEMNATUS.

QUÆR. 1. *An liceat condemnato ſe defendere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aliquis damnatur ad mortem dupliciter: uno modo juſte, & ſic non licet condemnato ſe defendere, licitum enim eſt Judici eum reſiſtentem impugnare, unde relinquitur, quod ex parte ejus ſit bellum injuſtum; unde indubitanter peccat: alio modo condemnatur aliquis injuſte, & tale judicium ſimile eſt violentiæ latronum, ſecundum illud Ezech. 22. *Principes ejus in medio illius, quaſi Lupi rapientes prædam ad effundendum ſanguinem*: & ideo ſicut licet reſiſtere latronibus, ita licet reſiſtere in tali caſu malis Principibus; niſi forte propter ſcandalum vitandum, cum ex hoc aliqua gravis turbatio timeretur. 2. 2. *q.* 69. *a.* 4. *in corp.*

QUÆR. 2 *Ad quid teneatur, vel non teneatur condemnatus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod nullus ita condemnatur, quod ipſe ſibi inferat mortem, ſed quod ipſe mortem patiatur: & ideo non tenetur facere id, unde mors ſequatur, quod eſt manere in loco, unde ducatur ad mortem; tenetur tamen non reſiſtere agenti, quin patiatur quod juſtum eſt eum pati; ſicut etiamſi aliquis ſit condemnatus, ut fame moriatur, non peccat, ſi cibum ſibi occulte miniſtratum ſumat, quia non ſumere eſſet ſeipſum occidere. 2. 2. *q.* 69. *a.* 4. *ad* 2.

QUÆR. 3. *Quomodo ſit intelligendum illud Proverb. 24. erue eos qui ducuntur ad mortem, & eos qui trahuntur ad interitum liberare non ceſſes.*

Reſp. D. Thomas, per illud dictum Sapientis non inducitur aliquis ad liberandum alium a morte contra ordinem juſtitiæ, unde nec ſeipſum contra juſtitiam reſiſtendo, aliquis debet liberare a morte. *ibid. ad* 3.

CONFESSIO.

QUÆR. 1. *An ſint bonæ diffinitiones Confeſſionis, quas tradunt D. Auguſt. dicens: Con-*

feſ-

Digitized by Google

feſſio eſt per quam morbus latens ſpe veniæ aperitur: & D. Gregor. Confeſſio eſt peccatorum deteſtatio, & ruptio vulneris: & alii dicunt, quod eſt legitima coram Sacerdote declaratio peccatorum: alii vero quod eſt Sacramentalis delinquentis accuſatio ex erubeſcentia, & per claves ſatisfactoria obligans ad peragendam pœnitentiam injunctam.

RESp. D. Thomas, dicendum, quod in actu confeſſionis plura conſideranda occurrunt. Primo ipſa ſubſtantia actus, ſive genus ejus, quod eſt manifeſtatio quædam. Secundo de quo fit, ſcilicet peccatum. Tertio cui fiat, ſcilicet Sacerdoti. Quarto cauſa ejus, ſcilicet ſpes veniæ. Quinto effectus ejus, ſcilicet abſolutio a parte pœnæ, & obligatio ad aliam partem exolvendam. In diffinitione Auguſtini tangitur & ſubſtantia actus in apertione, & de quo fit Confeſſio, cum dicitur morbus latens, & cauſa in ſpe veniæ: in aliis diffinitionibus tanguntur aliqua de illis quinque aſſignatis, ut cuilibet inſpicienti patet. *4. ſent. d. 17. q. 3. a. 2. q. 1. in corp.*

QUÆR. 2. Utrum omnes teneantur ad Confeſſionem.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ad Confeſſionem dupliciter obligamur: uno modo ex jure Divino ex hoc ipſo quod eſt medicina, & ſecundum hoc non omnes tenentur ad Confeſſionem, ſed illi tantum, qui peccatum mortale incurrunt poſt Baptiſmum: alio modo ex præcepto juris poſitivi: & ſic tenentur omnes ex inſtitutione Eccleſiæ edita in Concilio generali ſub Innocentio III. tum ut quilibet ſe peccatorem recognoſceret, quia *omnes peccaverunt, & egent gratia Dei*; tum ut cum majori reverentia ad Euchariſtiam accedant; tum ut Eccleſiarum rectoribus ſui ſubditi innoteſcant, ne lupus inter gregem lateat. *4. ſentent. diſtinct. 17. quæſt. 3. art. 1. q. 3. in corp.*

QUÆR. 3. An Confeſſio ſit de neceſſitate ſalutis.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod illa Sacramenta, quæ ordinantur contra culpam, cum qua ſalus eſſe non poteſt, ſunt de neceſſitatem ſalutis: & ideo ſicut Baptiſmus, quo deletur originale, eſt de neceſſitate ſalutis, ita & pœnitentiæ Sacramentum, ſicut autem aliquis per hoc quod Baptiſmum petit, ſe miniſtris Eccleſiæ ſubjicit, ad quos pertinet diſpenſatio Sacramenti, ita etiam per hoc quod fatetur peccatum ſuum, ſe miniſtro Eccleſiæ ſubjicit, ut per Sacramentum pœnitentiæ ab eo diſpenſatum remiſſionem conſequatur; qui congruum remedium adhibere non poteſt, niſi peccatum cognoſcat, quod fit per confeſſionem peccantis: & ideo Confeſſio eſt de neceſſitate ſalutis ejus, qui in peccatum actuale mortale cecidit. *4. ſent. diſt. 17. q. 3. a. 1. q. 1. in corp.*

QUÆR. 4. An & quare contritus teneatur ad Confeſſionem.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aliquis non poteſt eſſe certus, quod contritio ſua ſit ſufficiens ad deletionem pœnæ, & culpæ: & ideo tenetur confiteri, & ſatisfacere, maxime cum contritio vera non fuerit, niſi propoſitum confitendi habuiſſet annexum, quod debet ad effectum deduci etiam propter præceptum, quod eſt de Confeſſione datum. *4. ſent. diſt. 17. q. 2. art. 5. q. 2. ad 1. art. 1. q. 1. ad 8.*

QUÆR. 5. An teneantur peccatores confiteri ſtatim poſt peccatum; vel ſolummodo ſemel in anno, ſcilicet tempore Paſchali: & ex qua cauſa differri poſſit confeſſio ultra illud tempus.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod peccator quam citius commode poteſt peccatum ſuum confiteatur; quia per Sacramentum pœnitentiæ confertur gratia, quæ hominem reddit magis firmum ad reſiſtendum peccato. Quidam autem dicunt, quod tenetur confiteri quam cito opportunitas confitendi ſe obtulerit, ita quod ſi differat, peccat: ſed hoc eſt contra rationem præcepti affirmativi, quod licet obliget ſemper, non tamen obligat ad ſemper, ſed loco, & tempore; tempus autem implendi præceptum de Confeſſione videtur, quando imminet aliquis caſus, in quo neceſſe eſt homini, quod ſit confeſſus, puta ſi immineat ei mortis articulus, vel neceſſitas accipiendi Euchariſtiam, aut ſacrum Ordinem, vel aliquid hujuſmodi, ad quod oportet hominem per Confeſſionem purgatum præparari: unde ſi aliquid horum immineat, & aliquis confiteri prætermittat, peccat; dummodo debita opportunitas adſit: & quia ex præcepto Eccleſiæ omnes fideles tenentur ſaltem ſemel in anno in feſto Paſchæ præcipue Sacramenti Communionem accipere, ideo Eccleſia ordinavit, ut ſemel in anno, quando imminet tempus accipiendi Euchariſtiam, omnes fideles confiteantur.

Dico ergo, quod differre Confeſſionem uſque ad hoc tempus per ſe loquendo licitum eſt, ſed per accidens poteſt fieri illicitum; puta ſi immineat aliquis articulus, in quo confeſſio requiratur; vel ſi aliquis propter contemptum confeſſionem differat: & ſimiliter per accidens poſſet eſſe talis dilatio meritoria, ſi ad hoc differret, ut prudentiori confiteretur; vel devotius propter ſacrum tempus. *Quodlibeto primo a. 11. in corp.*

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 6. Quandonam teneantur peccatores ſive ſæculares, ſive Religioſi habere propoſitum confitendi, & ipſam actualem facere Confeſſionem.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod cum propoſitum confitendi ſit annexum contritioni, tunc tenetur aliquis ad hoc propoſitum, quando ad contritionem tenetur, ſcilicet quando peccata memoriæ occurrunt; ſcilicet & præcipue cum in articulo mortis exiſtit, aut in aliquo articulo, in quo ſine peccati remiſſione peccatum eum oporteat incurrere; ſicut cum teneatur ad celebrandum, ſi deſit copia Sacerdotis, ſaltem conteri tenetur, & habere propoſitum confitendi. Sed ad Confeſſionem actualiter faciendam obligatur aliquis dupliciter: uno modo per accidens, ſcilicet quando ad aliquid tenetur, quod non poteſt ſine peccato facere, niſi Confeſſus, tunc enim confiteri tenetur; ſicut ſi debeat Euchariſtiam percipere, ad quam nullus poſt peccatum mortale, niſi confeſſus, accedere debet, copia Sacerdotis oblata, & neceſſitate non urgente; & inde venit obligatio, qua Eccleſia omnes obligat ad ſemel in anno confitendum, quia inſtituit, ut ſemel in anno, ſcilicet in Paſchate omnes ſacram Communionem accipiant: & ideo ante tempus illud confiteri tenetur. Alio modo, obligatur aliquis ad Confeſſionem per ſe, & ſic videtur eadem ratio eſſe de Confeſſione, & de Baptiſmo differendo, quia utrumque eſt Sacramentum neceſſitatis: ad Baptiſmum autem percipiendum non tenetur aliquis ſtatim poſtquam habet propoſitum Baptiſmi, ita quod peccet mortaliter, niſi ſtatim baptizetur, nec eſt aliquod tempus determinatum, ultra quod ſi Baptiſmum differat peccatum mortale incurrat, ſed poteſt contingere, quod in dilatione Baptiſmi erit peccatum mortale, vel non erit, & hoc penſandum eſt ex cauſa dilationis, quia ſicut dicit Philoſophus in 8. phyſicorum, ***voluntas non retardat facere opus volitum***, ***niſi propter aliquam cauſam rationabilem***: unde ſi cauſa dilationis Baptiſmi peccatum mortale annexum habeat, utpote ſi propter contemptum, vel aliquid hujuſmodi Baptiſmum differat, dilatio erit peccatum mortale, alias non: & ideo idem videtur eſſe de Confeſſione, quæ non eſt majoris neceſſitatis, quam Baptiſmus: & quia ea quæ ſunt de neceſſitate ſalutis tenetur homo in hac vita implere; & ideo ſi periculum mortis immineat, etiam per ſe loquendo obligatur aliquis ad Confeſſionem faciendam tunc, vel Baptiſmum ſuſcipiendum, & propter hoc etiam S. Jacobus ſimul præceptum edidit de Confeſſione facienda, & extrema Unctione ſuſcipienda: & ideo videtur probabilis eorum opinio, qui dicunt, quod non tenetur homo ad ſtatim confitendum, quamvis periculoſum ſit differre. Alii autem dicunt, quod tenetur contritus ad ſtatim confitendum debita opportunitate oblata ſecundum rectam rationem: nec obſtat, quod decretalis terminum præfigat, ut ſemel in anno confiteatur, quia Eccleſia non indulget dilationem, ſed prohibet negligentiam in majori dilatione: unde per decretalem illam non excuſatur a culpa dilationis quantum ad forum conſcientiæ, ſed excuſatur a pœna quantum ad forum Eccleſiæ, ut non privetur debita ſepultura, ſi morte præventus fuerit ante tempus illud; ſed hoc videtur nimis durum; quia præcepta affirmativa non obligant ad ſtatim, ſed ad tempus determinatum, non quidem ex hoc quod tunc commode impleri poſſunt, quia ſic ſi non daret aliquis eleemoſynam de ſuperfluo quandocunque pauper offeretur, peccaret mortaliter, quod falſum eſt; ſed ex hoc quod tempus neceſſitatem urgentem adducit: & ideo non oportet, quod ſi ſtatim oblata opportunitate non confiteatur, etiamſi major opportunitas non expectetur, aliquis peccet mortaliter: ſed quando ex articulo temporis neceſſitas Confeſſionis inducitur. Nec hoc eſt ex indulgentia Eccleſiæ, quod non teneatur ad ſtatim, ſed ex natura præcepti affirmativi, unde ante Eccleſiæ ſtatutum etiam minus tenebatur. Quidam vero dicunt, quod ſæculares non tenentur ante Quadrageſimale tempus confiteri, quod eſt eis tempus pœnitentiæ: ſed Religioſi tenentur ad ſtatim: quia totum tempus eſt eis pœnitentiæ tempus: ſed hoc nihil eſt: quia Religioſi non tenentur ad alia, quam alii homines, niſi ad quæ ſe ex voto obligaverunt. 4. *ſent. diſt.* 17. *q.* 3. *art.* 1. *q.* 4. *in corp.*

QUÆR. 7. An convenienter aſſignentur ſexdecim Confeſſionis conditiones, quæ his verſibus comprehenduntur.

Sit ſimplex, humilis Confeſſio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, diſcreta, libens, verecunda,
Integra, ſecreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod dictarum conditionum quædam ſunt de neceſſitate confeſſionis, quædam de bene eſſe ipſius: ea autem, quæ ſunt de neceſſitate confeſſionis, vel competunt ei ſecundum quod eſt actus virtutis, vel ſecundum quod eſt pars Sacramenti: ſi primo modo, aut ratione virtutis in generali, aut ratione ſpecialis virtutis, cujus eſt actus: ex ipſa autem ratione virtutis in genere ſunt quatuor conditiones, ut

ut in 2. Ethicor. dicitur. Prima eſt, ut aliquis ſit ſciens, & quantum ad hoc confeſſio dicitur eſſe *diſcreta;* ſecundum quod in actu omnis virtutis prudentia requiritur: eſt autem hæc diſcretio, ut majora cum majori pondere confiteatur. Secunda conditio eſt, ut ſit eligens, quia actus virtutum debent eſſe voluntarii: & quantum ad hoc dicitur libens. Tertia conditio eſt, ut propter debitum finem operetur: & quantum ad hoc dicitur, quod debet eſſe pœnitentia pura, ut ſcilicet recta ſit intentio. Quarta eſt, ut immobiliter operetur; & quantum ad hoc dicitur, quod debet eſſe fortis, ut ſcilicet propter verecundiam non dimittat.

Eſt autem Confeſſio actus pœnitentiæ virtutis: quæ quidem primo initium ſumit in horrore turpitudinis peccati; & quantum ad hoc Confeſſio debet eſſe verecunda, ut ſcilicet non ſe jactet de peccatis propter aliquam ſæculi vanitatem admixtam. Secundo progreditur ad dolorem de peccato commiſſo, & quantum ad hoc debet eſſe lacrymabilis. Tertio in abjectione ſui terminatur: & quantum ad hoc debet eſſe humilis, ut ſe miſerum confiteatur & infirmum.

Sed ex propria ratione hujus actus, qui eſt Confeſſio, habet quod ſit manifeſtativa: quæ quidem manifeſtatio per quatuor impediri poteſt. Primo per falſitatatem, & quantum ad hoc dicitur fidelis, ideſt, vera. Secundo per obſcuritatem, & contra hoc dicitur nuda, ut non involvatur obſcuritate verborum. Tertio per multiplicationem verborum: & contra hoc dicitur, quod ſit ſimplex, ut non recitet in Confeſſione niſi quod ad quantitatem peccati pertinet. Quarto, ut non ſubtrahatur aliquid de his, quæ manifeſtanda ſint: & contra hoc dicitur integra.

Secundum autem quod Confeſſio eſt pars Sacramenti, ſic concernit judicium Sacerdotis, qui eſt miniſter Sacramenti: unde oportet, quod ſit accuſans ex parte confitentis.

Parere parata per comparationem ad Sacerdotem.

Secreta quantum ad conditionem fori, in quo de occultis conſcientiæ agitur.

Sed de bene eſſe Confeſſionis eſt, quod ſit frequens, & quod ſit accelerata. 4. *ſent. diſt. quæſt.* 3. *art.* 4. *quæſtiunc.* 4. *in corp.*

QUÆR. 8. *Quare Confeſſio debet ſemper eſſe ſecreta, quamvis ſatisfactio quandoque ſit publica.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod propter ſcandalum aliorum, qui poſſunt ex peccatis auditis ad malum inclinari, non debet Confeſſio fieri in publico, ſed in occulto: Ex pœna autem ſatiſfactoria non ſcandalizatur ita aliquis: quia quandoque pro parvo, vel pro nullo peccato ſimilia opera ſatisfactoria fiunt. *Ibidem ad* 4.

QUÆR. 6. *Cur exigatur quod Confeſſio ſit lacrymabilis, cum non ſit in poteſtate noſtra lacrymas emittere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod intelligendum eſt de lacrymis mentis. *Ibidem ad* 5.

QUÆR. 10. *Quare Confeſſio debet eſſe integra, ita ut aliter non fiat Confeſſio, ſed Confeſſionis ſimulatio.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in medicina corporali oportet quod Medicus non ſolum unum morbum, contra quem medicinam dare debet, cognoſcat, ſed etiam univerſaliter totam habitudinem ipſius infirmi; eo quod unus morbus ex adjunctione alterius aggravatur; & medicina, quæ uni morbo competeret, alteri nocumentum præſtaret; & ſimiliter eſt in peccatis, quia unum aggravatur ex adjunctione alterius; & illud, quod uni peccato eſſet conveniens medicina, alteri incentivum præſtaret; cum quandoque aliquis contrariis peccatis infectus ſit, ut Gregorius in Paſtorali docet: & ideo de neceſſitate confeſſionis eſt, quod homo omnia peccata confiteatur, quæ in memoria habet; quod ſi non facit, non eſt Confeſſio, ſed confeſſionis ſimulatio. 4. *ſent. d.* 17. *qu.* 3. *art.* 4. *quæſt.* 2. *in corp.*

QUÆR. 11. *An quando Confeſſarius non poteſt de omnibus abſolvere, teneatur tamen pœnitens omnia confiteri.*

Reſp. *v. Caſus Reſervatus*, *q.* 3.

QUÆR. 12. *An Confeſſio aliter fieri poſſit quam verbaliter.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Confeſſio non ſolum eſt actus virtutis, ſed etiam pars Sacramenti: quamvis autem ad eam ſecundum quod eſt actus virtutis, ſufficeret qualitercunque fieret (etſi non eſſet tanta difficultas in uno modo, quam in alio) tamen eſt ſecundum quod eſt pars Sacramenti habet determinatum actum, ſicut & alia Sacramenta habent determinatam materiam: & ſicut in Baptiſmo ad ſignificandam interiorem abſolutionem aſſumitur illud elementum, cujus eſt maximus uſus in abluendo: ita in actu Sacramentali ad manifeſtandum ordinate aſſumitur ille actus, quo maxime conſuevimus manifeſtare, ſcilicet per proprium verbum; alii enim modi ſunt inducti in ſupplementum iſtius. 4. *ſent. diſt.* 17. *qu.* 3. *art.* 4. *quæſt.* 3. *in corp. Quodlibeto* 1. *articul.* 10. *in corp.*

QUÆR. 13. *An ſit de neceſſitate Sacramenti, vel ſolum de inſtitutione Eccleſiæ, quod peccatorum confeſſio fiat verbo; & utrum qui*

ſic

ſic eam poteſt facere, peccaret ſi aliter faceret; itaut nullum Sacramenti effectum conſequeretur.

Reſp. D. Thomas, de neceſſitate Sacramenti eſt, quod pœnitens ſua peccata manifeſtet: Et contra hoc nullus diſpenſare poſſet, ſicut nec contra Baptiſmum; ſed quod fiat manifeſtatio verbo non eſt de neceſſitate Sacramenti: Alioquin nulla neceſſitate poſſet aliter effectum hujus Sacramenti percipere, niſi ore confitendo, quod patet eſſe falſum: nam mutis, vel quibuſcunque qui verbo confiteri non poſſunt, ſufficit ſcripto, vel nutibus confiteri: nulla autem neceſſitate poteſt aliquis baptizari, niſi aqua, propter hoc quod aqua eſt de neceſſitate Sacramenti; ſed ex inſtitutione Eccleſiæ tenetur homo qui poteſt ut verbo confiteatur, non ſolum propter hoc ut ore confitens confitendo magis erubeſcat, & qui ore peccavit, ore purgetur; ſed etiam quia ſemper in omnibus Sacramentis accipitur id, cujus eſt communior uſus; ſicut in Sacramentali ablutione Baptiſmi accipitur aqua, qua homines communius utuntur ad abluendum, & in Euchariſtia panis, qui eſt communior cibus: unde & in manifeſtatione peccatorum convenit uti verbis, quibus homines communius & expreſſius ſuos conceptus ſignificare conſueverunt. Et attendendum eſt, quod in hoc Sacramento non imprimitur character, ſed ſolum confertur gratia ad remiſſionem peccati; quam remiſſionem nullus conſequitur peccando: Peccat autem, qui ordinationem Eccleſiæ prætermittit: unde in Baptiſmo, qui ſervet ea, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti, prætermittens ſtatuta Eccleſiæ, conſequitur characterem Sacramenti, ſed non Sacramenti effectum; hic autem nihil conſequitur. *Quodlib. 1. art. 10. in corp.*

QUÆR. 14. Quomodo mutus, & ignarus linguæ poſſint confiteri.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in eo, qui uſum linguæ non habet, ſicut mutus, vel qui eſt alterius linguæ, ſufficit, quod per ſcriptum, aut nutum, aut interpretem confiteatur, quia non exigitur ab homine plus quam poſſit, quamvis homo non debeat Baptiſmum accipere, niſi in aqua; quia aqua eſt omnino ab exteriori, & nobis ab alio exhibetur; ſed actus confeſſionis eſt a nobis: & ideo quando non poſſumus uno modo, debemus ſecundum quod poſſumus confiteri. 4. *ſent. diſt. 17. qu. 3. art. 4. quæſtiunc. 3. ad 4.*

QUÆR. 15. Utrum in abſentia Sacerdotis Confeſſio debeat potius fieri laico, quam per ſcriptum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in abſentia proprii Sacerdotis, poteſt etiam laico fieri Confeſſio: Et ideo non oportet quod per ſcriptum fiat, quia plus pertinet ad neceſſitatem Confeſſionis actus, quam ille cui fit Confeſſio. 4. *ſentent. diſt. 17. quæſt. 3. artic. 4. qu. 3. ad 3.*

QUÆR. 16. An poſſit eſſe pœnitentia de originali peccato; & utrum de ipſo fieri debeat Confeſſio, vel ſatisfactio.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod pœnitentia poteſt ſumi large, & proprie: proprie quidem pœnitentia importat dolorem de peccato commiſſo in præterito; & ſic nullo modo poteſt eſſe pœnitentia de originali peccato, quia non eſt commiſſum: large autem poteſt dici pœnitentia omnis diſplicentia mali præteriti; & ſic in eo, qui liberum arbitrium habet, debet eſſe pœnitentia de originali: quia ex hoc ipſo, quod alicui placet aliquid; diſplicet ei, quod ad illud impedimentum præſtitit; peccatum autem originale impedimentum gloriæ fuit, ad quam quilibet deſiderio tendere debet. Non tamen de eo debet eſſe Confeſſio, quæ non eſt niſi factorum: nec ſatisfactio, quia pro peccato originali non debetur niſi pœna damni, pœnitentia autem importat pœnam ſenſus. *4. ſent. d. 16. qu. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. in corp.*

QUÆR. 17. Utrum homo teneatur confiteri peccata venialia.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quia Confeſſio ad hoc neceſſaria eſt, ut pœnitens ſatisfactionem accipiat ſecundum modum delicti; peccato autem veniali non debetur pœna ſatisfactoria taxata, quia pœna illa eſſet proportionata pœnæ peccati mortalis, a quo peccatum veniale in infinitum diſtat; unde per ſolam contritionem interiorem peccatum veniale remitti poteſt; & quod aliqua ſatisfactio exterius injungitur, hoc eſt magis ad devotionem excitandam, vel contritionem, quam ad ſatisfaciendum; & ideo ad confeſſionem venialium non tenemur, neque neceſſitate, quæ eſt ex ſuppoſitione finis, ſcilicet remiſſionis eorum; quia etiam ſine Confeſſione, vel actu, vel propoſito exiſtente, poſſunt venialia remitti. Tamen perfectionis eſt ea confiteri. 4. *ſent. d. 16. qu. 2. artic. 2. quæſtiunc. 3. in corp. qu. 3. artic. 2. quæſtiuncula 5. in corp. d. 15. q. 3. art. 3. quæſtiunc. 3. in corp.*

QUÆR. 18. An debeat pœnitens præciſe manifeſtare quod fecit ſive in bonum, ſive in malum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod per confeſſionem debet pœnitens ſe Confeſſori ſuo manifeſtare: ille autem, qui aliud de ſe Sacerdoti loquitur, quam ſua conſcientia habeat, ſive in bonum, ſive in malum, non ſe Sacer-

Digitized by Google

cerdoti manifeſtat, ſed magis occultat; & ideo non eſt idonea Confeſſio: ſed ad hoc, quod ſit idonea, requiritur, quod os cordi concordet, ut ſolum hoc os accuſet, quod conſcientia tenet. *4. ſent. diſt. 21. q. 2. art. 3. in corp.*

QUÆR. 19. *Utrum ad bonam mentem ſpectet, confiteri peccata, quæ non commiſit, juxta illud D. Gregorii, bonarum mentium eſt ibi culpam agnoſcere ubi culpa non eſt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod agnoſcere culpam ubi non eſt, poteſt eſſe dupliciter: uno modo ut intelligatur quantum ad ſubſtantiam actus: & ſic non eſt verum; non enim ad bonam mentem pertinet, ſed ad errantem, ut ſe actum aliquem commiſiſſe cognoſcat, quem non commiſit: alio modo, quantum ad conditionem actus: & ſic verum eſt quod Gregorius dicit; quia juſtus in actu qui de ſe bonus videtur, formidat ne aliquis defectus ex parte ſua fuerit: & ſic dicitur Job 9. *Verebar omnia opera mea*; & ideo ad bonam mentem etiam pertinet, ut hanc formidinem quam corde tenet, lingua accuſet. *4. ſent. diſt. 21. qu. 2. art. 3. ad 1.*

QUÆR. 20. *Quænam circumſtantiæ ſint confitendæ.*

Reſp. ſupra *v. Circumſtantia*, & infra *v. Recidivans.*

QUÆR. 21. *An & quomodo peccatum dubium ſit confitendum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quando aliquis dubitat de aliquo peccato an ſit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente: quia qui aliquid committit, vel admittit, in quo dubitat eſſe mortale peccatum, peccat mortaliter diſcrimini ſe committens: & ſimiliter periculo committit, qui de hoc, quod dubitat eſſe mortale, negligit confiteri; non tamen debet aſſerere illud eſſe mortale, ſed cum dubitatione loqui, & judicium Sacerdotis expectare, cujus eſt diſcernere inter lepram & lepram. *4. ſent. diſt. 21. qu. 2. art. 3. ad 3.*

QUÆR. 22. *An contritio, & Confeſſio debeant eſſe ſigillatim de omnibus peccatis mortalibus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod contritio eſt in conſpectu Dei, qui uno intuitu omnia videt; ſed Confeſſio ſit homini, cui oportet ſigillatim omnia exponi. Et præterea oportet de omni peccato mortali, quod memoriæ occurrit, ſingulariter dolere. *4. ſent. diſt. 21. in expoſitione litteræ.*

QUÆR 23. *An & quomodo fictio interveniat in Confeſſione, & ipſius effectum impediat.*

Reſp. *v. Fictio.*

QUÆR. 24. *An qui oblitus eſt alicujus peccati, teneatur reiterare totam Confeſſionem, vel ſolummodo exprimere peccatum oblitum.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod quidam dicunt, quod quando aliquis recordatur eorum, quæ prius oblitus fuit, debet iterum etiam ea, quæ confeſſus fuerat, confiteri; & præcipue ſi non poteſt eundem habere, cui ante confeſſus fuerat, qui omnia cognoſcit, ut totius culpæ quantitas uni Sacerdoti innoteſcat; ſed hoc non videtur neceſſarium, & ſufficit, quod hoc peccatum confitens dicat explicite, & alia in generali dicendo; quod cum alia multa confiteretur, hujuſmodi oblitus fuit. *4. ſentent. diſt. 17. quæſt. 3. artic. 4. quæſt. 2. ad 3.*

QUÆR. 25. *An Confeſſio ſit facienda Sacerdoti, & nonniſi proprio; & quis ſit proprius Sacerdos.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ad effectum aliquem duo requiruntur, ſcilicet potentia activa in agente, & materia debita in ſuſcipiente: ideo ad effectum ligandi & ſolvendi requiritur & poteſtas clavium, quæ datur in ordine, & materia debita, ſcilicet ſubditus, qui habetur ex juriſdictione: unde oportet confiteri Sacerdoti, & non niſi proprio, ſed proprius Sacerdos duplex eſt; vel ex juriſdictione ordinaria ſicut Parochialis Sacerdos, vel Epiſcopus, vel Papa: vel ex juriſdictione delegata; ſicut ille, cui committit poteſtatem audiendi aliquis horum trium, vel etiam Legatus Domini Papæ. *4. ad Hannib. diſt. 17. q. 2. art. 2. in corp.*

QUÆR. 26. *Quomodo intelligi debeat illa Decretalis Innocentii III. extra de pænitent. & remiſs. in qua dicitur: Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata ſemel in anno confiteatur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Sacerdos proprius non ſolum eſt Parochialis, ſed etiam Epiſcopus, vel Papa, ad quos etiam magis pertinet cura ejus, quam ad Sacerdotem. Proprium enim hic non accipitur ſecundum quod dividitur contra commune, ſed ſecundum quod dividitur contra alienum. Unde qui confeſſus eſt Epiſcopo ſuo, vel alicui habenti vicem ejus, confeſſus eſt proprio Sacerdoti. *Opuſc. 19. contra impugnantes religionem cap. 4.*

QUÆR. 27. *An poſſit pænitens alteri confiteri ſine licentia proprii Sacerdotis, quando ſcit eum eſſe hæreticum, vel ſollicitatorem ad malum, aut fragilem, qui ad peccatum, quod quis ei confitetur, ſit pronus; vel ſi revelator eſſe confeſſionis probabiliter exiſtimatur; vel ſi peccatum, de quo quis confiteri debet, contra ipſum ſit commiſſum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in caſibus

Digitized by Google

bus illis, in quibus probabiliter timet pœnitens periculum ſibi, vel Sacerdoti ex Confeſſione ei facta, debet recurrere ad Superiorem, vel ab eodem petere licentiam alteri confitendi. Quod ſi licentiam habere non poſſit, idem eſt judicium, quod de illo, qui non habet copiam Sacerdotis, unde magis debet eligere laico confiteri. Nec in hoc tranſgreditur aliquis præceptum Eccleſiæ; quia præcepta juris poſitivi non ſe extendunt ultra intentionem præcipientis, quæ eſt finis præcepti: hæc autem eſt charitas ſecundum Apoſtolum. Nec iterum fit aliqua injuria Sacerdoti; quia *privilegium meretur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate*. 4. *ſent. d.* 17. *q.* 3. *a.* 3. *q.* 4. *ad* 5.

QUÆR. 28. *Quomodo intelligi debeat illud Urbani II. Placuit ut nulli Sacerdotum liceat quemlibet commiſſum alteri Sacerdoti ad pœnitentiam ſuſcipere, ſine ejus conſenſu, cui ſe prius commiſit, niſi pro ignorantia illius, cui prius confeſſus eſt.*

Reſp. D. Thomas, ſecundum hoc videtur, quod aliquis poſſit cui vult confiteri quando habet Sacerdotem ignorantem, & dicendum, quod hoc intelligendum eſt quando Sacerdotis ignorantia poſſet hominem inducere in errorem; tunc enim de licentia Sacerdotis, vel Superioris debet alium petere prudentiorem. Quinque tamen caſus ponuntur, quibus licet aliis confiteri quam proprio Sacerdoti, ſine ejus licentia: primus eſt ſi ſit vagabundus: ſecundus ſi mutavit domicilium: tertius ſi offendit in aliena Parochia: quartus propter malitiam Sacerdotis, ſi revelat Confeſſiones, vel incitat ad malum: quintus in articulo neceſſitatis. 4. *ſent. diſt.* 21. *in expoſitione textus*.

QUÆR. 29. *Utrum illi peccent, & damnationis laqueum ſibi, aliiſque injiciant, qui non ſunt faciles ad dandam licentiam aliis confitendi.*

Reſp. *v. Caſus reſervatus q.* 4.

QUÆR. 30. *Quibus magis obedire debeat pœnitens, quando ſunt plures Confeſſarii.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod inconveniens eſſet, ſi duo æqualiter ſuper eandem plebem conſtituerentur; ſed quod duo, quorum unus alio principalior eſt, ſuper eandem plebem conſtituantur, non eſt inconveniens; & ſecundum hoc ſuper eandem plebem immediate ſunt & Sacerdos Parochialis, & Epiſcopus; & Papa; & quilibet eorum poteſt ea, quæ ſunt juriſdictionis ad ipſum pertinentia, alteri committere. Sed ſi Superior committat qui & principalior eſt, dupliciter poteſt committere, aut ita quod eum vice ſui conſtituat, ſicut Papa, & Epiſcopus ſuos pœnitentiarios conſtituunt: & tunc talis eſt principalior, quam inferior Prælatus, ſicut pœnitentiarius Papæ, quam Epiſcopus, & pœnitentiarius Epiſcopi, quam Sacerdos Parochialis; & magis tenetur ei confitens obedire: alio modo, ut eum coadjutorem illius Sacerdotis conſtituat; & quia coadjutor ordinatur ad eum, cui adjutor datur; ideo adjutor eſt minus principalis: & ideo pœnitens non tantum obedire tenetur ei, quantum proprio Sacerdoti. 4. *ſent. d.* 17. *q.* 3. *a.* 3. *quæſtiunc.* 5. *ad* 3.

QUÆR. 31. *An qui confeſſus eſt Superiori, iterum debeat confiteri proprio Sacerdoti; & utrum hoc ſit bonum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod nullus tenetur confiteri peccata, quæ non habet: & ideo ſi aliquis pœnitentiario Epiſcopi, vel alteri ab Epiſcopo commiſſionem habenti confeſſus fuerit, cum ſint ſibi dimiſſa peccata & quoad Deum, & quoad Eccleſiam, non tenetur ea confiteri proprio Sacerdoti, quantumcunque petat. Sed propter ſtatutum Eccleſiæ de Confeſſione facienda proprio Sacerdoti ſemel in anno, eodem modo ſe debet habere, ſicut ille, qui habet ſolum venialia; talis enim debet ſolum venialia confiteri, ut quidam dicunt; vel etiam profiteri ſe a peccato mortali immunem: & Sacerdos in foro conſcientiæ ei credere tenetur.

Si tamen iterum confiteri teneretur, non fruſtra primo confeſſus fuiſſet; quia quanto pluribus Sacerdotibus confitetur quis, tanto plus de pœna ei remittitur, tum ex erubeſcentia confeſſionis, quæ in pœnam ſatisfactoriam computatur: tum ex vi clavium: Unde toties poſſet aliquis confiteri, quod ab omni pœna liberaretur. Nec reiteratio injuriam facit Sacramento, niſi illi, in quo ſanctificatio adhibetur vel per characteris impreſſionem, vel per materiæ conſecrationem, quorum neutrum eſt pœnitentia. Unde bonum eſt, quod ille, qui authoritate Epiſcopi confeſſionem audit, inducat confitentem, quod confiteatur proprio Sacerdoti. Quod ſi noluerit, nihilominus eum abſolvere debet. 4. *ſent. diſt.* 17. *q.* 3. *a.* 3. *q.* 5. *ad* 4.

QUÆR. 32. *An Prælati poſſint ſibi eligere Confeſſarium.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quia Prælatis incumbit Sacramenta diſpenſare, quæ nonniſi mundi tractare debent, ideo conceſſum eſt eis a jure, quod poſſint ſibi eligere proprios Confeſſores, qui quantum ad hoc ſunt eis Superiores: ſicut etiam unus Medicus ab alio curatur, inquantum eſt infirmus. 4. *ſent. d.* 17. *q.* 3. *a.* 3. *quæſtiunc.* 4. *ad* 4.

QUÆR. 33. *Quomodo ſit intelligendum illud Au-*

Digitized by Google

Auguſtini de vera & falſa pœnitentia: qui vult confiteri peccata ut inveniat gratiam, quærat Sacerdotem qui ſciat ligare & ſolvere; ne cum negligens circa ſe extiterit, negligatur ab eo qui eum miſericorditer monet, & petit ne ambo in foveam cadant, quam ſtultus evitare noluit.

Reſp. D. Thomas, hæc ſcientia, etſi non ſit major, tamen tanta debet eſſe, ut ſciat diſtinguere inter peccatum & non peccatum, vel etiam inter peccatum mortale & peccatum veniale. Quod ſi in aliquo eſſet dubitatio, poſſet ad diſcretiores recurrere. 4. *ſent. d.* 17. *in exp. textus.*

QUÆR. 34. *Quænam aliæ conditiones requirantur ad hoc ut Confeſſarius alliciat pœnitentes.*

Reſp. D. Thomas, proponuntur multæ conditiones aliæ, quæ ad Confeſſarium requiruntur ut confitentes alliciat, quæ his verſibus continentur.

Confeſſor dulcis, affabilis, atque ſuavis,
Prudens, diſcretus, mitis, pius, atque benignus.

4. *ſent. diſt.* 17. *in expoſitione textus.*

QUÆR. 35. *An Sacerdos debeat interrogare pœnitentem, & quomodo ſe gerere debeat in ſuis interrogationibus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Sacerdos debet perſcrutari conſcientiam peccatoris in Confeſſione, quaſi Medicus vulnus, & Judex cauſam: Quia frequenter, quæ pro confuſione confitens taceret, interrogatus revelat. Sed tamen in interrogationibus faciendis tria ſunt attendenda. Primo ut quilibet peccator interrogetur de peccatis, quæ conſueverunt in hominibus illius conditionis abundare: non enim oportet, quod a milite quæratur de peccato clericorum, aut Religioſorum, aut e converſo. Secundo, ut non fiat explicita interrogatio de peccatis, niſi de illis, quæ omnibus manifeſta ſunt: de aliis autem adinventionibus peccatorum ita debet à longinquo fieri interrogatio, ut ſi commiſit dicat, ſi non commiſit non addiſcat. Tertio, ut de peccatis præcipue carnalibus non deſcendat nimis ad particulares circunſtantias: quia hujuſmodi delectabilia quanto magis in ſpeciali conſiderantur, magis concupiſcentiam nata ſunt movere, ut dicitur in 3. Ethicor. & ideo poteſt contingere, ut Confeſſor talia quærens, & ſibi & confitenti noceat, & ſic quandoque deficiant in ſuo ſcrutinio iniquitates ſcrutantes. 4. *ſent. d.* 19. *in expoſ. textus.*

QUÆR. 36. *An Confeſſarius teneatur celare audita in confeſſione.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quia in Sacramentis ea, quæ exterius geruntur, ſunt ſigna rerum, quæ interius contingunt; ideo Confeſſio, qua quis Sacerdoti ſe ſubjicit, ſignum eſt interioris, qua quis Deo ſubjicitur, Deus autem peccatum illius, qui ſe ſibi ſubjicit per pœnitentiam, tegit; unde & hoc oportet in Sacramento pœnitentiæ ſignari: & ideo de neceſſitate Sacramenti eſt, quod quis Confeſſionem celet; & tanquam violator Sacramenti peccat, qui revelat. Et præter hoc ſunt aliæ utilitates hujus celationis: quia per hoc homines ad Confeſſionem magis attrahuntur, & ſimplicius peccata confitentur. 4. *ſent. d.* 21. *q.* 3. *art.* 1. *q.* 1. *in corp. quolibeto* 12. *a.* 16.

QUÆR. 37. *An ſigillum Confeſſionis nedum ſe extendat ad peccata, ſed etiam ad alia, quæ in Confeſſione narrantur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſigillum Confeſſionis non directe ſe extendit, niſi ad illa quæ cadunt ſub Sacramentali Confeſſione; ſed indirecte id quod non cadit ſub Sacramentali Confeſſione, etiam ad Confeſſionis ſigillum pertinet, ſicut illa, per quæ poſſet peccator, vel peccatum deprehendi. Nihilominus etiam illa ſummo ſtudio ſunt celanda, tum propter ſcandalum, tum propter pronitatem, quæ ex conſuetudine accidere poſſet. 4. *ſent. d.* 21. *q.* 3. *a.* 1. *q.* 2. *in corp.*

QUÆR. 38. *An Confeſſarius propter cenſuram debeat revelare Confeſſionem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod præceptum de Confeſſione ſervanda conſequitur ipſum Sacramentum: & ideo ſicut præceptum de Confeſſione Sacramentali facienda eſt de jure Divino, & non poteſt aliqua diſpenſatione, vel juſſione humana homo ab eo abſolvi, ita nullus ad revelationem Confeſſionis poteſt ab homine cogi, vel licentiari: unde ſi præcipiatur ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quod dicat, ſi aliquid ſcit de peccato, non debet dicere; quia debet æſtimare, quod intentio præcipientis ſit, ſi ſciat ut homo. Si autem exprimeret de Confeſſione interrogans, non debet dicere, nec excommunicationem incurreret; quia non eſt ſubjectus Superiori ſuo, niſi ut homo; hoc autem neſcit ut homo, ſed ut Deus. 4. *ſent. d.* 21. *q.* 3. *a.* 1. *q.* 1. *ad* 2.

QUÆR. 39. *An Confeſſarius poſſit dicere peccata in Confeſſione audita, alia tamen via cognita.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod circa hoc eſt triplex opinio. Quidam dicunt, quod illud, quod aliquis audit in Confeſſione, non poſt aliquo modo dicere, ſi ſciat alias, ſive ante, ſive poſt: quidam vero dicunt, quod per Confeſſionem præcluditur ſibi via, ne poſſit aliquid dicere, quod prius ſcivit, non autem

Digitized by Google

tem quin poſſit dicere, poſtea alio modo ſciat. Utraque autem opinio, dum nimium ſigillo Confeſſionis attribuit, præjudicium veritati, & juſtitiæ ſervandæ facit. Poſſet enim aliquis ad peccata eſſe proclivior, ſi non timeret ab illo accuſari, cui confeſſus eſt, ſi coram ipſo peccatum iteraret. Similiter etiam multum juſtitiæ perire poterit, ſi teſtimonium ferre non poſſet aliquis de eo, quod vidit, propter Confeſſionem de hoc factam. Nec obſtat, quod quidam dicunt, quod debet proteſtari ſe non tenere privatum hoc; quia hoc non poſſet proteſtari, niſi poſtquam peccatum eſſet ſibi dictum; & tunc quilibet Sacerdos poſſet, cum vellet, revelare peccatum proteſtationem faciendo, ſi hoc ipſum ad revelandum liberum redderet.

Et ideo alia opinio eſt, & verior: quia illud, quod homo alias ſcit, ſive ante Confeſſionem, ſive poſt, non tenetur celare quantum ad id, quod ſcit ut homo: poteſt enim dicere, ſcio illud, quia vidi. Tenetur tamen celare illud inquantum ſcit ut Deus: Non poteſt enim dicere, ego audivi in Confeſſione. Tamen propter ſcandalum vitandum debet abſtinere, ne de hoc loquatur, niſi neceſſitas immineat. *4. ſent. d. 21. q. 3. a. 3. in corp. 4. ad Hannib. d. 21. a. 1. ad 4.*

QUÆR. 40. Utrum debeat Sacerdos revelare ea quæ in Confeſſione audivit, & aliunde ſcit, quando juſtitia & veritas hoc exigunt, non obſtante ſcandalo, dummodo illud quantum in ſe eſt evitet.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod non debet ita vitare peccatum ex una parte, quod ex alia juſtitia relinquatur: veritas enim non eſt propter ſcandalum dimittenda: & ideo quando imminet periculum juſtitiæ & veritatis, non debet dimitti revelatio ejus quod quis in Confeſſione audivit (ſi alias ſcit) propter ſcandalum; dum tamen ſcandalum quantum in ſe eſt evitare nitatur. *4. d.21. q.3. a.3. ad 4.*

QUÆR. 41. An Sacerdos in teſtem adductus jurare poſſit, ſe neſcire ea quæ in Confeſſione audivit: & utrum Prælatus debeat, vel poſſit abſolvere ſubditum ab officio propter peccatum in Confeſſione auditum, quod videt eſſe ipſi occaſionem ruinæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quia homo non adducitur in teſtimonium, niſi ut homo; ideo abſque læſione conſcientiæ poteſt jurare ſe neſcire, quod ſcit tantum ut Deus. Similiter autem abſque læſione conſcientiæ poteſt Prælatus impunitum dimittere peccatum, quod ſcit ut Deus, vel ſine aliquo remedio: quia non tenetur adhibere remedium, niſi eo modo, quo ad ipſum refertur; unde in his, quæ deferuntur ei in foro pœnitentiæ, in eodem foro debet quantum poteſt adhibere remedium; ut Abbas in caſu prædicto admoneat eum, ut Prioratum reſignet; vel ſi noluerit, poteſt ex aliqua alia occaſione abſolvere a cura Prioratus; ita tamen quod omnis ſuſpicio vitetur de Confeſſionis revelatione. *4. ſent. d. 21. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 1. ad 3. 2.2. q.70. a.1. ad 2.*

QUÆR. 42. An Prælatus poſſit ſubditum ſuum ab adminiſtratione removere, ſi ex hoc probabilis oriatur ſuſpicio, quod ipſi confeſſus eſt aliquod crimen: & utrum hoc facere debeat, ſi periculum in poſterum timetur.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod id quod per confeſſionem auditur, nullo modo eſt manifeſtandum nec verbo, nec ſigno, nec nutu; nec etiam aliquid eſt faciendum, unde in ſuſpicionem peccati aliquis poſſit devenire: ſi ergo amotio ſubditi ab adminiſtratione poſſit inducere ad manifeſtandum peccatum in confeſſione auditum, vel ad aliquam probabilem ſuſpicionem habendam de ipſo, nullo modo Prælatus debet ſubditum ab adminiſtratione removere; puta ſi in aliquo Monaſterio eſſet conſuetum quod Priores non amoverentur de ſuis Prioratibus, niſi propter culpam, manifeſtaretur peccatum confitentis per remotionem ab adminiſtratione: unde ſi Abbas hoc faceret, graviter peccaret tanquam confeſſionem revelans: poſſet tamen eum ſecreto charitative admonere, ut cum inſtantia peteret ceſſionem, ſi hoc videret ſaluti ejus expedire.

Si vero per amotionem ab adminiſtratione peccatum nullatenus manifeſtaretur: puta ſi in aliquo Monaſterio eſſet conſuetum, quod Abbas pro ſuo libito de facili aliquos ab adminiſtratione removeret, tunc alia occaſione accepta poteſt ſubditum ſibi confeſſum ab adminiſtratione removere; & deberet hoc facere cum debita tamen cautela, ſi talis adminiſtratio eſſet ſubdito periculoſa in poſterum. Quamvis etiam in hoc caſu melius eſſet, quod eum induceret ad ceſſionem petendam. Si vero periculum in poſterum non timeretur, non oportet, quod pro peccato præterito per pœnitentiam deleto eum ab adminiſtratione removeat: ſicut etiam Auguſtinus dicit in lib. de adulterinis conjugiis. *Cur adhuc reputamus adulteros, quos credimus pœnitentia eſſe ſanatos*, quandoque enim pœnitentes innocentibus meliores ſunt. *Quodlibeto 5. a. 13. in corp.*

Quamvis hæc opinio Sancti Doctoris ſit probabilis, & tuta, ſi quis ea utatur, ſicut ab ipſo traditur: quia tamen difficile foret in ipſius praxi evitare omne inconveniens, ideo S.P.

Urbanus VIII. in Bulla data 21. Sept. anno 1624. renovat decretum S. P. Clementis VIII. datum 26. Martii 1593. ubi §. 4. Confeſſarios ſic admonet: tam ſuperiores pro tempore exiſtentes, quam Confeſſarii, qui ad ſuperioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.

QUÆR. 43. *An ſigillum Confeſſionis ſit ſervandum, licet pœnitens emendationem non proponat. Et quomodo ſit adhibendum remedium contra peccata in Confeſſione audita, & quid debeat facere Sacerdos qui ex Confeſſione ſcit aliquem hæreticum, quem non poteſt inducere ad hoc ut deſiſtat a corruptione plebis, vel affinitatem inter aliquos, qui volunt contrahere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quidam dicunt quod Sacerdos non tenetur ſervare ſub ſigillo Confeſſionis, niſi peccata, de quibus pœnitens emendare promittit; alias poteſt ea dicere ei qui poteſt prodeſſe, non obeſſe. Sed hæc opinio videtur erronea; cum ſit contra veritatem Sacramenti: ſicut enim Baptiſmus eſt Sacramentum, quamvis quis fictus accedat, nec eſt mutandum propter hoc aliquid de eſſentialibus Sacramenti; ita confeſſio non deſinit eſſe Sacramentalis, quamvis ille qui confitetur, emendationem non proponat. Et ideo nihilominus ſub occulto tenendum eſt. Nec tamen ſigillum Confeſſionis contra charitatem militat; quia charitas non requirit, quod apponatur remedium peccato, quod homo neſcit: illud autem quod ſub Confeſſione ſcitur eſt quaſi neſcitum; cum neſciat ut homo, ſed ut Deus. Tamen aliquod remedium adhibere debet in prædictis caſibus quantum poteſt ſine Confeſſionis revelatione, ſicut monendo eos qui confitentur, & aliis diligentiam apponendo ne corrumpantur per hæreſim. Poteſt etiam dicere Prælato, quod diligentius invigilet ſuper gregem ſuum: ita tamen quod non dicat aliquid per quod verbo vel nutu confitentem prodat. 4. *ſent. d.* 21. *qu.* 3. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 1. 4. *ad Hannib. diſt.* 21. *art.* 1. *in corp.* & *ad* 4.

QUÆR. 44. *Utrum etiam interpres, quo mediante ſit Confeſſio; vel laicus cui ſit Confeſſio in caſu neceſſitatis; vel ille qui ſe Sacerdotem ſimulat, ut per hanc fraudem alterius conſcientiam exploret, teneantur ad ſigillum confeſſionis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſigillum confeſſionis competit Sacerdoti inquantum eſt Miniſter hujus Sacramenti; quod nihil eſt aliud quam debitum confeſſionem celandi; ſicut clavis eſt poteſtas abſolvendi: tamen ſicut aliquis qui non eſt Sacerdos, in aliquo caſu participiat aliquid de actu clavis, dum confeſſionem audit propter neceſſitatem: ita etiam participat de actu ſigilli confeſſionis, & tenetur celare, quamvis proprie loquendo ſigillum confeſſionis non habeat. 4. *ſent. d.* 21. *qu.* 3. *art.* 1. *qu.* 3.

QUÆR. 45. *Utrum ſi quis ſecretum recipiat ſub ſigillo confeſſionis, teneatur illud ſervare, ac ſi in confeſſione audiſſet.*

Reſponſio videatur *v. Secretum.*

QUÆR. 46. *An confeſſarius de licentia pœnitentis poſſit revelare confeſſionem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod duo ſunt, propter quæ Sacerdos tenetur peccatum occultare: Primo & principaliter, quia ipſa occultatio eſt de eſſentia Sacramenti, inquantum ſcit illud ut Deus, cujus vicem gerit ad confeſſionem: alio modo propter ſcandalum vitandum: poteſt autem pœnitens facere, ut illud, quod Sacerdos ſciebat ut Deus, ſciat etiam ut homo, quod facit, dum eum licentiat ad dicendum: & ideo ſi dicat, non frangit ſigillum confeſſionis, tamen debet cavere ſcandalum dicendo: ne fractor ſigilli prædicti reputetur. 4. *ſent. d.* 21. *qu.* 3. *art.* 2. *in corp.*

QUÆR. 47. *Utrum ille, cui de conſenſu pœnitentis Confeſſarius revelavit confeſſionem, teneatur celare illam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ille, ad quem notitia peccati devenit mediante Sacerdote ex voluntate confitentis, participat in aliquo actum Sacerdotis, & ideo ſimile eſt de eo, & de interprete, niſi forte peccator velit, quod ille abſolute ſciat, & libere. 4. *ſent. d.* 21. *quæſt.* 3. *art.* 3. *ad* 4.

QUÆR. 48. *Utrum in caſu neceſſitatis Confeſſio poſſit fieri laico.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut Baptiſmus eſt Sacramentum neceſſitatis, ita & pœnitentia: Baptiſmus autem qui eſt Sacramentum neceſſitatis, habet duplicem Miniſtrum; unum cui ex officio baptizare incumbit, ſcilicet Sacerdotem: alium cui ratione neceſſitatis diſpenſatio Baptiſmi committitur. Et ita etiam Miniſter pœnitentiæ, cui Confeſſio eſt facienda ex officio, eſt Sacerdos: ſed in neceſſitate etiam laicus vicem Sacerdotis ſupplet, ut ei Confeſſio fieri poſſit. 4. *diſt.* 17. *qu.* 3. *art.* 3. *quæſtiunc.* 2. *in corp.*

QUÆR. 49. *An quando aliquis in neceſſitate conteritur, & confitetur cui poteſt, licet Sacramentum non ſit perfectum, defectum tamen ſuppleat Summus Sacerdos Chriſtus Dominus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in Sacramento pœnitentiæ non ſolum eſt aliquid ex parte miniſtri, ſcilicet abſolutio, & ſatisfa-

ctio-

Digitized by Google

ctionis injunctio, ſed etiam aliquid ex parte ipſius qui ſuſcipit Sacramentum, quod eſt etiam de eſſentia Sacramenti, ſicut contritio & confeſſio: ſatisfactio autem jam incipit eſſe a Miniſtro, inquantum eam injungit, & a pœnitente inquantum eam implet: & ad plenitudinem Sacramenti utrumque debet concurrere, quando poſſibile eſt; ſed quando neceſſitas imminet, debet facere pœnitens quod ex parte ſua eſt, ſcilicet conteri, & confiteri cui poteſt: qui quamvis Sacramentum perficere non poſſit, ut faciat id quod eſt ex parte Sacerdotis (abſolutionem ſcilicet) tamen defectum Sacerdotis Summus Sacerdos ſupplet: nihilominus Confeſſio laico ex deſiderio Sacerdotis facta, Sacramentalis eſt quodammodo, quamvis non ſit Sacramentum perfectum, quia deeſt ei quod eſt ex parte Sacerdotis. *Ibidem ad* 1.

QUÆR. 50. *An & quomodo laicus, cui ſit Confeſſio in caſu neceſſitatis, ſit Judex ipſius pænitentis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quamvis laicus non ſit Judex ejus, qui ei confitetur abſolute, tamen ratione neceſſitatis accipit judicium ſuper eum, ſecundum quod confitens ex deſiderio Sacerdotis ſe ei ſubdit. *Ibid. ad* 2.

QUÆR. 51. *An & quare ille, qui laico confeſſus eſt in neceſſitate, licet a Deo veniam obtinuerit, tenetur nihilominus iterum Sacerdoti confiteri, ſi illius copiam habere poſſit.*

Reſp. D. Thomas, quod per Sacramenta homo non ſolum Deo, ſed etiam Eccleſiæ oportet quod reconcilietur; Eccleſiæ autem reconciliari non poteſt, niſi ſanctificatio ad eum perveniat: in Baptiſmo autem ſanctificatio Eccleſiæ ad hominem pervenit per ipſum elementum exterius adhibitum, quod verbo vitæ ſanctificatur ſecundum formam Eccleſiæ a quocunque; & ideo ex quo ſemel baptizatus eſt a quocunque, non oportet, quod iterum baptizetur; ſed in pœnitentia Eccleſiæ ſanctificatio non pervenit ad hominem, niſi per miniſterium, quia non eſt ibi aliquod elementum corporale exterius adhibitum, quod ex ſanctificatione inviſibilem gratiam conferat; & ideo quamvis ille qui laico confeſſus eſt in articulo neceſſitatis, conſecutus ſit veniam a Deo (eo quod propoſitum confitendi quod concepit ſecundum mandatum Dei ſicut potuit, implevit) non tamen adhuc Eccleſiæ reconciliatus eſt, ut ad Sacramenta Eccleſiæ admitti debeat, niſi prius a Sacerdote abſolvatur; ſicut ille qui Baptiſmo flaminis baptizatus eſt, ad Euchariſtiam non admittitur: Et ideo oportet, quod iterum confiteatur Sacerdoti, cum copiam habere potuerit; & præcipue, quia (ut dictum eſt) Sacramentum pœnitentiæ perfectum non fuit: unde oportet, quod perficiatur, ut ex ipſa perceptione Sacramenti pleniorem effectum conſequatur; & ut mandatum de pœnitentiæ Sacramento recipiendo impleat. *ibid. ad* 3.

QUÆR. 52. *An Confeſſio illa facta in neceſſitate laico ſit unum ex Sacramentalibus; & utrum per ipſam ita remittantur peccata, ut non ſit neceſſe ea iterum Sacerdoti confiteri.*

Reſponſio videtur infra, *v. Sacramentale*, *qu.* 3.

QUÆR. 53. *An Confeſſio liberet a morte peccati, nedum quando ſit in re, ſed etiam in voto.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod pœnitentia inquantum eſt Sacramentum præcipue in Confeſſione perficitur; quia per eam homo miniſtris Eccleſiæ ſe ſubdit, qui ſunt Sacramentorum diſpenſatores; contritio enim votum confeſſionis annexum habet, & ſatisfactio pro judicio Sacerdotis, cui ſit confeſſio, taxatur: & quia in Sacramento pœnitentiæ gratia infunditur, per quam ſit remiſſio peccatorum, ſicut in Baptiſmo; ideo eodem modo Confeſſio ex vi abſolutionis conjunctæ remittit culpam, ſicut Baptiſmus. Liberat enim Baptiſmus a morte peccati non ſolum ſecundum quod actu recipitur, ſed etiam ſecundum quod in voto habetur, ſicut patet in illis, qui jam ſanctificati ad Baptiſmum accedunt: & ſi aliquis impedimentum non præſtaret, ex ipſa collatione Baptiſmi gratiam conſequeretur remittentem peccata, ſi prius ſibi remiſſa non fuiſſent.

Et ſimiliter dicendum eſt de Confeſſione adjuncta abſolutione, quod ſecundum quod in voto pœnitentis præceſſit, a culpa liberavit. Poſtmodum autem in actu confeſſionis, & abſolutionis gratia augetur, & etiam remiſſio peccatorum daretur, ſi præcedens dolor de peccatis non ſufficiens ad contritionem fuiſſet: & ipſe tunc obicem gratiæ non præberet: & ideo ſicut de Baptiſmo dicitur, quod liberat a morte, ita & de Confeſſione dici poteſt. 4. *ſent. diſt.* 17. *quæſt.* 3. *art.* 4. *quæſtiunc.* 1. *in corp.*

QUÆR. 54. *An & quomodo Confeſſio ſive in re, ſive in voto liberet a pœna.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Confeſſio ſimul cum abſolutione habet vim liberandi a pœna dupliciter: uno modo ex ipſa vi abſolutionis, & ſic quidem liberat in voto exiſtens a pœna æterna, ſicut & a culpa; quæ quidem pœna eſt pœna condemnans, & ex toto exterminans, & a qua homo liberatus, manet adhuc obligatus ad pœnam temporalem, ſecundum quod pœna eſt medicina purgans, & promovens; & hæc pœna reſtat in

Digitized by Google

in purgatorio patienda, etiam his, qui a pœna inferni liberati ſunt: quæ quidem pœna eſt improportionata viribus pœnitentis in hoc Mundo viventis, ſed per vim clavium intantum diminuitur, quod proportionata viribus pœnitentis remanet, ita quod ſatisfaciendo ſe in hac vita purgare poteſt: alio modo diminuit pœnam ex ipſa natura actus confitentis, qui habet pœnam erubeſcentiæ annexam: Et ideo quanto aliquis pluries de eiſdem peccatis confitetur, tanto magis pœna diminuitur. 4. *ſent. d.* 17. *qu.* 3. *art.* 5. *quæſtiunc.* 2. *in corp.*

QUÆR. 55. *An per Confeſſionem generalem, quæ fit in Prima, & Completorio, dimittantur peccata venialia.*

Reſpondetur *v. Sacramentale.*

QUÆR. 56. *An Confeſſio generalis Sacramentalis deleat peccata mortalia oblita.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Confeſſio operatur præſuppoſita contritione, quæ culpam delet; & ſic ordinatur Confeſſio directe ad dimiſſionem pœnæ, quod quidem facit & ex erubeſcentia, quam habet, & ex vi clavium, cui ſe confitens ſubjicit. Contingit autem quandoque, quod per contritionem præcedentem peccatum aliquod deletum eſt quoad culpam ſive in generali, ſi ejus tunc memoria non habeatur, ſive in ſpeciali; & tamen ante Confeſſionem aliquis illius peccati oblitus eſt: & tunc Confeſſio generalis Sacramentalis operatur ad dimiſſionem pœnæ ex vi clavium, quibus ſe confitens ſubjicit; nullum obſtaculum quantum in ipſo eſt ponens: ſed ex illa parte, qua erubeſcentia confeſſionis peccati pœnam minuebat, pœna ipſius, de qua quis ſpecialiter coram Sacerdote non erubuit, non eſt diminuta. 4. *ſent. d.* 21. *qu.* 2. *art.* 2. *in corp.*

QUÆR. 57. *An pœnitens teneatur confiteri peccata oblita, quando poſtea de illis recordatur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quia in Sacramentali Confeſſione non ſolum requiritur abſolutio, ſed judicium Sacerdotis ſatisfactionem imponentis expectatur: ideo quamvis iſte abſolutione ſit functus, tamen tenetur confiteri, ut ſuppleatur, quod deficit Sacramentali Confeſſioni. *Ibid. ad* 1.

QUÆR. 58. *Utrum Confeſſio Paradiſum aperiat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ante votum Confeſſionis Paradiſus clauſus erat peccanti mortaliter; quamvis poſtea per contritionem votum confeſſionis importantem, apertus ſit etiam ante Confeſſionem actualiter factam; non tamen obſtaculum reatus eſt totaliter remotum ante Confeſſionem & ſatisfactionem. 4. *ſent.* 17. *q.* 3. *art. ult. quæſt.* 3. *ad* 2.

Inter propoſitiones ab Alexandro VII. damnatas habentur ſequentes, quæ Confeſſionem concernunt.

11. *Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti Confeſſione exprimere.*

13. *Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſte reprobato.*

14. *Qui facit Confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.*

16. *Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.*

24. *Mollities, Sodomia, & Beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, ideoque ſufficit dicere in Confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem.*

25. *Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit Confeſſionis præcepto dicens: Commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam.*

Contra iſtas propoſitiones afferri poſſunt ea, quæ retulimus ex noſtro Sancto Doctore in præcedentibus quæſtionibus, 10. 24. 25. 26. 32. 56. *&* 57. *& quæ referemus infra v. Peccatum qu.* 4. *& v. Luxuria qu.* 8.

Clemens X. in Bulla, quam referemus v. Privilegium, dicit eos, qui Religioſis ſimpliciter approbatis, Paſchali tempore confeſſi fuerint, conſtitutioni quæ incipit, Omnis utriuſque ſexus, quoad Confeſſionem ſatisfacere, quod optime intelligitur, & explicatur ex doctrina ejuſdem Sancti Doctoris in reſponſionibus ad prædictas quæſtiones 25. *&* 26.

CONFIRMATIO.

QUÆR. 1. *An Confirmatio ſit Sacramentum: Et quoſnam effectus habeat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Sacramenta novæ legis ordinantur ad ſpeciales gratiæ effectus: & ideo ubi occurrit aliquis ſpecialis effectus gratiæ, ibi ordinatur ſpeciale Sacramentum. Quia vero ſenſibilia & corporalia gerunt ſpiritualium & intelligibilium ſimilitudinem: ex his quæ in vita corporali aguntur, percipere poſſumus quid in ſpirituali vita gratiæ ſpeciale exiſtat. Manifeſtum autem eſt, quod in vita corporali ſpecialis quædam perfectio eſt, quod homo ad perfectam ætatem perveniat, & perfectas actiones hominis agere poſſit: unde & Apoſt. dicit 1. Cor. 13. *Cum autem factus ſum vir, evacuavi quæ erant parvuli.* Et inde eſt etiam, quod præter motum generationis, quo aliquis recipit vitam corporalem, eſt motus augmenti, quo aliquis perducitur

Digitized by Google

citur ad perfectam ætatem. Sic igitur & vitam ſpiritualem homo accipit per Baptiſmum, qui eſt ſpiritualis regeneratio: in Confirmatione autem homo accipit quaſi quandam perfectam ætatem ſpiritualis vitæ. Unde Melchiades Papa dicit, *Spiritus Sanctus qui ſuper aquas Baptiſmi ſalutifero deſcendit lapſu, in fonte plenitudinem tribuit ad Innocentiam, in confirmatione augmentum præſtat ad gratiam, in Baptiſmo Regeneramur ad vitam, poſt Baptiſmum Confirmamur ad pugnam: in Baptiſmo abluimur, poſt Baptiſmum roboramur*. Et ideo manifeſtum eſt quod Confirmatio eſt ſpeciale Sacramentum. 3. *p. q.* 72. *ar.* 1. *in corp. in* 4. *d.* 7. *q.* 1. *artic.* 1. *q.* 1. 4. *contra gentes c.* 58.

QUÆR. 2. *An Chriſma, ſive oleum cum balſamo, ſit conveniens materia hujus Sacramenti.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Chriſma eſt conveniens materia hujus Sacramenti. Sicut enim dictum eſt, in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur ſpirituale, quod competit perfectæ ætati: homo autem cum ad perfectam ætatem pervenerit, incipit jam communicare actiones ſuas ad alios; antea vero quaſi ſingulariter ſibi ipſi vivit: gratia vero Spiritus Sancti in oleo deſignatur: unde Chriſtus dicitur eſſe unctus oleo lætitiæ propter plenitudinem Spiritus Sancti, quam habuit: & ideo oleum competit materiæ hujus Sacramenti.

Admiſcetur autem balſamum propter fragrantiam odoris, quæ redundat ad alios: Unde Apoſtolus dicit, ſecundæ Corinth. 2. *Chriſti bonus odor ſumus Deo, &c.* & licet multa alia ſint odorifera, tamen præcipue accipitur balſamum propter hoc, quod habet præcipuum odorem; & quia etiam incorruptionem præſtat. Unde Eccleſ. 24. dicitur, *quaſi balſamum non mixtum odor meus*. 3 *p. q.* 72. *art.* 2. *in corp.* 4. *ſent. diſt.* 7. *quæſt.* 1. *artic.* 1. *quæſtiunc.* 2. *in corp.*

QUÆR. 3. *Quodnam oleum requiratur ad materiam Confirmationis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod proprietates olei, quibus ſignificatur Spiritus Sanctus, magis inveniuntur in oleo olivarum, quam in quocunque alio oleo, unde & ipſa oliva ſemper frondibus virens virorem, & miſericordiam Spiritus Sancti ſignificat. Hoc etiam oleum proprie dicitur oleum, & maxime habetur in uſu, ubi haberi poteſt; quilibet autem alius liquor ex ſimilitudine hujus oleum nominatur, nec eſt in uſu communi, niſi in ſupplementum apud eos, quibus deeſt oleum olivarum: & ideo hoc oleum ſolum aſſumitur in uſum hujus, & quorundam aliorum Sacramentorum. 3. *par. qu.* 72. *artic.* 2. *ad* 3. 4. *ſent. d.* 7. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 4.

QUÆR. 4 *An ſit de neceſſitate hujus Sacramenti quod Chriſma fuerit prius per Epiſcopum conſecratum.*

Reſp. infra *v. Conſecratio, q.* 3.

QUÆR. 5. *Utrum hæc ſit conveniens forma hujus Sacramenti, Conſigno te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod prædicta forma eſt conveniens hujus Sacramenti. Sicut enim forma rei naturalis dat ei ſpeciem, ita forma Sacramenti continere debet quidquid pertinet ad ſpeciem Sacramenti: ſicut autem ex ſupradictis patet, in hoc Sacramento datur Spiritus Sanctus ad robur ſpiritualis pugnæ; & ideo in hoc Sacramento tria ſunt neceſſaria, quæ continentur in forma prædicta: quorum primum eſt cauſa conferens plenitudinem roboris ſpiritualis, quæ eſt Sancta Trinitas, quæ exprimitur cum dicitur, *in nomine Patris, &c.* ſecundum eſt ipſum robur ſpirituale, quod homini confertur per Sacramentum materiæ viſibilis, ad ſalutem, quod quidem tangitur cum dicitur, *confirmo te Chriſmate ſalutis*; tertium eſt ſignum, quod pugnatori datur, ſicut & in pugna corporali milites inſigniis Ducum inſigniuntur, & quantum ad hoc dicitur, *conſigno te ſigno Crucis*, in quo ſcilicet Rex noſter triumphavit, ut dicitur Coloſs. 2. 3. *p. q.* 72. *art.* 4. *in corp.* 4. *ſent. d.* 5. *qu.* 1. *art.* 3. *quæſtiunc.* 2. *in corp.*

QUÆR. 6. *In qua parte corporis ſint ſignandi illi, qui confirmantur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, in hoc Sacramento homo accipit Spiritum Sanctum ad robur ſpiritualis pugnæ, ut fortiter etiam inter adverſarios fidei Chriſti fidem confiteatur: Unde convenienter ſignatur Chriſmate ſigno Crucis in fronte propter duo. Primo quidem, quia inſignitur ſigno Crucis, ſicut miles ſigno Ducis; quod quidem debet eſſe evidens, & manifeſtum: inter omnia autem loca corporis humani maxime frons manifeſta eſt, quæ quaſi nunquam obtegitur, & ideo linitur confirmatus Chriſmate in fronte, ut in manifeſto demonſtret ſe eſſe Chriſtianum; ſicut & Apoſtoli poſt acceptum Spiritum Sanctum ſe manifeſtaverunt, qui prius in cænaculo latebant: Secundo quia aliquis impeditur a libera confeſſione nominis Chriſti propter duo, ſcilicet propter timorem, & propter verecundiam; utriuſque autem horum ſignum maxime manifeſtatur in fronte propter duo, ſcilicet propter

Digitized by Google

pter propinquitatem imaginationis, & propter hoc quod Spiritus a corde directe ad frontem aſcendunt; unde *verecundati erubeſcunt, timentes autem palleſcunt*, ut dicitur in 4. Ethic. & ideo in fronte ſignatur Chriſmate, ut neque propter timorem, neque propter erubeſcentiam nomen Chriſti confiteri prætermittat. *3 par. qu. 72. artic. 9. in corp. 4. ſent. d. 7. qu. 3. art. 3. quæſtiunc. 2. in corp.*

QUÆR. 7. An & quomodo Sacramentum Confirmationis ſit de neceſſitate ſalutis.

Reſp. *v. Sacramentum qu. 4. & 5.*

QUÆR. 8. An Confirmatio requirat locum ſanctificatum, ſicut Euchariſtia.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod confirmationis Sacramentum non continet ipſum Chriſtum: & ideo non requiritur loci ſanctificatio. *4. ſent. d. 13. qu. 1. art. 2. q. 5. ad 1.*

QUÆR. 9. Quo tempore ſit conferenda Confirmatio.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut Melchiades Papa dicit, *ita conjuncta ſunt hæc duo Sacramenta, ſcilicet Baptiſmi & Confirmationis, ut ab invicem niſi morte præveniente nullatenus poſſint ſegregari, & unum ſine altero rite perfici non poſſit: Et ideo eadem tempora ſunt præfixa Baptiſmo ſolemniter celebrando, & huic Sacramento.* Sed quia hoc Sacramentum a ſolis Epiſcopis datur, qui non ſunt ſemper præſentes ubi Presbyteri baptizant, oportuit quantum ad communem uſum, Sacramentum Confirmationis etiam in alia tempora differri. *3. p. q. 72. art. 12. ad 1.*

QUÆR. 10. Utrum ille, qui Confirmatur, debeat teneri ab alio.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut dictum eſt, hoc Sacramentum exhibetur homini ad robur pugnæ ſpiritualis: ſicut autem aliquis de novo natus indiget inſtructore in his, quæ pertinent ad conſervationem vitæ, ſecundum illud Hebræorum 12. *Patres quidem carnis noſtræ habuimus eruditores, & reverebamur eos;* ita illi, qui aſſumuntur ad pugnam indigent eruditoribus, a quibus inſtruantur de his, quæ pertinent ad modum certaminis: Et ideo in bellis materialibus conſtituuntur Duces, & Centuriones, per quos alii gubernentur: Et propter hoc etiam ille, qui accipit hoc Sacramentum; ab alio tenetur, quaſi per alium in pugna ſpirituali erudiendus. Similiter etiam quia per hoc Sacramentum confertur homini perfectio ſpiritualis ætatis, ideo ille, qui ad hoc Sacramentum accedit, ſuſtentatur, quaſi adhuc ſpiritualis imbecillis, & puer. *3. p. q. 72. art. 10. in corp. 4. ſent. d. 7. q. 3. art. 3. quæſt. 1. in corp.*

QUÆR. 11. An ſolus Epiſcopus poſſit confirmare.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quia in quolibet opere ultima conſummatio ſupremæ arti, aut virtuti reſervatur, ſicut præparatio materiæ pertinet ad inferiores artifices, Superior autem dat formam, ſupremus autem eſt, ad quem pertinet uſus, qui eſt finis artificiatorum, & Epiſtola quæ a Notario ſcribitur, a Domino Papa ſignatur; fideles autem Chriſti ſunt quoddam Divinum opus ſecundum illud 1. ad Cor. 2. *Dei ædificatio eſtis*, ſunt etiam quaſi quædam Epiſtola ſpiritu Dei ſcripta, ſicut dicitur ſecundæ Corint. 3. Hoc autem Confirmationis Sacramentum eſt quaſi ultima conſummatio Sacramenti Baptiſmi, ita ſcilicet quod per Baptiſmum ædificatur homo in domum ſpiritualem, & conſcribitur quaſi quædam ſpiritualis Epiſtola, ſed per Sacramentum Confirmationis, quaſi domus ædificata dedicatur in templum Spiritus Sancti, & quaſi Epiſtola conſcripta ſignatur ſigno Crucis.

Et ideo collatio hujus Sacramenti Epiſcopis reſervatur, qui obtinent ſummam poteſtatem in Eccleſia, ſicut & in primitiva Eccleſia per impoſitionem manus Apoſtolorum, quorum vicem gerunt Epiſcopi, plenitudo Spiritus Sancti dabatur, ut habetur Actuum 8. Unde: Urbanus Papa dicit, & habetur de conſecrat. diſt. 5. cap. Omnes fideles: *Omnes fideles, per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum Sanctum poſt Baptiſmum accipere debent, ut pleni Chriſtiani inveniantur. 3. p. quæſt. 72. artic. 11. in corp. 4. ſent. d. 7. qu. 3. art. 1. quæſt. 2. in corp. quodlibeto 11. artic. 7. in corp.*

QUÆR. 12. An poſſit ſummus Pontifex concedere ſimplici Sacerdoti, proindeque etiam Abbati, ut Sacramentum Confirmationis conferant. Et quomodo intelligatur illud D. Gregorii Januario Epiſcopo ſic ſcribentis: Pervenit ad nos quoſdam ſcandalizatos fuiſſe, quod Presbyteros Chriſmate tangere eos, qui baptizati ſunt prohibuimus: & nos quidem ſecundum veterem uſum noſtræ Eccleſiæ fecimus, ſed ſi omnino hac de re aliqui contriſtantur, ubi Epiſcopi deſunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chriſmate tangere debeant, concedimus.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Papa in Eccleſia habet plenitudinem poteſtatis, ex qua poteſt quædam, quæ ſunt ſuperiorum Ordinum, committere quibuſdam inferioribus, ſicut quibuſdam Presbyteris concedit conferre minores Ordines, quod pertinet ad poteſtatem Epiſcopalem: & ex hac plenitudine poteſtatis conceſſit beatus Gregorius Papa, quod ſimplices Sacerdotes hoc Sacramentum conferrent, quamdiu ſcandalum tolleretur. *3. par. qu. 72.*

art.

Digitized by Google

art. 11. ad 1. 4. ſent. d. 7. q. 3. a. 1. 2. 4. ad Hann. d. 7. a. 5. q. 2.

QUÆR. 13. *An Sacramentum confirmationis omnibus ſit conferendum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut dictum eſt, per hoc Sacramentum promovetur homo ſpiritualiter in ætatem perfectam: hoc autem eſt de intentione naturæ, ut omnis qui corporaliter naſcitur, ad perfectam ætatem perveniat: ſed hoc quandoque impeditur propter corruptibilitatem corporis, quod morte prævenitur. Multo autem magis de intentione Dei eſt omnia ad perfectionem perducere, ex cujus imitatione hoc natura participat; unde & Deut. 32. dicitur *Dei perfecta ſunt opera*, anima autem, ad quam pertinet & ſpiritualis nativitas, & ſpiritualis ætatis perfectio, immortalis eſt; & poteſt ſicut tempore ſenectutis ſpiritualem nativitatem conſequi, ita tempore juventutis, vel pueritiæ conſequi perfectam ætatem: quia hujuſmodi corporales ætates animæ non præjudicant: & ideo hoc Sacramentum debet omnibus exhiberi. *3. p. q. 72. a. 8. in corp.*

QUÆR. 14. *An pueri ſint confirmandi.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod confirmatio poteſt puero tradi, & convenienter traditur; quia infantis ætas non patitur fictionem, qua effectus Sacramenti in traditione impediatur: & ideo quamvis tunc non competit ei confiteri, vel pugnare, certum tamen eſt, quod effectum Sacramenti plene recipit, per quem erit idoneus ad pugnam, & Confeſſionem ad perfectam ætatem veniens, niſi gratiam acceptam per peccatum amittat. *5. ſent. d. 7. q. 3. a. 2. quæſtiunc. 2. in corp.*

QUÆR. 15. *An Sacramentum Confirmationis conferri debeat etiam morituris; & utrum ille damnaretur, qui hoc Sacramentum non ſuſciperet, ſed tamen non contemneret.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod anima ad quam pertinet ſpiritualis ætas, immortalis eſt: & ideo etiam morituris hoc Sacramentum dandum eſt, ut in reſurrectione perfecti appareant, ſecundum illud Eph. 4. *donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*. Et ideo Hug. de S. Vict. dicit, omnino periculoſum eſſet, ſi ab hac vita ſine Confirmatione migrare contingeret: non quia damnaretur, niſi forte propter contemptum, ſed quia detrimentum perfectionis pateretur. Unde etiam pueri confirmati decedentes, majorem gloriam conſequuntur, & hi majorem obtinent gratiam. *3. p. q. 72. a. 8. ad 4.*

QUÆR. 16. *An peccatoribus ſit conferenda confirmatio, & utrum exiſtens in peccato mortali cujus conſcientiam non habet, vel etiam non perfecte contritus, recipiat gratiam, & obtineat remiſſionem peccatorum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut ex ipſo nomine apparet, hoc Sacramentum datur ad Confirmandum quod prius invenerit; & ideo non debet dari his, qui non habent gratiam: & propter hoc ſicut non datur non Baptizatis, ita non debet dari adultis peccatoribus, niſi per pœnitentiam reparatis: unde dicitur in Aurelianenſi Concilio, *ut jejuni ad confirmationem veniant, ut moneantur Confeſſionem facere prius, ut mundi Donum Spiritus Sancti valeant accipere*: & tunc per hoc Sacramentum perficitur pœnitentiæ effectus, ſicut & Baptiſmi; quia per gratiam collatam in hoc Sacramento conſequitur pœnitens pleniorem remiſſionem peccati.

Et ſi aliquis adultus in peccato exiſtens, cujus Conſcientiam non habet; vel ſi etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento conſequitur remiſſionem peccatorum. *3. p. q. 72. a. 7. ad 2.*

QUÆR. 17. *An Confirmans, & Confirmandus debeant eſſe jejuni, juxta illud ſtatutum Concilii Aurelianenſis, ut jejuni ad Confirmationem veniant, & Concilii Meldenſis, ut Epiſcopi nonniſi jejuni per impoſitionem manuum Spiritum Sanctum tradant.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ab iſta prohibitione excipiuntur infirmi, morte periclitantes, ſicut in Statuto Meldenſis Concilii legitur; & ideo propter multitudinem fidelium, & propter pericula imminentia ſuſtinetur, ut hoc Sacramentum (quod non niſi ab Epiſcopo dari poteſt) etiam a non jejunis detur, vel accipiatur: quia unus Epiſcopus præcipue in magna Diœceſi non ſufficeret ad tot homines confirmandos, ſi eis tempus arctaretur. Ubi tamen congrue obſervari poteſt, convenientius eſt, ut a jejunis detur, & accipiatur. *3. p. quæſt. 72. art. 12. ad 2.*

QUÆR. 18. *Quænam ſint obſervanda poſt Confirmationem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ligatur frons confirmati quouſque deſiccetur locus, & poſtmodum etiam ſecundum Hugonem debet eſſe ſub quadam diſciplina cuſtodiendi Chriſma, ne ſcilicet caput lavet uſque ad ſeptem dies propter ſeptem dona Spiritus Sancti; & ſicut etiam Eccleſia ſeptem diebus adventum Spiritus Sancti in diſcipulos celebrat. *4. ſent. d. 7. q. 3. a. 3. q. 2. ad 3.*

QUÆR. 19. *Utrum in Sacramento Confirmationis imprimatur character.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod character eſt quædam ſpiritualis poteſtas ad aliquas

ſacras

Digitized by Google

ſacras actiones ordinata. Dictum eſt autem ſupra quod ſicut Baptiſmus eſt quædam ſpiritualis regeneratio in vitam Chriſtianam; ita etiam Confirmatio eſt quoddam ſpirituale augmentum promovens hominem in ſpiritualem ætatem perfectam: manifeſtum eſt autem ex ſimilitudine corporalis vitæ, quod alia eſt actio hominis ſtatim nati; & alia actio quæ competit ei cum ad perfectam ætatem pervenerit. Et ideo per Sacramentum Confirmationis datur homini poteſtas ſpiritualis ad quaſdam alias actiones ſacras, præter illas ad quas datur eis poteſtas in Baptiſmo: nam in Baptiſmo accipit homo poteſtatem ad ea agenda quæ ad propriam pertinet ſalutem; prout ſcilicet ſecundum ſeipſum vivit: ſed in Confirmatione accipit homo poteſtatem ad agendum ea quæ pertinent ad pugnam ſpiritualem contra hoſtes fidei: ſicut patet exemplo Apoſtolorum, qui antequam plenitudinem Spiritus Sancti acciperent, erant in Cœnaculo perſeverantes in oratione; poſtmodum vero egreſſi, non verebantur publice fidem fateri, etiam coram inimicis fidei Chriſtianæ (Actuum 1. & 2.) Et ideo manifeſtum eſt quod in Sacramento Confirmationis imprimitur character. 3. *p. q.* 72. *a.* 5. *in corp.*

QUÆR. 20. *An per Sacramentum Confirmationis conferatur gratia gratum faciens.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in hoc Sacramento datur baptizato Spiritus Sanctus ad robur, ſicut Apoſtolis datus eſt in die Pentecoſtes, ut legitur Actuum 2. & ſicut dabatur baptizatis per impoſitionem manus Apoſtolorum, ut dicitur Actuum 8. datio autem Spiritus Sancti non eſt niſi cum gratia gratum faciente: unde manifeſtum eſt, quod gratia gratum faciens confertur in hoc Sacramento. 3. *p. q.* 72. *a.* 7. *in corp.* 4. *ſent. diſt.* 7. *q.* 2. *a.* 2. *quæſtiunc.* 1. *in corp.*

QUÆR. 21. *An & quomodo ex eo, quod Baptiſmus eſt Sacramentum neceſſitatis, non autem Confirmatio, producant diverſam gratiam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Baptiſmus eſt Sacramentum neceſſitatis, & ideo gratia, quæ confertur in Baptiſmo, ordinatur in communem ſtatum ſalutis, & non in aliquem ſpecialem effectum: & propter hoc per Baptiſmum ei qui habuit gratiam gratum facientem, non additur alia gratia nova, ſed illa, quæ prius inerat, augetur: ſecus autem de Confirmatione, quæ non eſt Sacramentum neceſſitatis: unde ejus gratia ad aliquem ſpecialem effectum ordinatur: & propter hoc gratia Confirmationis poteſt addi ad gratiam, quæ perficit in communi ſtatu vitæ. 4. *ſent. d.* 7. *q.* 2. *a.* 2. *quæſtiunc.* 1. *ad* 2.

QUÆR. 22. *Utrum in Confirmatione fiat impoſitio manuum ad deſignandum copioſum gratiæ effectum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod impoſitio manuum in Sacramentis Eccleſiæ fit ad deſignandum aliquem copioſum gratiæ effectum, quo illi quibus manus imponuntur, quodammodo per quandam ſimilitudinem continuantur miniſtris, in quibus copia gratiæ eſſe debet; & ideo manus impoſitio fit in Sacramento Confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus Sancti; & in Sacramento Ordinis, in quo confertur quædam excellentia poteſtatis in divinis myſteriis; unde & 2. ad Timoth. 1. dicitur: *Reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* 3. *p. q.* 84. *a.* 4. *in corp.*

QUÆR. 23. *Utrum aliquis poſſit conſequi effectum Sacramenti Confirmationis abſque ipſius voto; & quid dicendum ſit de illis, qui etiam ante Baptiſmum publice fidem Chriſti profitentur pro ipſa morientes.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod virtus divina non eſt alligata Sacramentis: unde poteſt conferri homini ſpirituale robur ad confitendum publice fidem Chriſti abſque Sacramento Confirmationis, ſicut etiam poteſt conſequi remiſſionem peccatorum ſine Baptiſmo. Sicut tamen nullus conſequitur effectum Baptiſmatis ſine Baptiſmi voto, ita nullus conſequitur effectum Confirmationis ſine voto ipſius; quod poteſt haberi etiam ante ſuſceptionem Baptiſmi. 3. *p. q.* 72. *a.* 6. *ad* 1.

CONSCIENTIA.

QUÆR. 1. *Quid ſit conſcientia, & quomodo dicatur teſtificari, ligare, & remordere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod conſcientia, proprie loquendo, non eſt potentia, ſed actus. Et hoc patet tum ex ratione nominis, tum etiam ex his, quæ ſecundum communem uſum loquendi conſcientiæ attribuuntur. Conſcientia enim ſecundum proprietatem vocabuli importat ordinem ſcientiæ ad aliquid; nam conſcientia dicitur cum alio ſcientia, applicatio autem ſcientiæ ad aliquid fit per aliquem actum; unde ex iſta ratione nominis patet, quod conſcientia ſit actus.

Idem autem apparet ex his, quæ conſcientiæ attribuuntur. Dicitur enim conſcientia teſtificari, ligare, vel inveſtigare, vel etiam excuſare, vel etiam remordere, ſive reprehendere, & hæc omnia conſequuntur applicationem alicujus noſtræ cognitionis, vel ſcientiæ ad ea, quæ agimus. Quæ quidem applicatio fit tripliciter: uno modo ſecundum quod recogno-

Digitized by Google

cognoſcimus aliquid nos feciſſe, vel non feciſſe, ſecundum illud Eccl. 7. *Scit conſcientia tua te crebro maledixiſſe aliis*; & ſecundum hoc conſcientia dicitur teſtificari; alio modo applicatur ſecundum quod per noſtram conſcientiam judicamus aliquid eſſe faciendum, vel non faciendum, & ſecundum hoc dicitur conſcientia ligare, vel inſtigare; tertio modo applicatur ſecundum quod per conſcientiam judicamus, quod aliquid, quod eſt factum, vel non ſit bene factum; & ſecundum hoc conſcientia dicitur excuſare, vel accuſare, ſeu remordere: patet autem, quod omnia hæc conſequuntur actualem applicationem ſcientiæ ad ea, quæ agimus. Unde, proprie loquendo, conſcientia nominat actum.

Quia tamen habitus eſt principium actus, quandoque nomen conſcientiæ attribuitur primo habitui naturali, ſcilicet Syndereſi, ſicut Hieronymus in gloſ. Ezech. 1. ſynderesim conſcientiam nominat; & Baſilius, naturale judicatorium; & Damaſcenus dicit, quod eſt lux intellectus noſtri: conſuetum enim eſt, quod cauſæ, & effectus per invicem nominentur. 1. *p. qu.* 79. *art.* 13. *in corp. q.* 16. *de verit. art.* 1. *in corp.*

QUÆR. 2. *An voluntas diſcordans a ratione ſive recta, ſive errante ſit mala; ſive utrum conſcientia nedum recta, ſed etiam erronea obliget.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod cum conſcientia ſit quodammodo dictamen rationis, eſt enim quædam applicatio ſcientiæ ad actum, idem eſt quærere utrum voluntas diſcordans a ratione errante ſit mala, quod quærere utrum conſcientia errans obliget.

Circa quod aliqui diſtinxerunt tria genera actuum: quidam enim ſunt boni ex genere, quidam ſunt indifferentes, quidam ſunt mali ex genere. Dicunt ergo quod ſi ratio, vel conſcientia dicat aliquid eſſe faciendum quod ſit bonum ex ſuo genere, non eſt ibi error: Similiter ſi dicat aliquid non eſſe faciendum quod eſt malum ex ſuo genere: eadem enim ratione præcipiuntur bona, qua prohibentur mala: ſed ſi ratio, vel conſcientia dicat alicui, quod illa quæ ſunt ſecundum ſe mala, homo teneatur facere ex præcepto, vel quod illa quæ ſunt ſecundum ſe bona, ſint prohibita, erit ratio, vel conſcientia errans. Dicunt ergo, quod ratio, vel conſcientia errans circa indifferentia (ſive præcipiendo, ſive prohibendo) obligat; ita quod voluntas diſcordans a tali ratione errante, erit mala & peccatum, ſed ratio, vel conſcientia errans præcipiendo ea, quæ ſunt per ſe mala, vel prohibendo ea quæ ſunt per ſe bona & neceſſaria ad ſalutem, non obligat; unde in talibus voluntas diſcordans a ratione vel conſcientia errante, non eſt mala. Sed hoc irrationabiliter dicitur. In indifferentibus enim voluntas diſcordans a ratione, vel conſcientia errante eſt mala aliquo modo propter objectum, a quo bonitas vel malitia voluntatis dependet; non autem propter objectum ſecundum ſui naturam, ſed ſecundum quod per accidens a ratione apprehenditur ut bonum vel malum, ad faciendum, vel ad vitandum: Et quia objectum voluntatis eſt id quod proponitur a ratione, ex quo aliquid proponitur a ratione ut malum, voluntas dum in illud fertur, accipit rationem mali: hoc autem contingit non ſolum in indifferentibus, ſed etiam in per ſe bonis vel malis: non ſolum enim id quod eſt indifferens poteſt accipere rationem boni vel mali per accidens, ſed etiam id quod eſt bonum poteſt accipere rationem mali, vel illud quod eſt malum, rationem boni, propter apprehenſionem rationis; puta, abſtinere a fornicatione, bonum quoddam eſt; tamen in hoc bonum non fertur voluntas, niſi ſecundum quod a ratione proponitur: ſi ergo proponatur ut malum a ratione errante, fertur in hoc ſub ratione mali, unde voluntas erit mala, quia vult malum, non quidem id quod eſt malum per ſe, ſed id quod eſt malum per accidens propter apprehenſionem rationis. Et ſimiliter credere in Chriſtum eſt per ſe bonum, & neceſſarium ad ſalutem, ſed voluntas non fertur in hoc, niſi ſecundum quod a ratione proponitur; unde ſi a ratione proponatur ut malum, voluntas fertur in hoc ut malum, non quia illud ſit malum ſecundum ſe, ſed quia eſt malum per accidens ex apprehenſione rationis; & ideo Phil. dicit in 7. Ethicor. quod *per ſe loquendo, incontinens eſt qui non ſequitur rationem rectam; per accidens autem qui non ſequitur rationem falſam*; unde dicendum, quod ſimpliciter omnis voluntas diſcordans a ratione ſive recta, ſive errante ſemper eſt mala. 2. *quæſt.* 19. *art.* 5. *Quodlib.* 3. *art.* 27. *in* 2. *ſentent. d.* 39. *qu.* 3. *art.* 3.

QUÆR. 3. *An voluntas concordans rationi erranti ſit bona, ſive utrum conſcientia erronea excuſet.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut præmiſſa quæſtio eadem eſt cum quæſtione, qua quæritur, *utrum conſcientia erronea liget*. ita iſta quæſtio eadem eſt cum illa qua quæritur, *utrum conſcientia erronea excuſet*; Hæc autem quæſtio dependet ab eo quod ſupra de ignorantia dictum eſt; dictum eſt enim ſupra, quod ignorantia quandoque cauſat involuntarium, quandoque autem non: Et quia bonum morale conſiſtit in actu inquantum eſt

vo-

Digitized by Google

voluntarius, manifeſtum eſt quod ignorantia quæ cauſat involuntarium, tollit rationem boni & mali moralis; non autem quæ involuntarium non cauſat. Dictum eſt etiam ſupra, quod ignorantia, quæ eſt aliquo modo volita (ſive directe, ſive indirecte) non cauſat involuntarium: Et dico ignorantiam directe voluntariam, in quam actus voluntatis fertur: indirecte autem propter negligentiam, ex eo, quod aliquis non vult illud ſcire, quod ſcire tenetur.

Si igitur ratio vel conſcientia erret errore voluntario vel directe, vel propter negligentiam, quia eſt error circa id, quod quis ſcire tenetur, tunc talis error rationis, vel conſcientiæ non excuſat, quin voluntas concordans rationi, vel conſcientiæ ſic erranti, ſit mala; ſi autem ſit error, qui cauſet involuntarium proveniens ex ignorantia alicujus circumſtantiæ abſque omni negligentia, tunc talis error rationis, vel conſcientiæ excuſat, ut voluntas concordans rationi erranti non ſit mala; puta ſi ratio errans dicat, quod homo teneatur ad uxorem alterius accedere, voluntas concordans huic rationi erranti eſt mala; eo quod error iſte provenit ex ignorantia legis Dei, quam ſcire tenetur: ſi autem ratio erret in hoc, quod credat aliquam mulierem ſubmiſſam eſſe ſuam uxorem, & ea petente debitum velit eam cognoſcere, excuſatur voluntas ejus ut non ſit mala, quia error iſte ex ignorantia circumſtantiæ provenit, quæ excuſat & involuntarium cauſat. *par. 2. qu. 19. art. 6. in corp.*

QUÆR. 4. An & quomodo ex præcedenti Doctrina ſequatur hominem in aliquo caſu fore perplexum, & quidquid faciat, peccaturum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut in ſyllogiſticis, uno inconvenienti dato, neceſſe eſt alia ſequi; ſicut ſuppoſito quod aliquis quærat inanem gloriam, ſive propter inanem gloriam faciat quod facere tenetur, ſive dimittat, ſemper peccabit: nec tamen eſt perplexus, quia poteſt intentionem malam dimittere; & ſimiliter ſuppoſito errore rationis, vel conſcientiæ, qui procedit ex ignorantia non excuſante, neceſſe eſt, quod ſequitur malum in voluntate: nec tamen eſt homo perplexus, quia poteſt ab errore recedere, cum ignorantia ſit vincibilis, & voluntaria. *1. 2. q. 19. art. 6. ad 3.*

Quid dicendum ſit de conſcientia dubia, probabili, & ſcrupuloſa videatur infra, v. Dubium, Opinio, Probabilitas, & Scrupulus.

CONSECRATIO.

QUÆR. 1. Utrum Conſecratio Regum, Abbatum, Monachorum, & Monialium ſit Sacramentum, & in ipſa conferatur gratia.

Reſpondetur ſupra *v. Abbas quæſt. 1. & 2.*

QUÆR. 2. Utrum in Conſecratione Virginum, unctione Regum, & aliis hujuſmodi benedictionibus detur gratia.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in Conſecratione Virginum, ſicut & unctione Regum, & in aliis hujuſmodi benedictionibus, gratia datur; niſi ſit impedimentum ex parte ſuſcipientis. *4. d. 38. art. 5. ad 2.*

QUÆR. 3. Quare eſt de neceſſitate Sacramenti, quod aliæ materiæ benedicantur, ſive conſecrentur, bene tamen Chriſma, & oleum infirmorum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod tota Sacramentorum ſanctificatio a Chriſto derivatur: eſt autem conſiderandum quod quibuſdam Sacramentis habentibus materiam corpoream Chriſtus eſt uſus; ſcilicet Baptiſmo, & etiam Euchariſtia: & ideo ex ipſo uſu Chriſti, materiæ horum Sacramentorum aptitudinem acceperunt ad perfectionem Sacramenti: unde Chryſoſt. dicit, quod *nunquam aquæ Baptiſmi purgare peccata credentium poſſent, niſi tactu dominici corporis ſanctificatæ fuiſſent*: & ſimiliter ipſe Dominus accipiens panem benedixit: ſimiliter autem & Calicem, ut habetur Matth. 26. & Luc. 22. & propter hoc non eſt de neceſſitate horum Sacramentorum quod materia prius benedicatur, quia ſufficit benedictio Chriſti. Si qua vero benedictio adhibeatur, pertinet ad ſolemnitatem Sacramenti, non autem ad neceſſitatem. Unctionibus autem viſibilibus Chriſtus non eſt uſus, ne fieret injuria inviſibili unctioni qua eſt *unctus præ conſortibus ſuis*, Pſalm. 44. & ideo tam Chriſma quam oleum ſanctum infirmorum prius benedicuntur, quam adhibeantur ad uſum Sacramenti. *3. p. qu. 72. art. 3. in corp.*

QUÆR. 4. Quare conſecrantur Eccleſia & Altare, & quid ſignificet talis Conſecratio: & utrum liceat celebrare in domibus non conſecratis vel ſine Altari conſecrato.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod domus in qua Sacramentum Euchariſtiæ celebratur, Eccleſiam ſignificat, ſicut & Eccleſia nominatur, quæ convenienter conſecratur, tum ad repræſentandam ſanctificationem quam Eccleſia conſecuta eſt per paſſionem Chriſti; tum etiam ad ſignificandam ſanctitatem, quæ requiritur in his, qui hoc Sacramentum ſuſcipere debent.

Per

Digitized by Google

Per Altare autem ſignificatur ipſe Chriſtus, de quo dicit Apoſtolus Hebr. ultimo, *per ipſum offerimus Hoſtiam laudis Deo*; unde & Conſecratio Altaris ſignificat ſanctitatem Chriſti, de qua dicitur Lucæ primo, *quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei*; unde de conſecrat. diſtinct. 1. dicitur: *Altaria placuit non ſolum unctione Chriſmatis, ſed etiam Sacerdotali benedictione ſacrari.*

Ideo regulariter non licet celebrare hoc Sacramentum, niſi in Domibus conſecratis: Unde ſicut habetur de Conſecrat. diſtinct. 1. *Nullus Presbyter Miſſas celebrare præſumat, niſi in Conſecratis ab Epiſcopo locis*. Propter quod etiam quia Pagani non ſunt de Eccleſia, nec alii infideles, ideo eadem diſtinctione legitur: *Eccleſiam, in qua mortuorum cadavera infidelium ſepeliuntur, ſanctificare non licet; ſed ſi apta videtur ad Conſecrandum, inde evulſis corporibus, & raſis parietibus, vel ſignis ejus loci, reædificetur: ſed ſi hæc conſecrata prius fuerit, Miſſas in ea celebrare licet, tamen ſi fideles fuerunt, qui in ea ſepulti ſunt.*

Propter neceſſitatem tamen poteſt hoc Sacramentum peragi in domibus non Conſecratis, vel violatis, ſed tamen de conſenſu Epiſcopi, unde in eadem diſtinct. legitur, *Miſſarum ſolemnia non ubique, ſed in locis ab Epiſcopo conſecratis, vel ubi ipſe permiſerit celebranda eſſe cenſemus.*

Non tamen ſine Altari portatili conſecrato, unde in eadem diſt. legitur: *Concedimus, ſi Eccleſiæ fuerint incenſæ, vel combuſtæ, in Capellis cum tabula Conſecrata Miſſas iterum celebrari. Quia enim Sanctitas Chriſti fons eſt totius Eccleſiaſticæ Sanctitatis, ideo in neceſſitate ſufficit ad peragendum hoc Sacramentum Altare ſanctificatum*; propter quod etiam nunquam Eccleſia ſine Altari conſecratur, tamen ſine Eccleſia quandoque conſecratur Altare cum Reliquiis Sanctorum, quorum vita abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Unde in eadem diſtinctione legitur: *Placuit, ut Altaria, in quibus nullum corpus, aut Reliquiæ Martyris conditæ probantur, ab Epiſcopis, qui eiſdem locis præſunt, ſi fieri poteſt, evertantur. 3. par. qu. 83. artic. 3. ad 2. & 4. ſentent. diſt. 13. quæſt. 1. artic. 2. qu. 5. in corp.*

QUÆR. 5. Quid adipiſcantur Eccleſiæ & Altaria per Conſecrationem, & quid nobis conferant; cur Conſecratio non iteratur niſi certis caſibus, ut ſi pollutæ fuerint; quidve agendum ſit de rebus conſecratis vetuſtate conſumptis.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Eccleſia, & Altare, & alia hujuſmodi inanimata conſecrantur, non quia ſint gratiæ ſuſceptiva, ſed quia ex Conſecratione adipiſcuntur quandam ſpiritualem virtutem, per quam apta redduntur Divino cultui; ut ſcilicet homines devotionem quandam exinde percipiant, ut ſint paratiores ad Divina, niſi hoc propter irreverentiam impediatur: unde & 2. Mach. 3. dicitur: *Vere Dei virtus quædam eſt in loco; nam ipſe, qui habet in Cælis habitationem, viſitator, & adjutor loci illius eſt*; & inde eſt, quod hujuſmodi ante Conſecrationem emundantur, & exorcizantur ut exinde virtus inimici pellatur: & eadem ratione Eccleſiæ, quæ ſanguinis effuſione, aut cujuſcumque ſemine pollutæ fuerint, reconciliantur; quia per peccatum ibi commiſſum apparet ibi aliqua operatio inimici: propter quod etiam in diſtinct. 1. legitur: *Eccleſias Arianorum ubicumque inveneritis Catholicas, eas Divinis precibus, & operibus abſque ulla mora conſecrate.*

Unde & quidam probabiliter dicunt, quod per ingreſſum Eccleſiæ Conſecratæ homo conſequitur remiſſionem peccatorum venialium, ſicut & per aſperſionem aquæ benedictæ, inducentes quod in Pſalm. 84. dicitur: *Benedixiſti Domine terram tuam, remiſiſti iniquitatem plebis tuæ.*

Et ideo propter Virtutem, quæ ex Conſecratione Eccleſiæ acquiritur, Conſecratio Eccleſiæ non iteratur: Unde in eadem diſtinct. ex Concilio Nicæno legitur: *Eccleſiis ſemel Deo Conſecratis non debet iterum Conſecratio adhiberi; niſi aut ab igne exuſtæ, aut ſanguinis effuſione, aut cujuſcumque ſemine pollutæ fuerint: quia ſicut infans a qualicumque Sacerdote in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ſemel baptizatus non debet iterum baptizari, ita nec locus Deo dicatus eſt iterum Conſecrandus, niſi propter cauſas, quas ſuperius nominavimus: ſi tamen fidem Sanctæ Trinitatis tenuerint, qui conſecraverunt; alioquin qui ſunt extra Eccleſiam Conſecrare non poſſunt.* Sed ſicut in eadem diſtinct. legitur, *Eccleſiæ, vel Altaria, quæ ambigua ſunt de Conſecratione, conſecrentur.*

Propter hoc etiam quod aliquam virtutem ſpiritualem adipiſcuntur per Conſecrationem, in eadem diſt. ſtatutum legitur: *ligna Eccleſiæ dedicata non debent ad aliud opus jungi, niſi ad aliam Eccleſiam, vel igni comburenda, vel ad profectum in Monaſterio fratribus: in laicorum autem opera non debent admitti*; & ibidem legitur: *Altaria, Palla, Cathedra, Candelabrum, & Velum, ſi fuerint vetuſtate conſumpta, incendio dentur: cineres quoque eorum in Baptiſterio inferantur, aut in pariete, aut in foſſis pavimentorum jactentur, ne introeun-*

euntium pedibus inquinentur. 3. *part.* q. 83. *art.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 6. *Utrum omnes Eccleſiæ Conſecrationes ſint indelebiles manente ſubjecto.*

Reſp. D. Thomas, omnes Conſecrationes Eccleſiæ ſunt immobiles manente re, quæ conſecratur, ſicut etiam patet in rebus inanimatis: nam Altare ſemel conſecratum non conſecratur iterum niſi fuerit diſſipatum. 2. 2. *p.* 39. *art.* 3. *contra gentes c.* 59.

• *QUÆR.* 7. *An Conſecratio Eccleſiæ, & Altaris, aliarumque rerum ſemper maneat, niſi deſtruantur.*

Reſp. D. Thomas, Sacerdotium Chriſti eſt æternum, ſecundum illud Pſal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*, & inde eſt quod omnis ſanctificatio, quæ fit per Sacerdotium ejus, eſt perpetua, re conſecrata manente, quod patet etiam in rebus inanimatis; nam Eccleſiæ vel Altaris manet Conſecratio ſemper, niſi deſtruatur. 3. *p.* q. 63. *a.* 5. *in corp.*

QUÆR. 8. *An Chriſma, oleum, & panis Conſecratus ſanctificationem conſervent, qualitercunque tranſmutentur, dummodo non corrumpantur.*

Reſp. D. Thomas, nec Chriſma, nec oleum, nec panis conſecratus unquam ſanctificationem perdunt, qualitercunque tranſmutentur, dummodo non corrumpantur. 4. *ſent. diſt.* 4. *q.* 1. *a.* 3. *q.* 4. *in corp.*

QUÆR. 9. *Cur prædictæ Conſecrationes pertineant ad Epiſcopum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quia Epiſcopus accipit poteſtatem, ut agat in perſona Chriſti ſuper corpus ejus myſticum, ideſt, ſuper Eccleſiam; quam quidem poteſtatem non accipit Sacerdos in ſua Conſecratione, licet poſſit eam habere ex Epiſcopi commiſſione: ideo ea, quæ non pertinent ad diſpoſitionem corporis myſtici non reſervantur Epiſcopo, ſicut Conſecratio Sacramenti Euchariſtiæ.

Ad Epiſcopum vero pertinet tradere non ſolum populo, ſed etiam Sacerdotibus ea, ex quibus poſſunt propriis officiis uti: &, quia benedictio Chriſmatis, & olei Sancti, & olei Infirmorum, & aliorum: quæ conſecrantur (puta Altaris, Eccleſiæ, veſtium, & vaſorum) præſtat quandam idoneitatem ad Sacramenta perficienda, quæ pertinent ad officium Sacerdotum; ideo tales Conſecrationes Epiſcopo reſervantur tanquam Principi totius Eccleſiaſtici Ordinis. 3. *p.* q. 82. *a.* 1. *ad* 4. 4. *ſent. d.* 13. *q.* 1. *a.* 1. *quæſtiunc.* 2.

QUÆR. 10. *Cur potius cum ſanctitate, & ſolemnitate recolitur Conſecratio Eccleſiæ vel Altaris, quam aliarum rerum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quia conſecratio Altaris repræſentat ſanctitatem Chriſti, Conſecratio vero domus ſanctitatem totius Eccleſiæ: ideo convenientius recolitur cum ſanctitate & ſolemnitate Conſecratio Eccleſiæ vel Altaris, quam aliorum quæ conſecrantur. Propter quod etiam octo diebus ſolemnitas dedicationis agitur ad ſignificandam beatam reſurrectionem Chriſti & membrorum Eccleſiæ. Nec eſt opus ſolius hominis, Conſecratio Eccleſiæ & Altaris, cum habeat ſpiritualem virtutem. Unde de Conſecratione, diſt. eadem dicitur: *ſolemnitates dedicationum Eccleſiarum per ſingulos annos ſolemniter ſunt celebrandæ*. Quod autem octo diebus encænia ſint celebranda, in lib. Reg. perfecta dedicatione Templi reperies, ſcilicet 3. Reg. 8. 3. 3. q. 83. *a.* 3. *ad* 4.

QUÆR. 11. *Cujus materiæ eſſe debeant Altaria, Calices, & Corporalia, ut conſecrari poſſint.*

Reſponſio videatur *v. Altare, Calix, Corporale.*

CONSENSUS.

Vide *Delectatio moroſa.*

CONSILIUM.

†*QUÆR.* 1. *Quænam requirantur ad bonum conſilium.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ad bonitatem conſilii, quod electionem præcedit, ut in 6. Eth. dicitur, tria exiguntur: unum ſcilicet quod conſilians præſtituat ſibi debitum finem; quia ſi aliquis ad malum finem conſequendum multas efficaces vias inveniat, non dicitur bonus conſiliator: ſecundo quod ad finem bonum conſequendum adveniat bonum, per quod finem conſequatur; unde ſi quis bonum finem conſequi intendat per malam actionem, non eſt bonus conſiliator; quia, ut ipſe dicit, ſortitur finem inconvenienti modo, eo quod illud, quod ad finem ordinat, non eſt proportionatum fini illi, ſicut ſi aliquis veram concluſionem per medium impertinens concluderet: tertio requiritur, ut adinveniat utrumque in tempore convenienti, ne ſit præceps in feſtinando, vel etiam inutilis in tardando: ſed hoc ultimum pertinet ad bonitatem conſilii ſecundum quod conſilium in ratione inquirente, & inveniente eſt, alia vero ex parte rei, & conſiliatoris. 2. *ſent. diſt.* 40. *art.* 2. *in corp.*

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 2. Utrum homo in inquiſitione conſilii indigeat ſpeciali dono Spiritus Sancti, præter prudentiam, vel eubuliam.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod prudentia, vel eubulia ſive ſit acquiſita, ſive ſit infuſa, dirigit hominem in inquiſitione conſilii ſecundum ea, quæ ratio comprehendere poteſt: unde homo per prudentiam, vel eubuliam fit bene conſilians vel ſibi, vel aliis. Sed quia humana ratio non poteſt comprehendere ſingularia, & contingentia, quæ occurrere poſſunt, fit quod *cogitationes mortalium ſunt timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ*, ut dicitur Sap. 9. Et ideo indiget homo in inquiſitione conſilii dirigi a Deo, qui omnia comprehendit: quod fit per donum conſilii, per quod homo dirigitur, quaſi conſilio a Deo accepto. Sicut etiam in rebus humanis, qui ſibi ipſis non ſufficiunt in inquiſitione conſilii, a ſapientibus conſilium requirunt. 2. 2. *q.* 52. *a.* 1. *ad* 1.

QUÆR. 3. An dono conſilii correſpondeat beatitudo, quæ eſt de miſericordia, juxta illud D. Auguſtini in lib. de ſerm. Domini in monte. Conſilium convenit miſericordibus, quia unicum remedium eſt de tantis malis erui, dimittere aliis, & dare.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod conſilium proprie eſt de his, quæ ſunt utilia ad finem: Unde ea, quæ maxime ſunt utilia ad finem, maxime debent correſpondere dono conſilii: Hoc autem eſt miſericordia, ſecundum illud. 1. ad Timoth. 4. *Pietas ad omnia utilis eſt*. Et ideo ſpecialiter dono conſilii reſpondet beatitudo miſericordiæ. 2. 2. *q.* 52. *art.* 4.

QUÆR. 4. An & quomodo Conſilia, quæ Chriſtus Dominus in Evangelio dedit, nos ad perfectionem inducant.

Reſp. videatur *v. Perfectio ſtatus*.

CONSTANTIA.

QUÆR. 1. In quo differat vir conſtans ab inconſtanti.

RESp. D. Thomas, conſtans ab inconſtanti diſtinguitur quantum ad duo: primo quantum ad qualitatem periculi quod timetur; quia conſtans ſequitur rationem rectam, per quam ſcit quid pro quo ſit dimittendum, vel faciendum: ſemper autem minus malum, vel majus bonum eligendum eſt: & ideo conſtans ad minus malum ſuſtinendum cogitur metu majoris mali; non autem cogitur ad majus malum, ut vitet minus malum: ſed inconſtans cogitur ad majus malum propter metum minoris mali, ſicut ad peccatum propter metum corporalis pœnæ: ſed pertinax e contrario non poteſt cogi etiam ad minus malum ſuſtinendum, vel faciendum, ut evitet majus malum: unde conſtans eſt medius inter inconſtantem, & pertinacem. Secundo differunt quoad æſtimationem periculi imminentis: quia conſtans nonniſi ex forti æſtimatione, & probabili cogitur; ſed inconſtans ex levi, Prov. 28. *Fugit impius nemine perſequente* 4. *ſent. diſt.* 29. *q.* 2. *art.* 1.

QUÆR. 2. Cur dicitur quod vir conſtans non trepidat in periculis.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod conſtans (ſicut de forti Philoſophus dicit) intrepidus eſt: non quod omnino non timeat ſed quia non timet quæ non oportet, vel ubi vel quando non oportet. *Ibid. ad* 1.

QUÆR. 3. An & quomodo metus cadere poſſit in virum conſtantem.

Reſpondetur *v. Metus*.

CONSUETUDO.

QUÆR. 1. An conſuetudo poſſit obtinere vim legis, & eam abolere: & utrum ſit legum interpretatrix.

RESp. D. Thomas, dicendum, quod omnis lex proficiſcitur a ratione, & voluntate legiſlatoris; lex quidem Divina, & naturalis a rationabili Dei voluntate, lex autem humana a voluntate hominis ratione regulata; ſicut autem ratio, & voluntas hominis manifeſtatur verbo in rebus agendis, ita etiam manifeſtatur facto: hoc enim unuſquiſque eligere videtur ut bonum quod opere implet: manifeſtum eſt autem, quod verbo humano poteſt & mutari lex, & etiam exponi, inquantum manifeſtat interiorem motum, & conceptum rationis humanæ: unde etiam & per actus, maxime multiplicatos, qui conſuetudinem efficiunt, mutari poteſt lex, & exponi, & etiam aliquid cauſari, quod legis virtutem obtineat, inquantum ſcilicet per exteriores actus multiplicatos interior voluntatis motus, & rationis conceptus efficaciſſime declaratur: cum enim aliquid multoties fit, videtur ex deliberato rationis judicio provenire. Et ſecundum hoc conſuetudo & habet vim legis, & legem abolet, & eſt legum interpretatrix. *p.* 2. *q.* 97. *art.* 3. *in corp.*

QUÆR. 2. Utrum illi ſint puniendi, qui Eccleſiaſticas conſuetudines contemnunt.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Auguſtinus dicit in Epiſtola ad Caſulanum: *mos populi Dei, & inſtituta majorum pro lege ſunt*

Digitized by Google

tenenda; *& ſicut prævaricatores legum divinarum, ita & contemptores conſuetudinum Eccleſiaſticarum coercendi ſunt*. 1. 2. *quæſt.* 97. *art.* 3. *in corp.*

QUÆR. 3. *An ſit peccatum facere contra conſuetudinem honeſtam*.

Reſp. D. Thomas, conſuetudo honeſta habet vim præcepti, quia ut Auguſtin. dicit in epiſtola de jejunio Sabbati: *mos populi Dei pro lege babenda eſt*; & ideo tam peccatum, quam tranſgreſſio poteſt eſſe contra conſuetudinem honeſtam. 2. 2. *qu.* 79. *art.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 4. *An conſuetudo poſſit obtinere vim legis contra legem divinam, vel naturalem*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod lex naturalis, & divina procedit a voluntate divina; unde non poteſt mutari per conſuetudinem procedentem a voluntate hominis, ſed ſolum per authoritatem divinam mutari poſſet: & inde eſt quod nulla conſuetudo vim legis obtinere poteſt contra legem divinam, vel legem naturalem: dicit enim Iſidorus in Synonymis: *uſus authoritati cedat*: *pravum uſum lex, & ratio vincat*. 1. 2. *q.* 79. *art.* 3. *ad* 1.

QUÆR. 5. *An & quomodo conſuetudo legem, vel e contra lex conſuetudinem vincat*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod leges humanæ in aliquibus caſibus deficiunt; unde poſſibile eſt quandoque præter legem agere, in caſu ſcilicet, in quo deficit lex, & tamen actus non erit malus: & cum talis actus multiplicatur propter aliquam mutationem hominum, tunc manifeſtatur per conſuetudinem, quod lex ulterius non eſt utilis; ſicut etiam manifeſtaretur, ſi lex contraria verbo promulgaretur.

Si autem adhuc maneat ratio eadem, propter quam prima lex utilis erat, non conſuetudo legem, ſed lex conſuetudinem vincit: niſi forte propter hoc ſolum inutilis lex videatur; quia non eſt poſſibile ſecundum conſuetudinem patriæ, quæ eſt una de conditionibus legis: difficile etenim eſt conſuetudinem multitudinis removere. *p.* 2. *q.* 97. *art.* 3. *ad* 2.

QUÆR. 6. *Cujuſnam multitudinis conſuetudo legi prævaleat*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod multitudo, in qua conſuetudo introducitur, duplicis conditionis eſſe poteſt: ſi enim ſit libera multitudo, quæ poſſit ſibi legem facere, plus eſt conſenſus totius multitudinis ad aliquid obſervandum, quod conſuetudo manifeſtat, quam authoritas Principis, qui non habet poteſtatem condendi legem, niſi inquantum gerit perſonam multitudinis; unde licet ſingulæ perſonæ non poſſent condere legem, tamen totus populus condere legem poteſt.

Si vero multitudo non habeat liberam poteſtatem condendi ſibi legem, vel legem a Superiori poteſtate poſitam emovendi, tamen ipſa conſuetudo in tali multitudine prævalens obtinet vim legis, inquantum per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini legem imponere; ex hoc enim ipſo videntur approbare, quod conſuetudo introduxit. *p.* 2. *q.* 97. *a.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 7. *An poſſint per diſſuetudinem aboleri ea quæ ſunt de jure poſitivo, aut etiam ea, quæ ſunt de jure naturali, vel divino*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ea, quæ ſunt de jure poſitivo per diſſuetudinem abolentur; ea vero, quæ ſunt a jure naturali, vel de jure Divino nulla diſſuetudine aboleri poſſunt: nulla enim diſſuetudine fieri poteſt, ut ſit licitum furari, vel mœchari. *Quolib. ſecundo art.* 8. *in corp. p.* 2. *quæſt.* 72. *art.* 3.

QUÆR. 8. *An licet conſuetudo non poſſit præjudicare legi naturæ quantum ad prima principia, bene tamen quantum ad concluſiones*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod conſuetudo non præjudicat legi naturæ quantum ad prima præcepta ipſius, quæ ſunt quaſi communes animi conceptiones in ſpeculativis: ſed ea, quæ ex iſtis trahuntur ut concluſiones, conſuetudo auget, ut Tullius dicit in 2. Reth. & ſimiliter minuit. Et hujuſmodi eſt præceptum legis naturæ de unitate uxoris. 4. *ſent. diſt.* 33. *q.* 1. *a.* 1. *ad* 1.

QUÆR. 9. *Utrum Eccleſiæ conſuetudo in omnibus æmulanda ſit, & præferri debeat authoritati cujuſcunque Doctoris*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod maximam habet authoritatem Eccleſiæ conſuetudo, quæ ſemper eſt in omnibus æmulanda: quia & ipſa Doctrina Catholicorum Doctorum ab Eccleſia authoritatem habet: unde magis ſtandum eſt authoritati Eccleſiæ, quam authoritati vel Auguſtini, vel Hieronymi, vel cujuſcunque Doctoris. 2. 2. *q.* 10. *a.* 12. *in corp. quodlib.* 2. *a.* 7. *in corp.*

Eccleſiæ conſuetudo tantam vim habet, ut Summus Pontifex Clemens IX. in Bulla data die 9. Aprilis anno 1668. damnans librum, cui titulus eſt: Rituel Romain du Pape Paul V. à l' uſage du Dioceſe d'Alet, avec les inſtructions, & les Rubriques en françois: inter alias ſuæ cenſuræ rationes iſtam aſſignet: quod ille liber continet propoſitiones quaſ-

quaſdam conſuetudini in Eccleſia communiter receptæ oppoſitas, & repugnantes.

CONTEMPLATIO.

Quæ de contemplatione tradit Angelicus Doctor, habentur in v. Vita, ubi agitur de vita contemplativa, & ſecundum ſeipſam, & per comparationem ad vitam activam. Videri etiam poſſunt ea quæ diximus ſupra v. Amor, & quæ dicemus v. Devotio, Horæ canonicæ, Oratio, & Meditatio.

CONTEMPTUS.

QUÆR. 1. *Quid ſit peccare ex contemptu: & utrum peccati frequentia cauſet contemptum, vel ad ipſum diſponat.*

RESp. D. Thomas, dicendum, quod tunc committit aliquis, vel tranſgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit ſubjici ordinationi legis, vel regulæ; & ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel regulam: quando autem e converſo propter aliquam particularem cauſam, puta concupiſcentiam, vel iram inducitur ad aliquid faciendum contra ſtatuta legis, vel Regulæ, non peccat ex contemptu, ſed ex aliqua alia cauſa; etiamſi frequenter ex eadem cauſa, vel alia ſimili peccatum iteretur: ſicut & Auguſtinus dicit in lib. de natura, & gratia, quod *non omnia peccata committuntur ex contemptu ſuperbiæ*; frequentia tamen peccati diſpoſitionem inducit ad contemptum, ſecundum illud Proverb. 18. *Impius cum in profundum venerit peccatorem, contemnit*. 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. *ad* 3.

QUÆR. 2. *An & quomodo in peccatis, quæ ex contemptu procedunt, unum ſit gravius altero.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod contemptus ex duplici parte menſurari poteſt: uno modo ex parte contemnentis, & ſic non poteſt fieri comparatio unius generis peccati ad aliud genus, ſed unius particularis peccati ad aliud, quia contingit in uno veniali peccato ex genere eſſe majorem contemptum actualem, quam in uno graviſſimo peccato mortali ex genere: alio modo ex parte ejus, quo contemnitur.

Et ſic eſt talis ordo peccatorum, quod illud, in quo ipſe Deus in ſeipſo etiam contemnitur, eſt peccatum graviſſimum, ſicut peccatum infidelitatis, & blaſphemiæ: & poſt hoc, illud peccatum, in quo contemnitur Deus in Sacramento; & inter alia, præcipue in Sacramento Euchariſtiæ, in quo eſſentialiter Chriſtus Deus & homo continetur, non tamen contemptus iſte eſt circa Chriſtum ut eſt Deus & homo, ſed prout eſt in Sacramento; & poſt, peccatum illud, in quo contemnitur Deus in membris ſuis; & poſt, peccatum, in quo contemnitur Deus in præceptis ſuis, quod commune eſt omni peccato mortali. 4. *ſent. diſt.* 9. *art.* 3. *q.* 3. *in corp.*

QUÆR. 3. *An poſſit aliquis ita deliberate committere peccata venialia, ut Deum contemnat, & mortaliter peccet.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod non quilibet contemptus facit peccatum mortale, ſed contemptus Dei ſolum, & per hanc ſolum homo avertitur a Deo: per quantamcunque autem deliberationem in peccatum veniale conſentiat, non contemnit Deum, niſi forte æſtimaret peccatum illud eſſe contrarium præcepto Divino. *qu.* 15. *de verit. art.* 5. *ad* 2.

CONTENTIO.

QUÆR. 2. *An & quando contentio ſit peccatum mortale, vel ſolummodo veniale.*

RESp. D. Thomas, dicendum, quod contendere eſt contra aliquem tendere; unde ſicut diſcordia contrarietatem quandam importat in voluntate, ita contentio contrarietatem quandam importat in locutione; & propter hoc etiam cum oratio alicujus per contraria ſe diffundit, vocatur contentio, quæ ponitur unus color Rethoricus a Tullio, qui dicit: *Contentio eſt, cum ex contrariis rebus oratio efficitur hoc pacto, habet aſſentatio, ideſt adulatio jucunda principia, eadem exitus amariſſimos affert*. Contrarietas autem locutionis poteſt attendi dupliciter; uno modo quantum ad intentionem contendentis, alio modo quantum ad modum; in intentione quidem conſiderandum eſt, utrum aliquis contrarietur veritati, quod eſt vituperabile; vel falſitati, quod eſt laudabile: in modo autem conſiderandum eſt, utrum talis modus contrariandi conveniat & perſonis, & negotiis, quia hoc eſt laudabile; unde Tullius dicit in 2. Reth. quod *contentio eſt oratio alicujus ad confirmandum, & confutandum accommodata*, vel excedat convenientiam perſonarum, & negotiorum, ſi ſic contentio eſt vituperabilis.

Si ergo accipiatur contentio ſecundum quod importat impugnationem veritatis, & inordinatum modum, ſic eſt peccatum mortale; & hoc modo diffinit Ambroſius contentionem, dicens: *Contentio eſt impugnatio veri-*

Digitized by Google

tatis cum confidentia clamoris; ſi autem contentio dicatur impugnatio falſitatis cum debito modo acrimoniæ, ſic contentio eſt laudabilis: ſi autem accipiatur contentio ſecundum quod importat impugnationem falſitatis cum inordinato modo, ſic poteſt eſſe peccatum veniale, niſi forte tanta inordinatio fiat in contendendo, quod ex hoc generetur ſcandalum aliorum; unde Apoſtolus cum dixiſſet ſecundæ ad Timot. 2. *Noli verbis contendere*, ſubdit: *ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium*. 2. 2. *qu.* 38. *art.* 1. *in corp. lect.* 2. *ſuper cap.* 2. *ſecundæ ad Timotheum*.

QUÆR. 2. *Utrum contentio ſit filia vanæ gloriæ*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ut ſupra dictum eſt, diſcordia eſt filia inanis gloriæ, eo quod diſcordantium uterque in ſenſu proprio ſtat, & unus alteri non acquieſcit: Proprium autem ſuperbiæ eſt & inanis gloriæ propriam excellentiam quærere. Sicut autem diſcordantes aliqui ſunt ex hoc, quod ſtant corde in propriis; ita contendentes ſunt aliqui ex hoc, quod unuſquiſque verbo id quod ſibi videtur, defendit. Et ita eadem ratione ponitur contentio filia inanis gloriæ, ſicut & diſcordia. 2. 2. *q.* 38. *art.* 2. *in corp.*

QUÆR. 3. *Cur Apoſtolus* 2. *ad Timoth. cap.* 2. *dicat: noli contendere verbis; ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium*.

Reſp. D. Thomas, oſtendit rationem documenti: nam moderata diſputatio, quando cum ratione fit, eſt utilis ad inſtructionem, ſed quando cum verbis tantum, tunc eſt litigioſa. Ideo dicit, *niſi ad ſubverſionem*, & hoc dupliciter: uno modo, dum quod eſt certum venit in dubium. Alio modo, quia audientes ſcandalizantur. Prob. 14. *Ubi verba ſunt plurima, ibi frequenter egeſtas*; unde Jacobi 3. *ubi zelus, & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus pravum. In expoſit. illius cap. lect.* 2.

CONTINENTIA.

QUæ de continentia docuit Angelicus Doctor ſive 2. 2. *q.* 155. *ſive* 1. *ad Corinth. cap.* 7. *lect.* 7. *ſive in aliis locis, hic prætermittuntur, eo quod habentur ſub finem hujus Operis in Opuſculo de caſtitate, ubi inter alia ex eodem Sancto Doctore oſtenditur, quod continentiæ ſtatus cæteris eſt melior, quia tranquillior, quia ſanctior, & quia utilior*.

CONTRACTUS.

COntractus late ſumptus eſt conventio duorum, vel plurium in alterutro ſaltem obligationem pariens: ſtricte vero acceptus eſt actus externus inter duos, vel plures ex conſenſu ipſorum ultro citroque obligationem pariens: plures aſſignari ſolent ipſius ſpecies; ſed præcipuæ, & circa quas verſantur magis notabiles conſcientiæ caſus, ſunt venditio, emptio, ſocietas, locatio, commodatum, depoſitum, mutuum, pignus, permutatio, promiſſio, donatio, pactum, & matrimonium. De his contractibus agitur in hoc Opere ſub propriis eorum vocabulis, vel ſaltem ſub v. Reſtitutio, Simonia, & Uſura: ubi fuſe, & exacte explicatur quinam ſint contractus uſurarii, & quinam ab uſura exempti.

CONTRITIO.

QUÆR. 1. *An contritio ſit dolor pro peccatis aſſumptus, cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi*.

REſp. D. Thomas, dicendum, quod initium omnis peccati eſt ſuperbia, per quam homo ſenſui ſuo inhærens a mandatis divinis recedit & ideo oportet, quod illud quod deſtruit peccatum, hominem a ſenſu diſcedere faciat; ille autem, qui in ſenſu ſuo perſeverat, rigidus & durus per ſimilitudinem vocatur; unde & frangi aliquis dicitur, quando a ſenſu ſuo divellitur: ſed inter fractionem, & comminutionem, ſive contritionem in rebus materialibus, unde hæc nomina ad ſpiritualia transferuntur, hoc intereſt, ut dicitur in 4. Meteor. quod frangi dicuntur aliqua, quando in magnas partes dividuntur; ſed diminui, vel conteri, quando ad partes minimas reducitur hoc, quod in ſe ſolidum erat; & quia ad dimiſſionem peccati requiritur, quod homo totaliter affectum peccati dimittat, per quem quandam continuitatem, & ſoliditatem in ſenſu ſuo habebat; ideo actus ille, quo peccatum remittitur, contritio dicitur per ſimilitudinem. In qua quidem contritione plura poſſunt conſiderari, ſcilicet ipſa ſubſtantia actus, modus agendi, principium, & effectus, & ſecundum hoc de contritione inveniuntur diverſæ definitiones traditæ.

Quantum enim ad ipſam ſubſtantiam actus datur prædicta definitio. Et quia actus contritionis eſt actus virtutis, & eſt pars pœnitentiæ Sacramenti: ideo manifeſtatur in prædicta definitione inquantum eſt actus virtutis

per

Digitized by Google

per hoc, quod ponitur genus ipſius, ſcilicet *dolor*; & objectum in hoc, quod dicit, *pro peccatis*; & electio, quæ requiritur ad actum virtutis in hoc, quod dicit, *aſſumptus*; ſed inquantum eſt pars Sacramenti per hoc, quod tangitur ordo ipſius ad alias partes, cum dicit, *cum propoſito confitendi, &c.*

Alia etiam definitio invenitur, quæ definit contritionem, ſecundum quod eſt actus virtutis tantum. Sed additur ad prædictam definitionem differentia contrahens ipſum ad ſpecialem virtutem, ſcilicet pœnitentiam; dicit enim, quod pœnitentia eſt *dolor voluntarius ſemper pro peccato puniens, quod dolet commiſiſſe*; in hoc enim, quod additur punitio, ad ſpecialem virtutem contrahitur.

Alia autem definitio invenitur Iſidori, quæ talis eſt: *Contritio eſt compunctio, & humilitas mentis cum lacrymis, veniens de recordatione peccati, & timore judicii*; & hæc quidem tangit rationem nominis in hoc, quod dicit, *humilitas mentis*, quia ſicut per ſuperbiam aliquis in ſenſu ſuo rigidus dicitur, ita per hoc quod a ſenſu ſuo contritus recedit, humiliatur; tangit etiam modum exteriorem in hoc, quod dicit, *cum lacrymis*; & principium contritionis in hoc, quod dicit, *veniens de recordatione, &c.*

Alia ſumitur ex verbis Auguſtini, quæ tangit effectum contritionis, ſcilicet, *contritio eſt dolor remittens peccatum*. Et alia ſumitur ex verbis Gregorii, quæ talis eſt: *Contritio eſt humilitas ſpiritus annihilans peccatum inter ſpem, & timorem*; & hæc tangit rationem nominis in hoc, quod dicit, quod *contritio eſt humilitas ſpiritus*; & effectus ejus in hoc, quod dicit, *annihilans peccatum*; & originem in hoc, quod dicit, *inter ſpem & timorem*; nec ſolum ponit cauſam principalem, quæ eſt timor, ſed etiam ſecundariam, quæ eſt ſpes, ſine qua timor diſperationem facere poſſet. 4. *ſent. d.* 17. *q.* 2. *art.* 1. *quæſtiunc.* 1. *in corp.* 4. *contra gentes*, *cap.* 72.

QUÆR. 2. *Quid ſit attritio, & in quo differat a contritione.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod attritio non dicit acceſſum ad perfectam contritionem; unde in corporalibus dicuntur attrita; quæ aliquo modo ſunt comminuta, ſed non perfecte: ſed contritio dicitur quando omnes partes tritæ ſunt ſimul per diviſionem ad minima: & ideo ſignificat attritio in ſpiritualibus quandam diſplicentiam de peccatis commiſſis, ſed non perfectam; contritio autem perfectam. 4. *ſent. diſt.* 17. *qu.* 2. *art.* 1. *quæſtiunc.* 2. *ad* 3.

QUÆR. 3. *Quinam dolor ſit de eſſentia contritionis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in contritione eſt duplex dolor de peccatis, unus in parte ſenſitiva, qui eſt paſſio, & hic non eſt eſſentialiter contritio, prout eſt actus virtutis, ſed magis effectus ipſius; ſicut enim pœnitentiæ virtus exteriorem pœnam ſuo corpori infligit ad recompenſandam offenſam, quæ in Deum commiſſa eſt officio membrorum; ita etiam & ipſi concupiſcibili pœnam infert doloris prædicti, quia ipſa etiam ad peccatum cooperabatur: ſed tamen hic dolor poteſt pertinere ad contritionem, inquantum eſt pars Sacramenti, quia Sacramenta non ſolum in interioribus actibus, ſed etiam in exterioribus, & in rebus ſenſibilibus nata ſunt eſſe; alius dolor eſt in voluntate, qui nihil aliud eſt quam diſplicentia alicujus mali ſecundum quod affectus voluntatis nominatur per nomina paſſionum; & ſic contritio eſt dolor per eſſentiam, & eſt actus virtutis pœnitentiæ. 4. *ſentent. diſt.* 17. *qu.* 2. *art.* 1. *qu.* 2. *ad* 1.

QUÆR. 4. *Utrum dolor contritionis debeat eſſe maximus, qui dari poſſit in rerum natura, juxta illud Hier.* 6. *Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum; ubi dicit gloſſa: docet pœnitentem quid debeat facere: nihil enim dolentius morte unigeniti.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut dictum eſt, in contritione eſt duplex dolor: unus eſt in ipſa voluntate, qui eſt eſſentialiter ipſa contritio, qui nihil aliud eſt, quam diſplicentia præteriti peccati: & talis dolor in contritione excedit omnes alios dolores: quia quantum aliquid placet; tantum contrarium ejus diſplicet: finis autem ultimus ſuper omnia placet; cum omnia propter ipſum deſiderentur: Et ideo peccatum, quod a fine ultimo avertit, ſuper omnia diſplicere debet. Alius dolor eſt in parte ſenſitiva, qui cauſatur ex primo dolore, vel ex neceſſitate naturæ, ſecundum quod vires inferiores ſequuntur motum ſuperiorum: vel ex electione, ſecundum quod homo pœnitens in ſeipſo hunc dolorem excitat, ut de peccatis doleat: & neutro modo oportet, quod ſit maximus dolor; quia vires inferiores moventur vehementius ab objectis propriis, quam ex redundantia ſuperiorum virium: & ideo quanto operatio ſuperiorum virium eſt propinquior objectis inferiorum, tanto magis ſequuntur eorum motum: & ideo major eſt in ſenſitiva parte ex læſione ſenſibili, quam ſit ille qui in ipſa redundat ex ratione. Et ſimiliter major, qui redundat ex ratione de corporalibus deliberante, quam qui redundat ex ratione conſiderante ſpiritualia. Unde dolor in ſenſitiva

Digitized by Google

parte ex diſplicentia rationis proveniens de peccato, non eſt major dolor aliis doloribus, qui in ipſa ſunt. Et ſimiliter nec dolor, qui eſt voluntarie aſſumptus: tum quia non obedit affectus inferior ſuperiori ad nutum, ut tanta & talis paſſio ſequatur in inferiori appetitu, qualem ordinat ſuperior: tum etiam quia paſſiones a natura aſſumuntur in actibus virtutum ſecundum menſuram quandam, quam quandoque dolor (qui eſt ſine virtute) non ſervat, ſed excedit. 4. *ſent. diſt.* 17. *q.* 2. *art.* 3. *quæſtiunc.* 1. *in corp.* 4. *ad Hann. d.* 17. *q.* 2. *art.* 2. *in corp.*

QUÆR. 5. *Quomodo dolor minimus cum gratia ſufficit ad ſalutem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quamvis ſufficiat minimus dolor in genere doloris ſpiritualis in Contritione; dolor tamen maximus eſt reſpectu aliorum dolorum, *loco jam citato ad Hannib. ad* 1.

QUÆR. 6. *Cur facilius ſolent homines flere pro morte amici, vel alio nocumento ſenſibili, quam pro peccatis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod corporales immutationes immediate conſequuntur ad paſſiones ſenſitivæ partis, & eis mediantibus ad affectiones appetitivæ ſuperioris: & inde eſt quod ex dolore ſenſibili, vel etiam ſenſibili nocivo, citius ſuperfluunt lacrymæ corporales, quam de dolore ſpirituali Contritionis. 4. *ſentent. diſt.* 17. *qu.* 2. *art.* 3. *qu.* 1. *ad ſecundum.*

QUÆR. 7. *Cur homo etiam bene diſpoſitus quandoque magis in ſe percipit horrorem pœnæ, quam culpæ, quamvis ſit paratus potius ſubire omnem pœnam quam committere aliquam culpam; & quare pœnitens non eſt tentandus de hac animi præparatione.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quantitas diſplicentiæ de aliqua re debet eſſe ſecundum quantitatem malitiæ ipſius. Malitia autem in culpa mortali menſuratur ex eo, in quem peccatur, inquantum eſt ei indigna: & ex eo qui peccat, inquantum eſt ei nociva: & quia homo debet magis Deum, quam ſeipſum diligere; ideo plus debet odiſſe culpam, inquantum eſt offenſa Dei, quam in quantum eſt nociva ſibi. Eſt autem nociva ſibi principaliter, inquantum ſeparat ipſum a Deo: & ex hac parte, ipſa ſeparatio a Deo, quæ pœna quædam eſt, magis debet diſplicere, quam ipſa culpa, inquantum hoc nocumentum inducit, quia quod propter alterum oditur, minus oditur; ſed minus quam culpa, inquantum eſt offenſa in Deum. Inter autem omnes pœnas malitiæ attenditur quidam ordo ſecundum quantitatem nocumenti: & ideo cum hoc ſit maximum nocumentum, quo maximum bonum privatur, erit inter pœnas maxima ſeparatio a Deo. Eſt etiam alia quantitas malitiæ accidentalis, quam oportet in diſplicentia attendere ſecundum rationem præſentis, & præteriti; quia quod præteritum eſt, jam non eſt; unde habet minus de ratione malitiæ, & bonitatis. Et inde eſt quod plus refugit homo ſuſtinere aliquid mali in præſenti, vel in futuro, quam horreat de præterito. Unde nec aliqua paſſio animæ directe reſpondet præterito, ſicut dolor reſpondet præſenti malo, & timor futuro. Et propter hoc de duobus malis præteritis illud magis abhorret animus, cujus major effectus in præſenti remanet, vel in futurum timetur, etiamſi in præterito minus fuerit. Et quia effectus præcedentis culpæ non ita percipitur quandoque ſicut effectus præteritæ pœnæ; tum quia culpa perfectius ſanatur, quam quædam pœna; tum quia defectus corporalis magis eſt manifeſtus, quam ſpiritalis: ideo homo etiam bene diſpoſitus quandoque magis in ſe percipit horrorem præcedentis pœnæ, quam præſentis culpæ, quamvis magis eſſet paratus pati eandem pœnam quam committere eandem culpam. Eſt etiam conſiderandum in comparatione culpæ, & pœnæ, quod quædam pœnæ habent inſeparabiliter conjunctam Dei offenſam, ſicut ſeparatio a Deo, quædam etiam addunt perpetuitatem, ſicut pœna inferni: ergo pœna illa, quæ offenſam annexam habet, eodem modo cavenda eſt, ſicut etiam culpa: ſed illa quæ perpetuitatem addit, eſt magis, quam culpa, ſimpliciter fugienda. Si tamen ab eis ſeparetur ratio offenſæ, & conſideretur tantum ratio pœnæ, minus habent de malitia, quam culpa, inquantum eſt offenſa Dei, & propter hoc minus debent diſplicere. Sciendum eſt etiam quod quamvis talis debeat eſſe Contriti diſpoſitio, non tamen de eis tentandus eſt; quia affectus ſuos homo non de facili menſurare poteſt, & quandoque illud, quod minus diſplicet, videtur magis diſplicere; quia eſt propinquius nocumento ſenſibili, quod magis eſt nobis notum. 4. *ſent. diſt.* 17. *qu.* 2. *art.* 3. *quæſt.* 1. *ad* 4.

QUÆR. 8. *An & quomodo contritus debet magis velle pati quamcunque pœnam, quam peccare: & quare in his ad particularia deſcendere non debemus, ne homo in tentationem inducatur, & præbeatur peccandi occaſio.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod contritus tenetur in generali velle pati magis quamcunque pœnam, quam peccare; & hoc ideo, quia Contritio non poteſt eſſe ſine Charitate, per quam omnia dimittuntur peccata, ex Charitate enim plus homo diligit Deum, quam

quam ſeipſum: peccare autem eſt facere contra Deum; puniri autem eſt aliquod pati contra ſeipſum; unde Charitas hoc requirit, ut quamlibet pœnam homo contritus præeligat culpæ.

Sed in ſpeciali deſcendere ad hanc pœnam, vel ad illam non tenetur, quin imo ſtulte faceret, ſi quis ſeipſum, vel alium ſollicitaret ſuper hujuſmodi particularibus pœnis: manifeſtum eſt enim quod ſicut delectabilia plus movent in particulari conſiderata, quam in communi; ita terribilia plus terrent ſi in particulari conſiderentur; & aliqui ſunt, qui minori tentatione non cadunt, qui forte majori caderent, ſicut aliquis audiens adulterium non incitatur ad libidinem, ſed ſi per conſiderationem deſcendit ad ſingulas illecebras, magis moveretur; & ſimiliter aliquis non refugeret pati mortem pro Chriſto, ſed ſi deſcenderet ad conſiderandum ſingulas pœnas, magis retrahetur: & ideo deſcendere in talibus ad ſingula eſt inducere hominem in tentationem, & præbere occaſionem peccandi. *Quodlib.* 1. *art.* 9. *in corp.*

QUÆR. 9. *An debeat homo contritus velle potius eſſe in inferno, quam peccare.*

Reſp. D. Thomas, quod Anſelmus dicit in lib. de ſimilitudinibus, quod *aliquis debet magis eligere eſſe in inferno ſine culpa, quam in Paradiſo cum culpa; quia innocens in inferno non ſentiret pœnam; & peccator in Paradiſo non gauderet de gloria. Quodlib.* 1. *art.* 9. *in argumento ſed contra.*

QUÆR. 10. *An dolor importatus per Contritionem poſſit eſſe nimius.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Contritio ex parte doloris, qui eſt in ratione, ſcilicet diſplicentiæ, quo peccatum diſplicet inquantum eſt offenſa Dei, non poteſt eſſe nimia, ſicut nec amor Charitatis, quo intenſo talis diſplicentia intenditur, poteſt eſſe nimius; ſed quantum ad dolorem ſenſibilem poteſt eſſe nimia, ſicut etiam exterior corporis afflictio poteſt eſſe nimia: in his enim omnibus debet accipi pro menſura conſervatio ſubjecti, & bonæ habitudinis ſufficientis ad ea, quæ agenda incumbunt, & propter hoc dicitur Roman. 12. *Rationabile obſequium veſtrum.* 4. *ſent. d.* 17. *q.* 2. *art.* 3. *qu.* 2. *in corp. ſuper Pſal.* 37.

QUÆR. 11. *Quomodo intelligatur illud D. Anſelmi: utinam ſic impinguentur viſcera animæ meæ, ut medullæ corporis mei exſiccentur; & D. Auguſtinus dicit ſe eſſe dignum oculos cæcare plorando.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Anſelmus deſiderabat ex pinguedine devotionis medullas corporales exſiccari, non quantum ad humorem naturalem, ſed quantum ad deſideria, & concupiſcentias corporales. Auguſtinus autem quamvis dignum ſe cognoſceret amiſſione exteriorum oculorum propter peccatum, quia quilibet peccator non ſolum æterna, ſed temporali morte dignus eſt, non tamen volebat ſibi oculos cæcare. *Ibidem ad* 1.

QUÆR. 12. *An debeat eſſe major dolor de uno peccato, quam de alio.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod de contritione dupliciter poſſumus loqui: uno modo ſecundum quod ſigillatim ſingulis peccatis reſpondet, & ſic quantum ad laborem ſuperioris affectus requiritur, quod de majori peccato quis doleat magis; quia ratio doloris eſt major in uno, quam in alio, ſcilicet offenſa Dei, ex magis enim inordinato actu Deus magis offenditur: ſimiliter etiam cum majori culpæ major pœna debeatur, etiam dolor ſenſitivæ partis ſecundum quod pro peccato ex electione aſſumitur pœna peccati, debet eſſe major de majori peccato: ſecundum autem quod ex impreſſione ſuperioris appetitus innaſcitur in inferiori attenditur quantitas doloris ſecundum diſpoſitionem partis ad recipiendam impreſſionem a ſuperiori, & non ſecundum quantitatem peccati.

Alio modo poteſt accipi Contritio ſecundum quod eſt ſimul de omnibus, ſicut in actu juſtificationis; & hæc quidem Contritio, vel ex ſingulorum conſideratione peccatorum procedit, & ſic quamvis ſit actus unus, tamen diſtinctio peccatorum manet virtute in ipſo, vel ad minus habet propoſitum de ſingulis cogitandi annexum, & ſic etiam habitualiter eſt magis de uno, quam de alio. 4. *ſent. d.* 17. *quæſt.* 2. *art.* 3 *quæſtiunc.* 3. *in corp. artic.* 5. *quæſtiunc.* 3. *ad* 2. *diſt.* 21. *in expoſitione literæ.*

QUÆR. 13. *In quo ſenſu D Hieronymus collaudat Paulam de hoc, quod minima peccata plangebat ſicut magna.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Paula non laudatur de hoc, quod de omnibus peccatis doleret æqualiter; ſed quia de parvis peccatis tantum dolebat, ac ſi eſſent magna, per comparationem ad alios, qui de peccatis dolent; ſed ipſa multo amplius de majoribus doluiſſet. *Ibidem ad* 1.

QUÆR. 14. *An contritio debeat eſſe de ſingulis peccatis, juxta illud Pſal.* 6. *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, ideſt, juxta Gloſſam, per ſingula peccata conſcientiam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod contritio poteſt dupliciter conſiderari, ſcilicet quantum ad ſui principium, & quantum ad terminum: & dico principium Contritionis cogitationem, quia quis cogitat de peccato, & dolet, etſi non dolore Contritionis, ſaltem dolo-

Digitized by Google

re attritionis; terminus autem contritionis eſt, quando dolor ille jam gratia informatur: quantum ergo ad principium contritionis oportet, quod ſit de ſingulis peccatis, quæ quis in memoria habet, ſed quantum ad terminum ſufficit, quod ſit una communis de omnibus; tunc enim ille motus agit in vi omnium diſpoſitionum præcedentium. 4. *ſentent. d.* 17. *q.* 2. *art.* 2. *q.* 6. *in corp.* 4. *ad Hannib. d.* 17. *q.* 2. *ar.* 12.

QUÆR. 15. *An ſicut unus Baptiſmus, ita etiam una contritio deleat omnia peccata mortalia; & utrum ad hoc neceſſe ſit, quod feratur ad ſingula.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Baptiſmus agit in virtute meriti Chriſti, qui habuit infinitam virtutem ad delenda omnia peccata: & propterea unus ſufficit contra omnia peccata. Sed in contritione, cum merito Chriſti requiritur actus noſter; & ideo oportet, quod ſingulis peccatis reſpondeat ſigillatim, cum non habeat infinitam virtutem. Vel dicendum, quod Baptiſmus eſt ſpiritualis generatio, ſed pœnitentia quantum ad contritionem, & alias ſuas partes, eſt ſpiritualis quædam ſanatio per modum cujuſdam alterationis. Patet autem in generatione corporali alicujus, quæ eſt cum corruptione, quod una generatione removentur omnia accidentia contraria rei generatæ, quæ erant accidentia rei corruptæ; ſed in alteratione renovetur tantum unum accidens accidenti contrarium, ad quod terminatur alteratio. Et ſimiliter unus Baptiſmus ſimul delet omnia peccata novam vitam inducendo; ſed pœnitentia non delet omnia peccata, niſi ad ſingula feratur: & ideo oportet de ſingulis conteri, & confiteri. 4. *ſent. diſt.* 17. *qu.* 2. *art.* 2. *quæſtiunc.* 6. *ad* 3.

QUÆR. 16. *An contritio debeat eſſe ſingulariter de quolibet mortali peccato non minus quam confeſſio.*

Reſponſio videatur ſupra, *v. Confeſſio quæſtiunc.* 22.

QUÆR. 17. *An & quomodo in tempore præcedenti juſtificationem debeat homo ſingula deteſtari peccata, & poſtmodum in ipſa juſtificatione univerſaliter omnia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in tempore præcedente juſtificationem oportet quod homo ſingula peccata, quæ commiſit, deteſtetur, quorum memoriam habet: & ex ea conſideratione præcedenti ſubſequitur in anima quidam motus deteſtantis univerſaliter omnia peccata commiſſa, inter quæ etiam includuntur peccata oblivioni tradita: quia homo in ſtatu illo eſt ſic diſpoſitus, ut etiam de his quæ non meminit, contereretur, ſi memoriæ adeſſent: & iſte motus concurrit ad juſtificationem. 1. 2. *q.* 113. *art.* 5. *ad* 3. 4. *ad Hannib. d.* 16. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 1.

QUÆR. 18. *An & quomodo in ſubitaneo motu contritionis pœnitens virtualiter, & implicite deteſtetur ſingula peccata, & diverſa diverſimode, & majora pluſquam minora.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in illo contritionis motu ſubitaneo, quamvis actualiter diſtinctio intentionis reſpondens diverſis peccatis inveniri non poſſit, tamen invenitur ibi eo modo, ſicut dictum eſt: & etiam alio modo, ſecundum quod ſingula peccata ordinem habent ad illud, de quo in illa contritione generali contrito dolendum occurrit, ſcilicet offenſam Dei; qui enim aliquod totum diligit, potentia etiam diligit partes ejus, quamvis non actu: & hoc modo, ſecundum quod habent ordinem ad totum, quaſdam plus, quaſdam minus: ſicut qui aliquam communitatem diligit, virtute ſingulos diligit, plus, & minus ſecundum eorum ordinem in bono communi. Et ſimiliter qui dolet de hoc, quod Deum offendit, de diverſis implicite dolet diverſimode, ſecundum quod plus vel minus per ea Deum offendit. 4. *ſentent. diſt.* 17. *qu.* 2. *art.* 3. *quæſt.* 3. *ad* 2.

QUÆR. 19. *An contritio requiratur ad venialis peccati remiſſionem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod peccatum veniale non dimittitur, quamdiu voluntas manet in illo: ipſam autem recedere voluntatem ab eo, quod prius volebat, eſt diſplicere ei, quod voluit: talis autem diſplicentia dolor Contritionis dicitur, quando eſt gratia informata: & ideo peccatum veniale ſine Contritione non dimittitur.

Sed ſciendum, quod Contritio poteſt accipi tripliciter: vel actu, vel habitu, vel medio modo; habitu quidem Contritio exiſtens non ſufficit ad peccati venialis dimiſſionem; quia tunc quicunque haberet pœnitentiæ Virtutis habitum, cujus actus eſt quælibet Contritio, conſecutus eſſet peccati venialis dimiſſionem, & ſic peccatum veniale cum gratia eſſe non poſſet: nec iterum requiritur, quod ſemper ſit actualis Contritio; quia ſequeretur, quod peccatum, quod quis in memoria, vel in cognitione non habet, remitti non poſſet: & ideo dicendum, quod requiritur Contritio medio modo, qua ſcilicet etſi actu peccatum non diſpliceat explicite, diſplicet tamen implicite: quia ex virtute actus, quem agit, ſequeretur diſplicentia explicita peccati venialis, ſi cogitatio in illud ferretur. 4. *ſentent. d.* 16. *qu.* 2. *art.* 2. *quæſtiunc.* 2. *in corp.* 3. *p. qu.* 80. *art.* 1. *in corp.*

QUÆR. 20. *Cur in Contritione debeat pœnitens deteſtari peccata mortalia in ſpeciali, & te-*

Digitized by Google

tamen ſufficiat quod deteſtetur venialia in generali.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ejuſdem rationis eſt quod voluntas feratur in appetitum unius contrarii, & in deteſtationem alterius: Nullus autem habens uſum liberi arbitrii poteſt inchoare novam vitam, quæ eſt per gratiæ infuſionem, niſi appetat, & amet gratiæ bonum. Et ideo oportet quod deteſtetur omne malum repugnans. Ita tamen quod peccata mortalia quæ propria voluntate commiſit, & directe contrariantur gratiæ in ſpeciali deteſtetur, ut ſic remota cauſa ſubtrahente gratiam, per diſplicentiam peccati mortalis tollatur effectus, ſcilicet privatio gratiæ per ejus infuſionem, peccatum autem originale non ex propria voluntate hujus perſonæ contractum eſt: peccatum autem veniale eſt quidem propria voluntate hujus perſonæ commiſſum, non tamen eſt cauſa privationis gratiæ: unde non requiritur diſplicentia in particulari, ſed in univerſali tantum, inquantum habet aliquam rationem repugnantis ad gratiam. *q. 7. de malo a. 11. ad 3.*

QUÆR. 21. Utrum in contritione venialium includatur propoſitum non peccandi, ſicut in contritione mortalium.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quia peccata mortalia ſunt in poteſtate noſtra, ut vitentur non ſolum ſingula, ſed etiam omnia; venialia autem, etſi ſingula vitari poſſint, non tamen omnia, quod ex infirmitate naturæ contingit: ideo in contritione de venialibus non exigitur propoſitum non peccandi venialiter, ſicut in contritione de mortali exigebatur, ſed quod diſpliceat ei, & peccatum præteritum, & infirmitas, qua ad peccatum veniale inclinatur, quamvis ab eo omnino immunis eſſe non poſſit. 4. *ſent. d. 16. q. 2. a. 2. quæſtiunc. 2. ad 2.*

QUÆR. 22. An pœnitens debeat habere propoſitum abſtinendi ab omnibus peccatis mortalibus, non autem ab omnibus venialibus, ſed ſolummodo ea diminuendi.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod homo in gratia conſtitutus poteſt vitare omnia peccata mortalia, & ſingula; poteſt etiam vitare ſingula peccata venialia, ſed non omnia; & ideo pœnitentia de peccatis mortalibus requirit, quod homo proponat abſtinere ab omnibus, & ſingulis peccatis mortalibus; ſed ad pœnitentiam peccatorum venialium requiritur quod homo proponat abſtinere a ſingulis, non tamen ab omnibus, quia hoc infirmitas hujus vitæ non patitur; debet tamen habere propoſitum ſe præparandi ad peccata venialia minuenda, alioquin eſſet ei periculum deficiendi, cum dereſeret appetitum proficiendi, ſeu tollendi impedimenta ſpiritualis profectus, quæ ſunt peccata venialia. *3. p. q. 87. art. 1. ad 1.*

QUÆR. 23. Quandonam obliget præceptum contritionis, & quomodo ſit de jure nedum poſitivo, ſed etiam naturali.

Reſponſio videatur ſupra *v. Confeſſio, q. 5. & 6.* & integra *v. Pœnitentia qu....*

QUÆR. 24. An contritio ſit de originali peccato.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod contritio eſt dolor reſpiciens, & quodammodo comminuens voluntatis duritiem; & ideo de illis ſolis peccatis eſſe poteſt, quæ ex duritia noſtræ voluntatis in nos proveniunt: & quia peccatum originale non noſtra voluntate inductum eſt, ſed ex vitiatæ naturæ origine contractum; ideo de ipſo non poteſt eſſe contritio, proprie loquendo; ſed diſplicentia poteſt eſſe de eo, vel dolor. *4. d. 17. q. 2. a. 2. q. 2. in corp.*

QUÆR. 25. An contritio ſit de peccato futuro.

Reſp. D. Thomas, ille qui conteritur, dolet de peccato præterito, & cavet futurum: ſed non dicitur eſſe contritio de peccato futuro, ſed magis cautio. 4. *ſent. d. 17. q. 2. art. 2. q. 4.*

QUÆR. 26. An ſit contritio de alienis peccatis.

Reſp. D. Thomas, quod per Sacramentum illud idem conteritur, quod prius durum & integrum fuit: unde patet quod contritio pro peccato ſit in eodem, in quo peccati duritia præceſſit; & ſic de alienis peccatis non eſt contritio. *Ibid. q. 5.*

QUÆR. 27. An contritio ſit tam de malo pœnæ, quam culpæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod contritio importat alicujus & duri, & integri comminutionem: hæc autem integritas, & duritia invenitur in malo culpæ, quia voluntas, quæ eſt ipſius cauſa in eo qui male agit, in ſuis terminis ſtat, nec præcepto legis cedit: & ideo hujus mali diſplicentia contritio per ſimilitudinem dicitur: hæc autem ſimilitudo non poteſt adaptari ad malum pœnæ, quia pœna ſimpliciter diminutionem dicit: & ideo de malis pœnæ poteſt eſſe dolor, ſed non contritio. *16. q. 1.*

QUÆR. 28. An & quomodo debeat pœnitens conteri de peccato oblito.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod oblivio de aliquo poteſt eſſe dupliciter: aut ita quod totaliter a memoria exciderit; & tunc non poterit aliquis inquirere illud: aut ita, quod partim a memoria exciderit, & partim maneat; ſicut cum recolo me aliquid audiviſſe in generali, ſed neſcio quid in ſpeciali; & tunc requiro in memoria ad recogno-ſcen-

Digitized by Google

ſcendum: & ſecundum hoc etiam aliquod peccatum poteſt eſſe oblitum dupliciter: aut ita, quod in generali in memoria maneat, ſed non in ſpeciali; & tunc debet homo recogitare ad inveniendum peccatum, quia de quolibet mortali peccato homo tenetur ſpecialiter conteri; ſi autem invenire non poſſit, ſufficit de eo conteri ſecundum quod in notitia tenetur, & debet homo non ſolum de peccato, ſed de oblivione ejus dolere, quæ ex negligentia contingit.

Si autem peccatum omnino a memoria excidit, tunc ex impotentia faciendi excuſatur a debito, & ſufficit generalis contritio de omni eo, in quo Deum offendit: ſed quando impotentia tollitur, ſicut cum ad memoriam peccatum revocatur, tunc tenetur homo ſpecialiter conteri. Sicut etiam de paupere, qui non poteſt ſolvere, quod debet, excuſatur; & tamen tenetur cum primo potuerit. 4. *ſent. diſt.* 17. *q.* 2. *a.* 2. *q.* 3. *ad* 2. *q.* 28. *de verit. a.* 5. *ad* 3.

QUÆR. 29. *An & quomodo contritio debeat eſſe perpetua, juxta illud Hugonis de Sancto Victore, dicentis: Deus abſolvens hominem a culpa, & pœna æterna, ligat eum vinculo perpetuæ deteſtationis peccati.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod hæc eſt conditio in actibus virtutum inventa, quod non poteſt in eis accipi ſuperfluum, & diminutum, ut in 2. Ethic. probatur; unde cum contritio quantum ad id, quod eſt diſplicentia quædam in appetitu rationis, ſit actus pœnitentiæ virtutis, nunquam ibi poteſt eſſe ſuperfluum; ſicut nec quantum ad intentionem, ita nec quantum ad durationem, niſi ſecundum quod actus unius Virtutis impedit actum alterius Virtutis magis neceſſarium pro tempore illo; unde quanto magis homo continue in actu hujus diſplicentiæ eſſe poteſt, tanto melius eſt, dummodo actibus aliarum Virtutum vacet ſuo tempore ſecundum quod oportet.

Sed paſſiones poſſunt habere ſuperfluum, & diminutum, & quantum ad intentionem, & quantum ad durationem; & ideo ſicut paſſio doloris quam voluntas aſſumit, debet eſſe moderate intenſa, ita debet moderate durare, ne ſi nimis duret, homo in deſperationem, & puſillanimitatem, & hujuſmodi vitia labatur. 4. *ſent. diſt.* 17. *q.* 2. *a.* 4. *q.* 2. *&* 1. *in corp.* 3. *p. q.* 84. *a.* 8. *in corp.*

QUÆR. 30. *Quomodo dolori contritionis admiſcetur gaudium, juxta illud D. Auguſtini: ſemper doleat pœnitens, & de dolore gaudeat; & utrum gaudium illud hujuſmodi dolorem diminuat, vel potius augeat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod gaudium illud, quod de dolore pœnitens habet, non minuit diſplicentiam, quia ei non contrariatur, ſed auget ſecundum quod omnis operatio augetur per propriam delectationem, ut dicitur in 10. Ethicor. Sicut qui delectatur in addiſcendo aliquam ſcientiam, melius addiſcit; & ſimiliter qui gaudet de diſplicentia, vehementius diſplicentiam habet: ſed bene poteſt eſſe, quod illud gaudium temperet dolorem ex ratione in partem ſenſitivam reſultantem. 4. *ſent. d.* 17. *q.* 2. *a.* 3. *q.* 1. *ad* 3. *a.* 4. *q.* 2. *ad* 1.

QUÆR. 31. *An qualibet contritio quantumcumque parva deleat omnem culpam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod contritio, ut ſæpe dictum eſt, habet duplicem dolorem: unum rationis, qui eſt diſplicentia peccati commiſſi, & poteſt eſſe adeo parvus, quod non ſufficiat ad rationem contritionis, ut ſi minus diſpliceret ei peccatum, quam debeat diſplicere ſeparatio a fine, ſicut etiam amor poteſt eſſe ita remiſſus, quod non ſufficiet ad rationem Charitatis; alium dolorem habet in ſenſu, & parvitas hujus non impedit rationem contritionis, quia non ſe habet eſſentialiter ad contritionem, ſed quaſi ex accidenti ei adjungitur, & iterum non eſt in poteſtate noſtra.

Sic ergo dicendum, quod quantumcunque parvus ſit dolor, dummodo ad contritionis rationem ſufficiat, omnem culpam delet. 4. *ſent. d.* 17. *q.* 2. *a.* 5. *q.* 3. *in corp.*

QUÆR. 32. *An contritio ante Confeſſionem, & ſatisfactionem deleat omnem pœnam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ante votum confeſſionis Paradiſus clauſus erat peccanti mortaliter, quamvis poſtea per contritionem votum confeſſionis importantem apertus ſit, etiam ante confeſſionem actualiter factam. Non tamen obſtaculum reatus eſt totaliter remotum ante confeſſionem, & ſatisfactionem. 4. *ſent. d.* 17. *q.* 3. *a.* 5. *quæſtiunc.* 3. *ad* 2.

QUÆR. 33. *An contritio poſſit tantum intendi, quod deleat culpam, & pœnam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod intentio contritionis poteſt attendi dupliciter: uno modo ex parte charitatis, quæ diſplicentiam cauſat, & ſic contingit tantum intendi charitatem in actu, quod contritio inde ſequens merebitur non ſolum culpæ amotionem, ſed etiam abſolutionem ab omni pœna: alio modo ex parte doloris ſenſibilis, quam voluntas in contritione excitat, & quia illa pœna etiam quædam eſt, tantum poteſt intendi, quod ſufficiat ad deletionem pœnæ, & culpæ. 4. *ſentent. diſtinct.* 17. *quæſt.* 2. *a.* 5. *q.* 2. *in corp.*

QUÆR. 34. *An talis, tantaque eſſe poſſit contri-*

Digitized by Google

tritio, ut pœnitentia vim habeat Martyrii; & Baptiſmi.

Reſp. D. Thomas, ſicut martyr conformat ſe morti Chriſti per exteriorem paſſionem, ita pœnitens per interiorem. Galat. 5. *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.* Ideo poteſt eſſe tanta, quod tolleret omnem culpam & pœnam ſicut patet in latrone, & Magdalena. Unde pœnitentia dicitur Baptiſmus, inquantum ſupplet Baptiſmi vicem; & quia non licet illud iterari, ideo inſtituta eſt pœnitentia. *Ad Hebræos 6. lect. 1.*

QUÆR. 35. An poſſit dari contritio ſine gratia, & charitate.

Reſp. D. Thomas, primum quod in pœnitentia requiritur, eſt ordinatio mentis, ut ſcilicet mens convertatur ad Deum, & avertatur a peccato, dolens de commiſſo, & proponens non committendum; quod eſt de ratione contritionis.

Hæc vero mentis reordinatio ſine gratia eſſe non poteſt. Nam mens noſtra debite ad Deum converti non poteſt ſine charitate: charitas autem ſine gratia haberi non poteſt, ut patet ex his, quæ in 3. lib. dicta ſunt. Sic igitur per contritionem & offenſam Dei tollitur, & a reatu æternæ pœnæ liberatur, qui cum gratia, & charitate eſſe non poteſt. Non enim æterna pœna eſt, niſi per ſeparationem a Deo, cui gratia & charitate homo conjungitur: hæc enim mentis reordinatio, quæ in contritione conſiſtit, ex interiori procedit, ideſt a libero arbitrio cum adjutorio divinæ gratiæ. 4. *cont. gent. cap.* 72.

QUÆR. 36. Utrum attritio ſola ſine contritione ſufficiat ad percipiendam gratiam in Sacramento Baptiſmi.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod recta intentio requiritur ad conſequendam rem Sacramenti: fides autem intentionem dirigit, & ſine ea non poteſt eſſe, præcipue in talibus, intentio recta; ſed charitas ulterius facit intentionem meritorum: & ideo ad hoc, quod homo præparet ſe ad gratiam in Baptiſmo percipiendam, præexigitur fides, ſed non charitas, quia ſufficit attritio præcedens, etſi non ſit contritio. 4. *ſentent. diſt. 6. qu. 1. art. 3. quæſtiunc. 1. ad 5.*

QUÆR. 37. Utrum attritio poſſit fieri contritio.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſuper hoc eſt duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod attritio fit contritio, ſicut fides informis fit formata. Sed hoc, ut videtur, non poteſt eſſe, quia quamvis habitus fidei informis fiat formatus, nunquam tamen actus fidei informis fit actus fidei formatæ; quia actus ille informis tranſit, & non manet veniente charitate: attritio autem & contritio non dicunt habitum, ſed actum tantum: habitus enim virtutum infuſarum, qui voluntatem reſpiciunt, non poſſunt eſſe informes, cum charitatem conſequantur; unde antequam gratia infundatur, non eſt habitus, a quo actus contritionis poſtea elicitur: & ſic nullo modo attritio poteſt fieri contritio; & hoc alia opinio dicit. 4. *ſent. d. 17. qu. 2. art. 2. quæſt. 3.*

QUÆR. 38. Utrum aliquando illi qui non ſunt perfecte contriti, gratiam contritionis virtute clavium in pœnitentia, aliiſque Sacramentis conſequantur: & utrum eadem ſit ratio de Sacramento Baptiſmi, & Pœnitentiæ.

Reſp. D. Thomas, ſi quis in ipſa abſolutione incipit conteri, & claves Eccleſiæ habere in voto, in ipſa abſolutione Sacerdotis culpa ei dimittitur per gratiam, quæ infunditur in hoc Sacramento, ſicut & in aliis Sacramentis novæ legis: unde quandoque contingit, quod aliqui non perfecte contriti virtute clavium gratiam contritionis conſequuntur, dummodo non ponant obicem Spiritui Sancto: Et idem eſt in aliis Sacramentis novæ legis, in quibus gratia confertur. Videtur tamen eſſe differentia inter Baptiſmum & pœnitentiam, propter hoc, quod Sacramentum Pœnitentiæ ſemper exhibetur adultis, in quibus ut plurimum contritio præcedit tempore Confeſſionem, & abſolutionem: Baptiſmus autem multoties confertur pueris, in quibus votum Baptiſmi non præcedit: omnino autem ſimile appareret, ſi etiam Baptiſmus exhiberetur adultis. *Quodlib. 4. qu. 7. art. 1. in corp.*

Plura, quæ attritionem concernunt, videantur infra v. Pœnitentia, Sacramentum, Timor; Ubi oſtenditur: quod pœnitentia ex timore pœnarum concepta eſt ſalutaris, quomodo timor ſervilis eſt bonus. Et quare Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ conferri poſſunt illis, qui habent conſcientiam peccati mortalis, non autem alia Sacramenta.

Extat de attritione Decretum Alexandri VII. datum die 5. Maii 1667. in quo, inter alia, ſic habetur: Sanctiſſimus cum acceperit ſcholaſticos quoſdam acrius, nec abſque fidelium ſcandalo inter ſe contendere: An attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ, excludens voluntatem peccandi cum ſpe veniæ ad impetrandam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, requirat inſuper aliquem actum dilectionis Dei, aſſerentibus quibuſdam, negantibus aliis, & invicem adverſam ſententiam cenſurantibus: hoc præſenti Decreto præcipit cunctis, & ſingulis fideli-

Digitized by Google

delibus, ut ſi deinceps de materia attritionis præfatæ ſcribent, vel libros, aut ſcripturas edent, vel docebunt, aut prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes, aut ſcholares, cæteroſve erudient, non audeant alicujus Theologicæ cenſuræ, alteriuſque injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram ſententiam ſive negantem, neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter ſcholaſticos communior videtur, ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem; donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum.

CONTUMACIA.

Quæritur, Cur excommunicatio non fertur niſi contra contumaces.

Reſpondetur *v. Excommunicatio*.

CONTUMELIA.

QUÆR. 1. Quid ſit contumelia, & an conſiſtat in verbis, & etiam in factis.

RESp. D. Thomas, dicendum, quod contumelia importat dehonorationem alicujus: quod quidem contingit dupliciter; cum enim honor aliquam excellentiam conſequatur, uno modo aliquis alium dehonorat, cum privat eum excellentia, propter quam habebat honorem, quod quidem fit per peccata factorum; alio modo cum aliquis id, quod eſt contra honorem alicujus, deducit in notitiam ejus, & aliorum; & hoc proprie pertinet ad contumeliam; quod quidem fit per aliqua ſigna. Sed ſicut Auguſtinus dicit in 2. de Doctrina Chriſtiana, *omnia ſigna Verbis comparata pauciſſima ſunt, verba enim inter homines obtinuerunt principatum ſignificandi, quæcumque animo concipiuntur*; & ideo contumelia proprie loquendo in verbis conſiſtit: unde Iſidorus dicit in lib. etymologiarum, quod *contumelioſus dicitur aliquis, quia valor eſt, & tumet verbis injuriæ*. Tamen quia etiam per facta aliqua ſignificatur aliquid, quæ in hoc, quod ſignificant, habent vim verborum ſignificantium; inde eſt, quod contumelia extenſo nomine etiam in factis dicitur; unde Romanorum primo ſuper illud, *contumelioſos, ſuperbos*, dicit Gloſſa, quod *contumelioſi ſunt, qui dictis, vel factis contumelias, & turpia inferunt*. 2. 2. *q.* 72. *art.* 1. *in corp.*

QUÆR. 2. An & quomodo contumelia ſit peccatum mortale.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, verba inquantum ſunt ſoni quidam, non ſunt in nocumentum aliorum, ſed inquantum ſignificant aliquid; quæ quidem ſignificatio ex interiori affectu procedit: & ideo in peccatis verborum maxime conſiderandum videtur, ex quo affectu aliquis verba proferat: cum ergo convitium, ſeu contumelia de ſui ratione importet quandam dehonorationem, ſi intentio proferentis ad hoc feratur, ut aliquis per verba, quæ profert, honorem alterius auferat, hoc proprie, & per ſe eſt dicere convitium, vel contumeliam, & hoc eſt peccatum mortale, non minus quam furtum, vel rapina: non enim homo minus amat ſuum honorem, quam rem poſſeſſam.

Si vero aliquis verbum convitii, vel contumeliæ alteri dixerit, non tamen animo dehonorandi, ſed forte propter correctionem, vel propter aliquid hujuſmodi; non dicit convitium, vel contumeliam formaliter, & per ſe, ſed per accidens, & materialiter, inquantum ſcilicet dicit id, quod poteſt eſſe convitium, vel contumelia: unde hoc poteſt eſſe quandoque peccatum veniale, quandoque autem abſque omni peccato.

In quo tamen neceſſaria eſt diſcretio, ut moderate homo talibus verbis utatur, quia poteſt eſſe ita grave convitium, quod per incautelam prolatum auferret honorem ejus, contra quem profertur: & tunc poſſet homo peccare mortaliter, etiamſi non intenderet dehonorationem alterius: ſicut etiamſi aliquis incaute alium ex ludo percutiens graviter lædat, culpa non caret. 2. 2. *q.* 72. *art.* 2. *in corp. lect.* 5. *c.* 15. *prima ad Corinthios*.

QUÆR. 3. Utrum contumelia ſeu convitium ſit peccatum, ſi dicatur cauſa delectationis, ſeu joci.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ad Eutrapelum pertinet dicere aliquod leve convitium non ad dehonorationem, vel ad contriſtationem ejus, in quem dicitur, ſed magis cauſa delectationis, & joci: & hoc poteſt eſſe ſine peccato, ſi debitæ circumſtantiæ obſerventur: ſi vero aliquis non reformidet contriſtare eum, in quem profertur hujuſmodi jocoſum convitium, dummodo aliis riſum excitet, hoc eſt vitioſum. 2. 2. *q.* 72. *art.* 2. *ad* 1.

QUÆR. 4. Quando convitium, ſeu contumelia ſit peccatum veniale tantum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod cum peccatum convitii, vel contumeliæ ex animo dicentis dependeat, poteſt contingere quod ſit peccatum veniale, ſi ſit leve convitium non multum hominem dehoneſtans, & proferatur ex aliqua animi levitate, vel ex levi ira abſque firmo propoſito aliquem dehoneſtandi: puta cum aliquis intendit aliquem per hujuſmodi verbum leviter contriſtare. 2. 2. *qu.* 72. *art.* 2. *ad* 3.

QUÆR.

QUÆR. 5. *An liceat dicere aliquod verbum contumelioſum cauſa correctionis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut licitum eſt aliquem verberare, vel in rebus damnificare cauſa diſciplinæ; ita etiam & cauſa diſciplinæ poteſt aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod convitioſum dicere: & hoc modo Dominus diſcipulos vocavit ſtultos, & Apoſtolus Galatas inſenſatos: tamen ſicut dicit Auguſtinus in lib. de Sermone Domini in monte: *Raro, & ex magnâ neceſſitate objurgationes ſunt adhibendæ, in quibus non nobis, ſed ut Domino inſerviatur, inſtemus.* 2. 2. *qu.* 72. *art.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 6. *Utrum aliquis debeat contumelias ſibi illatas ſuſtinere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut patientia neceſſaria eſt in his, quæ contra nos fiunt, ita etiam in his, quæ contra nos dicuntur; præcepta autem patientiæ in his, quæ contra nos fiunt, ſunt in præparatione animi habenda, ſicut Auguſtinus in libro de ſerm. Domini in monte exponit illud præceptum Domini: *Si quis percuſſerit te in una maxilla, præbe illi & aliam*, ut ſcilicet homo ſit paratus hoc facere, ſi opus fuerit, non tamen ſemper tenetur facere actu, quia nec ipſe Dominus hoc fecit, ſed cum ſuſcepiſſet alapam dixit, *quid me cædis?* ut habetur Joannis 18. & ideo etiam circa verba contumelioſa, quæ contra nos dicuntur, eſt idem intelligendum; tenemur enim habere animum paratum ad contumelias tolerandas, ſi expediens fuerit.

Quandoque tamen oportet, ut contumeliam illatam repellamus maxime propter duo. Primo quidem propter bonum ejus, qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur, & de cætero talia non attentet, ſecundum illud Prov. 27. *Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur:* alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas; unde Gregorius dicit ſuper Ezechiel. hom. 9. *Hi quorum vita in exemplo imitationis eſt poſita, debent, ſi poſſunt, detrahentium ſibi verba compeſcere; ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & ita in pravis moribus remanentes bene vivere contemnant.* 2. 2. *quæſt.* 72. *art.* 3. *in corp. quæſt.* 73. *art.* 4. *ad* 1. *opuſculo* 13. *cap.* 16.

QUÆR. 7. *Quomodo ſit reprimenda audacia illius qui contumeliam infert.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod audaciam convitiantis contumelioſe debet aliquis moderate reprimere; ſcilicet propter Officium Charitatis, non propter cupiditatem privati honoris; unde dicitur, Proverb. 26. *Ne reſpondeas ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ei ſimilis efficiaris.* 2. 2. *quæſt.* 72. *art.* 3. *ad* 1.

QUÆR. 8. *Utrum contumelia ſilentio ſit reprimenda juxta illud D. Chryſoſtomi: ſi vindicare vis, ſile, & funeſtam ei dediſti plagam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſi aliquis hoc animo taceret, ut tacendo contumeliantem ad iracundiam provocaret, hoc pertinet ad vindictam; ſed ſi aliquis taceat volens dare locum iræ, hoc eſt laudabile: unde dicitur Eccl. 8. *Non litiges cum homine linguato, & non ſtruas in ignem illius ligna.* 2. 2. *qu.* 72. *art.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 9. *An debeat aliquis impedire ne aliis contumelia inferatur, juxta illud Proverbior.* 26. *Qui imponit ſtulto ſilentium, iras mitigat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, in hoc quod aliquis alienas contumelias reprimit, non ita timetur cupiditas privati honoris, ſicut cum aliquis repellit contumelias proprias: magis autem videtur hoc provenire ex charitatis affectu. 2. 2. *qu.* 72. *art.* 3. *ad* 2.

QUÆR. 10. *An contumelia oriatur maxime ex ira.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod cum unum peccatum poſſit ex diverſis oriri, ex illo tamen dicitur principalius habere originem, ex quo frequentius procedere conſuevit, propter propinquitatem ad finem ipſius: contumelia autem magnam habet propinquitatem ad finem iræ, qui eſt vindicta: nulla enim vindicta eſt irato magis in promptu, quam inferre contumeliam alteri: & ideo contumelia maxime oritur ex ira. 2. 2. *q.* 72. *art.* 4. *in corp.*

QUÆR. 11. *An & quomodo contumelia procedat ex ſuperbia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod contumelia non ordinatur ad finem ſuperbiæ, qui eſt celſitudo: & ideo non directe contumelia oritur ex ſuperbia: diſponit tamen ſuperbia ad contumeliam, inquantum illi qui ſe ſuperiores æſtimant, facilius alios contemnunt, & injurias eis irrogant: facilius enim iraſcuntur utpote reputantes indignum quidquid contra eorum voluntatem agitur. *Ibid. ad* 1.

QUÆR. 12. *Quomodo contumelia proveniat etiam ex ſtultitia, juxta illud Prov.* 20. *Omnes ſtulti miſcentur contumeliis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſecundum Philoſ. 7. Ethicor. *Ira non perfecte audit rationem*: & ſic iratus patitur rationis defectum, in quo convenit cum ſtultitia: & propter hoc, ex ſtultitia oritur contumelia, ſecundum affinitatem quam habet cum ira. *Ibidem ad* 2.

Digitized by Google

CORPORALIA.

Quæritur, cujus materia debeat eſſe corporale.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ubi potuit ſine periculo fieri, Eccleſia ſtatuit circa hoc Sacramentum (ſcilicet Euchariſtiæ) id quod expreſſius repræſentat paſſionem Chriſti: non erat autem tantum periculum circa Corpus, quod ponitur in corporale, ſicut circa Sanguinem qui continetur in calice: & ideo licet calix non fiat de petra, corporale tamen fit de panno lineo, quo Corpus Chriſti fuit involutum; unde in Epiſtola Sylveſtri Papæ de Conſecrat. d. 1. legitur: *Conſulto omnium ſtatuimus, ut ſacrificium Altaris non in ſerico panno, aut intincto quiſquam celebrare Miſſam præſumat, ſed in panno lineo ab Epiſcopo conſecrato, ſicut Corpus Chriſti in ſindone linea, & munda ſepultum fuit*: competit etiam pannus lineus propter ſui munditiem ad ſignificandam conſcientiæ puritatem, & propter multiplicem laborem, quo talis pannus præparatur ad ſignificandam Chriſti Paſſionem. *3.p. qu.83. art.3. ad 7.*

CORRECTIO FRATERNA.

QUÆR. 1. Quid ſit correctio Fraterna, & cujus virtutis ſit actus.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod correctio delinquentis eſt quoddam remedium, quod debet adhiberi contra peccatum alicujus; peccatum autem alicujus dupliciter conſiderari poteſt, uno quidem modo inquantum eſt nocivum ei, qui peccat; alio modo inquantum vergit in nocumentum aliorum, qui ex ejus peccato læduntur, vel ſcandalizantur, & etiam inquantum eſt nocumentum boni communis, cujus juſtitia per peccatum hominis perturbatur. Duplex ergo eſt correctio delinquentis, una quidem quæ adhibet remedium peccato inquantum eſt quoddam malum ipſius peccantis, & iſta eſt proprie Fraterna correctio, quæ ordinatur ad emendationem delinquentis: removere autem malum alicujus, ejuſdem rationis eſt ſicut bonum ejus procurare; procurare autem fratris bonum pertinet ad Charitatem, per quam volumus, & operamur bonum amico: unde etiam correctio fraterna eſt actus Charitatis, quia per eam repellimus malum fratris, ſcilicet peccatum, cujus remotio magis pertinet ad Charitatem, quam etiam remotio exterioris damni, vel etiam corporalis nocumenti, quanto contrarium bonum Virtutis magis eſt affine Charitati, quam bonum corporis, vel exteriorum rerum: unde correctio fraterna eſt actus Charitatis potius, quam curatio infirmitatis corporalis, vel ſubventio, qua excluditur exterior egeſtas.

Alia vero correctio eſt, quæ adhibet remedium peccati delinquentis ſecundum quod eſt in malum aliorum, & præcipue in nocumentum communis boni: & talis correctio eſt actus Virtutis juſtitiæ unius ad alterum. *2. 2. qu. 33. art. 1. in corp.*

QUÆR. 2. An fraterna correctio opponatur huic præcepto Apoſtoli ad Gal. 6. Alter alterius onera portate.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod correctio fraterna non opponitur ſupportationi infirmorum, ſed magis ex ea conſequitur: intantum enim aliquis ſupportat peccantem, inquantum contra eum non turbatur, ſed benevolentiam ad eum ſervat; & ex hoc contingit quod eum ſatagit emendare. *Ibidem ad 3.*

QUÆR. 3. An & quando fraterna correctio cadat ſub præcepto.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod correctio fraterna cadit ſub præcepto: ſed conſiderandum eſt quod ſicut præcepta negativa legis prohibent actus peccatorum, ita præcepta affirmativa inducunt ad actus Virtutum; actus autem peccatorum ſunt ſecundum ſe mali, & nullo modo bene fieri poſſunt, nec aliquo tempore, aut loco, quia ſecundum ſe ſunt conjuncti malo fini, ut dicitur in 2. Eth. & ideo præcepta negativa obligant ſemper, & ad ſemper: ſed actus virtutum non quolibet modo fieri debent, ſed obſervatis debitis circumſtantiis, quæ requiruntur ad hoc quod ſint actus Virtuoſi; ut ſcilicet fiat, ubi debet, & quando debet, & ſecundum quod debet: & quia diſpoſitio eorum, quæ ſunt ad finem, attenditur ſecundum rationem finis, in iſtis circumſtantiis virtuoſi actus præcipue attendenda eſt ratio finis, quæ eſt bonum virtutis: ſi ergo ſit aliqua talis omiſſio alicujus circumſtantiæ circa virtuoſum actum, quæ totaliter tollat bonum Virtutis, hic actus contrariatur præcepto; ſi autem ſit defectus alicujus circumſtantiæ, quæ non totaliter tollat virtutem, licet non perfecte attingat ad rationem virtutis, non eſt contra præceptum; unde & Philoſophus dicit in 2. Ethic. quod *ſi parum diſceditur a medio, non eſt contra virtutem, ſed ſi multum diſcedatur, corrumpitur virtus in ſuo actu*: correctio autem fraterna ordinatur ad fratris emendationem; & ideo hoc modo cadit ſub præcepto, ſecundum quod eſt neceſſaria ad iſtum finem,

non

non autem ita quod quolibet loco, vel tempore frater delinquens corrigatur. 2. 2. *quæſt.* 33. *a.* 2. *in corp.* 4. *ſent. diſt.* 19. *quæſt.* 2. *art.* 2. *qu.* 1. *in corp. de virtutibus quæſt.* 3. *art.* 1. *in corp.*

QUÆR. 4. *An & quomodo tam ordo fraternæ correctionis, quam ipſa fraterna correctio cadat ſub præcepto.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod correctio fraterna cadit ſub præcepto ſecundum quod eſt actus virtutis: Eſt autem actus virtutis ſecundum quod debitis circumſtantiis veſtitur, inter quas præcipue videtur eſſe ordo ad finem, quam oportet communem regulam habere in omnibus operabilibus. Finis autem correctionis Fraternæ eſt emendatio fratris: & ideo hoc ordine Dominus voluit fieri correctionem fraternam, ſecundum quod congruit ad fratris emendationem, quem volumus a peccato liberare. Duplex autem periculum imminet homini ex peccato, ſcilicet periculum conſcientiæ, & famæ: hæc autem duo ſcilicet conſcientia, & fama hoc modo ſe habent ad invicem, quod conſcientia eſt præferenda famæ; quia teſtimonium conſcientiæ eſt in conſpectu Dei; ſed teſtimonium famæ pertinet ad officium humanum: Differunt etiam quantum ad hoc, quod conſcientia eſt neceſſaria homini propter ſeipſum, fama autem propter ſe, & propter proximum. Hoc igitur ordine Dominus voluit correctionem fraternam fieri; ut primo quidem ſi poſſibile ſit, ita provideatur conſcientiæ, quod in nullo fama lædatur, & hoc per ſecretam admonitionem: Deinde quia conſcientia eſt famæ præferenda; ſi aliter frater emendari non poteſt quam cum diſpendio famæ; finaliter ordinavit Dominus, ut publice denuncietur, ut objurgatio, quæ fit a pluribus, ei ſit remedium ſalutare: ſi autem ſtatim ad publicam pronunciationem procederetur, pateretur frater diſpendium famæ ſuæ, quod quidem vitandum eſt & propter ipſum, & propter alios, propter quod eſt ſibi neceſſaria fama: propter ipſum quidem duplici ratione. Primo quidem, quia bona fama eſt præcipuum inter exteriora bona, ſecundum illud Prov. 22. *Melius eſt nomen bonum, quam divitiæ multæ*: & hoc ideo quia bonitas famæ reddit hominem idoneum ad humana officia exequenda in converſatione humana; & ideo dicitur Eccl. 41. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam multi theſauri magni, & pretioſi*; ſicut igitur peccaret, qui abſque neceſſitate ingereret alicui divitiarum diſpendium, ita & multo amplius peccat ſi aliquis abſque neceſſitate proximo ingereret diſpendium famæ, abſque neceſſitate ejus peccatum publicando. Secundo, quia propter conſervationem famæ homo multoties abſtinet a peccatis: & ideo, quando aliquis videt ſe jam famam amiſiſſe, pro nihilo ducit peccare, ſecundum illud Hierem. 2. *Facies meretricis facta eſt tibi, erubeſcere neſciſti*: Unde & Hieronymus dicit ſuper Matth. *Corripiendus eſt ſeorſum frater, ne ſi ſemel pudorem, aut verecundiam amiſerit, permaneat in peccato*. Similiter etiam ex parte aliorum, eſt periculoſum dupliciter. Primo quidem quia homines peccatum alicujus audientes ſcandalizantur, & contemnunt quandoque non ſolum peccantem, ſed & multos alios innocentes: unde Auguſtinus dicit in epiſtola ad plebem Hipponenſem: *Cum de aliquibus, qui ſanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falſi ſonuerit, vel veri patuerit, inſtant, ſatagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur*. Secundo, quia ex peccato nimis publico multi provocantur ad peccandum ſecundum illud 1. ad Cor. 5. *Neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?* Et ideo ſub præcepto cadit, ut non prius aliquis ad denunciationem publicam procedat, quam ſecreto correxerit. Sed quia de extremo ad extremum pervenitur per medium, interpoſuit Dominus quendam medium gradum, ut poſt ſecretam admonitionem, nunquam publice omnibus denuncietur niſi unus, vel duo teſtes adhibeantur, ut poſſit ſecretius correctus non innoteſcere cæteris, ut Auguſtinus dicit in regula. Sic igitur ordo fraternæ correctionis ſub præcepto cadit, ſicut & ipſa fraterna correctio, hac tamen diſcretione ſervata in utroque, ut debito loco, & tempore, & aliis debitis circumſtantiis obſervatis; omnia fiant ſecundum quod quis utile eſſe proſpexerit ad emendationem fratris, quæ eſt finis, & regula correctionis fraternæ. *q.* 3. *de virtutibus art.* 2. *in corp.* 4. *ſentent. diſt.* 19. *quæſt.* 2. *art.* 3. *q.* 1.

QUÆR. 5. *Quomodo ſervari debeat ordo fraternæ correctionis quando peccatum eſt occultum, vel quando eſt publicum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod hujuſmodi correctio ex charitate debet procedere: & inde eſt quod dicitur, *fraterna correctio*, & ideo oportet ordinem fraternæ correctionis ſumere ſecundum ordinem charitatis: Ordo autem charitatis eſt, ut quis bono proximi præferat commune bonum: Item, ut velit bonum proximi & conſcientiæ & famæ, & in his magis velit bonum conſcientiæ, quando utrumque haberi non poteſt. Et ideo his conſideratis credo, quod ſi eſſet aliquod peccatum (carnale, ſeu ſpirituale) quod

quod vergeret in detrimentum multitudinis, ſtatim eſt revelandum cum præponderet bonum commune in ordine charitatis (ut dictum eſt) bono proximi, ſive ſit famæ, ſive conſcientiæ: quando vero non timetur multitudinis detrimentum, tunc debet quis utrumque cuſtodire, ſcilicet bonum famæ, & conſcientiæ, corrigendo occulte inter ſe, & ipſum: ſi autem ex hoc correctio non ſequatur, tunc ſecundum ordinem Evangelii debet ſecum adhibere alium, vel etiam referre Eccleſiæ. Nihilominus tamen & in hoc ſervandus eſt ordo, ut ſi peccatum ſit publicum, publice corrigatur: ſi vero occultum occulte: & ideo dicitur: *ſi peccaverit in te frater tuus*, ideſt te ſciente ſolum &c. quantum ad occultum; quantum vero ad publicum, dicitur, *peccantem* (ſcilicet publice) *coram omnibus argue*, *quodlib.* 11. *a.* 12.

QUÆR. 6. Quomodo ſit procedendum in correctione fraterna, quando peccatum eſt omnino occultum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quidam ſic intellexerunt ordinem fraternæ correctionis eſſe ſervandum; ut primo frater ſit in ſecreto corripiendus, & ſi audierit bene quidem, ſi autem non audierit, ſi peccatum ſit omnino occultum, dicebant non eſſe ulterius procedendum; ſi autem incipit jam ad notitiam plurium devenire aliquibus indiciis, debet ulterius procedi ſecundum quod Dominus mandat: ſed hoc eſt contra id, quod Auguſtinus dicit in regula, quod peccatum fratris non debet occultari, ne putreſcat in corde.

Et ideo aliter dicendum eſt, quod poſt admonitionem ſecretam ſemel, vel pluries factam, quandiu ſpes probabiliter habetur de correctione, per ſecretam admonitionem procedendum eſt; ex quo autem probabiliter jam cognoſcere poſſumus quod ſecreta admonitio non valet, procedendum eſt ulterius quantumcunque ſit peccatum occultum, ad teſtium inductionem, niſi forte probabiliter æſtimaretur, quod hoc ad emendationem fratris non proficeret, ſed exinde deterior redderetur; quia propter hoc eſt totaliter a correctione ceſſandum. 2.2. *q.*33.*a.*8. *ad* 1. 4. *ſent. a.* 19. *q.* 2. *a.* 3. *q.* 1. *in corp.*

QUÆR. 7. An peccatum etiam omnino occultum revelari debeat ad correctionem ſi fuerit nocivum aliis, vel etiam ſoli delinquenti.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quidam dicunt, quod iſte modus corripiendi ſervandus eſt, quando peccatum non eſt omnino publicum, nec omnino occultum, ſed ab aliquibus ſcitum: unde dicunt quod non poſſunt alii advocari, niſi qui ſciunt; ad quos etiam pertineret correctio: ſic enim exponunt: *ſi peccaverit in te* (ideſt, te ſolo ſciente) *frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum: ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum: ſi te non audierit* (& nullus alius ſciat) *non debes ultra procedere: ſi autem aliqui alii ſciant, adhibe tecum &c.* Sed hoc non videtur eſſe ſecundum intentionem Evangelii: quia ſi illi qui adhibentur, alias ſciviſſent, non oporteret eos adhibere ad videndum, ſed ſtatim per eos poſſet convinci: & præterea Hieronymus dicit, quod, *Non eſt miſericordia parcere uni & omnes in diſcrimen adducere*; quod fieret, ſi peccatum, quod eſt aliis nocivum, non publicaretur ad correptionem: unde patet, quod ſi peccatum in aliorum detrimentum vergat, debet aliis dici, quantumcunque ſit occultum; & etiamſi non vergat in detrimentum alterius niſi in illius qui peccat; ut patet ſecundum Auguſtinum in regula, ubi ſic dicit: *Innocentes non eſtis, ſi fratres veſtros, quos indicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis.* Nec ex hoc aliquis efficitur proditor criminis, quia non manifeſtat crimen ad infamandum, ſed ad corrigendum. 4. *ſent. diſt.* 19. *qu.* 2. *art.* 3. *q.* 2. *ad* 1.

QUÆR. 8. An & quando poſt admonitionem ſecretam adhibendi ſunt teſtes in correctione fraterna.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quando medicina levis, a qua incipiendum eſt, non proficit, tunc debet Medicus efficaciorem medicinam apponere; non tamen ſtatim efficaciſſimam; ſed paulatim procedendum eſt ut quam minus poteſt fieri gravetur ille, cui medicari volumus: & ideo ſi prima medicina, ſcilicet admonitio præcedens ſecreta, non profit (quia peccatum iterari videtur) oportet ad ulteriora procedere, ut paucis oſtendatur, & talibus qui poſſunt prodeſſe, & de quibus non creditur, quod obſint diffamando: & illi principaliter adhibentur ut admoneant; ſecundo ut admonitionis factæ ſint teſtes; tertio ut negantem coram Eccleſia convincant, ut Auguſtinus dicit in Regula: *Prius tamen* (ſcilicet quam in publicum prodatur) *alteri, vel tertio demonſtretur, ut duorum, vel trium poſſit ore convinci*. 4. *ſent. diſt.* 19. *q.* 2. *a.* 3. *q* 2. *in corp.*

QUÆR. 9. Quomodo in illa teſtium inductione caveri debet, ne detur occaſio peccatum iterandi.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod non poteſt intelligi quod aliquis ex præcedenti monitione non ſit emendatus, niſi per hoc quod actum iterat: unde ad hoc inducendi ſunt teſtes, ut actum iteratum videant, ut pa-

Digitized by Google

patet per Auguſtinum, qui dicit: *prius alteri, vel tertio demonſtrandum*; ſcilicet actum peccati. Non tamen debet aliqua occaſio præberi, ut peccatum iteret, intentione convincendi; quia *non ſunt facienda mala, ut veniant bona*: ſi tamen actus iterati oſtendi teſtibus non poſſint, debent tamen adhiberi ut coram ipſis recognoſcat, vel ſaltem ut ipſi admoneant, ut objurgatio plurimorum eum corrigat; ut ibidem gloſſa dicit: Et has duas cauſas gloſſa tangit ibidem ſuper illud *adhibe tecum* &c. ſcilicet *ſtudio corripiendi, vel convincendi*. 4. *ſent. diſt.* 19. *q.* 2. *art.* 3. *quæſt.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 10. *Quandonam omiſſio correctionis fraternæ ſit meritoria, quando mortalis, & quando venialis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod correctio fraterna tripliciter omitti poteſt: uno quidem modo meritorie, quando ex Charitate aliquis correctionem omittit; dicit enim Auguſt. in 1. de Civit. Dei: *Si propterea quiſque objurgandis, & corripiendis male agentibus parcit, quia opportunum tempus inquiritur, vel eiſdem ipſis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam, & piam erudiendos impediant alios infirmos, & premant, atque avertant a fide, non videtur eſſe cupiditatis occaſio, ſed conſilium Charitatis.*

Alio modo prætermittitur Fraterna correctio cum peccato mortali, *quando ſcilicet formidatur*, ut ibi dicitur, *judicium vulgi, & carnis excruciatio, vel peremptio; dum tamen hæc ita dominantur in animo, quod Fraternæ Charitati præponantur*; & hoc videtur contingere, quando aliquis præſumit de aliquo delinquente probabiliter, quod poſſet eum a peccato retrahere, & tamen propter timorem, vel cupiditatem prætermittitur.

Tertio modo hujuſmodi omiſſio eſt peccatum veniale, quando timor, vel cupiditas tardiorem facit hominem ad corrigendum delicta fratris; non tamen ita, quod ſi ei conſtaret, quod Fratrem poſſet a peccato retrahere, propter timorem, vel cupiditatem dimitteret, quibus in animo ſuo præponit Charitatem Fraternam: & hoc modo quandoque viri Sancti negligunt corrigere delinquentes, 2. 2. *q.* 33. *a.* 2. *ad* 3.

QUÆR. 11. *An quis debeat a correctione ceſſare propter timorem, ne ille fiat deterior, juxta illud Prov. 9. Noli arguere deriſorem, ne oderit te: ubi dicit Gloſſa, non eſt timendum, ne tibi deriſor, cum arguitur, contumelias inferat; ſed hoc potius providendum, ne tractus ad odium, inde fiat pejor.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut dictum eſt, duplex eſt correctio delinquentis; una quidem pertinens ad Prælatos, quæ ordinatur ad bonum commune, & habet vim coactivam, & talis correctio non eſt dimittenda propter turbationem ejus, qui corripitur; tum quia ſi propria ſponte emendari non velit, cogendus eſt per pœnas, ut peccata dimittat, tum etiam quia ſi incorrigibilis ſit, per hoc providetur bono communi, dum ſervatur ordo juſtitiæ; & unius exemplo alii deterrentur; unde judex non prætermittit ferre ſententiam condemnationis in peccantem propter timorem turbationis ipſius, vel etiam amicorum ejus.

Alia vero eſt correctio fraterna, cujus finis eſt emendatio delinquentis, non habens coactionem, ſed ſimplicem admonitionem: & ideo ubi probabiliter æſtimatur quod peccator admonitionem non recipiat, ſed ad pejora labatur, eſt ab hujuſmodi correctione deſiſtendum: quia ea, quæ ſunt ad finem, debent regulari ſecundum quod exigit ratio finis. 2. 2. *q.* 33. *art.*

QUÆR. 12. *Quandonam corrigi debeat delinquens licet prævideatur quod de correctione odium concipiet, & juxta illud Terrentii: Veritas odium parit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſemper vitandum eſt, ne ex correctione ſequatur odium noſtra culpa, ſcilicet ex indiſcreta correptione. Si autem ad odium provocetur, ex quo deberet ad dilectionem incitari, non eſt curandum; præcipue quando ejus peccatum in damnum aliorum vergit: vel etiam damnum ſequens, vel peccatum ipſum eſt gravius odio, quod in nos excitamus: vel quando ſperamus, quod odium paulatim tepeſcet, & tandem correctio ſequetur: quia ſicut dicit Chryſoſtomus: *Melius eſt odium propter Deum quam amicitia quæ eſt propter ipſum: cum enim propter ipſum amamur, debitores ei ſumus: cum odio propter ipſum habemur, debitorem eum nobis facimus.* 4. *ſent. diſt.* 19. *q.* 2. *a.* 2. *q.* 1. *ad* 5. *q.* 3. *de virtut. & unica de correctione a.* 1.

QUÆR. 13. *Cur in correctione parcendum eſt pudori delinquentis.*

Reſp. D. Thomas, quod Auguſtinus in lib. de verbis Domini (ſerm. 16.) explicans illud, *corripe ipſum inter te, & ipſum ſolum*, dicit, *ſtudens correctioni, parcens pudori; forte enim præ verecundia incipit defendere peccatum ſuum: Et quem vis facere meliorem, facis pejorem.* 2. 2. *q.* 33. *a.* 7. *in argumento, Sed contra.*

QUÆR. 14. *An ſit pejor, qui non corripit, quam qui delinquit.*

Reſp. D. Thomas, quod Auguſtinus dicit in lib. de verbis Domini, *ſi neglexeris corri-*

Digitized by Google

gere, pejor eo factus es, qui peccavit. 2.2. *qu.* 33. *art.* 2. *Sed contra.*

QUÆR. 15. *An tantum peccet, qui non corrigit, quam qui peccanti indulget.*

Reſp. D. Thomas, quod Matth. 18. ſuper illud, *Corripe illum inter te, & ipſum*; dicit Gloſſa, *ita peccat qui videns fratrem ſuum peccaſſe, tacet, ſicut ſi peccanti indulget. q.* 3. *de virt. art.* 1. *in arg. Sed contra.*

QUÆR. 16. *An delinquens ſit pluries corripiendus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod cum Dominus dicit: corripe inter te & ipſum ſolum, non intelligendum eſt quod ſemel corripiatur, ſed bis, & ter, aut etiam pluries, quandiu probabiliter ſpes maneat, quod ſecretius corripi poſſit. Cum vero probabiliter præſumitur, quod ſic corrigi non poſſit, tunc intelligitur non audire. *Ibid. art.* 2. *ad* 23.

QUÆR. 17. *An & quomodo ſubditi poſſint corrigere Prælatos delinquentes.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod correctio, quæ eſt actus juſtitiæ per coercitionem pœnæ non competit ſubditis reſpectu Prælati; ſed correctio Fraterna, quæ eſt actus Charitatis pertinet ad unumquodque reſpectu cujuslibet perſonæ, ad quam Charitatem debet habere, ſi in eo aliquid corrigibile inveniatur: actus enim ex aliquo habitu, vel potentia procedens ſe extendit ad omnia, quæ continentur ſub objecto illius potentiæ vel habitus, ſicut viſio ad omnia, quæ continentur ſub objecto viſus.

Sed quia actus virtuoſus debet eſſe moderatus debitis circumſtantiis, ideo in correctione, quia ſubditi corrigunt Prælatos, debet modus congruus adhiberi; ut ſcilicet non cum protervia, duritia, ſed cum manſuetudine, & reverentia corrigantur; unde Apoſtolus primæ ad Tim. 5. *Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut Patrem:* & ideo Dionyſius redarguit Demophilum Monachum, qui Sacerdotem irreverenter correxerat, eum percutiens, & de Eccleſia ejiciens. 2.2. *qu.* 23. *art.* 4. *in corp.* 4. *ſent. d.* 19. *art.* 2. *qu.* 3. *in corp.*

QUÆR. 18. *An ſubditi debeant corrigere Prælatos ſuos ſecrete vel publice juxta illud ad Gal.* 2. *In faciem ei reſtiti: ubi dicit Gloſſa, ut par.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in faciem reſiſtere coram omnibus excedit modum fraternæ correctionis: & ideo ſic Paulus Petrum non reprehendiſſet, niſi aliquo modo par eſſet quantum ad fidei defenſionem. Sed in occulto admonere, & reverenter, poteſt ille, qui non eſt par: unde Apoſtol. ad Coloſs. ultimo ſcribit de ſubditis, ut Prælatum ſuum admoneant, cum dicit, *dicite Archippo, Miniſterium tuum imple.* Sciendum tamen eſt, quod ubi immineret periculum fidei etiam publice eſſent Prælati a ſubditis arguendi: unde & Paulus, qui erat ſubditus Petro, propter imminens periculum ſcandali circa fidem, Petrum publice arguit: & ſicut Gloſ. Auguſtini dicit ad Galat. 2. *Ipſe Petrus exemplum majoribus præbuit, ut ſicubi forte rectum tramitem reliquiſſent, non dedignentur etiam a poſterioribus corripi.* 2.2. *q.* 33. *art.* 4. *ad* 2. *ad Gal. c.* 2. *lect.* 3. *ad Coloſſ. cap.* 4. *lect.* 1.

QUÆR. 19. *An & quomodo ſicut a Prælatis erga ſubditos ſervanda eſt humilitas, ut non frangatur authoritas, ita a ſubditis ſic fieri debeat ad Prælatos correctio, ut non minuatur reverentia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quidam dicunt, quod correctio fraterna non ſe extendit ad Prælatos, tum quia non debet homo os ponere in cælum; tum quia de facili ſcandalizari poſſunt Prælati, ſi a ſubditis corripiantur. Sed hoc nihil eſt. Quia Prælati, inquantum peccant, non ſunt cælum; & ſecundum hoc eis correctio debetur: Nec iterum qui eos charitative corripit, in eos os ponit (ideſt contra eos) ſed pro eis, quia ad utilitatem eorum eos admonet. Nec iterum præſumere debet quis de Prælato quod injuſte ſcandalizetur, niſi contrarium conſtet; quia ipſi ſunt in ſtatu perfectionis; ſcandalum autem paſſivum non convenit perfectis, ſed puſillis. Et ideo dicendum eſt, quod Prælatus ex hoc quod eſt perſona publica, & vicem Dei ſuper ſubditos gerens, non amittit ea, quæ ſunt propria illius ſingularis perſonæ: & ideo omnia illa, quæ debentur alicui ex affectu fraterno, qui ad omnes homines habendus eſt, etiam Prælato debentur; ſicut etiam ipſe aliis debet ea, quæ affectu charitatis expoſtulat, nec ab his ratione Prælationis excuſatur: & ideo ſecundum alios præceptum de fraterna correctione etiam ad Prælatos ſe extendit, ut corripiantur a ſubditis: & ſicut ea quæ ſunt charitatis ad ſubditos, Prælatus taliter gerere debet, ut nullum authoritati præjudicium generetur, *ne dum nimium ſervatur humilitas, regendi frangatur authoritas*, ut Auguſtinus dicit in regula; Ita correctio ad Prælatos taliter debet fieri, ne aliquid reverentiæ ſubtrahatur. Et ideo dicitur 1. Timot. 5. *Seniorem ne increpaveris; ſed obſecra ut patrem.* 4. *ſentent. d.* 19. *qu.* 1. *articul.* 2. *q.* 3.

QUÆR. 20. *An peccator poſſit alios corrigere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod correctio delinquentis pertinet ad aliquem inquantum viget in eo rectum judicium rationis; peccatum autem non tollit totum bonum naturæ, quin remaneat in peccante aliquid de

recto

Digitized by Google

recto judicio rationis, & ſecundum hoc poteſt ſibi competere in ſubditis delictum arguere. Sed tamen per peccatum præcedens impedimentum quoddam huic correctioni affertur propter tria. Primo quidem, quia ex peccato præcedenti indignus redditur, ut alium corrigat, & præcipue ſi majus peccatum commiſit, non eſt dignus, ut alium corrigat de minori peccato: unde ſuper illud Matth. 7. *Quid vides feſtucam, &c.* dicit Hieronymus, *de his loquitur, qui quum mortali crimine detinentur obnoxii, minora peccata fratribus non concedunt*. Secundo redditur indebita correctio propter ſcandalum, quod ſequitur ex correctione, ſi peccatum corripientis ſit manifeſtum; quia videtur, quod ille, qui corrigit, non corrigat ex Charitate, ſed magis ad oſtentationem: unde ſuper illud Matth. 7. *Quomodo dicis fratri tuo &c.* exponit Chryſoſtomus: *quo propoſito puta ex Charitate, ut ſalves proximum tuum: non quia te ipſum ante ſalvares; vis ergo non alios ſalvare, ſed per bonam doctrinam malos actus celare, & ſcientiæ laudes ab hominibus quærere*. Tertio modo propter ſuperbiam corripientis, inquantum ſcilicet aliquis propria peccata parvipendens, ſeipſum proximo præfert in corde ſuo, peccata ejus auſtera ſeveritate dijudicans, ac ſi ipſe eſſet juſtus: unde Auguſtinus dicit in lib. de ſermone Domini in monte: *Accuſare vitia, efficium eſt bonorum virorum, & benevolorum, quod cum mali faciunt, alienas partes agunt*; & ideo ſicut Auguſtinus dicit in eodem: *Cogitemus cum aliquem reprehendere nos neceſſitas cogit, utrum tale ſit vitium, quod nunquam habuimus; & tunc cogitemus, nos homines eſſe, & habere potuiſſe, vel tale, quod aliquando habuimus, & jam non habemus, & tunc tangat memoriam communis fragilitas, ut illam correctionem non odium, ſed miſericordia præcedat: ſi autem inveniremus in eodem vitio nos eſſe, non objurgemus, ſed congemiſcamus, & ad æqualiter conandum invitemus*.

Ex his ergo patet, quod ſi peccator cum humilitate corripiat delinquentem, non peccat, nec ſibi novam condemnationem acquirit; licet per hoc, vel in conſcientia Fratris, vel ſaltem ſua pro peccato præterito condemnabilem ſe eſſe oſtendat. 2. 2. *qu.* 33. *art.* 5. *in corp.*

QUÆR. 21. *Quomodo peccator corrigens alium, ſeipſum condemnat, juxta illud Apoſt. ad Rom. 7. In quo alios judicas, teipſum condemnas.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſemper ille, qui corripit alium, in peccato exiſtens, quodammodo condemnat ſeipſum, ideſt, damnationem ſuam pronunciat, non tamen ſemper ſibi damnationem accumulat; puta cum eſt in minori peccato, & arguit de majori, vel cum eſt in occulto, & arguit de publico, & etiam cum eſt in publico, & ſe ſimul, & illum arguit non contemnendo, ſed ſe ſimul reprehendendo. Dicit enim Gregorius in 5. Moral. quod *cum homo debeat diligere proximum ſicut ſeipſum, ita tenetur aliena peccata corrigere, & contra ea iraſci, ſicut ſua*. Si vero cum ſuperbia arguat quaſi ſua peccata non recognoſcens, tunc ſibi damnationem acquirit, unde dicit Matth. 7. *Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Sed etiam quando ex correctione ſequitur ſcandalum propter manifeſtationem ſui peccati; ſic etiam correctio non erit actus virtuoſus. *qu. 3. de virtutibus, ac unica de Correctione fraterna, art.* 1. *ad* 16.

QUÆR. 22. *An exiſtens in peccato mortali peccet alios corrigendo.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod circa hoc eſt duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod ille, qui eſt in ſimili peccato, vel majori, non poteſt alium corripere, ſive illud notorium ſit, ſive occultum; propter hoc quod alterum judicans contra ſeipſum ſententiam profert. Alii autem dicunt, quod ſi ſit peccatum occultum, abſque peccato poteſt corripere, non autem ſi ſit notorium. Utraque autem opinio quantum ad aliquid vera eſt. Dupliciter enim aliquis corripere poteſt; uno modo ex officio, ſicut Prælati corripiunt: & ſic videtur prima opinio habere veritatem, quia quandocumque aliquis indigne utitur officio ſuo, peccat: ille autem qui eſt in mortali peccato etiam occulto, indigne utitur officio prælationis; unde peccat corripiendo, vel quidquid illud proprii officii exequatur. Alio modo aliquis corripit ex zelo charitatis, non ut Eccleſiæ miniſter: & tunc in correptione non poteſt eſſe peccatum niſi ratione ſcandali; quod non conſurgit niſi de peccato notorio: & ſecundum hoc ſecunda opinio habet veritatem: Unde ſive Prælatus, ſive ſubditus (etiam in peccato notorio exiſtens) aliquem peccare viderit, poteſt eum admonere, non per modum corripientis, ſed per modum rogantis, ut exemplo ſuo non incitetur ad malum. 4. *ſent. diſt.* 19. *qu.* 2. *art.* 2. *qu.* 2. *in corp.*

QUÆR. 23. *An exiſtens in peccato veniali peccet corrigendo de eodem peccato.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod peccatum veniale non reddit aliquem indignum executione officii, ſicut peccatum mortale; nec ita natum eſt ſcandalizare, quia ab eis nullus invenitur immunis, & ideo exiſtens in peccato veniali non peccat, etiamſi de co-

eodem corripiat, niſi probabiliter ex correptione ſcandalum ſequi videatur; & de hoc peccato, ſcilicet veniali, dicitur Joannis 1. *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus.* 4. *ſent. d.* 9. *quæſt.* 2. *art.* 2. *quæſtiunc.* 2. *ad* 1.

QUÆR. 24. *An correctio fraterna præſertim pertineat ad Prælatos, juxta illud D. Hieronym. Sacerdotes ſtudeant illud Evangelii implere, ſi peccaverit in te frater tuus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in correctione fraterna, quæ ad omnes pertinet, gravior eſt cura Prælatorum, ut dicit Auguſt. in primo de Civit. Dei: Sicut enim temporalia beneficia potius debet aliquis exhibere illis, quorum curam temporalem habet, ita etiam beneficia ſpiritualia, puta correctionem, & doctrinam, & alia hujuſmodi magis debet exhibere illis, qui ſunt ſuæ curæ ſpirituali commiſſi. 2. 2. *quæſt.* 33. *art.* 3. *ad* 1.

QUÆR. 25. *An Prælati debeant corrigere delinquentes, etiamſi non emendentur, juxta illud Ezech.* 3. *Si annunciaveris impio, & ille non fuerit converſus ab impietate ſua, ipſe quidem in iniquitate morietur, tu autem animam tuam liberaſti.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſicut Auguſtinus dicit in lib. de verbis Domini: *Longe graviorem habent pœnam Eccleſiarum Præpoſiti, qui in Eccleſiis conſtituti ſunt, ut non parcant objurgando peccata, quia ad eos pertinet non ſolum charitativa correctio, ſed etiam continua.* Et ad tales Dominus ibi loquitur per Prophetam, unde parum ante præmittit. *Fili hominis ſpeculatorem dedi te domus Iſrael: quæſt. unica de Correctione frater. art.* 1. *ad* 6.

QUÆR. 26. *Utrum homines innocentes nedum non debent communicare operibus peccatorum, ſed etiam debeant eos redarguere ne ipſimet puniantur, juxta illud Apoſtoli ad Epheſ.* 5. *Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite.*

Reſp. D. Thomas, iſtis nolite communicare, imitando, coadjuvando, conſentiendo. Eccleſ. 13. *Quæ communicatio homini ſancto ad carnem?* Sed certe hoc non ſufficit, niſi etiam eos reprehendatis, quia, ut dicit Auguſtinus, *aliquando Deus punit communicantes inſontes, quia aliqui boni non reprehendunt malos.* Eccleſ. 7. *Mandavit autem unicuique de proximo ſuo.* Et ideo dicit. *Magis autem redarguite.* 2. Timoth. 4. *&c. Argue, obſecra, increpa, &c. in expoſitione prædicti loci, lect.* 1.

QUÆR. 27. *An ſint quærendi peccatores ut corrigantur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod illa beneficia, quæ non debentur certæ perſonæ, ſed communiter omnibus proximis, ſive ſint corporalia, ſive ſpiritualia non oportet nos quærere, quibus impendamus, ſed ſufficit, quod impendamus eis, qui nobis occurrunt, hoc enim quaſi pro quadam ſorte habendum eſt, ut Auguſtinus dicit in primo de Doctrina Chriſtiana: & propter hoc dicit in libro de verbis Domini, quod *admonet nos Dominus noſter non negligere invicem peccata noſtra, non quærendo quid reprehendas, ſed videndo quid corrigas; alioquin efficeremur exploratores vitæ aliorum, contra id quod dicitur Proverb.* 24. *Ne quæras impietatem in domo juſti, & non vaſtes requiem ejus;* unde patet, quod nec Religioſos oportet exire clauſtrum ad corrigendum delinquentes. 2. 2. *q.* 33. *ar.* 2. *ad* 4. *q.* 3. *de virt. art.* 1. *ad* 9.

QUÆR. 28. *An melius ſit facere correctionem per Prælatum, quam per ſeipſum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in his diſtinguendum eſt de conditionibus ſubditi, & Prælati: nam ſi ego ſcio, quod frater per me corrigetur, tunc non debeo hoc denunciare Prælato; ſi autem videtur, quod melius fiat per Prælatum, & Prælatus nihilominus ſit pius, diſcretus, & ſpiritualis, non habens rancorem, ſeu odium adverſus illum ſubditum, tunc licite poteſt hoc denunciare ipſi, & tunc non dicit Eccleſiæ; quia non dicit ei ſicut Prælato, ſed ſicut perſonæ proficienti ad correctionem proximi, & emendam.

Sed quia propter conditiones diverſas Prælatorum, & ſubditorum non poteſt in hoc dari generale judicium, quia aliquando Prælatus vel movetur ad odium adverſus ſubditum, vel ſubditus non bene ferret verba Prælati: ideo tenendum eſt hoc pro regula, quod in omnibus iſtis ſemper ſervanda eſt Charitas, & quod melius, & magis expedire videtur. Et ſi hoc intendat, ſcilicet emendam proximi, & ſervet quantum poteſt bonum Charitatis, tunc denunciando non peccat. Si vero denunciet cuicumque perſonæ hoc ex malitia, & ut proximus confundatur, vel deprimatur, tunc denuncians, ſive accuſans peccat mortaliter. *Quodlib.* 11. *articul.* 13. *in corp.*

QUÆR. 29. *Quomodo intelligi debeat illud quod Div. Auguſtinus dicit in regula, antequam aliis demonſtretur, per quod convincendus eſt ſi negaverit, Præpoſito debet oſtendi, ſi admonitus neglexerit, corrigi.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Prælatus poteſt dupliciter conſiderari, aut ſecundum quod judicio præſidet; & ſic dicere Prælato eſt dicere Eccleſiæ; & ſic prius debent te-

Digitized by Google

teſtes adhiberi quam Prælato dicatur: aut extra judicium exiſtens, & ſic dicere Prælato non eſt dicere Eccleſiæ, ſed perſonæ quæ poteſt prodeſſe, & non obeſſe; quia nullus poteſt magis prodeſſe quam Prælatus: Et ſecundum hoc debet prius dici Prælato, quam teſtibus oſtendi aliis, ut quanto minus poteſt fieri, publicetur: & tunc Prælatus adhibetur quaſi unus de teſtibus; talis enim debet eſſe ordo correctionis fraternæ, quem Auguſt. in regula tradit, ut cum quis *oculi petulantiam* (vel aliud peccatum quodcumque) *in fratre ſuo advertit, ſtatim admonere debeat, ne male cœpta progrediantur, ſed de proximo corrigantur. Quod ſi poſt admonitionem iterum vel tertio id facere videatur, tunc debet quaſi vulneratus ſanandus manifeſtari*; ſed antequam in publicum prodatur (quod fit cum Eccleſiæ dicitur) *prius debet alteri, vel tertio demonſtrari*; quod eſt adhibere unum, vel duos teſtes: & inter eos, quibus oſtendi debet, antequam aliis oſtendatur, *per quos convincendus eſt ſi negaverit*, prius *præpoſito debet oſtendi*, poſt admonitionem, ut ſecretius correctus non innoteſcat cæteris. Et ita primo debet admoneri; ſecundo Prælato oſtendi; tertio teſtes adhiberi; quarto in publicum produci convincendus ſi negaverit. Sed duo media Dominus ſub uno comprehendit. 4. *ſent. d.* 19. *qu.* 2. *art.* 3. *qu.* 2. *ad* 4.

QUÆR. 30. *An correctio fraterna ſit facienda in ſpiritu lenitatis, & in miſericordia.*

Reſp. D. Thomas, ad Galat. dicitur: *Vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite hujuſmodi in ſpiritu lenitatis.* Auguſt. in Pſalm. 140. ſuper illud, *corripiet me juſtus in miſericordia, & arguet*, ſic ait: *arguet me, ſed in miſericordia: emendabit me, quia perſequitur, abſit? Emendandus eſt potius ipſe ſi odio emendat: quare ergo emendat? in miſericordia: & arguet me, ſed non odit: imo eo magis arguet me, quia non odit: in quo arguet? in miſericordia.* 4. *d.* 19. *qu.* 2. *art.* 3. *qu.* 3. *in argum.*

QUÆR. 31. *An quandoque correctio debeat eſſe vehemens, & dura.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſecundum Gregorium in Paſtorali, *Nonnulla peccata ſunt leviter corrigenda, nam cum non malitia, ſed ignorantia ſola, vel infirmitate delinquitur, neceſſe eſt, ut magno moderamine ipſa delicti correptio temperetur: nonnulla autem ſunt vehementer increpanda, ut cum culpa ab actore non agnoſcitur, quanti ſit ponderis ab increpantis ore ſentiatur; & cum quis ſibi malum, quod perpetravit, levigat, hoc contra ſe graviter ex corripientis aſperitate pertimeſcat.*

Et quamvis ille loquatur de correptione, quæ Prælatis competit; tamen etiam in correptione, quæ ab aliis fit, hoc etiam eſt obſervandum: quamvis fraterna correptio ſemper magis debeat ad lenitatem accedere, quia non ex authoritate officii, ſed ex charitatis affectu exhibetur. 4. *ſent. d.* 19. *qu.* 2. *art.* 3. *quæſt. in corp.*

QUÆR. 32. *An correctio fraterna perturbet charitatem, & pacem, juxta illud Terentii: Veritas odium parit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſi correctio ſecundum debitas circumſtantias fiat, non ſequetur inde turbatio, ſed potius pacis ſtabilimentum remotis diſcordiarum cauſis. *Quæſt.* 3. *de virt. & unica de corred. frat. ad ultimum.*

QUÆR. 23. *An & quando denunciatio fieri poſſit, vel debeat prætermiſſa correctione fraterna.*

Reſpondetur *v. Denunciatio.*

CREDERE.

Vide infra *v. Fides.*

CRIMEN.

V. Accuſatio, Denunciatio, Judicium, Reus.

CRUDELITAS.

QUÆR. 1. *An ſicut ait Seneca in* 2. *de Clementia cap.* 4. *Clementiæ opponatur crudelitas, quæ nihil aliud eſt quam atrocitas animi in exigendis pœnis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod nomen crudelitatis a cruditate ſumptum eſſe videtur: ſicut autem ea quæ ſunt cocta & digeſta, ſolent habere ſuavem & dulcem ſaporem; ita illa quæ ſunt cruda, habent horribilem & aſperum ſaporem: dictum eſt autem ſupra, quod clementia importat quandam animi lenitatem, ſeu dulcedinem, per quem aliquis eſt diminutivus pœnarum: unde directe crudelitas clementiæ opponitur. 2. 2. *q.* 159. *art.* 1. *in corp.*

QUÆR. 2. *Quid importet proprie loquendo crudelitas.*

Reſp. Div. Thomas, crudelitas importat exceſſum in puniendo: unde dicit Seneca in 2. de clementia, quod crudeles vocantur, qui puniendi cauſam habent, modum tamen non habent. 2. 2. *qu.* 157. *art.* 1. *ad* 3.

Videatur etiam ſupra *v. Clementia*, & infra *v. Feritas*, & *v. Sævitia.*

Digitized by Google

CRUX.

Quæritur, An & quomodo debeat Crux adorari.

Reſpondetur *v. Adoratio qu. 9.*

CULTUS.

QUÆR. 1. Quotuplex ſit cultus Dei.

RESp. D. Thomas, dicendum, quod eſt duplex cultus Dei, interior, & exterior: cum enim homo ſit compoſitus ex anima, & corpore, utramque debet applicari ad colendum Deum, ut ſcilicet anima colat interiori cultu, & corpus exteriori; unde dicitur in Pſal. 83. *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum;* & ſicut corpus ordinatur in Deum per animam, ita cultus exterior ordinatur ad interiorem cultum; conſiſtit autem interior cultus in hoc, quod anima conjungatur Deo per intellectum, & affectum: & ideo ſecundum quod diverſimode intellectus, & affectus colentis Deo recte conjungitur, ſecundum hoc diverſimode exteriores actus hominis ad cultum Dei applicantur.

In ſtatu enim futuræ Beatitudinis intellectus humanus ipſam Divinam veritatem in ſeipſa intuebitur, & ideo exterior cultus non conſiſtet in aliqua figura, ſed ſolum in laude Dei, quæ procedit ex interiori cognitione, & affectione, ſecundum illud Iſaiæ 51. *Gaudium, & lætitia invenientur in ea, gratiarum actio, & vox laudis*: in ſtatu autem præſentis vitæ non poſſumus Divinam veritatem in ſeipſa intueri, ſed oportet, quod radius Divinæ veritatis nobis illuceſcat ſub aliquibus ſenſibilibus figuris, ſicut Dionyſius dicit primo cap. cæleſtis Hierarchiæ, diverſimode tamen ſecundum diverſum ſtatum cognitionis humanæ: in veteri etenim lege neque ipſa Divina veritas in ſeipſa manifeſta erat, neque etiam adhuc propalata erat via ad hoc perveniendi, ſicut Apoſtolus dicit ad Heb. 7. & ideo oportebat exteriorem cultum veteris legis non ſolum eſſe figurativum futuræ veritatis manifeſtandæ in Patria, ſed etiam eſſe figurativum Chriſti, qui eſt via ducens ad illam Patriæ veritatem: ſed in ſtatu novæ legis hæc via jam eſt revelata, unde hanc præfigurari non oportet ſicut futuram, ſed commemorari oportet per modum præteriti, vel præſentis; ſed ſolum oportet præfigurari futuram veritatem gloriæ nondum revelatam; & hoc eſt quod Apoſtolus dicit ad Hebr. 10. *Umbram habet lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum*, umbra enim minus eſt quam imago, tanquam imago pertineat ad novam legem, umbra vero ad veterem. *p. 2. qu. 91. art. in corp. qu. 102. art. 5. ad 4.*

QUÆR. 2. An in cultu Dei exteriori poſſit eſſe aliquid pernicioſum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut Auguſtinus dicit in libro contra mendacium, *Mendacium maxime pernicioſum eſt, quod ſit in his, quæ ad Chriſtianam Religionem pertinent;* eſt autem mendacium, cum aliquis exterius ſignificat contrarium veritati: ſicut autem ſignificatur aliquid verbo, ita etiam ſignificatur aliquid facto, & tali ſignificatione facti conſiſtit exterior Religionis cultus; & ideo ſi per cultum exteriorem aliquid falſum ſignificatur, erit cultus pernicioſus.

Hoc autem contingit dupliciter: uno quidem modo ex parte rei ſignificatæ, a qua diſcordat ſignificatio cultus, & hoc modo tempore novæ legis peractis jam myſteriis pernicioſum eſt uti cæremoniis veteris legis, quibus Chriſti myſteria figurabantur futura; ſicut etiam pernicioſum eſſet, ſi quis non confiteretur Chriſtum eſſe paſſum: alio modo poteſt contingere falſitas in exteriori cultu ex parte colentis, & hoc præcipue in cultu communi, qui per Miniſtros exhibetur in perſona totius Eccleſiæ; ſicut enim falſarius eſſet, qui aliqua proponeret ex parte alicujus, quæ non eſſent ei commiſſa; ita vitium falſitatis incurrit, qui ex parte Eccleſiæ cultum exhibet Deo contra modum Divina authoritate ab Eccleſia conſtitutum; unde Ambroſius dicit: *indignus eſt, qui aliter celebrat myſterium, quam Chriſtus tradidit:* & propter hoc etiam Gloſſa dicit ad Coloſſenſ. 2. *Quod ſuperſtitio eſt, quando traditioni humanæ Religionis nomen applicatur. 2. 2. qu. 93. art. 2. in corp.*

QUÆR. 3. An in cultu Dei poſſit eſſe aliquid ſuperfluum & ſuperſtitioſum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aliquid dicitur ſuperfluum dupliciter: uno modo ſecundum abſolutam quantitatem, & ſecundum hoc non poteſt eſſe aliquid ſuperfluum in Divino cultu, quia nihil poteſt homo facere, quod non ſit minus eo, quod Deo debet: alio modo poteſt eſſe aliquid ſuperfluum ſecundum quantitatem proportionis, quia ſcilicet non eſt fini proportionatum; finis autem Divini cultus eſt, ut homo Deo det gloriam, & ei ſe ſubjiciat mente, & corpore; & ideo quidquid homo faciat, quod pertinet ad Dei gloriam, & ad hoc quod mens hominis Deo ſubjiciatur, & etiam corpus per moderatam refrænationem concupiſcentiarum ſecundum Dei, & Eccleſiæ ordinationem, & conſuetudinem eorum, quibus homo

convivit, non eſt ſuperfluum in Divino cultu; ſi autem aliquid ſit, quod quantum eſt de ſe non pertinet ad Dei gloriam, neque ad hoc quod mens hominis feratur in Deum, aut quod carnis concupiſcentiæ immoderatæ refrænentur, aut etiam ſit præter Dei, & Eccleſiæ inſtitutionem, vel contra conſuetudinem communem, quæ ſecundum Auguſtinum pro lege habenda eſt, totum hoc reputandum eſt ſuperfluum, & ſuperſtitioſum; quia in exterioribus ſolum conſiſtens ad interiorem Dei cultum non pertinet; unde Auguſtinus in libro de vera Religione inducit, quod dicitur Lucæ 17. *Regnum Dei intra vos eſt*, contra ſuperſtitioſos, qui ſcilicet exterioribus principalem curam impendunt. 2. 2. *q.* 93. *art.* 2. *in corp.*

CUPIDITAS.

Quæritur, An & quomodo cupiditas ſit radix omnium peccatorum.

Reſponſio videatur ſupra *v. Avaritia q.* 8.

CURA ANIMARUM.

Quæritur, Quot & quæ ſint facienda ab eo, qui curam alterius habet.

RESP. D. Thomas, dicendum, quod ad hoc quod homo recte gradiatur in via ſalutis tria ſunt ei impendenda ab eo, qui ipſius curam gerit. Primo ut in finem rectum ordinetur, & quantum ad hoc dicitur ſuperior inferiorem ſibi commiſſum dirigere. Secundo ut in cautelam adhibeat, ne a via ad finem ducente diſcedat, & quantum ad hoc dicitur eum regere. Tertio ut ſi contingat eum diſcedere, quod ad viam rectam reducat, & quantum ad hoc dicitur ipſum corrigere; quandoque quidem ut rectitudo juſtitiæ fiat ab eo, quando ſcilicet ille, qui deliquerat, emendatur ex cura ſibi impenſa, quandoque autem ut rectitudo juſtitiæ de eo fiat per pœnas inflictas, etiamſi ille non corrigatur ex parte ſua. 4. *ſent. d.* 19. *q.* 2. *a.* 1. *in corp.*

Videatur etiam infra *v. Prælatus, Perfectio ſtatus, Zelus ſalutis animarum.*

CURIOSITAS.

QUÆR. 1. An & in quibus caſibus curioſitas circa ſcientias, aut earum ſtudioſitatem ſit bona, vel mala.

RESP. D. Thomas, dicendum, quod ſtudioſitas non eſt directe circa ipſam cognitionem, ſed circa appetitum, & ſtudium cognitionis acquirendæ: aliter autem eſt judicandum de ipſa cognitione veritatis, & aliter de appetitu, & ſtudio veritatis cognoſcendæ; ipſa enim veritatis cognitio per ſe loquendo bona eſt, poteſt autem per accidens eſſe mala ratione ſcilicet alicujus conſequentis, vel inquantum aliquis de cognitione veritatis ſuperbit, ſecundum illud primæ ad Corinth. 8. *Scientia inflat*, vel inquantum homo utitur cognitione veritatis ad peccandum; ſed ipſe appetitus, vel ſtudium cognoſcendæ veritatis poteſt habere rectitudinem, vel perverſitatem.

Uno quidem modo prout aliquis tendit ſuo ſtudio in cognitionem veritatis, prout per accidens jungitur ei malum, ſicut illi, qui ſtudent ad ſcientiam veritatis, ut inde ſuperbiant: unde Auguſtinus dicit in lib. de moribus Eccleſ. *Sunt, qui deſertis virtutibus, & neſcientes quid ſit Deus, & quanta ſit majeſtas ſemper eodem modo manentis naturæ, magnum aliquid ſe agere putant, ſi univerſam iſtam corporis molem, quam mundum nuncupamus, curioſiſſime intentiſſimeque perquirant; unde tanta ſuperbia gignitur, ut in ipſo cælo, de quo ſæpe diſputant, ſibimet habitare videantur.* Similiter etiam illi, qui ſtudent adinvenire aliquid ad peccandum, vitioſum ſtudium habent, ſecundum illud Hieremiæ 9. *Docuerunt linguam ſuam loqui mendacium, ut inique agerent laboraverunt.*

Alio modo poteſt eſſe vitium ex ipſa inordinatione appetitus, & ſtudii ad diſcendam veritatem, & hoc quadrupliciter: uno modo inquantum per ſtudium minus utile trahuntur a ſtudio, quod eis ex neceſſitate incumbit: unde Hieronymus dicit: *Sacerdotes dimiſſis Evangeliis, & Prophetis videmus comœdias legere, vel amatoria bucolicorum verſuum verba cantare*: alio modo inquantum ſtudet aliquis addiſcere ab eo, a quo non licet, ſicut patet de his, qui aliqua futura a dæmonibus perquiruntur, quæ eſt ſuperſtitioſa curioſitas: unde Auguſtinus dicit in lib. de vera Religione, *neſcio an Philoſophi impedirentur a fide vitio curioſitatis in percunctandis Dæmonibus*. Tertio quando homo appetit cognoſcere veritatem circa creaturas non referendo ad debitum finem, ſcilicet ad cognitionem Dei: unde Auguſtinus dicit in lib. de vera Religione, quod *in conſideratione creaturarum non eſt vana, & peritura curioſitas exercenda, ſed gradus ad immortalia, & ſemper manentia faciendus*. Quarto modo inquantum aliquis ſtudet ad cognoſcendam veritatem ſupra proprii ingenii facultatem, quia per hoc homines de facili in errores labuntur;

unde

unde dicitur Eccl. 3. *Altiora te ne quæſieris: & fortiora te ne ſcrutatus fueris; & in pluribus operibus ejus ne fueris curioſus;* & proſequitur, *multos enim ſupplantavit ſuſpicio eorum, & in vanitate detinuit ſenſus eorum.* 2. 2. *q.* 167. *a.* 1. *in corp.* 3. *ſent. diſt.* 35. *q.* 2. *a.* 3. *quæſtiunc.* 3. *in corp.*

QUÆR. 2. *Quare curioſitas circa ſcientias eſt laudabilis in aliquibus, & vituperabilis in aliis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſcire quantum in ſe eſt nunquam malum eſt, & per conſequens nec addiſcere, quia cujus generatio eſt mala, ipſum eſt malum; ſed per accidens contingit eſſe malum in ſciendo, vel addiſcendo, ſive conſiderando; hoc autem accidens poteſt accidere, vel ex parte cognoſcibilis, vel ex parte cognoſcentis.

Ex parte cognoſcentis eſt duplex accidens, unum eſt quando propter occupationem in ſtudio alicujus ſcientiæ impeditur ab executione officii, ad quod tenetur, ſicut ſi Judex propter ſtudium Geometriæ deſiſteret a cauſis expediendis, vel Sacerdos a confeſſionibus audiendis, quando eas audire tenetur; aliud eſt quando propter delectationem in aliqua ſcientia veniret in contemptum alicujus, quod revereri oportet; ſicut Hieronymo accidit, quia tantum delectabatur in ornatu verborum Tullii, quod deſipiebat ei incultus ſermo Prophetarum, ut ipſe dicit; ſicut etiam accidit illis, qui tantum inhærent rationibus humanis, quod a fide diſcedunt, & eam impugnant.

Ex parte vero cognoſcibilis eſt triplex accidens; unum eſt quando cognoſcibile de facili ad malum inclinat, & præterea in ſe parvæ utilitatis eſt, & propter hoc prohibitæ ſunt ſcientiæ magicæ, ne homo in exercitium earum labatur; aliud eſt quando cognoſcibile eſt ſupra potentiam cognoſcentis; tertium eſt, quando in ſe nullius utilitatis eſt, ſicut facta contingentia hominum; unde & curioſi dicuntur, qui ſunt ſcrutatores conſcientiarum proximi.

In omnibus autem iſtis tribus contingit, quod illud, quod eſt uni curioſum, non eſt curioſum alteri; quia aliquid eſt ſupra unius intellectum, quod non eſt ſupra intellectum alterius, aliquid etiam eſt utile uni, quod non eſt utile alteri, aliquid etiam facile in peccatum præcipitat unum, quod non præcipitat alterum. 3. *ſent. d.* 35. *q.* 2. *art.* 3. *q.* 3. *in corp.*

DÆMON.

QUÆR. 1. *An poſſit Diabolus neceſſitare hominem ad peccandum.*

RESP. D. Thomas, dicendum, quod Diabolus propria virtute, niſi refrænetur a Deo, poteſt aliquem inducere ex neceſſitate ad faciendum aliquem actum, qui de ſuo genere peccatum eſt: non autem poteſt inducere neceſſitatem peccandi: quod patet ex hoc quod homo motivo ad peccandum non reſiſtit niſi per rationem, cujus uſum totaliter impedire poteſt movendo imaginationem, & appetitum ſenſitivum, ſicut in arreptitiis patet; ſed tunc ratione ſic ligata, quidquid homo agat, non imputatur ei ad peccatum: ſed ſi ratio non ſit totaliter ligata, ex ea parte quæ eſt libera, poteſt reſiſtere peccato: unde manifeſtum eſt quod diabolus nullo modo poteſt neceſſitatem inducere homini ad peccandum. 1. 2. *q.* 80. *a.* 3. *q.* 3. *de malo a.* 4. *quodl.* 3. *art.* 8.

QUÆR. 2. *An liceat Dæmones adjurare ad aliquid ab eis addiſcendum, vel obtinendum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod duplex eſt adjurandi modus: unus quidem per modum deprecationis, vel inductionis ob reverentiam alicujus ſacri: alius autem per modum compulſionis. Primo autem modo non licet dæmones adjurare, quia ille modus adjurandi videtur ad quandam benevolentiam, vel amicitiam pertinere, qua non licet ad dæmones uti. Secundo autem adjurationis modo, qui eſt per compulſionem, licet nobis ad aliquid uti; & ad aliquid non licet: Dæmones enim in curſu hujus vitæ nobis adverſarii conſtituuntur: non autem eorum actus noſtræ diſpoſitioni ſubduntur, ſed diſpoſitioni divinæ & ſanctorum Angelorum, quia ut Aug. dicit in 3. de Trin. c. 4. *Spiritus deſertor regitur per Spiritum juſtum.* Poſſumus ergo Dæmones, adjurando per virtutem divini nominis, tanquam inimicos repellere, ne nobis noceant ſpiritualiter vel corporaliter, ſecundum poteſtatem divinam datam a Chriſto; ſecundum illud Luc. 10. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones, & ſupra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Non tamen licitum eſt eos adjurare ad aliquid ab eis addiſcendum, vel etiam ad aliquid per eos obtinendum (quia hoc pertineret ad aliquam ſocietatem cum ipſis habendam) niſi forte ex ſpeciali inſtinctu vel revelatione divina, aliqui ſancti ad aliquos effectus Dæmonum operatione utantur; ſicut legitur de beato Jacobo, quod per dæmones fecit

Digitized by Google

fecit Hermogenem ad ſe adduci. 2. 2. *qu.* 90. *art.* 2. *in corp.*

QUÆR. 3. *An liceat uti adjurationibus Dæmonum, ut ab ipſis veritatem addiſcamus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod necromantici utuntur adjurationibus & invocationibus dæmonum ad aliquid ab eis addiſcendum vel adipiſcendum; & hoc eſt illicitum; unde Chryſoſt. Marci 1. exponens illud verbum Domini quod ſpiritui immundo dixit, *obmuteſce & exi ab homine*, dixit: *ſalutiferum hic nobis dogma datur, ne credamus dæmonibus, quamtumcunque denuncient veritatem. ibid. ad* 2.

QUÆR. 4. *An & quare expectare aliquid a virtute Dæmonum ſit apoſtaſia a fide, ſicut ait D. Auguſtinus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ea quæ ſunt ſupra facultatem humanam, & naturæ a ſolo Deo requirenda ſunt: Et ideo ſicut graviter peccat qui illud quod eſt Dei, creaturæ impendit per idololatriæ cultum; ita etiam graviter peccant qui ea quæ a Deo expectanda ſunt, auxilio Dæmonum implorant: & hujuſmodi eſt vaticinatio de futuro: unde dicitur Eſai. 8. *Nunquid non populus a Deo ſuo requirit?* &c. Et ſimiliter etiam in aliis operibus magicis, in quibus complementum operis ex virtute Dæmonum expectatur: in his enim omnibus eſt apoſtaſia a fide per pactum initum cum Dæmone; vel verbo tenus ſi invocatio interſit, vel facto aliquo etiamſi ſacrificia deſint: non enim poteſt homo duobus Dominis ſervire, ut dicitur Matth. 6. 2. *ſent. d.* 6. *quæſt.* 3. *art.* 2. *in corp.* 2. 2. *qu.* 90 *artic.* 2. & 3. *quæſt.* 95. & *Job.* 4. 40. *Iſaiæ* 3.

QUÆR. 5. *Utrum actus Dæmonis ſit ſemper malus, etiam quando veritatem dicit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod actus Dæmonis eſt duplex: quidam ſcilicet ex voluntate deliberata procedens, & is proprie dici poteſt actus ejus: & talis actus Dæmonis ſemper eſt malus, quia etſi aliquando aliquod bonum faciat, non tamen bene facit: ſicut dum veritatem dicit ut decipiat, & dum non voluntarie credit & confitetur, ſed rerum evidentia coactus: alius autem actus Dæmonis eſt naturalis, qui bonus eſſe poteſt, & atteſtatur bonitati naturæ: & tali bono actu abutitur ad malum. 1. *p. qu.* 64. *art.* 2. *ad* 5.

QUÆR. 6. *Cur Dæmones excitent homines ad riſum, & ad alias levitates, quæ ſunt peccata venialia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod omnia illa, quæ videntur eſſe venialia, Dæmones procurant, ut homines ad ſui familiaritatem attrahant, & ſic deducant eos in peccatum mortale: unde in omnibus talibus mortaliter peccant propter intentionem finis. 1. 2. *qu.* 89. *art.* 4. *ad* 3. *qu.* 7. *de malo art.* 9. *ad* 4.

QUÆR. 7. *Utrum debeamus ſequi bonas inſpirationes, licet incertum ſit an ex Dæmone proveniant: & quomodo diſcerni poteſt an revelationes ſint ex ipſo.*

Reſp. *v. Inſpiratio*, & *v. Revelatio.*

Plura quæ Dæmones concernunt, videri poſſunt ſupra v. Adoratio q. 13. *Aſtrologia judiciaria qu.* 1. & infra *v. Divinatio qu.* 3. *Exorciſmus, Maleficium, Superſtitio, & aliis locis.*

DÆMONIACUS.

QUÆR. 1. *An Dæmoniaci ſciant quid faciunt ex operatione Dæmonum.*

RESp. D. Thomas, nec ipſi homines, quorum rationalis natura eſt, cum Dæmon in eis loquitur ſciunt quid loquantur. 2. 2. *qu.* 96. *art. ad* 2.

QUÆR. 2. *An Dæmoniacis danda ſit Communio.*

Reſp. *v. Communio qu.* 30. & 31.

DAMNUM.

QUÆR., *An ſit ſemper illicitum dare alicui occaſionem periculi, vel damni: & quomodo ille qui damnum intulit ad reſtitutionem teneatur.*

Reſpond. *v. Venditio qu.* 9. & *v. Reſtitutio qu.* 4.

DEBITUM CONJUGALE.

QUÆR. 1. *An vir, & uxor ſint æquales in petendo, & reddendo debitum.*

RESp. D. Thomas, dicendum, quod quia duplex eſt æqualitas, ſcilicet quantitatis, & proportionis; æqualitas quidem quantitatis eſt, quæ attenditur inter duas quantitates ejuſdem menſuræ, ſicut bicubiti ad bicubitum; ſed æqualitas porportionis eſt, quæ attenditur inter duas proportiones ejuſdem ſpeciei, ſicut dupli ad duplum: loquendo ergo de prima æqualitate, vir & uxor non ſunt æquales in matrimonio neque quantum ad actum conjugalem, in quo id quod nobilius eſt, viro debetur; neque quantum ad domus diſpenſationem, in qua uxor regitur, & vir regit: ſed quantum ad ſecundam æqualitatem ſunt æquales in utroque, quia ſicut tenetur vir uxori in actu conjugali, & diſpenſatione domus ad id quod viri eſt, ita uxor viro ad id quod uxoris eſt. Et ſecundum hoc dicitur, quod

Digitized by Google

quod ſunt æquales in reddendo, & petendo debitum. 4. *ſent. d. 32. art. 2. in corp. d. 36. art. 3. ad 3.*

QUÆR. 2. *Utrum alter conjugum teneatur alteri ad reddendum debitum ex neceſſitate præcepti, etiam cum detrimento ſanitatis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quia matrimonium eſt principaliter inſtitutum in officium naturæ, ideo in actu ejus conſiderandus eſt motus naturæ, ſecundum quem nutritiva non miniſtrat generativæ niſi id quod ſuperfluit ad conſervationem individui; quia hic eſt ordo naturalis, ut prius aliquid in ſeipſo perficiatur, & poſtmodum alteri de perfectione ſua communicet; hoc etiam ordo Charitatis habet, quæ naturam perficit: & ideo cum uxor in virum poteſtatem non habeat, niſi quantum ad generativam virtutem, non autem quantum ad ea, quæ ſunt ad conſervationem individui ordinata, vir tenetur uxori reddere debitum in his, quæ ad generationem prolis ſpectant, ſalva tamen prius incolumitate perſonæ. 4. *ſent. d. 3. art. 1. in corp. & ad 2.*

QUÆR. 3. *An poſſit vir negare debitum uxori petenti, quando foret nocivum, vel ratione infirmitatis, vel ratione ſolutionis jam factæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod uxor non habet poteſtatem in corpus viri niſi ſalva perſona ipſius, ut dictum eſt: unde ſi ultra exigat, non eſt petitio debiti, ſed injuſta exactio: Et propter hoc vir non tenetur ei ſatisfacere. 4. *ſent. d. 32. qu. 1. art. 1. ad 2. 4. ad Hannib. d. 32. art. 2. ad 1.*

QUÆR. 4. *Utrum obliget debitum conjugale quando eſt nocivum ſaluti ſpirituali.*

Reſp. D. Thomas, non poteſt in detrimentum ſpiritualis ſalutis redditio debiti vergere, quamvis per hujuſmodi actum aliquis ineptus ad ſpiritualia reddatur; quia hoc non eſt ratione peccati, ſed ratione carnalis paſſionis. 4. *ad Hannib. d. 32. art. 2. ad 1.*

QUÆR. 5. *An uxor teneatur reddere debitum viro non petenti expreſſe.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod vir, quia nobiliorem partem habet in actu conjugali, naturaliter habet, quod non ita erubeſcat petere debitum ſicut uxor: & inde eſt, quod uxor non ita tenetur reddere debitum non petenti viro, ſicut vir uxori. 4. *ſent. d. 32. art. 3. ad 2.*

QUÆR. 6. *An vir teneatur reddere debitum uxori non petenti expreſſe.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod petere debitum eſt dupliciter: uno modo expreſſe, ut quando verbis invicem petunt: alio modo eſt petitio debiti interpretata, quando ſcilicet vir percipit per aliqua ſigna, quod uxor vellet ſibi debitum reddi, ſed propter verecundiam tacet; & ita etiam ſi non expreſſe verbis debitum petat, tamen tenetur vir reddere, quando expreſſa ſigna in uxore apparent voluntatis debiti reddendi. 4. *ſent. d. 32. art. 2. qu. 1. in corp.*

QUÆR. 7. *An peccet quis reddens ſe impotentem ad debitum reddendum: & quomodo debet tunc ſe gerere erga uxorem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſi aliquis redditur impotens ad debitum ſolvendum ex cauſa ex matrimonio conſecuta, puta cum prius debitum redditur, & eſt impotens ad debitum ſolvendum ulterius, mulier non habet jus plus petendi, & in petendo ulterius ſe magis meretricem, quam conjugem exhibet: ſi autem reddatur impotens ex altera cauſa, ſi illa eſt licita, ſic iterum non tenetur, nec poteſt mulier exigere; ſi non eſt, tunc peccat; & peccatum uxoris, ſi in fornicationem propter hoc labatur, aliquo modo ſibi imputatur; & ideo debet, quantum poteſt, operam dare, ut uxor ſe contineat. 4. *ſent. d. 32. art. 1. ad 3.*

QUÆR. 8. *An uxor teneatur reddere debitum viro leproſo.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod lepra ſolvit ſponſalia, ſed non matrimonium; unde uxor etiam viro leproſo tenetur reddere debitum, non tamen tenetur ei cohabitare; quia non ita cito inficitur ex coitu ſicut ex frequenti cohabitatione. Et quamvis proles generetur infirma, tamen melius eſt ei ſic eſſe, quam penitus non eſſe. 4. *ſent. d. 32. art. 1. ad 3. diſt. 36. art. 1. ad 6.*

QUÆR. 9. *An teneatur vir leproſus prope uxorem manere, ut poſſit ei debitum reddere.*

Reſp. D. Thomas, licet poſſit ob lepram diſcedere a cohabitatione, non tamen a toro quin aliquando teneatur reddere debitum, prope eam manendo. 1. *ad Corinth. 7. lect. 3. 4. ad Hannib. diſt. 32. art. 2. ad 2.*

QUÆR. 10. *An liceat mulieri menſtruatæ petere debitum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quod accedere ad menſtruatam in lege prohibitum erat duplici ratione, tum propter immunditiam, tum propter nocumentum, quod in prole ex hujuſmodi commixtione ſequebatur; & quoad primum, præceptum erat ceremoniale, ſed quantum ad ſecundum erat morale, quia cum matrimonium ſit ad bonum prolis principaliter ordinatum, ordinatus eſt omnis matrimonii uſus, quo bonum prolis intenditur: & ideo hoc præceptum obligat etiam in nova lege propter ſecundam rationem, etſi non propter primam.

Fluxus tamen menſtruorum poteſt eſſe naturalis, & innaturalis; naturalis quidem quan-

quando ſcilicet mulieres patiuntur temporibus determinatis quando ſunt ſanæ; innaturalis autem quando inordinate, & quaſi continue ex aliqua infirmitate fluxum ſanguinis patiuntur: in fluxu ergo menſtruorum innaturalium non eſt prohibitum ad mulierem menſtruatam accedere in lege nova, tum propter infirmitatem, quia mulier in tali ſtatu concipere non poteſt; tum quia talis fluxus eſt perpetuus, & diuturnus; unde oporteret quod vir perpetuo abſtineret: ſed quando naturaliter mulier patitur fluxum menſtruorum, poteſt concipere; & iterum talis fluxus non durat, niſi ad modicum tempus; unde prohibitum eſt talem accedere. Et ſimiliter prohibitum eſt mulieri in tali fluxu debitum petere. 4. *ſent. d.* 32. *art.* 2. *q.* 2. *in corp.*

QUÆR. 11. *An mulier menſtruata debeat reddere debitum: & utrum debeat ſuam paſſionem indicare.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod circa hoc dixerunt quidam, quod mulier menſtruata ſicut non debet petere debitum, ita nec reddere, ſicut enim non teneretur reddere, ſi haberet infirmitatem in propria perſona, ex qua periculum ei immineret; ita non tenetur reddere ad vitandum periculum prolis: ſed iſta opinio videtur derogare matrimonio, per quod datur omnimoda poteſtas viro in corpus mulieris quantum ad matrimonialem actum; nec eſt ſimile de infirmitate corporis prolis, & periculo proprii corporis; quia ſi mulier infirmatur, certiſſimum eſt, quod ex carnali actu periculum ei imminet; non autem ita certum eſt de prole, quæ forte nulla ſequetur.

Et ideo alii dicunt, quod mulieri menſtruatæ nunquam licet petere debitum, ſi tamen vir ejus petat, aut petit ſcienter, aut ignoranter: Si petit ſcienter, tunc debet eum avertere precibus, & monitis, tamen non ita efficaciter, ut poſſit eſſe occaſio incidendi in alias damnabiles corruptelas, ſi ad id pronus credatur: aut ignoranter, & mulier poteſt aliquam occaſionem prætendere, vel infirmitatem allegare, ne debitum reddat, niſi periculum viro timeatur. Tamen finaliter ſi vir non deſiſtit a petitione, debet debitum reddere poſcenti.

Paſſionem vero ſuam non eſt tutum indicare, ne forte vir ex hoc ad eam abominationem concipiat, niſi de viri prudentia præſumatur. 4. *ſent. d.* 32. *quæſtiunc.* 3. *art.* 1. *in corp.*

QUÆR. 12. *Utrum tam conjux reddens quam petens debitum tempore menſtrui, mortaliter peccet, cum Levitici* 20. *dicatur, Quod ſi aliquis ad menſtruatam acceſſerit, uterque morte eſt puniendus.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod hoc intelligendum eſt, quando uterque voluntarie conſentit; non autem ſi mulier involuntaria, & quaſi coacta debitum reddat. 4. *d.* 32. *artic.* 2. *ad* 1.

QUÆR. 13. *An ſaltem, quando mulier menſtruata eſt ſterilis, poſſit petere debitum.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod quandiu mulier menſtrua patitur, non poteſt eſſe certum eam eſſe ſterilem: Quædam enim in juventute ſunt ſteriles, quæ proceſſu temporis ſunt fœcundæ, & e converſo, ut dicitur in 16. de animalibus. 4. *diſt. qu.* 1. *articul.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 14. *An vir ſeminifluus poſſit debitum petere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod fluxus ſeminis in viro ex infirmitate procedit, nec ſemen ſic fluens eſt aptum ad generationem: Et præterea talis paſſio eſt diuturna, vel perpetua, ſicut lepra; unde non eſt ſimilis ratio. 4. *ſentent. d.* 32. *qu.* 1. *articul.* 2. *quæſt.* 2. *ad* 1.

QUÆR. 15. *An liceat accedere ad mulierem prægnantem.*

Reſpondetur *v. Aborſus qu.* 3.

QUÆR. 16. *An vir, & uxor poſſit votum emittere contra debitum Matrimonii ſine mutuo conſenſu.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod vovere voluntatis eſt, ut etiam ipſum nomen oſtendit; unde de illis tantum bonis poteſt eſſe votum, quæ noſtræ ſubjacent voluntati, qualia non ſunt ea, in quibus unus alteri tenetur, & ideo in talibus non poteſt aliquis votum emittere ſine conſenſu ejus, cui tenetur: unde cum conjuges ſibi invicem teneantur in redditione debiti, ut dictum eſt, per quod continentia impeditur, non poteſt unus abſque conſenſu alterius continentiam vovere, & ſi voverit, peccat: nec debet ſervare votum, ſed agere pœnitentiam de malo voto facto. 4. *ſent. d.* 32. *art.* 4. *in corp.*

QUÆR. 17. *An unus poſſit ſine conſenſu alterius vovere de non petendo debitum, illud tamen reddendo.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod circa hoc eſt duplex opinio: quidam enim dicunt, quod unus abſque conſenſu alterius poteſt vovere, quod non petat debitum, non autem quod non reddat: quia in primo eſt uterque ſui juris, ſed non in ſecundo: ſed quia ſi alter nunquam peteret debitum, ex hoc alteri matrimonium oneroſum redderetur, dum oporteret unum ſemper confuſionem debiti petendi ſubire; ideo alii probabilius dicunt, quod neutrum poteſt unus abſque conſenſu alterius vovere. 4. *ſent. d.* 32. *art.* 4. *ad* 3.

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 18. *An peccet conjux, non conſentiens voto continentiæ alterius; atque ita profectum ipſius ſpiritualem impediens.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod de quolibet debemus præſumere bonum, ad quod de neceſſitate tenetur: conjux autem non tenetur velle continentiam ſervare (cum hoc ſit in Conſilio) & per conſequens conjugis continentiam acceptare. Nec peccat profectum ſpiritualem conjugis impediens, qui in ſuum præjudicium redundaret. 4. *ad Hannib. d.* 32. *art.* 3. *ad* 1.

QUÆR. 19. *An poſſit vir revocare uxorem ad ſe, etiamſi de licentia ipſius caſtitatem voverit: & quomodo intelligatur illud Auguſtini: Non tamen mulieri ex hoc permiſſum dedit, ut cum prius ei conceſſerit, poſtea ſi prohibuerit, contemnatur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod videtur ex hoc quod vir poſſit revocare uxorem ad ſe, etiamſi de licentia ſua caſtitatem vovit. Et dicendum quod verbum Auguſt. intelligitur, quando vir diſſimulavit ante plenam deliberationem, quæ quidem diſſimulatio quidam conſenſus videtur: ſi autem expreſſe conſenſiſſet, non poſſet votum revocare; unde loquitur quantum ad judicium Eccleſiæ, quando permiſſio non poteſt probari; unde propter periculum talia vota occulta non ſunt approbanda. 4. *ſent. diſt.* 32. *in expoſ. text.*

QUÆR. 20. *An tempore cruciatæ poſſit vir abſque conſenſu uxoris Crucem accipere, vel etiam militare ſub Domino terreno, cujus fundum poſſidet. Et utrum ſimiliter uxor poſſit a viro recedere abſque ipſius conſenſu.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſatis probabile eſt quod uxor debet velle continere ad tempus pro ſubveniendo neceſſitati Eccleſiæ generalis: & ideo in favorem negotii pro quo Crux datur, inſtitutum eſt quod vir poſſit abſque conſenſu uxoris Crucem accipere; ſicut etiam poſſet domino ſuo terreno, a quo fundum tenet, abſque ejus conſenſu militare. Nec tamen in hoc omnino ſubtrahitur mulieri jus ſuum; quia uxor poteſt eum ſequi. Nec eſt ſimile de uxore ad virum; quia cum vir debeat regere uxorem, non e converſo, magis tenetur uxor ſequi virum quam e converſo. Et præterea uxor majori periculo caſtitatis diſcurreret per terras, quam vir, & cum minori Eccleſiæ utilitate: & ideo uxor non poteſt hujuſmodi votum facere ſine viri conſenſu. 3. *ſentent. d.* 32. *qu.* 1. *art.* 4. *ad* 1. 4. *ad Hannib. d.* 32. *art.* 3. *ad* 2.

QUÆR. 21. *Utrum uxor ſub prætextu debiti conjugalis impedire poſſit obſequium, quod vir tenetur reddere Domino ſuo.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſicut mulier accipit poteſtatem in corpore viri ſalvo hoc, in quo vir tenetur corpori ſuo; ita etiam ſalvo hoc, in quo alii Domino tenetur: & ideo ſicut uxor non poteſt petere debitum a viro contra ſalutem corporis ſui; ita nec ad impediendum hoc, in quo Domino tenetur. Sed præter hoc non poteſt Dominus prohibere, quin debitum reddat. 4. *ſent. d.* 32. *art.* 4. *ad* 4.

QUÆR. 22. *An vir poſſit avertere uxorem, ne petat debitum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod non debet vir uxorem avertere, ne petat debitum, niſi propter aliquam rationabilem cauſam: & tunc non debet cum magna inſtantia averti propter pericula imminentia. 4. *ſentent. d.* 32. *art.* 2. *quæſt.* 1. *ad* 4.

QUÆR. 23. *An ſit tempus reddendi debitum non ſolum quando petitur, ſed etiam quando periculum timetur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod tempus determinatum ſolutionis debiti non eſt ſolum quando petitur, ſed quando timetur ex aliquibus ſignis periculum, ad quod vitandum ordinatur debiti redditio, niſi tunc reddatur. 4. *ſent. d.* 32. *art.* 2. *quæſtiunc.* 1. *ad* 1.

QUÆR. 24. *Utrum actus matrimonii ordinari poſſit ad vitandam fornicationem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſi aliquis per actum matrimonii intendat vitare fornicationem in conjuge, non eſt aliquod peccatum; quia hoc eſt quædam redditio debiti, quod ad bonum fidei pertinet: ſed ſi intendat vitare fornicationem in ſe, ſic eſt ibi alia ſuperfluitas; & ſecundum hoc eſt peccatum veniale; nec ad hoc eſt matrimonium inſtitutum, niſi ſecundum indulgentiam, quæ eſt de peccatis venialibus. 4. *ſentent. d.* 31. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 2. 1. *ad Corinth.* 7.

QUÆR. 25. *Utrum accedere ad uxorem ſolæ cauſa ſanitatis ſit peccatum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quamvis intendere ſanitatis conſervationem non ſit per ſe malum, tamen hæc intentio efficitur mala, ſi ex aliquo ſanitas intendatur, quod non eſt ad hoc de ſe ordinatum, ſicut qui ex Sacramento Baptiſmi tantum ſalutem corporalem quæreret: & ſimiliter eſt in propoſito, de actu matrimoniali. 4. *ſentent. d.* 31. *qu.* 2. *art.* 2. *ad* 4.

QUÆR. 26. *An & quando debitum conjugale ſit meritorium, vel peccatum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod cum nullus actus ex deliberata voluntate procedens ſit indifferens, actus matrimonialis ſemper eſt peccatum, vel meritorius in eo, qui gratiam habet: ſi enim ad actum matrimonialem virtus inducat, vel juſtitiæ ut debitum reddat,

Digitized by Google

dat, vel religionis ut proles ad cultum Dei procreetur, eſt meritorius.

Si autem moveat libido ſiſtens infra bona matrimonii, ut ſcilicet nullo modo ad aliam accedere vellet, eſt peccatum veniale: ſi autem extra bona matrimonii efferatur, ut ſcilicet cum quacunque muliere id facere proponeret, eſt peccatum mortale: natura autem movere non poteſt, quin vel ordinetur ratione, & ſic erit motus virtutis; vel non ordinetur, & ſic erit motus libidinis. *4. ſent. d. 26. qu. 1. art. 4. in corp.*

QUÆR. 27. *Quandonam delectatio actus matrimonialis ſit peccatum mortale, aut veniale: & utrum perfectio exigat, quod odio habeatur, vel non acceptetur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quidam dicunt quod quandocunque ad actum conjugalem libido principaliter movet, eſt peccatum mortale; ſed quando movet ex latere, tunc eſt peccatum veniale; quando autem delectationem omnino reſpuit, & diſplicet ei, tunc eſt omnino abſque veniali peccato: ut ſic delectationem in actu illo quærere ſit peccatum mortale, Delectationem oblatam acceptare, ſit peccatum veniale; ſed eam odire ſit perfectionis. Sed hoc non poteſt eſſe: quia ſecundum Philoſophum in 10. Ethic. *idem eſt judicium de delectatione & operatione; quia operationis bonæ eſt delectatio bona, & malæ mala*: unde cum actus matrimonialis non ſit per ſe malus, nec quærere delectationem erit peccatum mortale ſemper. Et ideo dicendum quod ſi delectatio quæratur ultra honeſtatem matrimonii, ut ſcilicet quia aliquis in conjuge non attendat, quod conjux eſt, ſed ſolum quod mulier eſt, idem paratus facere cum ea, ac ſi non eſſet conjux, eſt peccatum mortale, & talis dicitur ardentior amator uxoris, quia ſcilicet ardor ille extra bona matrimonii effertur: ſi autem quæratur delectatio infra limites matrimonii, ut ſcilicet talis delectatio in alia non quæratur, quam in conjuge, ſic eſt veniale peccatum. *4. ſent. diſt. 31. q. 2. cap. 3.*

QUÆR. 28. *An temporibus Sacris debeat aliquis impediri, quin debitum petat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod actus matrimonialis quamvis culpa careat, tamen quia rationem deprimit propter carnalem delectationem, hominem reddit ineptum ad ſpiritualia: & ideo in diebus, in quibus præcipue ſpiritualibus eſt vacandum, non licet petere debitum. *4. ſent. d. 32. art. 5. qu. 1. in corp. qu. 2. ad 2.*

QUÆR. 29. *Utrum quando in diebus feſtivis inſurgit concupiſcentia, debet ei ſubveniri per petitionem debiti, vel alia ſint adhibenda remedia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod tempore illo poſſunt alia adhiberi ad concupiſcentiam reprimendam; ſicut oratio, & multa alia hujuſmodi, quæ etiam illi adhibent, qui perpetuo continent. *4. diſt. 32. qu. 1. art. 5. qu. 1. ad 1. 4. ad Hannib. diſt. 32. artic. 4. ad 1.*

QUÆR. 30. *Cur debitum conjugale impediat communionem, potius quam peccatum poſt contritionem, & confeſſionem.*

Reſponſio videatur ſupra, *v. Communio qu. 41.*

QUÆR. 31. *An & quare reddens debitum conjugale quando tenetur, proindeque præceptum implens, nihilominus reddatur ineptus ad Eucharistiam ſumendam & divina officia exequendam, & de quibus intelligatur illud Hieronymi dicentis: ille qui uxori debitum reddit, non poteſt carnes agni edere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aliquis implens aliquod præceptum poteſt reddi inhabilis ad aliquod officium ſacrum exequendum; ſicut judex qui hominem ad mortem condemnat, præceptum implens, irregularis efficitur: & ſimiliter etiam ille qui præceptum implens debitum ſolvit, redditur ineptus ad divina officia exequenda, non quod ille actus ſit peccatum, ſed ratione carnalitatis illius actus: & ſic ſecundum quod magiſter dicit Hier. loquitur tantum de miniſtris Eccleſiæ, non autem de aliis qui ſunt ſuo judicio relinquendi: quia poſſunt & ex devotione dimittere, & ſumere corpus Chriſti abſque peccato. *4. ad Hannib. 32. qu. 1. artic. 1. ad 1.*

QUÆR. 32. *An qui petit debitum die feſtivo peccet mortaliter.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod petere debitum in die feſtivo non eſt circunſtantia trahens ad aliam ſpeciem peccati; unde non poteſt in infinitum aggravare: & ideo non peccat mortaliter uxor vel vir, ſi in die feſto petat. Sed tamen gravius eſt peccatum, ſi ſola delectationis cauſa petatur, quam ſi propter timorem, quo quis ſibi timet de lubrico carnis, niſi debitum petat. *4. ſent. d. 32. ar. 5. q. 2. in corp.*

QUÆR. 33. *Cur ſicut D. Gregorius dicit in 1. dialogorum: mulier, quæ in nocte cognita eſt a viro, mane ad proceſſionem veniens a Diabolo eſt arrepta.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod non fuit punita mulier illa propter hoc quod debitum reddidit, ſed quia poſtmodum ſe temere ad Divina ingeſſit contra conſcientiam. *4. ſentent. d. 32. art. 5. qu. 2. ad 1.*

QUÆR. 34. *An debitum debeat reddi tempore feſti-*

feſtivo ; & quocunque alio , & etiam quacunque hora , ſalva tamen debita honeſtate.

Reſp. D. Thomas , dicendum , quod cum mulier habeat poteſtatem in corpore viri quantum ad actum generationis ſpectat , & e converſo, tenetur unus alteri debitum reddere quocunque tempore , & quacunque hora , ſalva debita honeſtate, quæ in talibus exigitur; quia non oportet quod ſtatim in publico debitum reddat. 4. *ſent. d.* 32. *art.* 5. *q.* 3. *in corp. lect.* 1. *ſuper cap.* 7. *prima ad Corinth.*

QUÆR. 35. *Utrum ille qui reddit debitum tempore ſacro , peccet , conſentiendo petenti qui peccat, cum juxta Apoſtolum ad Rom.* 1. *peccantes pariter puniantur.*

Reſp. D. Thomas , dicendum, quod in tempore ſacro abſque peccato poſcenti debitum redditur , non tamen petitur abſque peccato: qui enim reddit invitus , non conſentit , ſed cogitur: nec fractor eſt præcepti ; quia damnum illius horæ poteſt aliis horis recompenſari , ut divinis vacetur . Eſt enim ſalubriter inſtitutum , ut quolibet tempore debitum reddatur petenti, ad vitandum occaſiones peccati. 4. *ad Hannib. diſt.* 32. *art.* 4. *ad* 2. 4. *ſent. d.* 32. *q.* 1. *art.* 5. *q.* 3. *ad* 1.

QUÆR. 36. *An petens debitum in tempore ſacro, peccet, ſi hoc faciat ex contemptu, vel etiam ſolummodo ex puſillanimitate.*

Reſp. D. Thomas , dicendum , quod petens debitum in tempore ſacro , ſi petat ex contemptu, mortaliter peccat: ſi autem ex puſillanimitate, timens ſibi de lubrico carnis, non peccat mortaliter ; cum tempus ſacrum non ſit circunſtantia trahens in aliud genus peccati; & ita non aggravat in infinitum. 4. *ad Hann. diſt.* 32. *art.* 4. 3.

QUÆR 37. *Utrum ex hoc quod Dominus præcepit Exodi* 19. *Nolite appropinquare uxoribus veſtris , quando ſcilicet erant legem accepturi , inferatur quod ſit peccatum mortale , ſi tempore quo Sacramentis novæ legis intendendum eſt , uxoribus viri commiſceantur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ex authoritate illa non poteſt probari, quod ſit peccatum mortale, ſed quod ſit incongruum: multa enim ad munditias carnis pertinentia exigebantur de neceſſitate præcepti in veteri lege (quæ carnalibus dabatur) quæ non exiguntur in nova lege, quæ eſt lex ſpiritus. 4. *d.* 32. *q.* 1. *art.* 5. *q.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 38. *Cur Exodi* 19. *præcipitur populo, qui debebat Deum videre , quod non accederent ad uxores ſuas : & D. Hieronymus dicit , quod in actu matrimoniali Spiritus Sanctus Prophetarum corda non tangit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Deo conjungimur , & ſecundum habitum gratiæ, & ſecundum actum contemplationis & amoris . Quod ergo primam conjunctionem ſeparat , ſemper eſt peccatum ; non autem quod ſeparat ſecundam ; quia aliqua occupatio licita circa res inferiores animum diſtrahit, ut actu Deo conjungi non ſit idoneus: & hoc præcipue accidit in carnali conjunctione , in qua detinetur mens propter delectationem intenſam: & propter hoc illis quibus competit divina contemplari, aut ſacra tractare , indicitur pro tempore illo continentia ab uxoribus: & ſecundum hoc etiam dicitur quod Spiritus Sanctus quantum ad actum revelationis ſecretorum non tangebat mentes Prophetarum in uſu matrimonii. 4. *ſent. d.* 26. *qu.* 1. *art.* 3. *ad* 2.

QUÆR. 39. *Quomodo intelligatur illud Apoſtoli* 1. *ad Corinthios* 7. *Nolite fraudare invicem , niſi forte ex conſenſu ad tempus ut vacetis orationi , & iterum revertimini in idipſum , ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram.*

Reſp. D. Thomas, agit de intermiſſione debiti reddendi . Et primo oſtendit qualiter intermitti debeat actus conjugalis . Circa quod docet unum eſſe cavendum , ne ſcilicet hoc per fraudem fiat dicens , *nolite fraudare invicem* , ut ſcilicet velit vir continere invita uxore , aut etiam e contrario . Quod Apoſt. fraudem nominat : quia unus ſubtrahit alteri quod ei debetur , quod ad fraudem pertinet , non minus in actu matrimonii, quam in aliis rebus . Unde & Prov. 22. dicitur: *Non inveniet fraudulentus lucrum* ; quia ſcilicet ille , qui tali fraude continentiam Deo offert, non lucratur meritum vitæ æternæ . Sicut enim dicit Auguſt. Epiſt. 199. *Non vult Deus tale lucrum tali damno compenſari , ut dum unus conjugum continet altero invito , ille incidat in damnabiles corruptelas* . Tria autem docet obſervanda in tali intermiſſione: quorum primum eſt, ut fiat ex communi conſenſu : unde dicit, *niſi forte ex conſenſu* . Unde dicitur Eccl. 25. *In tribus beneplacitum eſt ſpiritui meo , quæ ſunt probata coram Deo & hominibus : concordia fratrum , & amor proximorum , vir & mulier bene ſibi conſentientes* . Secundum eſt, ut ſit ad certum tempus; unde ſubdit: *niſi forte ad tempus* , ſecundum illud Eccl. 3. *Tempus amplexandi & tempus longe fieri ad amplexibus*: Tertium eſt ut hoc fiat propter debitum finem , ſcilicet , cauſa ſpiritualium actuum, ad quos continentia reddit magis aptos. Unde ſubdit, *ut vacetis orationi*, ſecundum illud Joel. 2. *Sacrificium & libamen Domino Deo noſtro*: Et poſtea ſubdit, *egrediatur ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa*

Digitized by Google

ſa de thalamo ſuo. Secundo agit de reiteratione conjugalis actus: & primo ponit documentum dicens, *iterum revertimini in idipſum*, ut ſcilicet, vobis invicem debitum reddatis, finito tempore orationis. Unde & 3. Regum 8. dicitur: Quod celebratis dedicationis ſolemniis profecti ſunt in tabernacula ſua lætantes. Secundo aſſignat rationem documenti. Non enim hoc dicit quaſi ſit neceſſarium ad ſalutem, ſed ad periculum vitandum; unde ſubdit: *ne tentet vos Satanas*, ideſt, ne ſua tentatione vos proſternat; ſicut etiam dicitur 1. Theſsal. 3. *Ne forte vos tentaverit is, qui tentat, & inanis ſit labor veſter*. Tentatio autem Satanæ non eſt fortibus timenda, de quibus dicitur 1. Joann. 2. *Scribo vobis juvenes, quoniam fortes eſtis, & verbum Dei manet in vobis, & viciſtis malignum*. Eſt autem timenda debilitas; unde ſubdit: *propter incontinentiam veſtram*, ideſt propter pronitatem ad incontinentiam, ex quo contingit, quod diabolus hominem tentando proſternit, & provocatur ad tentandum, ſecundum illud 1. Petri ultim. *Circuit quærens, quem devoret. In expoſit. illius cap. lect. 1.*

Plura de conjugali debito videri poſſunt infra v. Matrimonium, præſertim quando agitur de impedimentis conditionis, voti, cognationis, & criminis.

DECIMÆ.

QUÆR. 1. Utrum homines teneantur dare decimas de neceſſitate præcepti, tum naturalis, tum Divini, tum Eccleſiaſtici.

RESP. D. Thomas, dicendum, quod Decimæ in veteri lege dabantur ad ſuſtentationem miniſtrorum Dei; unde dicitur Malachiæ 3. *Inferte omnem decimationem in horreum meum, ſit cibus in domo mea*; unde præceptum de ſolutione decimarum partim quidem erat morale inditum naturali ratione, partim autem erat judiciale ex Divina inſtitutione robur habens.

Quod enim eis, qui Divino cultui miniſtrabant ad ſalutem populi totius, populus neceſſaria victus miniſtraret, ratio naturalis dictat, ſicut & his, qui communi utilitati invigilant, ſcilicet Principibus, & militibus, & aliis hujuſmodi, ſtipendia victus debentur a populo; unde & Apoſtolus hoc probat primæ ad Corinthios 9. Per humanas conſuetudines dicens, *quis militat ſuis ſtipendiis unquam? aut quis plantat vineam, & de fructibus ejus non edit?*

Sed determinatio certæ partis exhibendæ miniſtris divini cultus non eſt de jure naturali, ſed eſt introducta inſtitutione divina ſecundum conditionem illius populi, cui lex dabatur, qui cum in duodecim tribus eſſet diviſus, duodecima tribus ſcilicet Levitica, quæ tota erat miniſteriis divinis mancipata, poſſeſſiones non habebat; unde convenienter inſtitutum eſt, ut reliquæ undecim tribus decimam partem ſuorum proventuum Levitis darent, ut honorabilius viverent; & quia etiam aliqui per negligentiam erant tranſgreſſores futuri: unde quantum ad determinationem decimæ partis erat judiciale, ſicut & alia multa ſpecialiter in illo populo inſtituta erant ad æqualitatem inter homines ad invicem conſervandam ſecundum populi illius conditionem, quæ judicialia præcepta dicuntur, licet ex conſequenti aliquid ſignificarent in futurum, ſicut & omnia eorum facta, ſecundum illud primæ ad Corinthios 10. *Omnia in figuram contingebant illis*: in quo conveniebant cum cæremonialibus præceptis, quæ principaliter inſtituta erant ad ſignificandum aliquid futurum.

Unde & præceptum de decimis ſolvendis ſignificat aliquid in futurum; qui enim decimam dat (quæ eſt perfectionis ſignum, eo quod denarius eſt quodammodo numerus perfectus quaſi primus limes numerorum, ultra quem numeri non procedunt, ſed reiterantur ab uno, novem ſibi partibus reſervatis) proteſtatur quaſi in quodam ſigno ad ſe pertinere imperfectionem; perfectionem vero, quæ erat futura per Chriſtum, eſſe expectandam a Deo. Nec tamen propter hoc eſt cæremoniale præceptum, ſed judiciale, ut dictum eſt.

Eſt autem hæc differentia inter cæremonialia, & judicialia legis præcepta: quod cæremonialia illicitum eſt obſervare temporis legis novæ; judicialia vero etſi non obligent tempore gratiæ, tamen poſſunt obſervari abſque peccato, & ad eorum obſervantiam aliqui obligantur, ſi ſtatuantur authoritate eorum, quorum eſt condere legem: ſicut præceptum judiciale veteris legis eſt, quod qui furatus fuerit ovem, reddat quatuor oves, ut legitur Exodi 22. Quod ſi ab aliquo rege ſtatuatur, tenentur ejus ſubditi obſervare.

Ita etiam determinatio decimæ partis ſolvendæ eſt authoritate Eccleſiæ tempore novæ legis inſtituta ſecundum quandam humanitatem, ut ſcilicet non minus populus novæ legis miniſtris novi Teſtamenti exhiberet, quam populus veteris legis miniſtris veteris Teſtamenti exhibebat: cum tamen populus novæ legis ad majora obligetur: ſecundum illud

Digitized by Google

illud Matthæi 5. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum*, & cum miniſtri novi Teſtamenti ſint majoris dignitatis, quam miniſtri veteris Teſtamenti, ut probat Apoſtolus ſecundæ ad Cor. 2. Sic ergo patet; quod ad ſolutionem decimarum homines tenentur partim quidem e jure naturali, partim ex inſtitutione Eccleſiæ, quæ tamen penſatis opportunitatibus temporum, & perſonarum, poſſet aliam partem determinare ſolvendam. 2. 2. *qu.* 87. *art.* 1. *in corp. lectione prima ſuper caput ſeptimum ad Hebræos.*

QUÆR. 2. *Utrum in nova lege ſolvi debeant nedum primæ decimæ, ſed etiam ſecundæ, & tertiæ, quæ in veteri lege ſolvebantur; & utrum decimæ ſint in uſus pauperum diſpenſandæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſecundæ decimæ, quæ reſervabantur ad ſacrificia offerenda, locum in nova lege non habent, ceſſantibus legalibus victimis: tertiæ vero decimæ, quas cum pauperibus comedere debebant, in nova lege augentur, per hoc quod Dominus non ſolum decimam partem ſed etiam omnia ſuperflua pauperibus jubet exhiberi, ſecundum illud Lucæ 11. *Quod ſupereſt, date eleemoſynam*. Ipſæ etiam decimæ, quæ miniſtris Eccleſiæ dantur, per eos debent in uſus pauperum diſpenſari. 2. 2. *q.* 87. *art.* 1. *ad* 4.

QUÆR. 3. *An propter conſuetudinem contrariam aliqui deobligentur a jure ſolvendi decimas, & utrum Rectores Eccleſiæ poſſint eas exigere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod nulla conſuetudo contraria ſolvit hominem ab obligatione reddendi decimas; quia hæc obligatio fundatur ſupra jus Divinum, & ſupra jus naturale; unde ſemper tenentur homines reddere decimas, ſi Eccleſia exigat, etiam contraria conſuetudine non obſtante. Et in terris, in quibus eſt conſuetudo, quod decimæ ſolvantur, ipſa conſuetudo quaſi expoſtulat decimas: unde peccaret, qui non redderet. Sed in terris, in quibus non eſt conſuetudo communis, quod decimæ dentur, & Eccleſia non petit, videtur Eccleſia remittere, dum diſſimulat: & ideo homines in terris illis non pe cant decimas non dando; durum enim eſſet dicere, quod omnes homines Italiæ, & Orientalium partium damnarentur, qui decimas non ſolvunt. Et hujuſmodi argumentum poſſumus ab Apoſtolo accipere; cui cum deberentur neceſſaria victus ab his, quibus prædicabat, tamen non accipiebat, nec tamen peccabant, qui ei non dabant, alioqui male cum eis egiſſet non accipiendo, præſertim cum ipſe dicat Actorum 20. *Non enim ſubterfugi quominus annunciarem vobis omne conſilium Dei*; & ideo Apoſtolus non exigebat, quod ſibi debebatur, ne daretur aliquod offendiculum Evangelio, ut ipſe ibi dicit.

Unde non bene facerent Rectores Eccleſiarum, ſi in terris illis decimas exigerent, in quibus non eſt conſuetudo dari, ſi probabiliter crederent, quod ex hoc ſcandalum naſceretur. *Quodlib.* 2. *art.* 8. *in corp.* 2. 2. *qu.* 87. *art.* 1. *ad* 5.

QUÆR. 4. *An miniſtri Eccleſiæ laudabiliter faciant, ſi ad vitandum ſcandalum decimas non exigunt: & utrum illi qui eas non ſolvunt, vel voluntatem habent non ſolvendi, ſint in ſtatu damnationis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod miniſtri Eccleſiæ majorem curam debent habere ſpiritualium bonorum in populo promovendorum, quam temporalium colligendorum: & ideo Apoſtolus noluit uti poteſtate ſibi a Domino tradita, ut ſcilicet acciperet ſtipendia victus ab his, quibus Evangelium prædicabat; ne daretur aliquod impedimentum Evangelio Chriſti: nec tamen peccabant illi, qui ei non ſubveniebant: alioquin Apoſtolus eos corrigere non omiſiſſet. Et ſimiliter laudabiliter miniſtri Eccleſiæ decimas Eccleſiæ non requirent, ubi ſine ſcandalo requiri non poſſent propter diſſuetudinem, vel propter aliquam aliam cauſam: nec tamen ſunt in ſtatu damnationis qui non ſolvunt in locis illis, in quibus Eccleſia non petit, niſi forte propter obſtinationem animi habentes voluntatem non ſolvendi, etiamſi ab eis peterentur. 2. 2. *quæſt.* 87. *artic.* 1. *ad quintum.*

QUÆR. 5. *Utrum laudabile ſit quod Sacerdotes, ad vitandum illud peccatum, decimas non exigant.*

Reſp. D. Thomas, Prælati Eccleſiæ laudabiliter faciunt non exigendo decimas in terris illis, in quibus propter diſſuetudinem timent ſcandalum generari: nec peccant illi qui non ſolvunt decimas in terris illis, in quibus non eſt conſuetum: peccarent autem ſi obſtinate exigentibus dare recuſarent; & ideo ut hodie peccato obvient Sacerdotes, in terris illis non exigunt decimas. *Quodlibeto* 6. *art.* 10. *ad* 2.

QUÆR. 6. *An de omnibus poſſeſſionibus ſolvendæ ſint decimæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod de unaquaque re præcipue eſt judicandum ſecundum ejus radicem; radix autem ſolutionis decimarum eſt debitum, quo ſeminantibus ſpiritualia debentur carnalia, ſecundum illud Apoſtoli

ſtoli 1. ad Corinth. 3. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, non magnum eſt, ſi carnalia veſtra metamus*; ſuper hoc enim debitum fundavit Eccleſia determinationem ſolutionis decimarum: omnia autem quæcunque homo poſſidet, ſub carnalibus continentur, & ideo de omnibus poſſeſſis decimæ ſunt ſolvendæ. 2. 2. *qu.* 87. *art.* 2. *in corp.*

QUÆR. 7. *An decimæ ſint ſolvendæ de his, quæ aliquis acquirit proprio labore.*

Reſp. D. Thomas, populus novæ legis eſt ubique per Mundum diffuſus, quorum plurimi poſſeſſiones non habent, ſed de aliquibus negotiis vivunt, qui nihil conferrent ad ſubſidium miniſtrorum Dei, ſi de eorum negotiis decimas non ſolverent: miniſtris etiam novæ legis arctius interdicitur, ne ſe ingerant negotiis lucrativis ſecundum illud ſecundæ ad Timot. 2. *Nemo militans Deo implicat ſe ſæcularibus negotiis*; & ideo in nova lege tenentur homines ad decimas perſonales; quæ ſcilicet ſolvuntur de his, quæ aliquis acquirit ex proprio actu, puta de mercationibus, vel de militia ſecundum conſuetudinem patriæ, & indigentiam miniſtrorum, unde Auguſtinus dicit, & habetur 16. *qu.* 1. *cap. Decimæ, De militia, de negotio, & artificio redde decimas.* 2. 2. *q.* 87. *art.* 2. *ad* 1.

QUÆR. 8. *An decimæ ſint ſolvendæ de male acquiſitis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aliqua male acquiruntur dupliciter: uno modo, quia ipſa acquiſitio eſt injuſta, puta quia acquiruntur per rapinam, aut furtum, aut uſuram, & hæc homo tenetur reſtituere, non autem de eis decimas dare; tamen ſi aliquis ager ſit emptus de uſura, de fructu ejus tenetur uſurarius decimas dare, quia fructus illi non ſunt ex uſura, ſed ex Dei munere: quædam vero dicuntur male acquiſita, quia acquiruntur ex turpi cauſa, ſicut de meretricio, & hiſtrionatu, & aliis hujuſmodi, quæ non tenentur reſtituere; unde de talibus tenentur decimas dare ſecundum modum aliarum perſonalium decimarum. Tamen Eccleſia non debet eas recipere quamdiu ſunt in peccato, ne videatur eorum peccatis communicare: ſed poſtquam pœnituerint, poſſunt ab eis de illis recipi decimæ. 2. 2. *q.* 87. *artic.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 9. *An de oblatis per furtum, vel rapinam, vel de his quæ debentur Principibus in tributum, vel operariis in mercedem, debeant ſolvi decimæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod de his, quæ furto, vel rapina tolluntur, ille, a quo auferuntur, decimas ſolvere non tenetur, antequam recuperet, niſi forte propter culpam, vel negligentiam ſuam damnum incurrerit, quia ex hoc Eccleſia non debet damnificari.

Si vero vendat triticum non decimatum, poteſt Eccleſia decimas exigere; & ab emptore, quia habet rem Eccleſiæ debitam; & a venditore, quia quantum eſt de ſe Eccleſiam defraudavit: uno tamen ſolvente, alius non tenetur.

Debentur autem decimæ de fructibus terræ inquantum proveniunt ex divino munere, & ideo decimæ non cadunt ſub tributo, nec etiam ſunt obnoxiæ mercedi operariorum; & ideo non debent prius deduci tributa, & pretium operariorum, quam ſolvantur decimæ, ſed ante omnia debent decimæ ſolvi ex integris fructibus. 2. 2. *quæſt.* 87. *artic.* 2. *ad quartum.*

QUÆR. 10. *Utrum etiam de minutis rebus ſolvendæ ſint decimæ, ſicut de herbis quæ naſcuntur in hortis, & aliis hujuſmodi.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ea quæ ordinantur ad finem, ſunt judicanda ſecundum quod competunt fini; decimarum autem ſolutio eſt debita, non propter ſe, ſed propter miniſtros, quorum honeſtati non convenit, ut etiam minima exacta diligentia requirant: hoc enim in vitium computatur, ut patet per Philoſoph. 3. Ethic. & ideo lex vetus non determinavit, ut de hujuſmodi minutis rebus decimæ dentur, ſed reliquit hoc arbitrio dare volentium, quia minima quaſi nihil computantur. Unde Phariſæi quaſi perfectam legis juſtitiam ſibi adſcribentes, etiam de his minutis decimas ſolvebant. Nec tamen de hoc reprehenduntur a Domino, ſed ſolum de hoc quod majora, ſcilicet ſpiritualia præcepta, contemnebant. Magis autem de hoc eos ſecundum ſe commendabiles eſſe oſtendit, dicens: *Hæc oportuit facere*, ſcilicet, tempore legis, ut exponit Chryſoſtomus, quod etiam videtur plus in quandam decentiam ſonare, quam in obligationem. Unde & nunc de hujuſmodi minutis rebus non tenentur homines decimas ſolvere, niſi forte propter conſuetudinem patriæ. 2. 2. *qu.* 87. *art.* 2. *ad* 3.

QUÆR. 11. *An decimæ ſint Clericis ſolvendæ, vel poſſint etiam ad Laicos pervenire.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod circa decimas duo ſunt conſideranda, ſcilicet ipſum jus accipiendi decimas, & ipſæ res, quæ nomine decimæ dantur: jus quidem accipiendi decimas ſpirituale eſt, conſequitur enim illud debitum, quo miniſtris Altaris debentur ſumptus de miniſterio, & quo ſeminantibus ſpiritualia debentur temporalia, quod

Digitized by Google

ad ſolos Clericos pertinet habentes curam animarum, & ideo eis ſolum competit hoc jus habere: res autem, quæ nomine decimarum dantur, corporales ſunt: unde poſſunt in uſum quorumlibet cedere, & ſic poſſunt etiam ad laicos pervenire. 2. 2. *qu.* 87. *art.* 3. *in corp.*

QUÆR. 12. *Quibus ſolvendæ ſint decimæ tam prædiales quam perſonales.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod decimæ perſonales debentur Eccleſiæ, in cujus Parochia homo habitat: Decimæ vero prædiales rationabiliter magis videntur pertinere ad Eccleſiam, in cujus terminis prædia ſita ſunt. Tamen jura determinant, quod in hoc ſervetur conſuetudo diu obtenta. Paſtori autem, qui diverſis temporibus in duabus Parochiis gregem paſcit, debet proportionabiliter utraque Eccleſia decimas ſolvere: & quia ex paſcuis fructus gregis proveniunt, magis debetur decima gregis Eccleſiæ; in cujus territorio grex paſcitur, quam illi, in cujus territorio ovile locatur. 2. 2. *qu.* 87. *artic.* 3. *ad* 2.

QUÆR. 13. *An decimæ dari poſſint militibus in feudum, vel Religioſis in eleemoſynam.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſicut res decimæ nomine acceptas poteſt Eccleſia alicui laico tradere, ita etiam poteſt ei concedere, ut dandas decimas ipſi accipiant, jure accipiendi miniſtris Eccleſiæ reſervato; ſive pro neceſſitate Eccleſiæ, ſicut quibuſdam militibus decimæ debentur in feudum per Eccleſiam conceſſæ; ſive etiam ad ſubventionem pauperum, ſicut quibuſdam Religioſis laicis, vel non habentibus curam animarum aliquæ decimæ ſunt conceſſæ per modum eleemoſynæ. Quibuſdam tamen Religioſis competit habere decimas ex eo, quod habent curam animarum. 2. 2. *q.* 87. *artic.* 3. *ad* 3. & *qu.* 100. *art.* 4. *ad* 3.

QUÆR. 14. *An Clerici teneantur ſolvere decimas.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod idem non poteſt eſſe cauſa dandi & recipiendi, ſicut nec cauſa agendi & patiendi: contingit autem ex diverſis cauſis, & reſpectu diverſorum eundem eſſe dantem, & recipientem ſicut agentem, & patientem. Clericis autem inquantum ſunt miniſtri Altaris, ſpiritualia populo ſeminantes, decimæ a fidelibus debentur; unde tales Clerici, inquantum Clerici ſunt, ideſt, inquantum habent Eccleſiaſticas poſſeſſiones, decimas ſolvere non tenentur: ex alia vero cauſa, ſcilicet propter hoc, quod poſſident proprio jure, vel ſucceſſione parentum, vel ex emptione, vel quocunque hujuſmodi modo, ſunt ad decimas ſolvendas obligati. 2. 2. *qu.* 87. *art.* 4. *in corp.*

QUÆR. 15. *An licet decimæ ſolvi debeant de propriis prædiis clericorum, non tamen de prædiis Eccleſiæ.*

Reſp. D. Thomas, Clerici de propriis prædiis tenentur ſolvere decimas parochiali Eccleſiæ ſicut & alii, etiamſi ipſi ſint ejuſdem Eccleſiæ Clerici, quia aliud eſt habere aliquid ut proprium, aliud ut commune. Prædia vero Eccleſiæ non ſunt ad decimas ſolvendas obligata, etiamſi ſint infra terminos alterius Parochiæ. 2. 2. *qu.* 87. *articul.* 4. *ad primum.*

QUÆR. 16. *An Religioſi teneantur decimas ſolvere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Religioſi, qui ſunt Clerici, ſi habeant curam animarum ſpiritualia populo diſpenſantes non tenentur decimas dare, ſed poſſunt eas recipere: de aliis vero Religioſis, etiamſi ſint Clerici, qui non diſpenſant populo ſpiritualia, eſt alia ratio; ipſi enim tenentur de jure communi decimas dare; habent tamen aliquam immunitatem ſecundum diverſas conceſſiones eis a Sede Apoſtolica factas. 2. 2. *qu.* 87. *art.* 4. *ad* 2.

QUÆR. 17. *An ſicut in veteri lege Levitæ dabant decimas ſummo Sacerdoti ex præcepto Dei, Num.* 18. *ita nunc Clerici eas debeant Summo Pontifici.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in veteri lege primitiæ debeantur Sacerdotibus, decimæ autem Levitis. Et quia ſub Sacerdotibus Levitæ erant, Dominus mandavit, ut ipſi loco primitiarum ſolverent ſummo Sacerdoti decimam decimæ. Unde nunc eadem ratione tenentur Clerici Summo Pontifici decimam dare ſi exigeret: naturalis enim ratio dictat, ut illi qui habet curam de communi multitudinis ſtatu, provideatur de bonis omnibus, unde poſſit exequi ea, quæ pertinent ad communem ſalutem. *Ibid. ad* 2.

QUÆR. 18. *An pauper teneatur decimas ſolvere Sacerdoti diviti.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod cum Sacerdotibus decimæ debeantur, tum de jure naturali, tum de jure divino, tum etiam ex ſtatuto Eccleſiæ, quamvis Sacerdos ſit dives, nihilominus pauper tenetur ei decimas ſolvere. *Quodlib.* 6. *artic.* 10. *in corp.* 2. 2. *qu.* 87. *art.* 4. *ad* 4.

QUÆR. 19. *An pauper teneatur decimam ſolvere Clerico diviti, ſive ſolutio decimarum inſtituta ſit ad ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ, ſive etiam ad ſuſtentationem pauperum.*

Reſpond. Div. Thomas, oportet reſpondere du-

dupliciter: uno modo, ut dicatur quod decimarum ſolutio eſt inſtituta non ſolum ad ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ, ſed etiam ad ſuſtentationem pauperum, quibus debet de domo Dei provideri: unde dicitur Malach. 3. *Inferte omnem decimationem, ut ſit cibus in domo mea*: & ſic Sacerdoti, qui non ſolum ſibi, ſed pauperibus providere debet, quantumcunque diviti, ſunt decimæ neceſſariæ: alio modo poteſt dici quod neceſſitas ſuſtentationis miniſtrorum fuit ratio Eccleſiaſticæ inſtitutionis de decimarum ſolutione: ſed ex quo officium eſt alicui debitum per ſtatutum Eccleſiæ, nihilominus ei debetur, quamvis ſit dives. *Quodlib. 6. art. 10. ad 1.*

QUÆR. 20. Utrum emi, & redimi poſſit jus percipiendi decimas, vel decimarum fructus.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod jus percipiendi decimas ſequitur ſpirituale officium, quia debetur miniſtris Eccleſiæ; nec laici poſſunt habere hujuſmodi jus quamvis aliquando ad tempus fructus decimarum laicis conceſſus ſit propter aliquam Eccleſiæ neceſſitatem; & tunc hoc modo, quo laicis dari poteſt, & ab eis redimi poteſt ex authoritate Epiſcopi. Tamen una Eccleſia non poteſt ab alia emere jus percipiendi decimas. *4. ſent. d. 25. qu. 3. art. 2. quæſt. 3. ad 4.*

QUÆR. 21. Utrum Eccleſia quandoque concedat vel remittat jus exigendi, aut ſolvendi decimas, aut decimarum fructus.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod milites qui accipiunt decimas in aliquibus terris, non habent jus accipiendi decimas: hoc enim jus eſt ſpirituale debitum miniſtris Dei; unde non cadit in laicam perſonam: ſed res illæ temporales, quæ a jure exiguntur ex conceſſione Eccl. datæ ſunt aliquibus militibus propter aliqua ſervitia quæ fecerunt Eccleſiæ: ſicut & Eccleſia poteſt remittere ipſos fructus, qui debentur pro decima: non tamen remittit jus exigendi decimas, nec tollit debitum reddendi. *Quodl. 2. art. 8. ad 1.*

DEFENDERE.

QUÆR., An liceat alterum occidere defendendo ſe, & utrum ex hoc incurratur irregularitas.

Reſpond. v. *Irregularitas qu. 4. & 6.* & v. *Occidere. qu. 16.*

DEGRADATIO.

QUÆR., Quid auferatur per degradationem, & utrum degradatus poſſit conferre Sacramenta.

Reſpond. v. *Sacramentum q. 32.*

DELECTATIO MOROSA.

QUÆR. 1. Quid ſit delectatio moroſa.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod delectatio dicitur moroſa non ex mora temporis, ſed ex eo quod ratio deliberans circa eam immoratur, nec tamen eam repellit, *tenens, & volvens libenter, quæ ſtatim ut attigerunt animum, reſpui debuerunt*; ut Auguſtinus dicit 12. *de Trinit.* 1. 2. *q. 74. art. 6. ad 3. & ibid. in corp.*

QUÆR. 2. Utrum delectatio moroſa de peccato mortali, licet ſine ulla intentione illud exequendi, ſit peccatum mortale.

Reſp. D. Thomas, nullus damnatur niſi pro peccato mortali: ſed homo condemnabitur pro conſenſu in delectationem: Unde Auguſtinus 12. de Trinitat. *Totus homo damnabitur: niſi hæc (quæ ſine voluntate operandi, ſed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi ſolius cogitationis ſentiuntur eſſe peccatum) per meditationis gratiam remittantur*: ergo conſenſus in delectationem eſt peccatum mortale. *quæſt. 15. de veritate artic. 4. in arg. Sed contra.*

QUÆR. 3. An & quomodo delectatio de cogitatione fornicationis, vel alterius mortalis peccati, ſit moroſa, & mortalis, vel ſolummodo venialis: & utrumque quandoque ſit laudabilis.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod eadem quæſtio eſt de delectatione moroſa, utrum ſit peccatum mortale, & qua quæritur de conſenſu in delectationem. Dubitatio enim de delectatione moroſa eſſe non poteſt, an ſit peccatum mortale, ſi dicatur eſſe moroſa a mora temporis. Certum eſt enim quod prolixitas temporis non poteſt dare actui rationem peccati mortalis, niſi aliquid aliud interveniat, cum non ſit circumſtantia in infinitum aggravans. Sed hoc videtur eſſe dubium utrum delectatio quæ dicitur moroſa ex conſenſu rationis ſuperveniente, peccatum mortale ſit. Circa hoc autem diverſimode aliqui opinati ſunt. Quidam enim dixerunt, quod non eſt peccatum mortale, ſed veniale: quæ quidem opinio Auguſtino adverſari videtur, qui ex tali conſenſu damnationem homini comminatur, ut patet ex verbis ejus inductis. Iſti opinioni contradicit communis opinio modernorum, & videtur in periculum animarum vergere, cum ex conſenſu in talem delectationem homo in peccatum promptiſſime incidere poſſit. Unde alteri opinioni magis videtur eſſe aſſentiendum, quæ ponit talem conſenſum eſſe pecca-

Digitized by Google

tam mortale: cujus opinionis veritas hinc accipi poteſt. Sciendum namque quod ſicut ad exteriorem fornicationis actum ſequitur ſua delectatio ſenſibilis, ita ad actum cogitationis ſequitur ſua delectatio interior cogitationis peccati; ſed ad cogitationem duplex delectatio ſequitur: una quidem ex parte ipſius cogitationis: alia vero ex parte ipſius cogitati. Delectamur enim quandoque in cogitatione propter ipſam cogitationem, ex qua nobis acquiritur quædam cognitio in actu aliquorum, quamvis illa nobis diſpliceant, ſicut aliquis juſtus cogitat de peccatis, de eis diſputando: & conferendo, & in veritate iſtius cogitationis delectatur. Sed tunc propter ipſa cogitata delectatio ſequitur, quando ipſa res cogitata affectum movet, & allicit. Et hæ quidem duæ cogitationes in quibuſdam actibus manifeſte differunt, & aperte diſtinguuntur: ſed earum diſtinctio in cogitatione de peccatis carnis magis latet; eo quod propter corruptionem concupiſcibilis ad cogitationem talium concupiſcibilium ſtatim ſequitur motus ex ipſis concupiſcibilibus cauſatus. Delectatio igitur ex parte ipſius cogitationem ſequitur ex parte ipſius cogitationis, omnino ad aliud genus reducitur, quam delectatio exterioris actus: Unde talis delectatio qualitercumque malorum cogitationem ſequatur, penitus non eſt peccatum, ſed delectatio laudabilis, ut cum quis delectatur in cogitatione veri; vel ſi ſit ibi aliqua immoderantia continebitur ſub peccato curioſitatis. Sed illa delectatio, quæ ſequitur cogitationem ex parte rei cogitatæ, in idem genus coincidit cum delectatione exterioris actus: Ut enim dicitur in 11. Metaph. *Delectatio per ſe in actu conſiſtit, ſed ſpecies, & memoria propter actum delectabilia ſunt*: Unde conſtat quod talis delectatio ſecundum genus ſuum inordinata eſt eadem inordinatione, qua eſt inordinata delectatio exterior. Dato igitur, quod delectatio exterior ſit delectatio peccati mortalis, & tunc etiam interior delectatio in ſe, & abſolute conſiderata de genere peccati mortalis erit: quandocunque autem ſe ratio ſubjicit peccato mortali per approbationem, tunc eſt peccatum mortale; excluditur enim a ratione rectitudo juſtitiæ, cum ipſa ſubjicitur iniquitati per approbationem. Tunc autem ſe ſubjicit huic delectationi perverſæ quando in eam conſentit. Et hæc eſt prima ſubjectio; qua ei ſe ſubjicit; & ex hac ſubjectione conſequitur quandoque, ut ipſum actum inordinatum eligat propter hanc delectationem perfectius conſequendam: & quanto ad plures inordinationes tendit, ad hoc quod delectationem conſequatur, tanto magis in peccato progreditur. Totius tamen iſtius progreſſus prima radix erit ille conſenſus, quo delectationem acceptavit: Unde ibi peccatum mortale inchoatur: Unde ſimpliciter concedimus conſenſum in delectationem fornicationis, vel alterius mortalis peccatum eſſe mortale. Ex quo ſequitur quod quidquid homo agit ex conſenſu talis delectationis ad hoc ut hujuſmodi delectationem nutriat, vel teneat, ſicut ſunt turpes actus, vel libidinoſa oſcula, vel aliquid hujuſmodi, totum eſt mortale peccatum. *in eodem tit.* 4. *in corp. &* 2. *ſent. diſt.* 24. *q.* 3. *art. etiam* 3. *&* 1. 2. *qu.* 74. *art.* 8. *in corp.*

QUÆR. 4. *Utrum ſi quis paratus eſſet conſentire in veniale peccatum, etiamſi ſciret ipſum nedum eſſe præter legem Dei, ſed etiam contra ipſam, talis conſenſus eſſet mortalis, licet ex ſuo genere non ſit niſi venialis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod deliberatus conſenſus in veniale non ſemper procedit ex tali contemptu, ut mortale peccatum faciat: quando enim hoc modo in veniale conſentitur, ut ſi eſſet contra legem Dei, nullo modo fieret, manet intra limites venialis peccati, etiamſi advertatur eſſe veniale peccatum: ſi autem hoc modo in ipſum conſentiatur, ut etiamſi prohibitum eſſet præcepto, nihilominus fieret, talis conſenſus in veniale (etiam ex genere) mortalis eſſet. 4. *ſent. d.* 24. *q.* 3. *art.* 5. *ad* 2.

QUÆR. 5. *Cur delectatio quæ provenit ex ipſa cogitatione peccati non ſit peccaminoſa, ſicut illa quæ provenit ex ipſa re cogitata.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod hic non quæritur de conſenſu in delectationem actus, quia hic plane mortale eſt, ſed de conſenſu in actum cogitationis tantum: ſicut cum aliquis cogitat delectationem fornicationis, & delectatur, & placet ipſi hæc cogitatio. Eſt ergo duplex delectatio cogitationis; vel propter ipſam cogitationem, vel propter rem cogitatam: Prima eſt cum quis cogitat de triangulo, vel de bellis Regis, non propter triangulum, vel Regem, ſed propter ipſam cogitationem: Secunda eſt, cum delector, cogitando de amico propter ipſum, qui fit mihi per cogitationem, & in cogitatione præſens. Sic ergo cogitatio poteſt cogitari ut delectans, prout eſt cogitatio, & ſic non eſt peccatum: ſicut ſi debeo narrare de fornicatione, & occurrunt pulchræ viæ, & delector. Si autem cogitatio eſt delectans propter rem cogitatam, impoſſibile eſt quod hoc procedat niſi ex amore fornicationis: & ideo conſentire in eam, eſt conſentire in amorem, & in uſum rei illicitæ: & ideo eſt peccatum mortale. *Quodlib.* 12. *art.* 33.

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 6. Quandonam delectatio conſequens ex cogitatione homicidii, vel fornicationis pertineat ad genus utriuſque peccati, & ſit mortalis; vel ſolummodo ad genus vanitatis, aut curioſitatis, & ſit venialis.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſecundum diverſitatem operationum eſt diverſitas delectationum: unde alterius naturæ eſt delectatio, quæ ſequitur operationem appetitivæ virtutis, & delectatio, quæ ſequitur operationem cogitativæ: ſicut enim cogitatio de homicidio, vel luxuria, ſine appetitu aliquo, non reducitur (niſi inordinata ſit) ad genus luxuriæ, vel homicidii, ſed ad aliud genus, quod eſt curioſitas vel vanitas; ita etiam delectatio conſequens talem delectationem, non pertinet ad genus homicidii, vel fornicationis: unde conſenſus in talem delectationem non eſt peccatum mortale, ſed veniale: quia enim vanitas cogitationis non eſt mortalis ex genere ſuo, etiam delectatio conſequens appetitum homicidii, vel fornicationis, reducitur ad idem peccati genus, ſicut & appetitus ipſe: unde ſicut in fornicatione, ſi aliquis conſentiat in delectationem, quæ appetitum concupiſcibilis reſpectu fornicationis ſequitur, erit peccatum mortale: ita etiam, & multo amplius, ſi conſentiat in delectationem, quæ appetitum iraſcibilis reſpectu homicidii ſequitur, erit peccatum mortale. *2. ſent. diſt. 24. qu. 3. art. 4. ad 5. & d. 39. q. 1. art. 1. ad 1.*

QUÆR. 7. An ſicut delectatio moroſa de peccato mortali eſt mortalis, ita de veniali ſit venialis.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod conſenſus in peccatum, quod eſt veniale ex genere, eſt veniale peccatum, & ſecundum hoc poteſt concludi, quod conſenſus in delectationem, quæ eſt de ipſa vana cogitatione fornicationis, eſt peccatum veniale: ſed delectatio, quæ eſt in ipſo actu fornicationis de genere ſuo eſt peccatum mortale; ſed quod ante conſenſum ſit veniale peccatum tantum, hoc eſt per accidens, ſcilicet propter imperfectionem actus, quæ quidem imperfectio tollitur per conſenſum deliberatum ſupervenientem: unde ex hoc adducitur in ſuam naturam, ut ſit peccatum mortale. *p. 2. qu. 74. artic. 8. ad 1.*

QUÆR. 8. Utrum homo ſemper cenſeri debeat in delectationem peccati conſentire ſaltem interpretative, ſi negative ſe habeat, & non reſiſtat poſitive.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod antequam ratio delectationem perpendat, & nocumentum ipſius, non habet interpretativum conſenſum, etiamſi non reſiſtat, ſed quando jam perpendit ratio de delectatione inſurgente, & de nocumento conſequente, utpote cum percipit homo ſe totaliter per hujuſmodi delectationem in peccatum inclinari, & in præceps ruere, niſi expreſſe reſiſtat, videtur conſentire. *q. 15. de veritate art. 4. ad 10.*

QUÆR. 9. An ſit illicitum uti venereis, & cibis propter ſolam delectationem.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod inordinatum, & vitioſum eſt, ſi quis cibis, & venereis utatur propter ſolam delectationem, & non propter neceſſitatem ſuſtentandi corporis, vel prolis educandæ, & hoc rationabiliter: nam delectationes, quæ ſunt in præmiſſis actionibus, non ſunt fines actionum, ſed magis e converſo: natura enim ad hoc ordinavit delectationes in iſtis actibus, ne animalia propter laborem ab iſtis actibus neceſſariis naturæ deſiſterent, quod contingeret, niſi delectatione provocarentur: eſt ergo ordo præpoſterus, & indecens, ſi operationes propter ſolas delectationes exerceantur. *4. contra gentes cap. 83. 1. 2. q. 4. art. 2. ad 2. d. 38. art. 2. ad 6. 4. ſent. d. 49. q. 3. art. 4. q. 3. in corp.*

QUÆR. 10. An ſit peccatum ſi pollutio nocturna placeat propter delectationem carnalem, non autem ſi placeat tantum ut naturæ exoneratio, vel alleviatio.

Reſp. *v. Pollutio nocturna qu. 3.*

DENUNCIATIO.

QUÆR. 1. Cur admonitio ſecreta fieri debeat ante denunciationem, non autem ante accuſationem.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod alia ratio eſt in accuſatione, & alia in denunciatione; quia in denunciatione intenditur correctio fratris; & ideo tali ordine debet denunciatio fieri, qui ſit conveniens ad emendationem fratris. Sed in accuſatione intenditur bonum Eccleſiæ, ut ſcilicet conſervetur communitas pura ab infectione peccati: & ideo in accuſatione non oportet quod præcedat admonitio. *de virtut. q. 3. art. 2. ad 6.*

QUÆR. 2. An & quomodo publica denunciatio fieri debeat, quando peccata ſunt nociva delinquentibus, vel etiam aliis, ut ſi quis velit tradere civitatem hoſtibus, & ſi hæreticus privatim ſeducat homines.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod circa publicam denunciationem peccatorum diſtinguendum eſt: aut enim peccata ſunt publica, aut ſunt occulta; ſiquidem ſunt publica, non eſt tantum adhibendum remedium ei, qui peccavit, ut melior fiat, ſed etiam aliis, in quorum notitiam devenit, ut non

Digitized by Google

ſcandalizentur: & ideo talia peccata ſunt publice arguenda, ſecundum illud Apoſtoli primæ ad Timoth. 5. *peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant*: quod intelligitur de peccatis publicis, ut Auguſtinus dicit in lib. de verbis Domini; ſi vero ſint peccata occulta, ſic videtur habere locum, quod Dominus dicit, *ſi peccaverit in te frater tuus*, quando enim te offendit publice coram aliis, jam non ſolum in te peccat, ſed etiam in alios, quos turbat.

Sed quia etiam in occultis peccatis poteſt parari proximorum offenſa: ideo adhuc videtur diſtinguendum eſſe; quædam enim peccata occulta ſunt, quæ ſunt in nocumentum proximorum vel corporale, vel ſpirituale, puta ſi aliquis occulte tractet, quomodo Civitas tradatur hoſtibus, vel ſi hæreticus privatim homines a fide avertat; & quia ille, qui ſic occulte peccat, non ſolum in te peccat, ſed etiam in alios, oportet ſtatim procedere ad denunciationem, ut hujuſmodi nocumentum impediatur, niſi forte aliquis firmiter exiſtimaret, quod ſtatim per ſecretam admonitionem poſſet hujuſmodi mala impedire: quædam vero peccata ſunt, quæ ſolum ſunt in malum peccantis, & ejus, in quem peccatur, vel quia a peccante ſolus læditur ſaltem ex notitia, & tunc id ſolum tenendum eſt, ut fratri peccanti ſubveniatur; & ſicut Medicus corporalis ſanitatem ægroto confert, ſi poteſt, ſine alicujus membri abſciſſione; ſi autem non poteſt, abſcindit membrum minus neceſſarium, ut vita totius conſervetur; ita etiam ille, qui ſtudet emendationi fratris, debet, ſi poteſt, ſic emendare fratrem quantum ad conſcientiam, ut fama ejus conſervetur.

Quæ quidem eſt utilis, primo quidem & ipſi peccanti non ſolum in temporalibus, in quibus quantum ad multa homo patiatur detrimentum amiſſa fama, ſed etiam quantum ad ſpiritualia, quia præ timore infamiæ multi a peccato retrahuntur; unde quando ſe infamatos conſpiciunt, irrefrænate peccant; unde Hieronymus dicit, *corripiendus eſt ſeorſum frater, ne ſi ſemel pudorem, vel verecundiam amiſerit, permaneat in peccato*. Secundo debet conſervari fama fratris peccantis, tum quia uno infamato alii infamantur, ſecundum illud Auguſtini in epiſtola ad plebem Hipponenſem: *cum de aliquibus qui Sanctum nomen profitentur aliquid criminis, vel falſi ſonuerit, vel veri, inſtant, ſatagunt, ambiunt, ut de omnibus hoc credatur*; tum etiam quia ex peccato unius publicato, alii provocantur ad peccandum.

Sed quia conſcientia præferenda eſt famæ, voluit Dominus, ut ſaltem cum diſpendio famæ fratris conſcientia per publicam denunciationem a peccato liberetur. Unde patet, quod poteſt eſſe de neceſſitate præcepti, quod ſecreta admonitio publicam denunciationem præcedat 2. 2. *q.* 33. *a.* 7. *in corp. & ad* 3.

QUÆR. 3. *An & quando facienda ſit, vel differenda denunciatio, ſi peccata ſint occulta, vel ſi publica fuerit, aut publicanda.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in peccatis denunciandis conſiderandum eſt, utrum peccatum ſit omnino occultum, aut ad notitiam aliorum devenerit, aut in promptu ſit, ut deveniat, ſi autem peccatum jam ad notitiam aliorum devenerit, tunc debet denunciari ei, qui habet poteſtatem corrigendi; ut qui ſunt ſcandalizati de culpa, ædificentur de pœna: ſi autem in publicum nondum devenit, ſed eſt in via deveniendi, tunc etiam denunciandum eſt, ut ſcandalo futuro occurratur: ſi autem ſit omnino occultum, tunc conſiderandum eſt utrum emendatio peccantis expectari probabiliter poſſit, aut non: quod quidem facile adverti poteſt, ſi conſideretur, utrum aliquis ex electione, vel paſſione peccaverit; ſive ex malitia, vel infirmitate, quod idem eſt; quod quidem perpendi poteſt ex conditione peccantis, & ex iteratione actus, quia ſi aliquis frequenter, & quaſi improhibite ſine fræno in aliquod peccatum lapſus eſt, ſignum eſt, quod ex malitia, vel electione peccat, & non facile emendatur; ſi autem ſemel occaſione peccandi oblata in peccatum ruit, & poſtea triſtitiam, & verecundiam de peccato oſtenderit, ſignum eſt, quod ſit peccatum ex paſſione, vel ex infirmitate, & quod de facili emendetur.

Si ergo emendatio ſperetur, debet admonitio præcedere, & denunciatio differri quouſque videatur quomodo emendatur peccator, niſi forte immineret occaſio ſimilis in peccatum ruendi, quam tamen declinare non vellet admonitus, tunc enim deberet Prælato denunciari, ne in præcipitium iret.

Si autem non ſperetur emendatio, tunc conſiderandum eſt, an illud peccatum ſit infectivum aliorum, ſicut eſt hæreſis, vel fornicatio, vel aliquid hujuſmodi; aut etiam cedat in aliquod damnum alterius, ſicut furtum, vel homicidium, & hujuſmodi; ſi enim non cedet in damnum alterius, nec ſit infectivum peccatum, tunc poteſt denunciatio differri, quouſque videatur admonitionis effectus, præcipue ſi emendationem promittit; ſi autem ſit infectivum aliorum, debet denunciari Prælato, ut gregi ſuo caveat, ſicut enim dicit Hieronymus, *quæ miſericordia eſt parcere uni, & multos in diſcrimen adducere?*

pollui-

Digitized by Google

polluitur populus ex uno peccatore, ſicut ex una ove morbida univerſus Grex; ſemper enim bonum multorum debet præferri bono unius, unde etiam fama unius negligi debet, ut innocentia, vel fama multitudinis conſervetur: ſi autem vergat in damnum corporale alterius, debet fieri comparatio illius damni ad damnum famæ illius, & illi damno, quod præponderat, obviandum magis. 4. *ſent. diſt.* 19. *q.* 2. *a.* 3. *q.* 1. *ad* 2.

QUÆR. 4. *Cur Chriſtus non admonuit Judam, antequam peccatum ipſius evulgaret: nec Petrus Ananiam, & Saphyram: nec D. Paulus ipſum D. Petrum. Et utrum hæc exempla ſequi debeamus in denunciatione peccatorum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in obſervatione præceptorum ſemper ad intentionem præcipientis, & rationem præcepti attendendum eſt: Ideo autem Dominus præcepit, ut ſecreta admonitio publicam denunciationem præcederet, ut expectaretur emendatio vitæ & famæ parceretur peccatoris: Et quia Dominus ſciebat Judam non emendandum fore, ſi ipſum admoneret, ſed magis exaſperandum (quia non eſt probabile, quod verba viſa non moverent, quem tot miracula viſa non moverant) ideo ipſum non præmonuit; & quia etiam ſciebat ex hoc forte magis exaſperandum, & deteriorem fieri. Nec tamen eſt ſimile de ipſo, & de nobis, quia ipſe ſecreta cordium ſciebat, & futuros eventus, non autem nos: Et ideo niſi certiſſimis ſignis appareat incorrigibilitas, & exaſperatio ipſius futura, non debet fraterna admonitio prætermitti. De Petro autem dicendum eſt, quod forte peccatum eorum erat publicum, vel ſtatim publicandum: vel forte ſciebat monitionem ipſis non valituram: vel etiam Conſilio Spiritus Sancti fecit ad terrorem; quia hoc competebat ſtatui primitivæ Eccleſiæ, ne veniret ejus authoritas in contemptum. De Paulo autem patet reſponſio: quia Petrus coram omnibus peccavit; ideo oportebat eum coram omnibus argui: Hic autem ordo ſervandus eſt in peccatis occultis; unde dicitur: *ſi peccaverit in te*, ideſt, te ſolo ſciente. 4. *ſent. diſtinct.* 19. *quæſt.* 2. *art.* 3. *quæſtiunc.* 1. *ad* 1.

QUÆR. 5. *Quandonam peccet ille, qui culpam proximi Prælato denunciat, vel aliis refert.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſi aliquis referat Prælato culpam proximi, intendens vel cautelam in futurum, vel aliquid hujuſmodi, quod ad emendam proximi viderit expedire, non peccat. Si autem hoc ſive Prælato, ſive alicui amico ſuo ex malitia referat, tunc peccat mortaliter: quod ſi ex incautela alicui dixerit hoc, ita tamen quod non proveniat inde aliud (vel infamia, vel vituperium) proximo delinquenti, tunc non peccat mortaliter; licet incaute agat: *quodl.* 11. *art.* 13. *ad* 3.

QUÆR. 6. *An denunciator teneatur probare; & ſit puniendus ſi non probet: & utrum denunciatio fieri debeat ſcripto, aut verbo.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod denunciator non obligat ſe ad probandum: unde nec punitur, ſi probare nequiverit: & propter hoc in denunciationem non eſt neceſſaria ſcriptura; ſed ſufficit ſi aliquis verbo denunciet Eccleſiæ, quæ ex officio ſuo procedet ad fratris emendationem. 2. 2. *quæſt.* 68. *art.* 2. *ad* 3.

Summus Pontifex Gregorius XV. in Bulla 34. *quæ eſt confirmatio, & ampliatio conſtitutionis Pii IV. editæ contra Sacerdotes in Confeſſionibus Sacramentalibus pœnitentes ad turpia ſollicitantes, vocat impium, ac nefandum ſcelus, quod non ſolum inter Chriſti fideles non eſſe; ſed nec etiam nominari debet, ut aliquis Sacerdos ad ſacras audiendas Confeſſiones deputatus, ſacroſancto Pœnitentiæ Sacramento, ſollicitando Pœnitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aſpidem porrigat, & ex cæleſti Medico infernalis veneficus, ex Patre proditor execrabilis animarum reddatur.*

Et ibidem §. 4. *ſic habet*: *Qui perſonas, quæcunque illæ ſint, ad inhoneſta ſive inter ſe, ſive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confeſſionis, ſive ante, vel poſt immediate, ſeu occaſione, vel prætextu Confeſſionis, hujuſmodi etiam ipſa Confeſſione non ſecuta, ſive extra Confeſſionem in Confeſſionario, aut in loco quocumque ubi Confeſſiones Sacramentales audiantur, ſeu ad Confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem Confeſſiones audire, ſollicitare, vel procurare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſive tractatus habuerint in Officio S. Inquiſitionis ſeveriſſime; ut infra, puniantur.*

Et §. 7. *Mandantes omnibus Confeſſariis, ut ſuos pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab aliis ut ſupra ſollicitatos, moneant de obligatione denunciandi, &c.*

Summus Pontifex Alexander VII. in Decreto lato die 8. *Julii* 1666. *declarat hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos eſſe denunciandos, etiamſi nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmiſſa fuerit.*

Idem Summus Pontifex in Decretis, quorum mentionem fecimus in præfatione hujus Operis, inter alias propoſitiones damnat ſequentes.

5. *Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum eſſe*

Digitized by Google

eſſe hæreticum, non teneris denunciari, ſi probare non poſſis.

6. *Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione, ac proinde non eſt denunciandus.*

7. *Modus evadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis eſt, ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denunciandi.*

DEPOSITUM.

QUÆR. 1. An circa depoſita ſit adhibenda maxima cautela, juxta illud 2. Machab. 3. Sacerdotes invocabant eum de cælo, qui depoſitis legem poſuit, ut his qui depoſuerunt ea, ſalva cuſtodiret: & utrum de ipſis lex vetus convenienter ordinaverit ſicut & de mutuis.

RESP. D. Thomas, dicendum, quod hæc differentia eſt inter mutuum, & depoſitum, quia mutuum traditur in utilitatem ejus, cui traditur; ſed depoſitum traditur in utilitatem deponentis. Et ideo magis arctabatur aliquis in aliquibus caſibus ad reſtituendum mutuum, quam ad reſtituendum depoſitum. Depoſitum enim perdi poterat dupliciter: uno modo ex cauſa inevitabili, vel naturali, puta ſi eſſet mortuum, vel debilitatum animal depoſitum; vel extrinſeca, puta ſi eſſet captum ab hoſtibus, vel ſi eſſet comeſtum a beſtia: in quo tamen caſu tenebatur deferre ad Dominum animalis id quod de animali occiſo ſupererat: in aliis autem ſupradictis caſibus nihil reddere tenebatur; ſed ſolum ad expurgandam ſuſpicionem fraudis tenebatur juramentum præſtare: alio modo poterat perdi ex cauſa evitabili, puta per furtum; & tunc propter negligentiam cuſtodis reddere tenebatur: ſed, ſicut dictum eſt, ille qui mutuo accipiebat animal, tenebatur reddere, etiamſi debilitatum, aut mortuum fuiſſet in ejus abſentia; de minori enim negligentia tenebatur, quam depoſitarius, qui non tenebatur niſi de furto. 1. 2. *quæſt.* 105. *art.* 2. *ad* 5.

QUÆR. 2. An naturalis æquitas poſtulet, quod deponenti reddatur depoſitum: & utrum ſit aliquis caſus, in quo reddi non debet.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod illud quod eſt naturale habenti naturam immutabilem, oportet, quod ſit ſemper ubique tale; natura autem hominis eſt mutabilis; & ideo id quod naturale eſt homini, poteſt aliquando deficere: ſicut naturalem æqualitatem habet, ut deponenti depoſitum reddatur: & ſi ita eſſet, quod natura humana ſemper eſſet recta, hoc eſſet ſemper ſervandum: ſed quia quandoque contingit quod voluntas hominis depravatur, eſt aliquis caſus, in quo depoſitum non eſt reddendum, ne homo pervërſam voluntatem habens, male eo utatur; ut puta ſi furioſus, vel hoſtis Reipublicæ arma depoſita depoſcat. 2. 2. *quæſt.* 5. 7. *art.* 2. *ad* 1.

QUÆR. 3. Utrum ille, qui rem ſuam alteri depoſitatam ſurripit, peccet, & ad quid teneatur.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ille, qui furtim accipit rem ſuam apud alium depoſitam, gravat depoſitarium; quia tenetur ad reſtituendum eam, vel ad oſtendendum ſe eſſe innoxium: unde manifeſtum eſt, quod peccat, & tenetur ad revelandum gravamen depoſitarii. 2. 2. *quæſt.* 66. *art.* 5. *ad* 3. & *art.* 3. *ad* 3.

DERISIO.

QUÆR. 1. An deriſio ſit ſpeciale peccatum.

RESP. D. Thomas, dicendum, quod ſecuritas conſcientiæ, & quies illius magnum bonum eſt, ſecundum illud: Proverb. 25. *Secura mens quaſi juge convivium*; & ideo qui conſcientiam alicujus inquietat confundendo ipſum, aliquod ſpeciale nocumentum ei infert; unde deriſio eſt peccatum ſpeciale. 2. 2. *q.* 75. *a.* 1. *ad* 3.

QUÆR. 2. An deriſio ſit peccatum mortale, vel veniale, & quænam ex ea ſequantur inconvenientia.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod deriſio non ſit niſi de aliquo malo, vel defectu; malum autem ſi ſit magnum non pro ludo accipitur, ſed ſerioſe; unde ſi in ludum, vel riſum vertatur, ex quo irriſionis, vel illuſionis nomen ſumitur, hoc eſt, quia accipitur ut parvum: poteſt autem aliquod malum accipi ut parvum dupliciter, uno modo ſecundum ſe, alio modo ratione perſonæ; cum autem aliquis alterius perſonæ malum, vel defectum in ludum, vel in riſum ponit, quia ſecundum ſe parvum malum eſt, eſt veniale, & leve peccatum ſecundum ſuum genus: cum autem accipitur quaſi parvum ratione perſonæ, ſicut defectus puerorum, & ſtultorum parum ponderare ſolemus, ſic aliquem illudere, vel irridere, eſt eum omnino parvipendere, & eum tam vilem æſtimare, ut de ejus malo non ſit curandum, ſed ſit quaſi pro ludo habendum, & ſic deriſio eſt peccatum mortale: & gravius quam con-

Digitized by Google

contumelia, quæ ſimiliter eſt in manifeſto, quia contumelioſus videtur accipere malum alterius ſerioſe, illuſor autem in ludum; & ita videtur eſſe major contemptus, & dehonoratio; & ſecundum hoc illuſio eſt grave peccatum, & tanto gravius, quanto major reverentia debetur perſonæ, quæ illuditur.

Unde graviſſimum eſt irridere Deum, & ea quæ Dei ſunt, ſecundum illud Iſ. 37. *Cui exprobraſti? & ſuper quem exaltaſti vocem tuam?* & poſtea ſubditur: *ad Sanctum Iſrael*; deinde ſecundum locum tenet irriſio parentum: unde dicitur Prov. 30. *Oculum, qui ſubſannat Patrem, & deſpicit Patrem matris ſuæ, effodiant eum Corvi de torrentibus, & comedant eum filii Aquilæ*, deinde juſtorum deriſio gravius eſt, quia honor eſt virtutis præmium; & contra hoc dicitur Tob. 12. *Deridetur juſti ſimplicitas*; quæ quidem deriſio valde nociva eſt, quia per hoc homines a bene agendo impediuntur, ſecundum illud Gregorii: *Qui in aliorum actibus exoriri bona reſpiciunt, mox ea manu peſtiferæ exprobrationis evellunt*. 2.2. qu. 75. art. 2. in corp.

QUÆR. 3. An recidivans, vel ſimulans derideat Deum, etiamſi venialiter tantum peccet.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ille qui recidivat in peccatum, de quo pœnituit, & ille qui ſimulat, non expreſſe Deum irridet, ſed quaſi interpretative, inquantum ſcilicet ad modum deridentis ſe habet; nec venialiter peccando aliquis ſimpliciter recidivat, vel ſimulat, ſed diſpoſitive, & imperfecte. 2.2. quæſt. 75. art. 2. ad 2.

DESIDERARE MALUM.

QUÆR. 1. An & quomodo, ſalva charitate, poſſumus deſiderare malum alii, & de ipſo gaudere.

RESp. D. Thomas, dicendum, quod charitas attendit ad quædam bona per ſe, ſcilicet ad bona gratiæ; ad quædam autem per accidens, inquantum ad iſta ordinantur. Bona autem temporalia, quæ per accidens charitas attendit, ex conſequenti poſſunt ſe invicem in diverſis impedire; quia proſperitas unius inducit adverſitatem alterius: unde quia charitas ordinem habet, & plus debet diligere quiſque ſe, quam alium, & propinquos quam extraneos, & amicos quam inimicos, & bonum commune multorum quam bonum privatum unius, poteſt aliquis ſalva charitate optare malum temporale alicui, & gaudere ſi contingit, non inquantum eſt malum illius, ſed inquantum eſt impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel communitatis, aut Eccleſiæ: ſimiliter de malo etiam ejus, qui in malum temporale incidit, ſecundum quod per malum pœnæ impeditur frequenter malum culpæ ejus. Sed bona gratiæ mutuo ſe non impediunt, quia ſpiritualia bona a pluribus integre poſſideri poſſunt. Et ideo quantum ad hoc, nullus, ſalva charitate, poteſt malum alteri optare, vel de malo gaudere, niſi inquantum in malo culpæ, vel damnationis alicujus relucet bonum Divinæ juſtitiæ, quod plus tenetur diligere, quam aliquem hominem. Sed hoc non eſt per ſe de malo gaudere, ſed de bono, quod adjunctum eſt malo. 3. ſentent. d. 30. art. 1. ad 4.

QUÆR. 2. Quibus de cauſis licitum ſit aliorum mala deſiderare, & etiam cauſare.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod licite poteſt ille, ad quem ex officio pertinet, malefactores punire, vel etiam occidere, eos ex charitate diligendo: dicit enim Gregorius in quadam homilia, quod *juſti perſequutionem commovent, ſed amantes, quia ſi foris increpationes per diſciplinam exaggerant, intus tamen dulcedinem per charitatem ſervant*: poſſumus enim illis, quos ex charitate diligimus, velle, aut inferre aliquod malum temporale propter tria. Primo quidem propter eorum correctionem. Secundo inquantum aliquorum temporalis proſperitas eſt in detrimentum alicujus multitudinis, vel etiam totius Eccleſiæ; unde dicit Gregor. 21. Moral. *Evenire plerumque ſolet, ut non amiſſa charitate inimici nos ruina lætificet, & rurſus ejus gloria ſine invidiæ culpa contriſtet: dum corruente eo, quoſdam bene erigi credimus, & proficiente illo pleroſque injuſte opprimi formidamus*. Tertio ad ſervandum ordinem divinæ juſtitiæ, ſecundum illud Pſalm. *Lætabitur juſtus cum viderit vindictam*. qu. 2. de virtutibus, & unica de charitate, art. 8. ad 10.

DESPERATIO.

QUÆR. 1. Quid ſit deſperatio.

RESp. D. Thomas, dicendum, quod deſperatio non importat ſolam privationem ſpei, ſed importat quendam receſſum a re deſiderata propter æſtimatam impoſſibilitatem adipiſcendi; unde deſperatio præſupponit deſiderium ſicut & ſpes: de eo enim quod ſub deſiderio noſtro non cadit, neque ſpem, neque deſperationem habemus; & propter hoc etiam utrumque eorum eſt de bono, quod ſub deſiderio cadit. p. 2. qu. 40. art. 4. ad 3. & in corp.

QUÆR. 2. An & quomodo deſperatio proveniat

Digitized by Google

niat ex timore Dei, vel ex horrore magnitudinis propriorum peccatorum tanquam fructus malus ex bona arbore.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ex radice virtutis poteſt aliquid procedere dupliciter: uno modo directe ex parte ipſius virtutis; ſicut actus procedit ex habitu: Et hoc modo ex virtuoſa radice non poteſt aliquod peccatum procedere: hoc enim ſenſu Auguſt. dicit in lib. de lib. arb. cap. 18. quod virtute nemo male utitur: alio modo procedit aliquid ex virtute indirecte, ſive occaſionaliter: & ſic nihil prohibet aliquod peccatum ex aliqua virtute procedere; ſicut interdum aliqui de virtutibus ſuperbiunt, ſecundum illud Auguſt. in regula, *ſuperbia bonis operibus inſidiatur, ut pereant.* Et hoc modo ex timore Dei, vel ex horrore propriorum peccatorum contingit deſperatio; inquantum his bonis aliquis male utitur, occaſionem ab eis accipiens deſperandi. 2.2. *qu.* 20. *art.* 1. *ad* 2.

QUÆR. 3. *Quomodo deſperatio ſit cauſa luxuriæ, juxta illud Apoſt. ad Eph. 4. Qui deſperantes ſeipſos tradiderunt impudicitiæ.*

Reſp D. Thomas, dicendum, quod deſperatio eſt cauſa luxuriæ per accidens; ſicut removens ſpem futuræ beatitudinis, propter quam a luxuria aliquis deſiſtit. *q.* 15. *de malo art.* 4. *ad* 3.

QUÆR. 4. *An & quomodo deſperatio oriatur ex Luxuria & Acedia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quia objectum ſpei eſt bonum arduum poſſibile adipiſci vel per ſe, vel per alium, dupliciter poteſt in aliquo ſpes deficere de Beatitudine obtinenda: uno modo quia non reputat eam ut bonum arduum; alio modo quia non reputat eam ut poſſibilem adipiſci vel per ſe, vel per alium: ad hoc autem quod bona ſpiritualia non ſapiant nobis quaſi bona, vel non videantur nobis quaſi magna bona, præcipue perducimur per hoc, quod affectus noſter eſt infectus amore delectationum corporalium, inter quas præcipue ſunt delectationes venereæ: nam ex affectu harum delectationum contingit, quod homo faſtidit bona ſpiritualia, & non ſperat ea quaſi quædam bona ardua, & ſecundum hoc deſperatio cauſatur ex luxuria. Ad hoc autem quod aliquis bonum arduum non æſtimet, ut poſſibile ſibi adipiſci vel per ſe, vel per alium, perducitur ex nimia dejectione, quæ quando in affectu hominis dominatur, videtur ei, quod nunquam poſſit ad aliquod bonum relevari: & quia acedia eſt triſtitia quædam dejectiva ſpiritus, ideo per hunc modum deſperatio ex acedia generatur. Hoc autem eſt proprium objectum ſpei, ſcilicet quod ſit poſſibile, nam bonum, & arduum etiam ad alias paſſiones pertinent; unde ſpecialius oritur ex acedia, poteſt tamen oriri ex luxuria ratione jam dicta. 2.2. *q.* 20. *art.* 4. *in corp.*

QUÆR. 5. *Cur homines in triſtitiis exiſtentes facilius in deſperatione incidunt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ut Phil. dicit in 2. Reth. cap. 5. Sicut ſpes facit delectationem, ita etiam homines in delectationibus exiſtentes efficiuntur majoris ſpei: Et per hunc etiam modum, homines in triſtitiis exiſtentes facilius in deſperationem incidunt; Secundum 2. ad Corinth 2. *Ne majori triſtitia abſorbeatur qui ejuſmodi eſt*: ſed tamen quia ſpei objectum eſt bonum, in quod naturaliter tendit appetitus, non autem refugit ab eo naturaliter, ſed ſolum propter aliquod impedimentum ſuperveniens; ideo directius quidem ex ſpe oritur gaudium, deſperatio autem e converſo ex triſtitia. 2.2. *q.* 20. *artic.* 3. *ad* 2.

QUÆR. 6. *An deſperatio oritur ex inconſideratione divinorum beneficiorum potius quam ex acedia, ſicut e contra ſpes oritur ex ipſorum conſideratione, juxta illud D. Auguſtini* 13. *de Trinitate, cap.* 10. *Nihil tam neceſſarium fuit ad erigendam ſpem noſtram, quam ut demonſtraretur nobis quantum nos Deus diligeret; quid vero hujus rei iſto indicio manifeſtius, quam quod Dei Filius naturæ noſtræ dignatus eſt inire conſortium.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ipſa etiam negligentia conſiderandi divina beneficia ex acedia provenit: homo enim affectus aliqua paſſione, præcipue illa cogitat quæ ad illam pertinent paſſionem: unde homo in triſtitiis conſtitutus, non de facili aliqua magna & jucunda cogitat, ſed ſolum triſtia, niſi per magnum conatum ſe avertat a triſtibus. 2.2. *qu.* 20. *art.* 4. *ad* 3.

QUÆR. 7. *An deſperatio ſit graviſſimorum peccatorum, & omnium periculoſiſſimum, juxta illud Hieremiæ* 15. *Plaga mea deſperabilis renuit curari, &* 30. *Inſanabilis fractura tua, peſſima plaga tua.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod peccata, quæ opponuntur virtutibus Theologicis, ſunt ſecundum ſuum genus graviora peccatis aliis; cum enim virtutes Theologicæ habeant Deum pro objecto, peccata eis oppoſita important directe, & principaliter averſionem a Deo: in quolibet autem peccato mortali principalis ratio mali, & gravitas eſt ex hoc quod avertit ſe a Deo; ſi enim poſſet eſſe converſio ad bonum commutabile ſine averſione a Deo, quamvis eſſet inordinata, non eſſet peccatum mortale: & ideo illud, quod

primo

Digitized by Google

primo; & per ſe habet averſionem a Deo, eſt graviſſimum peccatum inter peccata mortalia: virtutibus autem Theologicis opponuntur infidelitas, deſperatio, & odium Dei, inter quæ odium, & infidelitas, ſi deſperationi comparentur, invenientur ſecundum ſe quidem, ideſt, ſecundum rationem propriæ ſpeciei graviora; infidelitas enim provenit ex hoc quod homo ipſam Dei veritatem non credit, odium vero Dei provenit ex hoc, quod voluntas hominis ipſi Divinæ Bonitati contrariatur; deſperatio autem ex hoc, quod homo non ſperat Bonitatem Dei participare; ex quo patet, quod infidelitas, & odium Dei ſunt contra Deum ſecundum quod in ſe eſt, deſperatio autem ſecundum quod ejus bonum participatur a nobis; unde majus peccatum eſt ſecundum ſe loquendo non credere Dei veritatem, vel odire Deum, quam non ſperare conſequi gloriam ab ipſo.

Sed ſi comparetur deſperatio ad alia duo peccata ex parte noſtra, ſic deſperatio eſt periculoſior, quia per ſpem revocamur a malis, & inducimur ad bona proſequenda; & ideo ſublata ſpe irrefrænate homines labuntur in vitia, & a bonis operibus retrahuntur: unde ſuper illud Proverb. 24. *Si deſperaveris lapſus in die anguſtiæ, minuetur fortitudo ſua*, dicit Gloſ. *Nihil eſt execrabilius deſperatione, quam qui habet, & in generalibus hujus vitæ laboribus, & (quod pejus eſt) in fidei certamine conſtantiam perdit*: & Iſidorus dicit in lib. de ſummo bono, *perpetrare flagitium aliquod mors animæ eſt, ſed deſperare eſt deſcendere in Infernum*. 2. 2. *q*. 20. *art*. 3. *in corp*.

DETRACTIO.

QUÆR. 1. *An detractio ſit denigratio alienæ famæ per verba in occulto prolata, juxta illud Eccleſiaſt. 10. Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut facto aliquis nocet alteri dupliciter, manifeſte quidem ſicut in rapina, vel quacunque violentia illata: occulte autem ſicut in furto, & doloſa percuſſione; ita etiam verbo aliquis dupliciter aliquem lædit: uno modo in manifeſto, & hoc fit per contumeliam, ut ſupra dictum eſt: alio modo occulte, & hoc fit per detractionem: ex hoc autem quod aliquis manifeſte verba contra alium profert, videtur eum parvipendere; unde ex hoc ipſo dehonoratur; & ideo contumelia detrimentum affert honori ejus, in quem profertur, ſed ſi verba contra aliquem profert in occulto, videtur eum vereri magis, quam parvipendere; unde non directe infert detrimentum honori, ſed famæ, inquantum hujuſmodi verba occulte proferens quantum in ipſo eſt eos, qui audiunt, facit malam opinionem habere de eo, contra quem loquitur; hoc enim intendere videtur, & ad hoc conatur detrahens, ut ejus verbis credatur: unde patet, quod detractio differt a contumelia dupliciter, uno modo quantum ad modum proponendi verba; quia ſcilicet contumelioſus manifeſte contra aliquem loquitur, detractor autem occulte; alio modo quantum ad finem intentum, ſive quantum ad nocumentum illatum, quia ſcilicet contumelioſus derogat honori, detractor famæ. 2. 2. *quæſt*. 73. *artic*. 1. *in corp*.

QUÆR. 2. *In quo ſenſu verba detractionis dicuntur occulta, & utrum ille ſit detractor, qui vel uni ſoli de abſente malum dicit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod verba detractionis dicuntur occulta non ſimpliciter, ſed per comparationem ad eum de quo dicuntur, quia eo abſente, & ignorante dicuntur, ſed contumelioſus in faciem contra hominem loquitur; unde ſi aliquis de alio male loquatur coram multis eo abſente, detractio eſt; ſi autem eo ſolo præſente, contumelia eſt, quamvis etiam ſi uni ſoli aliquis de abſente malum dicat, corrumpit famam ejus non in toto, ſed in parte. 2. 2. *q*. 73. *art*. 1. *ad* 2.

QUÆR. 3. *Quot modis dicatur aliquis detrahere?*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aliquis dicitur detrahere, non quia diminuat de veritate, ſed quia diminuit famam ejus: quod quidem fit quandoque directe, quandoque indirecte; directe quidem quadrupliciter: uno modo quando falſum imponit alteri: ſecundo quando peccatum adauget ſuis verbis: tertio quando occultum revelat: quarto quando id, quod eſt bonum, dicit mala intentione factum: indirecte autem, vel negando bonum alterius, vel malitioſe reticendo, vel minuendo. 2. 2. *q*. 73. *art*. 1. *ad* 3.

QUÆR. 4. *An & quando detractio ſit peccatum mortale, vel veniale, & quam ſit grave juxta illud ad Rom. 1. Detractores Deo odibiles: quod ideo additur, ut dicit Gloſſa, ne leve putetur propter hoc quod conſiſtit in verbis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod peccata verborum maxime ſunt ex intentione dicentis judicanda: detractio autem ſecundum ſuam rationem ordinatur ad denigrandum famam alicujus; unde illic per ſe loquendo detrahit, qui ad hoc de alieno obloquitur

eo

Digitized by Google

eo abſente, ut ejus famam denigret: auferre autem alicui famam valde grave eſt, quia inter res corporales videtur fama eſſe pretioſior, per cujus defectum impeditur homo a multis bene agendis, propter hoc dicitur Eccleſ. 41. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille theſauri magni, & pretioſi*: & ideo detractio per ſe loquendo eſt peccatum mortale.

Contingit tamen quandoque quod aliquis dicit verba aliqua, per quæ diminuitur fama alicujus non hoc intendens, ſed aliquid aliud; hoc autem non eſt detrahere per ſe, & formaliter loquendo, ſed ſolum materialiter, & quaſi per accidens; & ſi quidem verba, per quæ famam alterius diminuit, proferat aliquis propter aliquod bonum, vel neceſſarium debitis circumſtantiis obſervatis, non eſt peccatum, nec poteſt dici detractio; ſi autem proferat ex animi levitate, vel propter cauſam aliquam non neceſſariam, non eſt peccatum mortale, niſi forte verbum, quod dicitur, ſit adeo grave, quod notabiliter famam alicujus lædat; & præcipue in his, quæ pertinent ad honeſtatem vitæ, quia hoc ex ipſo genere verborum habet rationem peccati mortalis, & tenetur aliquis ad reſtitutionem famæ, ſicut ad reſtitutionem cujuslibet rei ſubtractæ. 2. 2. *q.* 73. *art.* 2. *in corp.*

QUÆR. 5. *Quomodo intelligi debeat Gloſſa ſuper illud Proverbior.* 24. *Cum detractoribus non commiſcearis, dicens: Hoc ſpecialiter vitio periclitatur totum genus humanum.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod Gloſſa illa non dicit quod detractio in toto genere humano inveniatur, ſed addit, pene: tum quia *ſtultorum infinitus eſt numerus, & pauci ſunt qui ambulant per viam ſalutis*: tum etiam quia pauci vel nulli ſunt, qui non aliquando ex animi levitate aliquid dicant, unde in aliquo vel leviter alterius fama minoratur; quia ut dicitur Jacobi 3. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir; in eodem art.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 6. *Cur Div. Auguſtinus in homilia de igne purgatorio, inter peccata minuta ponit, quando cum omni facilitate, vel temeritate maledicimus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Auguſtinus loquitur in caſu illo quo aliquis dicit aliquod leve malum de alio, non ex intentione nocendi, ſed ex animi levitate, vel ex lapſu linguæ. *Ibidem ad* 3.

QUÆR. 7. *An audiens detrahentem magis, vel minus peccet, quam detrahens: & quando peccet mortaliter, aut ſolummodo venialiter.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſecundum Apoſtolum ad Romanos 1. *Digni ſunt morte non ſolum qui peccata faciunt, ſed etiam qui facientibus peccata conſentiunt*: quod quidem contingit dupliciter; uno modo directe, quando ſcilicet quis inducit alium ad peccatum, vel ei placet peccatum: alio modo indirecte, ſcilicet quando non reſiſtit, cum reſiſtere poſſit; & hoc contingit quandoque non quia peccatum placet, ſed propter aliquem humanum timorem.

Dicendum eſt ergo; quod ſi aliquis detractiones audiat abſque reſiſtentia, videtur detractori conſentire; unde fit particeps peccati ejus, & ſi quidem inducat eum ad detrahendum, vel ſaltem placeat ei detractio propter odium ejus, cui detrahitur, non minus peccat quam detrahens, & quandoque magis; unde Bernard. dicit, *detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius ſit, non facile dixerim.*

Si vero non placet ei peccatum, ſed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, ſed multo minus, quam detrahens, & plerumque venialiter.

Quandoque etiam hoc poteſt eſſe peccatum mortale; vel propter hoc, quod alicui ex officio incumbit detrahentem corrigere: vel propter aliquod periculum, quod audiens novit conſequens: vel propter radicem, qua timor humanus quandoque poteſt eſſe peccatum mortale. 2. 2. *q.* 73. *art.* 4. *in corp.*

QUÆR. 8. *An dependeat ex cujuslibet arbitrio quod patiatur detractiones, quæ ſunt contra ipſum, vel proximum; & utrum eas ferre ſit laudabile, juxta illud D. Gregorii ſuper Ezech. homil.* 9. *Linguas detrahentium, ſicut noſtro ſtudio non debemus excitare, ne ipſi pereant, ita per ſuam malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, ut nobis meritum creſcat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod detractiones ſuas nullus audit: quia ſcilicet mala quæ dicuntur de aliquo eo audiente non ſunt detractiones proprie loquendo, ſed contumeliæ; poſſunt tamen ad notitiam alicujus detractiones contra ipſum factæ aliorum relationibus pervenire: & tunc ſui arbitrii eſt detrimentum ſuæ famæ pati, niſi hoc vergat in periculum aliorum: & ideo in hoc poteſt commendari ejus patientia, quod patienter proprias detractiones ſuſtinet. Non autem eſt ſui arbitrii, quod patiatur detrimentum famæ alterius: & ideo in culpam ei vertitur, ſi non reſiſtit cum poſſit reſiſtere, eadem ratione qua tenetur aliquis ſublevare Aſinum alterius jacentem ſub onere, ut præcipitur Deuter. 22. *in eodem art.* 4. *ad* 1.

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 9. Quomodo ſit reſiſtendum detractori.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod non ſemper aliquis debet reſiſtere detractori arguendo eum de falſitate, & maxime ſi ſciat verum eſſe, quod dicitur: ſed debet eum verbis redarguere de hoc quod peccat fratri detrahendo: vel ſaltem oſtendere, quod ei detractio diſpliceat per triſtitiam faciei: quia, ut dicitur Prov. 25. *Ventus Aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem.* 2. 2. *qu.* 72. *art.* 4. *ad* 2.

QUÆR. 10. *An ſint ferendi detractores propter utilitatem, quæ ex ipſorum detractione provenit, juxta illud Pii Papæ: nonnunquam detractio adverſus bonos concitatur, ut quos vel domeſtica adulatio, vel aliorum favor in altum extulerat, detractio humiliet.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod utilitas quæ ex detractione provenit, non eſt ex intentione detrahentis, ſed ex Dei ordinatione, qui ex quolibet malo elicit bonum: & ideo nihilominus eſt detractoribus reſiſtendum, ſicut & raptoribus, vel oppreſſoribus aliorum, quamvis ex hoc, oppreſſis vel ſpoliatis, per patientiam meritum creſcat. *Ibidem ad* 3.

QUÆR. 11. *An & quomodo viri perfecti, & Religioſi poſſint, & debeant reſiſtere detractoribus ſuis, vel eorum detractiones patienter ferre.*

Reſp. D. Thomas, Gregorius Homil. 9. primæ partis ſuper Ezechielem ait: *Hi, quorum vita in exemplum imitationis eſt poſita, debent ſi poſſunt, detrahentium ſibi verba compeſcere: ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & in pravis moribus remanentes bene vivere contemnant*: perfecti autem viri ſunt, quorum vita in imitatione eſt poſita: ergo ipſi debent compeſcere linguas detrahentium, cum poſſunt. Item Auguſtinus in 2. de Trinitate: *Gratanter ſuſcipit oſculum columbinum pulcherrima, & modeſtiſſima charitas: dentem autem caninum vel evitat caſtiſſima, cautiſſimaque humilitas, vel retundit ſolidiſſima veritas.* Ex quo patet, quod canini dentes detractorum quandoque ſunt evitandi, quandoque retundendi. Item hoc patet multorum Sanctorum exemplo, ut Gregorii Nazianzeni, Hieronymi, Bernardi, & multorum aliorum, qui apologeticos fecerunt, & Epiſtolas, quibus ſe excuſarent ab his, quæ eis imponebantur. Eſt ergo in reprehendentibus diſtinguendum: quia aut ordinate reprehendunt & intentione correctionis: & ſic non ſolum ſunt ferendi, ſed diligendi; aut reprehendendo falſa imponunt, apud alios detrahentes: & tunc quandoque ſunt patienter ſuſtinendi, quando ſcilicet talis detractio non multum nocet aliis, generando ſcandalum in cordibus auditorum: quandoque autem, ſi fieri poteſt, ſunt repellendi, non amore privatæ gloriæ, ſed communis utilitatis. Si vero repelli non poſſunt, nihilominus patienter tolerandi ſunt, unde Gregorius in prædicta homil. dicit: *Juſti ſicut ſine arrogantia loquuntur aliquando bona, quæ agunt: ita ſine zelo privatæ gloriæ detrahentium ſibi linguas redarguunt, qui noxia loquuntur. Cum vero linguæ detrahentium corrigi nequeunt, æquanimiter ſunt per omnia ſuſtinendæ: nec obtrectationis ſermo timendus eſt: ne dum vituperatio perverſorum metuitur, recti operis via deſeratur.* Opuſc. 19. *contra impugnantes Religionem cap.* 14.

QUÆR. 12. *An detractio ſit gravior omnibus peccatis, quæ in proximum committuntur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod peccata, quæ committuntur in proximum, ſunt penſanda, per ſe quidem ſecundum nocumenta, quæ proximo inferuntur, quia ex hoc habent rationem culpæ: tanto autem eſt majus nocumentum, quanto majus bonum demitur: cum autem ſit triplex bonum hominis, *bonum animæ, & bonum corporis, & bonum exteriorum rerum*: bonum animæ, quod eſt maximum, non poteſt aliter ab alio tolli, niſi occaſionaliter, puta per malam perſuaſionem, quæ neceſſitatem non infert: ſed alia duo dona, ſcilicet corporis, & exteriorum rerum, poſſunt ab alio violenter auferri. Sed quia bonum corporis præeminet bono exteriorum rerum, graviora ſunt peccata quibus infertur nocumentum corpori, quam ea quibus infertur nocumentum exterioribus rebus: unde inter cætera peccata quæ committuntur in proximum, homicidium gravius eſt, per quod tollitur vita proximi jam actu exiſtens; conſequenter autem adulterium, quod eſt contra debitum ordinem generationis humanæ, per quam eſt introitus ad vitam. Conſequenter autem ſunt exteriora bona, inter quæ fama præeminet divitiis, eo quod propinquior eſt ſpiritualibus bonis; unde dicitur Proverb. 22. *Melius eſt nomen bonum quam divitiæ multæ.* Et ideo detractio ſecundum ſuum genus eſt majus peccatum, quam furtum: minus tamen quam homicidium, vel adulterium. Poteſt tamen eſſe alius ordo propter circumſtantias aggravantes, vel diminuentes. Per accidens autem gravitas peccati attenditur ex parte peccantis: quia gravius peccat ſi ex deliberatione peccet, quam ſi peccet ex infirmitate, vel incautela. Et ſecundum hoc peccata locutionis habent aliquam levitatem, inquantum de facili ex lapſu linguæ

Digitized by Google

guæ proveniunt, abſque magna præmeditatione. 2. 2. *qu.* 73. *art.* 3. *in corp.*

QUÆR. 13. *Quomodo intelligatur Gloſſa ſuper illud Pſal.* 108. *Pro eo ut me diligerent detrahebant mihi, dicens: plus nocent in membris, detrahentes Chriſto (qui animas creditorum interficiunt) quam qui ejus carnem mox reſurrecturam peremerunt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod illi qui detrahunt Chriſto, impedientes fidem membrorum ipſius, derogant divinitati ejus cui fides innititur. Unde non eſt ſimplex detractio, ſed blaſphemia. 2. 2. *qu.* 73. *art.* 3. *ad* 1.

QUÆR. 14. *An detractio ſit gravior quam contumelia, & quomodo detractores ſunt occaſionaliter homicidæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod gravius peccatum eſt contumelia quam detractio inquantum habet majorem contemptum proximi; ſicut & rapina eſt gravius peccatum quam furtum. Contumelia tamen non eſt gravius peccatum quam adulterium: non enim gravitas adulterii penſatur ex conjunctione corporum, ſed ex deordinatione generationis humanæ: contumelioſus autem non ſufficienter cauſat inimicitiam in alio, ſed occaſionaliter tantum dividit unitos, inquantum ſcilicet per hoc quod mala alterius promit, alioſ (quantum in ſe eſt) ab ejus amicitia ſeparat; licet ad hoc per verba ejus non cogantur: ſic ergo & detractor occaſionaliter eſt homicida, inquantum ſcilicet per ſua verba dat alteri occaſionem, ut proximum odiat, vel contemnat: propter quod in Epiſtola Clementis dicitur: *detractores eſſe homicidas*, ſcilicet occaſionaliter, quia, *qui odit fratrem ſuum, homicida eſt*, ut dicitur 1. Joan. 8. 2. 2. *qu.* 73. *art.* 3. *ad* 2.

QUÆR. 15. *An detractio ſit gravius peccatum quam ſuſurratio.*

Reſpondetur *v. Suſurratio.*

QUÆR. 16. *An detractio ſit filia iræ, vel invidiæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ira quærit in manifeſto vindictam inſerre, ut dicit Philoſ. in 2. Rhet. ideo detractio, quæ eſt in occulto, non eſt filia iræ ſicut contumelia, ſed magis invidiæ, quæ nititur qualitercumque minuere gloriam proximi. 2. 2. *q.* 73. *artic.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 17. *An detractio proveniat ex odio.*

Reſp. D. Thomas, ſuſurratio, & detractio & exultatio in adverſis oriuntur ex odio, inquantum diminuit omne bonum, & procurat omne malum ſui inimici. *quæſt.* 10. *de malo art.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 18. *An & quomodo detractio inducat graviſſimum defectum, ſcilicet excæcationem mentis, juxta illud D. Gregorii: quid aliud detrahentes faciunt, niſi quod in pulverem ſufflant, & in oculos ſuos terram excitant, ut unde plus detractionis perflant, inde minus veritatis videant.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quia homo lætatur in ſententia oris ſui, ut dicitur Prov. 15. inde eſt quod ille qui detrahit, incipit magis amare & credere quod dicit; & per conſequens proximum magis odire, & ſic magis recedere a cognitione veritatis. 2. 2. *qu.* 73. *art.* 3. *ad* 4.

QUÆR. 19. *An detractores impugnent id, quod maxime Deus in hominibus diligit, ſcilicet, amorem mutuum.*

Reſp. Div. Thomas, Apoſtolus ſubdit, *detractores Deo odibiles*: impugnant enim id maxime quod Deus in hominibus amat, ſcilicet mutuum amorem, Joa. 15. *Hoc eſt præceptum meum ut diligatis invicem*; unde Prov. 6. *Sex ſunt, quæ odit Deus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus*, ſcilicet *qui ſeminat inter fratres diſcordias, ad Roman.* 1. *lect.* 8.

QUÆR. 20. *Cur Jacobi* 4. *dicitur: qui detrahit fratri ſuo, detrahit legi; & utrum detractionis peccatum ſit maxime contra Deum ipſum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ille qui detrahit fratri, intantum videtur detrahere legi, inquantum contemnit præceptum de dilectione proximi, contra quod directius agit qui amicitiam diſrumpere nititur; unde hoc peccatum maxime contra Deum eſt: quia *Deus dilectio eſt*, ut dicitur 1. Joann. 4. & propter hoc dicitur Proverb. 6. *Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus*, & hoc ſeptimum ponit eum, *qui ſeminat inter fratres diſcordias*. 2. 2. *qu.* 74. *art.* 2. *ad* 3.

DEVOTIO.

QUÆR. 1. *Quid ſit devotio.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod devotio dicitur a devovendo, unde devoti dicuntur, qui ſeipſos quodammodo Deo devovent, ut ei ſe totaliter ſubdant; propter quod & olim Gentiles devoti dicebantur, qui ſeipſos idolis devovebant in mortem pro ſui ſalute exercitus, ſicut de duobus Deciis Titus Livius narrat; unde devotio nihil aliud eſſe videtur, quam voluntas quædam promptè tradendi ſe ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum: unde Exodi 35. dicitur, quod *multitudo filiorum Iſrael obtulit mente promptiſſima, atque devota primitias Domino.* 2. 2. *qu.* 82. *art.* 1. *in corp.*

QUÆR. 2. *An & quomodo devotio imponat modum omnibus humanis actibus.*

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod movens imponit modum motui mobilis. Voluntas autem movet alias vires animæ ad ſuos actus: & voluntas ſecundum quod eſt finis movet ipſam ad ea quæ ſunt ad finem. Et ideo, cum devotio ſit actus voluntatis hominis offerentis ſeipſum Deo ad ei ſerviendum, qui eſt ultimus finis; conſequens eſt, quod devotio imponat modum humanis actibus, ſive ſint ipſius voluntatis circa ea quæ ſunt ad finem, ſive etiam ſint aliarum potentiarum quæ a voluntate moventur. 2.2. *qu.*82. *artic.*1. *ad* 1.

QUÆR. 3. *An devotio ſit actus Religionis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ad eandem virtutem pertinet velle facere aliquid, & promptam voluntatem habere ad illud faciendum: quia utriuſque actus eſt idem objectum, propter quod, ut Phil. dicit in 5. Eth. juſtitia eſt, quia volunt homines, & operantur juſta. Manifeſtum eſt autem quod operari ea quæ pertinent ad divinum cultum, ſeu famulatum, pertinet proprie ad religionem. Unde etiam ad eam pertinet habere promptam voluntatem ad hujuſmodi exequenda, quod eſt eſſe devotum: & ſic patet quod devotio eſt actus Religionis. *Ibidem artic.* 2. *in corp.*

QUÆR. 4. *An devotio ſit primus Religionis actus, & neceſſarius ad omnes alios.*

Reſp. Div. Thomas, eſt etiam & devotio neceſſaria: ſed hæc ad Religionem pertinet, cujus eſt primus actus neceſſarius ad omnes conſequentes. 2.2. *quæſt.* 83. *artic.* 15. *in corpore.*

QUÆR. 5. *An devotio ſit principalis actus Religionis: & ideo obedientia, quæ ex ipſa provenit, ſacrificio præferatur, juxta illud* 1. *Regum* 15. *Melior eſt obedientia quam victimæ.*

Reſp. Div. Thomas, obedientia inquantum procedit ex reverentia Dei, continetur ſub religione, & pertinet ad devotionem, quæ eſt principalis actus Religionis: unde ſecundum hoc, laudabilius eſt obedire Deo, quam ſacrificium offerre. 2.2. *quæſt.* 104. *articul.* 3. *ad primum.*

QUÆR. 6. *Cur in Scriptura Sacra charitas ſignificatur per ignem, Cantic.* 8. *Lampades ejus lampades ignis, atque flammarum: Devotio vero ſignificatur per pinguedinem, quæ eſt ignis materia, Pſalm.* 62. *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod pinguedo corporalis, & generatur per calorem naturalem digerentem, & ipſum calorem naturalem conſervat, quaſi ejus nutrimentum. Et ſimiliter charitas & devotionem cauſat, inquantum ex amore aliquis redditur promptus ad ſerviendum amico: & etiam per devotionem charitas nutritur; ſicut & quælibet amicitia conſervatur, & augetur per amicabilium operum exercitium, & meditationem. 2.2. *qu.*82. *art.*2. *ad* 2.

QUÆR. 7. *An contemplatio, ſive meditatio ſit cauſa devotionis, juxta illud Pſalm.* 38. *In meditatione mea exardeſcet ignis.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod cauſa devotionis extrinſeca, & principalis Deus eſt, de quo dicit Ambroſius ſuper Lucam, quod *Deus, quos dignatur, vocat, & quem vult Religioſum facit, & ſi voluiſſet, Samaritanos ex indevotis devotos feciſſet*: cauſa autem intrinſeca ex parte noſtra oportet, quod ſit meditatio, ſeu contemplatio: dictum eſt enim, quod devotio eſt quidam voluntatis actus ad hoc, quod homo prompte ſe tradat ad Divinum obſequium; omnis autem actus voluntatis ex aliqua conſideratione procedit, eo quod bonum intellectum eſt objectum voluntatis; unde & Auguſtinus dicit in libro de Trinitate, quod *voluntas oritur ex intelligentia*; & ideo neceſſe eſt, quod meditatio ſit devotionis cauſa, inquantum ſcilicet homo per meditationem concipit, quod ſe tradat divino obſequio.

Ad quod quidem inducit duplex conſideratio: una quidem, quæ eſt ex parte Divinæ Bonitatis, & Beneficiorum ipſius, ſecundum Pſalm. 72. *Mihi adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino meo ſpem meam*: & hæc conſideratio excitat dilectionem, quæ eſt proxima devotionis cauſa: alia vero eſt ex parte hominis conſiderantis ſuos defectus, ex quibus indiget ut Deo innitatur, ſecundum illud Pſal. 120. *Levavi oculos tuos in montes, unde veniet auxilium mihi: auxilium meum a Domino, qui fecit cælum, & terram*: & hæc conſideratio excludit præſumptionem, per quam aliquis impeditur, ne Deo ſe ſubjiciat, dum ſuæ virtuti innititur. 2.2. *qu.* 83. *art.* 3. *in corp.*

QUÆR. 8. *Utrum aliquando ſubtiles meditationes intelligibilium devotionem impediant.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod conſideratio eorum, quæ nata ſunt dilectionem Dei excitare, devotionem cauſant; conſideratio vero quorumcunque ad hoc non pertinentium, ſed ab eis mentem diſtrahentium, impedit devotionem. 2.2. *qu.* 82. *art.* 3. *ad* 1.

QUÆR. 9. *Quænam maxime Devotionem excitent, & circa quæ principaliter verſetur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ea, quæ ſunt Divinitatis, ſunt ſecundum ſe maxime excitantia dilectionem, & per conſequens devotionem, quia Deus eſt ſuper omnia dili-

gendus; ſed ex debilitate mentis humanæ eſt, quod ſicut indiget manuductione ad cognitionem Divinorum, ita ad dilectionem per aliqua ſenſibilia nobis nota, inter quæ præcipuum eſt humanitas Chriſti, ſecundum quod in Præfatione dicitur, *ut dum viſibiliter Deum cognoſcimus, per hunc in inviſibilium amorem rapiamur*; & ideo ea, quæ pertinent ad Chriſti humanitatem per modum cujuſdam manuductionis maxime devotionem excitant, cum tamen Devotio principaliter, circa ea, quæ ſunt Divinitatis, conſiſtat. 2. 2. *quæſt.* 82. *artic.* 3. *ad* 2.

QUÆR. 10. *Quomodo mens ſemel ad devotionem excitata, facilius poſtmodum ad devotionem priſtinam revocetur: & cur neceſſariæ ſint crebræ orationes.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut in rebus corporalibus abeunte paſſione, remanet quædam habilitas ad hoc quod iterum patiatur; ſicut lignum ſemel inflammatum facilius iterum inflammatur; ita etiam in intellectu Prophetæ ceſſante actuali illuſtratione remanet quædam habilitas ad hoc quod facilius iterato illuſtretur: ſicut etiam mens ſemel ad devotionem excitata, facilius poſtmodum ad devotionem priſtinam revocatur. Propter quod Auguſt. in lib. de orando Deum, dicit eſſe neceſſarias crebras orationes, ne concepta devotio totaliter extinguatur. 2. 2. *q.* 171. *art.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 11. *Cur etiam oratione tranſacta mens remanet devotior: & quare certis horis ad orationem revocari debet, præſertim poſt curas, & negotia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut eſt in rebus corporalibus quod aliquid poſt paſſionem etiam paſſione abeunte efficitur habitus ad patiendum, ſicut aqua calefacta prius facilius poſtmodum poſt infrigidationem calefiet, & homo poſt frequentes triſtitias facilius ad triſtitiam provocatur; ita etiam quando mens aliqua divina inſpiratione tangitur, etiam illa inſpiratione abeunte remanet habilior ad iterato recipiendum, ſicut poſt devotam orationem remanet mens devotior; unde propter hoc dicit Auguſt. in libro de orando Deum: *mens quæ curis & negotiis tepeſcere cœperit, omnino refrigeſcit, & penitus extinguitur, niſi crebrius inflammetur*. Et ideo certis horis ad negotium orandi mentem revocamus. *q.* 12. *de veritate art.* 1. *in corp.*

QUÆR. 12. *Cur ex hoc quod aliquis ſemel devote orat, remanet devotior per plures dies.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quandocunque aliquod agens imprimit fortem impreſſionem, remanet illa impreſſio in patiente per aliquod tempus, etiam ad abſentiam agentis, ut patet in motibus violentis: & ita dico quod ad unam actionem Angeli in hominem poteſt homo bonam diſpoſitionem accipere, quæ manet in eo ad aliquod tempus; ut patet quando aliquis ſemel devote orat, quod ad plures dies remanet inde devotior. 3. *ſent. d.* 11. *qu.* 2. *art.* 4. *ad* 5.

QUÆR. 13. *An & quomodo lætitia ſit devotionis effectus, juxta illud quod dicitur in Collecta, quos jejunia votiva caſtigant, ipſa quoque devotio lætificet.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod devotio per ſe quidem & principaliter ſpiritualem lætitiam mentis cauſat; ex conſequenti autem & per accidens, cauſat triſtitiam: dictum eſt enim, quod devotio ex duplici conſideratione procedit: principaliter quidem ex conſideratione divinæ bonitatis; quia iſta conſideratio pertinet quaſi ad terminum motus voluntatis tradentis ſe Deo; & ex iſta conſideratione per ſe quidem ſequitur delectatio, ſecundum illud Pſ. 76. *Memor fui Dei, & delectatus ſum*; ſed per accidens hæc conſideratio triſtitiam quandam cauſat in his qui nondum plene Deo fruuntur, ſecundum illud Pſalmi 41. *Sitivit anima mea ad fontem vivum*: & poſtea ſequitur, *fuerunt mihi lacrymæ meæ panes &c.* Secundario vero cauſatur devotio ex conſideratione propriorum defectuum: nam hæc conſideratio pertinet ad terminum, a quo homo per motum voluntatis devote recedit, ut ſcilicet non in ſe exiſtat, ſed Deo ſe ſubdat: hæc autem conſideratio e converſo ſe habet ad primam; nam per ſe quidem nata eſt triſtitiam cauſare, recogitando proprios defectus, per accidens autem lætitiam, ſcilicet propter ſpem divinæ ſubventionis. Et ſic patet, quod ad devotionem primo & per ſe conſequitur delectatio; ſecundario autem & per accidens triſtitia, quæ eſt ſecundum Deum. 2. 2. *q.* 82. *art.* 4. *in corp.*

QUÆR. 12. *Quomodo devotio lætitiam cauſet, cum ejus præcipuum objectum ſit Paſſio Chriſti, ex cujus conſideratione ſequitur afflictio, juxta illud Thren.* 3. *Recordare paupertatis meæ, abſynthii, & fellis, quod pertinet ad paſſionem; & poſtea ſubditur: Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in conſideratione Paſſionis Chriſti eſt aliquid quod contriſtet, ſcilicet defectus humanus, propter quem tollendum, Chriſtum oportuit pati: & eſt aliquid quod lætificet, ſcilicet Dei erga nos benignitas, quæ nobis de tali liberatione providit. *Ibidem ad* 1.

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 15. *Quomodo devotio ſit cauſæ lætitiæ, cum aliqui ex devotione prorumpant in lacrymas, & dicat D. Gregorius Nyſſen. in lib. de Homine: Sicut riſus procedit ex gaudio, ita lachrymæ & gemitus ex triſtitia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod lacrymæ prorumpunt non ſolum ex triſtitia, ſed etiam ex quadam affectus teneritudine, præcipue cum conſideratur aliquid delectabile cum permixtione alicuius triſtabilis; ſicut ſolent homines lacrymari ex pietatis affectu cum recuperant filios, vel caros amicos, quos exiſtimaverant ſe perdidiſſe: & per hunc modum lacrymæ ex devotione procedunt. *Ibidem ad* 3.

QUÆR. 16. *An ſcientiæ, & aliæ ſimiles qualitates devotionem impediant, vel potius augeant: & cur in ſimplicibus, & mulieribus abundat devotio.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſcientia, & quidquid aliud ad magnitudinem pertinet, occaſio eſt, quod homo conſideret de ſeipſo; & ideo non totaliter ſe Deo tradat: & inde eſt, quod hujuſmodi quandoque occaſionaliter devotionem impediunt: & in ſimplicibus, & in mulieribus devotio abundat, elationem comprimendo. Si tamen ſcientiam, & quamcunque aliam perfectionem homo perfecte Deo ſubdat, ex hoc ipſo devotio augetur. 2. 2. *qu.* 82. *art.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 17. *An indevotio ſit peccatum.*

Reſp. *v. Indevotio.*

DIACONUS.

Vide *v. Sacramentum*, & *v. Ordo.*

DIGNITAS.

QUÆR. 1. *Ratione quorum debeatur honor; timor, obedientia, & tributum perſonis in dignitate conſtitutis.*

RESp. D. Thomas, dicendum, quod excellentiæ eorum, qui ſunt in dignitate conſtituti, debetur honor, ratione ſublimioris gradus; timor autem ratione poteſtatis, quam habent ad coercendum; officio vero gubernationis ipſorum debetur obedientia, per quam ſubditi moventur ad imperium præſidentium; & tributa, quæ ſunt quædam ſtipendia laboris ipſorum. 2. 2. *q.* 102. *art.* 2. *ad* 3.

QUÆR. 2. *An debeamus honorem perſonis in dignitate conſtitutis, etiamſi non ſimus illi ſubjecti.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod duplex eſt debitum: unum quidem legale, ad quod reddendum homo lege compellitur, & ſic debet homo honorem, & cultum his, qui ſunt in dignitate conſtituti, prælationem ſuper ipſum habentes: aliud autem eſt debitum morale, quod ex quadam honeſtate debetur, & hoc modo debemus cultum & honorem his, qui ſunt in dignitate conſtituti, etiamſi non ſimus eis ſubjecti. 2. 2. *q.* 102. *art.* 2. *ad* 2.

DISCORDIA.

QUÆR. 1. *An & quando diſcordia ſit peccatum mortale, aut veniale, aut etiam ſine peccato.*

RESp. D. Thomas, dicendum, quod diſcordia concordiæ opponitur; concordia autem ex Charitate cauſatur, inquantum ſcilicet Charitas multorum corda conjungit in aliquod unum, quod eſt principaliter quidem bonum divinum, ſecundario autem bonum proximi; diſcordia igitur eadem ratione eſt peccatum inquantum hujuſmodi concordiæ contrariatur.

Sed ſciendum, quod hæc concordia per diſcordiam tollitur dupliciter: uno quidem modo per ſe, alio vero modo per accidens; per ſe quidem in humanis actibus, & motibus dicitur eſſe id, quod eſt ſecundum intentionem; unde per ſe diſcordat aliquis proximo, quando ſcienter, & ex intentione diſſentit a bono divino, & a proximi bono, in quo debet conſentire; & hoc eſt peccatum mortale ex ſuo genere propter contrarietatem ad Charitatem; licet primi motus hujus diſcordiæ propter imperfectionem actus ſint peccata venialia.

Per accidens autem in humanis actibus conſideratur ex hoc, quod aliquid eſt præter intentionem; unde cum intentio aliquorum eſt ad aliquod bonum, quod pertinet ad honorem Dei, vel utilitatem proximi, ſed unus æſtimat hoc eſſe bonum, alius autem habet contrariam opinionem, diſcordia tunc eſt per accidens contra bonum divinum, vel proximi; & talis diſcordia non eſt peccatum, nec repugnat Charitati, niſi hujuſmodi diſcordia ſit vel cum errore circa ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, vel pertinacia indebite adhibeatur; cum etiam concordia, quæ eſt Charitatis effectus, ſit unio voluntatum, non unio opinionum.

Ex quo patet, quod diſcordia quandoque eſt ex peccato unius tantum, puta cum unus vult bonum, cum alius ſcienter reſiſtit; quandoque autem eſt cum peccato utriuſque, puta cum uterque diſſentit a bono alterius, & uterque diligit bonum proprium. 2. 2. *qu.* 73. *art.* 1. *in corp.*

Digitized by Google

QUÆR.2. An & quando facere diſcordiam ſit vituperabile, aut laudabile.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſicut voluntas hominis adhærens Deo eſt quædam regula recta, a qua peccatum eſt diſcordare; ita etiam voluntas hominis Deo contraria, eſt quædam perverſa regula, a qua bonum eſt diſcordare, facere ergo diſcordiam, per quam tollitur bona concordia, quam Chriſtus facit, eſt grave peccatum; unde dicitur Proverb. 6. *Sex ſunt, quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus*; & hoc ſeptimum ponit eum, *qui ſeminat inter fratres diſcordias*; ſed cauſare diſcordiam, per quam tollitur mala concordia, ſcilicet in mala voluntate, eſt laudabile: & hoc modo laudabile fuit, quod ut narratur Act. 23. Paulus poſuit diſſenſionem inter eos, qui erant concordes in malo: nam & Dominus de ſe dicit Matth. 10. *Non veni pacem mittere, ſed gladium*. 2. 2. *q.* 3. *art.* 1. *ad* 2.

QUÆR.3. Quomodo etiam in viris ſanctis invenitur diſcordia, juxta illud Act. 15. Facta eſt diſſenſio inter Paulum & Barnabam, ita ut diſcederent ab invicem.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod diſcordia, quæ fuit inter Paulum & Barnabam, fuit per accidens, & non per ſe; uterque enim intendebat bonum, ſed uni videbatur hoc eſſe bonum, alii aliud, quod ad defectum humanum pertinebat. Non enim erat talis controverſia in his, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis: Quamvis hoc ipſum fuerit ex divina Providentia ordinatum propter utilitatem inde conſequentem. *In eodem art.* 1. *ad* 3.

QUÆR.4. An diſcordia ſit filia vanæ gloriæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod diſcordia importat quandam diſgregationem voluntatum, inquantum ſcilicet voluntas unius ſtat in uno, & voluntas alterius ſtat in altero: quod autem voluntas alicujus in proprio ſiſtat, provenit ex hoc, quod aliquis ea quæ ſunt ſua, præfert his quæ ſunt aliorum: quod cum inordinate ſit, pertinet ad ſuperbiam, & inanem gloriam; & ideo diſcordia, per quam unuſquiſque ſequitur quod ſuum eſt, & recedit ab eo quod eſt alterius, ponitur filia inanis gloriæ. 2.2. *quæſt.* 37. *artic.* 2. *in corpore*.

QUÆR.5. An diſcordia cauſetur etiam ex ira.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ex ira nunquam cauſatur contentio, & diſcordia, niſi cum adjunctione inanis gloriæ; dum aliquis non vult videri minor in hoc, quod voluntatem ſuam ad alterius voluntatem reducat, vel quod verba ſua minus ſint valida, quam verba alterius videantur. *qu.* 9. *de malo, art.* 3. *ad* 4.

QUÆR.6. Cur ſicut concordia parvæ res creſcunt, ita diſcordia maximæ dilabuntur.

Reſp. ſupra v. *Concordia qu.* 3.

DISPENSATIO.

QUÆR.1. Quid ſit diſpenſatio, & utrum Rectores multitudinis poſſint in legibus humanis diſpenſare: & quomodo hoc facere debeant.

RESp. D. Thomas, dicendum, quod diſpenſatio proprie importat commenſurationem alicujus communis ad ſingula; unde etiam gubernator familiæ dicitur diſpenſator inquantum unicuique de familia cum pondere, & menſura diſtribuit & operationes, & neceſſaria vitæ: ſic igitur & in quacunque multitudine ex eo dicitur aliquis diſpenſare, quia ordinat, qualiter aliquod commune præceptum ſit a ſingulis adimplendum: contingit autem quandoque, quod aliquod præceptum, quod eſt ad commodum multitudinis, ut in pluribus, non eſt conveniens huic perſonæ, vel in hoc caſu; quia vel per hoc impediretur aliud melius, vel etiam induceretur aliquod malum; periculoſum autem eſſet, ut hoc judicio cujuslibet committeretur, niſi forte propter evidens, & ſubitum periculum: & ideo ille, qui habet regere multitudinem, habet poteſtatem diſpenſandi in lege humana; quæ ſuæ authoritati innititur, ut ſcilicet in perſonis, vel in caſibus, in quibus lex deficit, licentiam tribuat, ut præceptum legis non ſervetur.

Si autem abſque hac ratione pro ſola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in diſpenſatione, aut erit imprudens: infidelis quidem, ſi non habet intentionem ad bonum commune; imprudens autem, ſi rationem diſpenſandi ignoraret, propter quod Dominus dicit Lucæ 12. *Quis putas eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam*. 1. 2. *qu.* 97. *art.* 4. *in corp.* 1. *ad Corinth.* 4. *lect.* 1.

QUÆR.2. Quandonam ad Superiorem ſit recurrendum ad obtinendam diſpenſationem: & utrum neceſſitas diſpenſationem habeat annexam.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod omnis lex ordinatur ad communem hominum ſalutem, & intantum obtinet vim & rationem legis; ſecundum vero quod ab hoc deficit, virtutem obligandi non habet: unde juriſperitus dicit, quod *nulla ratio juris, aut æquitatis benignitatis patitur, ut quæ ſalubriter pro ſalute hominum introducuntur, ea nos duriori interpretatione contra ipſorum commodum perducamus ad*

ſeve-

Digitized by Google

ſeveritatem. Contingit autem multoties quod aliquid obſervari communi ſaluti eſt utile, ut in pluribus: quod tamen aliquibus caſibus eſt maxime nocivum: quia igitur legislator non poteſt omnes ſingulares caſus intueri, proponit legem ſecundum ea quæ in pluribus accidunt, ferens intentionem ſuam ad communem utilitatem: unde ſi emergat caſus, in quo obſervatio talis legis ſit damnoſa communi ſaluti, non eſt obſervanda: ſicut ſi in civitate obſeſſa ſtatuatur lex, quod portæ civitatis maneant clauſæ, hoc eſt utile communi ſaluti, ut in pluribus: ſi tamen contingat caſus quod hoſtes inſequantur aliquos cives, per quos civitas conſervatur, damnoſiſſimum eſſet civitati, niſi eis portæ aperirentur: & ideo in tali caſu eſſent portæ aperiendæ contra verba legis, ut ſervaretur utilitas communis, quam legiſlator intendit: ſed tamen hoc eſt conſiderandum quod ſi obſervatio legis ſecundum verba non habeat ſubitum periculum, cui oporteat ſtatim occurri, non pertineat ad quemlibet ut interpretetur quid ſit utile, & quid inutile civitati, ſed hoc ſolum pertinet ad principes, qui propter hujuſmodi caſus habent authoritatem in legibus diſpenſandi: ſi vero ſit ſubitum periculum, non patiens tantam moram ut ad ſuperiorem recurri poſſit, ipſa neceſſitas diſpenſationem habet annexam, quia neceſſitas non ſubditur legi. 1. 2. *qu. 69. art. 6. in corp.*

QUÆR. 3. In lege naturali, & divina quis poſſit diſpenſari.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod lex naturalis inquantum continet præcepta communia, quæ nunquam fallunt, diſpenſationem recipere non poteſt: in aliis vero præceptis, quæ ſunt quaſi concluſiones præceptorum communium, quandoque per hominem diſpenſatur; puta quod mutuum non reddatur proditori Patriæ, vel aliquid hujuſmodi.

Ad legem autem Divinam ita ſe habet quilibet homo, ſicut perſona privata ad legem publicam, cui ſubjicitur: unde ſicut in lege humana publica non poteſt diſpenſare, niſi ille, a quo lex authoritatem habet, vel is, cui ipſe commiſerit; ita in præceptis juris Divini, quæ ſunt a Deo, nullus poteſt diſpenſare, niſi Deus, vel cui ipſe ſpecialiter committeret. *p. 2. qu. 97. artic. 4. ad 3. 2. 2. q. 147. art. 4. ad 1. 3. ſent. d. 47. art. 4. in 4. d. 33. qu. 2. art. 2. qu. 1. quodlib. 9. art. 15.*

QUÆR. 4. An præcepta Decalogi ſive primæ, ſive ſecundæ tabulæ ſint omnino indiſpenſabilia.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in præceptis debet fieri diſpenſatio, quando occurrit aliquis particularis caſus, in quo ſi verbum legis obſervaretur, contrariaretur intentioni legislatoris: intentio autem legislatoris cujuslibet ordinatur primo quidem, & principaliter ad bonum commune, ſecundo autem ad ordinem juſtitiæ, & virtutis, ſecundum quem bonum commune conſervatur, & ad ipſum pervenitur: ſi quæ ergo præcepta dantur, quæ contineant ipſam conſervationem boni communis, vel ipſum ordinem juſtitiæ, & virtutis, hujuſmodi præcepta continent intentionem legislatoris, & ideo indiſpenſabilia ſunt; puta ſi poneretur hoc præceptum in aliqua communitate, quod nullus deſtrueret Rempublicam; neque proderet Civitatem hoſtibus, ſive quod nullus faceret aliquid injuſte, vel male; hujuſmodi præcepta eſſent indiſpenſabilia: ſed ſi aliqua alia præcepta traderentur ordinata ad iſta præcepta, quibus determinantur aliqui ſpeciales modi, in talibus præceptis diſpenſatio poſſet fieri, inquantum per omiſſionem hujuſmodi præceptorum in aliquibus caſibus non fieret præjudicium primis præceptis, quæ continent intentionem legislatoris; puta ſi ad conſervationem Reipublicæ ſtatueretur in aliqua Civitate, quod de ſingulis vicis aliqui vigilarent; ad cuſtodiam Civitatis obſeſſæ, poſſet cum aliquibus diſpenſari propter aliquam majorem utilitatem.

Præcepta autem Decalogi continent ipſam intentionem legislatoris, ſcilicet Dei, nam præcepta primæ Tabulæ, quæ ordinant ad Deum, continent ipſum ordinem ad bonum commune, & finale, quod Deus eſt; præcepta autem ſecundæ Tabulæ continent ordinem juſtitiæ inter homines obſervandæ, ut ſcilicet nulli fiat indebitum, & cuilibet reddatur debitum; ſecundum hanc enim rationem ſunt intelligenda præcepta Decalogi, & ideo præcepta Decalogi ſunt omnino indiſpenſabilia. *p. 2. quæſt.* 100. *art.* 8. *in corp.* 2. 2. *q.* 104. *art.* 4. 2. *in* 1. *diſt.* 47. *art.* 4. *in* 3. *d.* 37. *q.* 4. *de malo q.* 3. *art.* 1. *ad* 18. *quodl.* 1. *art.* 18. *ad* 1.

QUÆR. 5. Quare pro matrimonio contrahendo facilius diſpenſatur cum divitibus, quam cum aliis, abſque peccato acceptionis perſonarum.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod diſpenſatio Matrimonii contrahendi principaliter fieri conſuevit propter fœdus pacis firmandum: quod quidem magis eſt neceſſarium communi utilitati circa perſonas excellentes: & ideo cum eis facilius diſpenſatur, abſque peccato acceptionis perſonarum. 2. 2. *qu.* 63. *art.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 6. In quibus Papa diſpenſare poſſit.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod Papa habet plenitudinem poteſtatis in Eccleſia, ita ſcilicet quod quæcunque ſunt inſtituta per Eccleſiam, vel Eccleſiæ Prælatos, ſunt diſpenſabilia a Papa; hæc enim ſunt, quæ dicuntur eſſe juris humani, vel juris poſitivi: circa ea vero, quæ ſunt juris Divini, vel juris naturalis, diſpenſare non poteſt; quia iſta habent efficaciam ex inſtitutione Divina; jus autem Divinum eſt; quod pertinet ad legem novam, vel veterem.

Sed hæc differentia eſt inter utramque legem: quia lex vetus determinabat multa tam in præceptis cæremonialibus pertinentibus ad cultum Dei, quam etiam in præceptis judicialibus pertinentibus ad juſtitiam inter homines conſervandam: ſed lex nova, quæ eſt lex libertatis, hujuſmodi determinationes non habet, ſed eſt contenta præceptis moralibus naturalis legis, & articulis fidei, & Sacramentis Gratiæ; unde & dicitur lex fidei, & lex Gratiæ propter determinationem articulorum fidei, & efficaciam Sacramentorum; cætera vero, quæ pertinent ad determinationem humanorum judiciorum, vel ad determinationem Divini cultus, libere permiſit Chriſtus, qui eſt novæ legiſlator, Prælatis Eccleſiæ, & Principibus Chriſtiani populi determinanda; unde hujuſmodi determinationes pertinent ad jus humanum, in quo Papa poteſt diſpenſare.

In ſolis vero his, quæ ſunt de lege naturæ, & in articulis fidei, & Sacramentis novæ legis diſpenſare non poteſt, hoc enim non eſſet poſſe pro veritate, ſed contra veritatem. *quodlibeto 4. art. 13. in corp. 4. ad Hann. d. 38. art. 2. ad 3.*

QUÆR. 7. An Papa poſſit diſpenſare in illis, quæ inſtituta ſunt ab Apoſtolis.

Reſp. D. Thomas, non poteſt quantum ad ea, quæ ſunt de jure naturali, & quantum ad ea, quæ ſunt de neceſſitate Sacramentorum, & fidei: ſed in aliis, quæ ſunt de inſtitutione Apoſtolorum, cum Eccleſia habet nunc eandem poteſtatem ſtatuendi, & deſtruendi, quam tunc habuit, poteſt per eum, qui primatum in Eccleſia tenet, diſpenſari. *4. ſent. d. 27. qu. 3. art. 3. ad 2.*

QUÆR. 8. An Prælatus poſſit in votis, aliiſque rebus diſpenſare: & utrum peccet ſi diſpenſet ſine cauſa: & utrum in dubio ſtandum ſit ipſius judicio.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quidam dixerunt, quod ideo Prælati poſſunt in votis pro libito diſpenſare, quia in quolibet voto includitur conditionaliter voluntas Prælati ſuperioris, ſicut in voluntate ſubditorum, puta ſervi, vel filii, intelligitur conditio: ſi placuerit Patri, vel Domino, vel ſi non renitantur: & ſic ſubditus abſque omni remorſu conſcientiæ poſſet votum prætermittere, quandocunque ſibi a Prælato diceretur: ſed prædicta poſitio falſo innititur, quia cum Poteſtas Prælati ſpiritualis, qui non eſt Dominus, ſed diſpenſator, *in ædificationem* ſit data, & non *in deſtructionem*, ut patet ſecundæ ad Corinth. 10. ſicut Prælatus non poteſt imperare ea, quæ ſecundum ſe Deo diſplicent; ſcilicet peccata; ita non poteſt prohibere ea, quæ ſecundum ſe Deo placent, ſcilicet virtutis opera; & ideo abſolute poteſt homo vovere ea.

Ad Prælatum tamen pertinet dijudicare, quid ſit magis virtuoſum, & Deo magis acceptum: & ideo in manifeſtis diſpenſatio Prælati non excuſaret a culpa, puta ſi Prælatus diſpenſaret cum aliquo ſuper voto de ingreſſu Religionis nulla apparenti cauſa obſtante: ſi autem eſſet cauſa apparens, per quam ſaltem in dubium verteretur, poſſet ſtare judicio Prælati diſpenſantis, vel commutantis, non tamen judicio proprio; quia ipſe non gerit vicem Dei, niſi forte in caſu, in quo id, quod vovit, eſſet manifeſte illicitum, & non poſſet opportune ad ſuperiorem recurrere. *2. 2. qu. 88. art. 12. ad 2.*

Plura de diſpenſatione videantur v. Bigamia, Jejunium, Juramentum, Matrimonium, & Votum.

DISPUTATIO.

QUÆR. 1. An & quomodo liceat, vel expediat publice diſputare de fide cum ipſis infidelibus, ſicut faciebat D. Paulus, ut dicitur Act. 9.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in diſputatione fidei duo ſunt conſideranda, unum quidem ex parte diſputantis, aliud autem ex parte audientium.

Ex parte quidem diſputantis eſt conſideranda intentio: ſi enim diſputet tanquam de fide dubitans, & veritatem fidei pro certo non ſupponens, ſed argumentis experiri intendens, procul dubio peccat tanquam dubius in fide, & infidelis: ſi autem diſputet aliquis de fide ad confutandum errores, vel etiam ad exercitium, laudabile eſt.

Ex parte vero audientium conſiderandum eſt, utrum illi, qui diſputationem audiunt, ſint inſtructi, & firmi in fide, aut ſimplices, & in fide titubantes: & quidem coram ſapientibus in fide firmis nullum periculum eſt diſputare de fide; ſed circa ſimplices eſt diſtinguendum, quia aut ſunt ſollicitati ſive pulſati ab infidelibus, puta Judæis, vel hæreticis, ſive paganis nitentibus corrumpere in

Digitized by Google

in eis fidem, aut omnino non ſunt ſollicitati ſuper hoc; ſicut in terris in quibus non ſunt infideles.

In primo caſu neceſſarium eſt publice diſputare de fide, dummodo inveniantur aliqui ad hoc ſufficientes, & idonei, qui errores confutare poſſint per hoc enim ſimplices in fide confirmantur, & tollitur infidelibus decipiendi facultas, & ipſa taciturnitas eorum, qui reſiſtere deberent pervertentibus fidei puritatem, eſſet erroris confirmatio; unde Gregorius in 2. Paſtoralium, *ſicut incauta locutio in errorem pertrahit; ita indiſcretum ſilentium eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit*.

In ſecundo vero caſu periculoſum eſt publice diſputare de fide coram ſimplicibus, quorum fides ex hoc eſt firmior, quia nihil diverſum audierunt ab eo, quod credunt; & ideo non expedit eis, ut verba infidelium audiant diſputantium contra fidem. 2.2. *q.* 10. *art.* 7. *in corp. lect.* 2. *ſuper caput* 2. *Epiſtolæ* 2. *ad Timotheum. Quodl.* 4. *art.* 18. 1. *contra Gentes cap.* 2.

QUÆR. 2. *Quo fine ſit aliquando diſputandum cum infidelibus.*

Reſp. D. Thomas, oportet ad fidei confirmationem aliquando cum infidelibus diſputare, quandoque quidem defendendo fidem, ſecundum illud primæ Petri 3. *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ eſt in vobis ſpe, & fide*: quandoque autem ad convincendos errantes, ſecundum illud ad Titum primo, *ut ſit potens exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere*. 2.2. *q.* 10. *art.* 7. *ad* 3.

QUÆR. 3. *Quomodo intelligatur lex Martiani Auguſti per Canones confirmata, quæ ſic dicit, injuriam facit judicio Religioſiſſimæ Synodi, ſiquis ſemel judicata, aut recte diſpoſita, revolvere publice & diſputare contendit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod lex illa prohibet publicam diſputationem de fide, quæ procedit ex dubitatione fidei, non autem illam, quæ eſt ad fidei conſervationem. 2.2. *q.* 10. *art.* 7. *ad* 2.

QUÆR. 4. *Quænam qualitates requirantur in eis, qui cum infidelibus diſputare debent: & quomodo inſinuentur ab Apoſtolo* 2. *ad Timoth.* 2. *his verbis: ſollicite autem cura te ipſum probabilem exhibere Deo operarium inconfuſibilem, recte tractantem verbum veritatis.*

Reſp. Div. Thomas, ponit debitum modum reſiſtendi. Et primo quantum ad rectam intentionem. Secundo quantum ad rectam operationem: Tertio quantum ad rectam doctrinam. Qui enim vult diſputare primo debet ſcrutari ſuam intentionem, utrum moveatur bono zelo; ideo dicit, *probabilem Deo exhibere*, quia ſcilicet probat cor. 2. Corint. 10. *Non enim qui ſeipſum commendat ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat.* Pſal. 16. *Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte.* Item quod doctrinam quam prædicat ore, ſtabiliat per opera, quod niſi faciat, eſt confuſione dignus: unde dicit, *operarium inconfuſibilem*, quaſi dicat, hæc facito, ſic non confunderis. Item quod recte tractet verbum veritatis, vera docendo, & utilia audientibus. Unde ſubjungit, *recte tractantem verbum veritatis*, non quærens lucrum & gloriam. 3. & Corrint. 2. *Non ſumus ſicut plurimi adulterantes verbum Dei, ſed ex ſinceritate, ſicut ex Deo, coram Deo in Chriſto loquimur, in expoſ. ejuſd. c. lect.* 2.

DISSENSIO.

QUÆR. 1. *An diſſenſio opponatur paci juxta illud* 1. *ad Corinth.* 4. *Non eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod paci opponitur duplex diſſenſio, ſcilicet diſſenſio hominis ad ſeipſum, & diſſenſio hominis ad alterum: concordiæ autem opponitur hæc ſola ſecunda diſſenſio. 2.2. *q.* 29. *art.* 1. *ad* 3.

QUÆR. 2. *Cur Apoſtolus* 1. *ad Corint. cap.* 11. *dicat: Primum quidem convenientibus vobis in Eccleſiam, audio ſciſſuras eſſe inter vos: & quomodo diſſenſio ſit primum malum, unde cætera oriuntur.*

Reſp. D. Thomas, *primum quidem*, inter cætera ſcilicet, quod in deterius convenitis: *convenientibus vobis in Eccleſiam, audio ſciſſuras eſſe inter vos*, ſcilicet per contentiones quas exercebat. Quod quidem Eccleſiæ non convenit, quæ in unitate conſtituitur, ſecundum illud Eph. 4. *unum corpus & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ.* Hoc tamen prædicitur Iſa. 22. *Sciſſuras civitatis David videbitis, quia multiplicatæ ſunt.* Dicit autem Gloſſa, quod dicendo, *primum*, oſtendit quod primum malum eſt diſſenſio, unde cætera oriuntur, ubi enim eſt diſſenſio, nihil rectum eſt.

Sed contra videtur eſſe, quod dicit Eccl. 10. *Initium omnis peccati eſt ſuperbia*, & primæ Timoth. ultimo, *Radix omnium malorum cupiditas.*

Dicendum eſt autem, quod hæ authoritates loquuntur quantum ad peccata perſonalia ſingularium hominum, quorum primum eſt ſuperbia ex parte averſionis; & cupiditas ex parte converſionis; ſed nunc loquimur de peccatis multitudinis, inter quæ primum eſt

diſſenſio, per quam ſolvitur rigor diſciplinæ: unde dicitur Jacobi 3. *ubi eſt zelus, & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus pravum.* 1. *ad Corinth.* 11. *lect.* 4.

DIVINATIO.

QUÆR. 1. *Quid ſit divinatio: & utrum ſit peccatum.*

RESp. Div. Thomas, dicendum, quod nomine Divinationis intelligitur quædam prænunciatio futurorum: futura autem dupliciter prænoſci poſſunt; uno quidem modo in ſuis cauſis: alio modo in ſeipſis; cauſæ autem futurorum tripliciter ſe habent.

Quædam enim producunt ex neceſſitate, & ſemper ſuos effectus, & hujuſmodi effectus futuri per certitudinem prænoſci, & prænunciari poſſunt ex conſideratione ſuarum cauſarum, ſicut Aſtrologi prænunciant eclipſes futuras: quædam vero cauſæ producunt ſuos effectus non ex neceſſitate, & ſemper, ſed ut in pluribus, raro tamen deficiunt, & per hujuſmodi cauſas poſſunt prænoſci effectus futuri non quidem per certitudinem, ſed per quandam conjecturam, ſicut Aſtrologi per conſiderationem ſtellarum quædam prænoſcere, & prænunciare poſſunt de pluviis, & ſiccitatibus, & Medici de ſanitate, vel morte.

Quædam vero cauſæ ſunt quæ ſi ſecundum ſe conſiderentur, ſe habent ad utrumlibet, quod præcipue videtur de potentiis rationalibus, quæ ſe habent ad oppoſita ſecundum Philoſophum, & tales effectus, vel etiam ſi qui effectus ut in paucioribus caſu accidunt ex naturalibus cauſis, per conſiderationem cauſarum prænoſci non poſſunt, quia eorum cauſæ non habent inclinationem determinatam ad hujuſmodi effectus; & ideo effectus hujuſmodi prænoſci non poſſunt, niſi in ſeipſis conſiderentur: homines autem in ſeipſis hujuſmodi effectus conſiderare poſſunt ſolum dum ſunt præſentes, ſicut cum homo videt ſortem currere, & ambulare: ſed conſiderare hujuſmodi in ſeipſis antequam fiant, eſt Dei proprium, qui ſolus in ſua æternitate videt ea, quæ futura ſunt, quaſi præſentia; unde dicitur Iſa. 41. *Annunciate quæ ventura ſunt, & ſciemus, quia Dii eſtis vos.*

Si quis ergo hujuſmodi futura prænunciare, aut prænoſcere quocunque modo præſumpſerit, niſi Deo revelante, manifeſte uſurpat ſibi quod Dei eſt, & ex hoc aliqui Divini dicuntur; unde dicit Iſidorus in lib. etymologiarum: *Divini dicti quaſi Deo pleni, Divinitate enim ſe plenos ſimulant, & aſtutia quadam fraudulentiæ hominibus futura conjectant.* Divinatio ergo non dicitur, ſi quis prænunciat ea quæ ex neceſſitate eveniunt, vel ut in pluribus, quæ humana ratione prænoſci poſſunt; neque etiam ſi quis futura alia contingentia Deo revelante cognoſcat; tunc enim non ipſe divinat, id eſt quod Divinum eſt, facit, ſed magis quod Divinum eſt, ſuſcipit: tunc autem ſolum dicitur divinare, quando ſibi indebito modo uſurpat prænuntiationem futurorum eventuum: hoc autem conſtat eſſe peccatum: unde Divinatio ſemper eſt peccatum, & propter hoc Hieronymus dicit ſuper Michæam, quod *Divinatio ſemper in malam partem accipitur.* 2. 2. *qu.* 95. *art.* 1. *in corp.* 3. *contra Gentes cap.* 154. 2. *ſent. d.* 15. *qu.* 1. *art.* 3. *ad* 4. *ſuper c.* 3. *Iſaiæ.*

QUÆR. 2. *Quot ſint Divinationis ſpecies.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod omnis divinatio utitur ad præcognitionem futuri eventus aliquo dæmonum conſilio, vel auxilio: quod quidem vel expreſſe imploratur, vel præter intentionem hominis ſe occulte dæmon ingerit ad prænunciandum futura quædam, quæ hominibus ſunt ignota, ei autem cognita per modos de quibus dictum eſt.

Dæmones autem expreſſe invocati ſolent futura prænunciare multipliciter: quandoque quidem præſtigioſis quibuſdam apparitionibus ſe aſpectu, & auditui hominum ingerentes ad prænunciandum futura, & hæc ſpecies vocatur *Præſtigium* ex eo quod oculi hominum perſtringuntur: quandoque autem per ſomnia, & hæc vocatur *Divinatio ſomniorum*: quandoque vero per mortuorum aliquorum apparitionem, vel locutionem, & hæc vocatur *Necromantia*, quia ut dicit Iſidorus in libro Etymologiarum, *necron græce mortuum, mantia vero Divinatio nuncupatur*, quia quibuſdam præcantationibus adhibito ſanguine videntur reſuſcitati mortui divinare, & ad interrogata reſpondere: quandoque vero futura prænunciant per homines vivos, ſicut in arreptitiis patet, & hæc eſt *Divinatio per Pythones*; & ut Iſidorus dicit, *Pythones a Pythio Apolline ſunt dicti, qui dicebatur eſſe author divinandi.*

Quandoque vero futura prænunciant per aliquas figuras, vel ſigna, quæ in rebus inanimatis apparent; quæ quidem ſi appareant in aliquo corpore terreſtri, puta in ligno, vel ferro, vel lapide polito vocatur, *Geomantia*, ſi autem in aqua *Hydromantia*; ſi autem in aere *Aeromantia*; ſi autem in igne *Pyromantia*; ſi autem in viſceribus animalium immolatorum in aris dæmonum vocatur *Haruſpicium*.

Di-

Divinatio autem, quæ fit abſque expreſſa dæmonum invocatione in duo genera dividitur: quorum primum eſt, quando ad prænoſcendum futura aliquid conſideramus in diſpoſitionibus aliquarum rerum, & ſi quidem aliquis conetur futura prænoſcere ex conſideratione ſitus, & motus ſyderum, pertinet ad Aſtrologos, qui & *Genethliaci* dicuntur propter natalium conſiderationes dierum: ſi vero per motus vel voces avium, ſeu quorumcunque animalium, ſive per ſternutationes hominum, vel membrorum ſaltus, hoc pertinet generaliter *ad Augurium*, quod dicitur a garritu avium, ſicut *Auſpicium* ab inſpectione avium, quorum primum pertinet ad aures, ſecundum ad oculos: in avibus enim hujuſmodi præcipue conſiderari ſolent: ſi vero hujuſmodi conſideratio fiat circa verba hominum abſque intentione dicta, quæ quis retorquet ad futurum, quod vult prænoſcere, hoc vocatur *Omen*, & ſicut Valerius Maximus dicit, *omnium obſervatio aliquo contractu Religionis innexa eſt, quoniam non fortuito metu, ſed Divina providentia conſtare creditur, quæ fecit ut Romanis deliberantibus utrum ad alium locum migrarent, forte eo tempore Centurio quidam exclamavit, ſignifer ſtatue ſignum, hic optime manebimus, quam vocem auditam pro Omine acceperunt, tranſeundi conſilium omittentes.*

Si autem conſiderentur aliquæ diſpoſitiones figurarum in aliquibus corporibus viſui occurrentes, erit alia Divinationis ſpecies: nam ex lineamentis manus conſideratis Divinatio ſumpta *Chiromantia* vocatur, quaſi Divinatio manus, chir enim græce dicitur manus; Divinatio vero ex quibuſdam ſignis in ſpatula alicujus animalis apparantibus *Spatulamantia* vocatur.

Ad ſecundum vero divinationis genus, quod eſt ſine expreſſa dæmonum invocatione, pertinet Divinatio, quæ fit ex conſideratione eorum, quæ eveniunt ex quibuſdam, quæ ab hominibus ſerio fiunt ad aliquid occultum inquirendum, ſive per protractionem punctorum, quod pertinet ad artem *Geomantiæ*; ſive per conſiderationem figurarum, quæ proveniunt ex plumbo liquefacto in aqua projecto; ſive ex quibuſdam ſchedulis ſcriptis, vel non ſcriptis in occulto repoſitis, dum conſideratur quis, quam accipiat; vel etiam ex feſtucis inæqualibus propoſitis quis majorem vel minorem accipiat; vel taxillorum projectione, quis plura puncta projiciat; vel etiam dum conſideratur quid aperienti librum occurrat, quæ omnia *ſortium* nomen habent.

Sic ergo patet triplex Divinationis genus, quorum primum eſt per manifeſtam dæmonum invocationem, quod pertinet ad necromanticos, ſecundum autem eſt per ſolam conſiderationem diſpoſitionis, vel motus alterius rei, quod pertinet ad augures; tertium eſt, dum facimus aliquid, ut nobis manifeſtetur aliquid occultum, quod pertinet ad ſortes; ſub quolibet autem horum multa continentur. *2.2. qu.59. art. 3. in corp. opuſculo 25. cap. 3.*

QUÆR.3. An Divinatio, quæ fit per invocationem Dæmonum ſit licita, ſaltem quomodo dignoſcitur quod Dæmones vera dicunt.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod omnis Divinatio, quæ fit per invocationem dæmonum eſt illicita duplici ratione: quarum prima ſumitur ex parte principii divinationis, quod ſcilicet eſt pactum expreſſum cum dæmone initum per ipſam dæmonis invocationem, & hoc eſt omnino illicitum; unde contra quoſdam dicitur Iſaiæ 27. *Dixiſtis percuſſimus fœdus cum morte, & cum Inferno fecimus pactum*; adhuc gravius eſſet, ſi ſacrificium, vel reverentia dæmoni invocato exhiberetur.

Secunda vero ratio ſumitur ex parte futuri eventus; dæmon enim, qui intendit perditionem hominum ex hujuſmodi ſuis reſponſis, etiamſi aliquando vera dicat, intendit homines aſſuefacere ad hoc, quod ei credatur, & ſic intendit perducere in aliquid, quod ſit ſaluti humanæ nocivum; unde Athanaſius exponens illud, quod habetur Lucæ 4. *Increpavit illum dicens, obmuteſce, dicit, quamvis vera fateretur Dæmon, compeſcebat tamen Chriſtus ejus ſermonem, ne ſimul cum veritate etiam ſuam iniquitatem promulget: & nos etiam aſſuefaciat, ne curemus de talibus, etſi vera loqui videatur: nefas enim eſt, ut cum adſit nobis Scriptura Divina, a Diabolo inſtruamur.* 2.2. *q.95. art. 4. in corp.*

QUÆR.4. An liceat ſaltem inquirere aliquid a Dæmone ſponte occurrente.

Reſp. D. Thomas, inquirere aliquid a dæmone ſponte occurrente quandoque licet propter utilitatem aliorum, maxime quando divina virtute poteſt compelli ad vera dicenda. *Ibidem ad 1.*

QUÆR.5. An & quare inquirere, vel expectare aliquid a Dæmone ſit apoſtaſia a fide.

Reſpond. ſupra *v. Dæmon, qu.4.*

QUÆR.6. An divinatio, quæ fit per Auguria, Auſpicia, Omina, & alias hujuſmodi obſervationes exteriorum rerum, ſit illicita.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod motus, & garritus avium, vel quæcunque diſpoſitiones in hujuſmodi rebus conſideratæ, manifeſtum eſt, quod non ſunt cauſa futurorum eventuum;

Digitized by Google

tuum; unde ex his futura cognoſci non poſſunt ſicut ex cauſis; relinquitur ergo quod ſi ex eis aliqua futura cognoſcantur, hoc erit inquantum ſunt effectus aliquarum cauſarum, quæ etiam ſunt cauſantes, vel præcognoſcentes futuros eventus: cauſa autem operationum Brutorum animalium eſt inſtinctus quidam, quo moventur motu naturali, non enim habent dominium ſui actus; hic autem inſtinctus poteſt ex duplici cauſa procedere: uno quidem modo ex cauſa corporali, cum enim Bruta animalia non habeant niſi animam ſenſitivam, cujus omnes potentiæ ſunt actus corporalium organorum, ſubjacet eorum anima diſpoſitioni continentium corporum, & primordialiter cæleſtium; & ideo nihil prohibet aliquas eorum operationes eſſe futurorum ſigna, inquantum conformantur diſpoſitionibus corporum cæleſtium, & aeris continentis, ex quibus proveniunt aliqui futuri eventus.

In hoc tamen duo conſiderari oportet; primum quidem ut operationes hujuſmodi non extendantur, niſi ad præcognoſcenda futura, quæ cauſantur per motus cæleſtium corporum: ſecundo ut non extendantur, niſi ad ea, quæ aliqualiter poſſunt ad hujuſmodi animalia pertinere: conſequuntur enim per cæleſtia corpora cognitionem quandam naturalem, & inſtinctum ad ea, quæ eorum vitæ ſunt neceſſaria, ſicut ſunt immutationes, quæ fiunt per pluvias, & ventos, & alia hujuſmodi.

Alio modo inſtinctus hujuſmodi cauſantur ex cauſa ſpirituali, ſcilicet vel ex Deo, ut patet in Columba ſuper Chriſtum deſcendente, & in Corvo, qui pavit Heliam, & in Cete, qui evomuit & ejecit Jonam, vel etiam ex dæmonibus, qui utuntur hujuſmodi operationibus Brutorum animalium ad implicandos animos hominum vanis opinionibus.

Et eadem ratio videtur eſſe de omnibus aliis hujuſmodi, præterquam de hominibus, quia verba humana, quæ accipiuntur pro omine non ſubduntur diſpoſitioni ſtellarum, diſponuntur tamen ſecundum divinam providentiam, & quandoque ſecundum dæmonum operationem.

Sic ergo dicendum, quod omnis hujuſmodi divinatio, ſi extendatur ultra illud, ad quod poteſt pertingere ſecundum ordinem naturæ, vel divinæ providentiæ, eſt ſuperſtitioſa, & illicita. *2. 2. qu. 95. art. 7. in corp.*

QUÆR. 7. Cur omne divinationis genus ſimul cum idololatria in veteri lege probibeatur.

Reſp. D. Thomas, hæc omnia plerumque ex operatione ſpirituum malignorum accidunt, ut & Sancti Doctores dicunt, & etiam ipſi Gentiles cenſuerunt: dicit enim Valerius Maximus, quod obſervatio auguriorum & ſomniorum, & hujuſmodi, ad Religionem pertinent qua Idola colebantur; & ideo in veteri lege ſimul cum idololatria hæc omnia prohibebantur: dicitur enim Deuter. 18. *Nec imitari velis abominationes illarum gentium* (quæ ſcilicet idolis ſerviebant) *nec inveniatur in te, qui luſtret filium ſuum, aut filiam, ducens per ignem; aut qui ariolos ſuſcitetur, aut obſervet ſomnia atque auguria; nec ſit maleficus, nec incantator; neque pythones conſulat, nec divinos, & quærat a mortuis virtutem. 3. contr. gent. cap. 14.*

Plura quæ divinationem concernunt, videantur v. Aſtrologia judiciaria, Idololatria, Incantatio, Obſervatio, Somnium, Sors, Superſtitio.

Omnes divinandi artes tamquam vanæ, fallaces, & pernicioſæ, ac tamquam deteſtanda ſcelera, & delicta, damnantur in Bulla Sixti V. ut notavimus ſupra v. Aſtrologia judiciaria, ſub finem.

DIVITIÆ.

QUÆR. An & quomodo licitum ſit honorare divites propter divitias.

RESp. Div. Thomas, eſt duplex honor: unus qui debetur alicui ratione ſui ipſius propter ipſam virtutem, ſicut eſt commendatio, imitatio, & hujuſmodi; & ad hunc honorem divitiæ nihil faciunt; unde ſi talis honor alicui propter divitias exhibeatur, erit acceptio perſonarum; unde dicit Valerius Maximus, quod *honores qui virtuti debentur, ſicut triumphi, & alia hujuſmodi, apud Romanos antiquos nulla pecunia emi poterant.*

Alius honor alicui debetur ſecundum ſtatum, quem habet in Republica; ſic enim in perſona Reſpublica honoratur; & propter hoc Reges, & Principes; & hujuſmodi Perſonæ honorantur, ſecundum illud 1. Petri 4. *Regem honorificate.* Et quia in terrena Republica divites ſtatum obtinent altiorem, ideo *Cives Cæleſtis Jeruſalem quaſi Babilonia peregrinantes debent eis, inter quos converſantur, morem gerere*, ut Auguſtinus dicit in lib. de Civitate Dei, *in his, quæ non ſunt contra Deum.* Et ſic etiam divites honorare, illis duntaxat honoribus, qui ad exteriorem convictum pertinent, licitum eſt. *Quodlib. 10. art. 12. in corp.*

QUÆR. 2. Utrum in his, quæ ad fidem Chriſti pertinent, ſit peccatum divites præferre pauperibus, juxta Gloſſam ſuper illud Jacobi 2. Quod ſi introierit in conventum veſtrum vir annulum aureum habens &c. dicentem: Mundus pauperem abjicit, divitem

rem colit: fides Chriſti econtra docet facere.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod in his quæ ad fidem Chriſti pertinent, peccatum eſſet, divites pauperibus præferre; ſicut ſunt miniſtrationes Sacramentorum, & alia hujuſmodi: ſed in his quæ Mundi convictus requirit, oportet Mundo gerere morem. *Quodlibeto* 10. *art.* 12. *ad* 1.

QUÆR. 3. *An poſſit quis exterius divitem præferre pauperi ſine peccato, dummodo ipſum interius non judicet ex hoc meliorem.*

Reſp. D. Thomas, gloſſa Auguſtini ſuper illud Jacobi 2. *Si quis introierit &c.* ait: *in quotidianis confeſſionibus qui præfert divitem pauperi, non in hoc peccat, niſi intus ita judicet, ut quanto ditior, tanto melior videatur. Ibidem in argum. Sed contra.*

QUÆR. 4. *Quomodo divitibus debeatur honor, cum ſecundum Philoſophum in* 1. *Ethicor. Non debeatur honor, niſi rebus divinis.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod etiam divitiæ inquantum ſunt quoddam bonum, ſunt aliquid divinum, præcipue inquantum præbent facultatem ad multa bene agenda. *Ibidem ad* 2.

DIVORTIUM.

Vide infra *v. Matrimonium.*

DOCERE.

QUÆR. 1. *An docens Sacram Scripturam in peccato mortali peccet mortaliter.*

RESp. D. Thomas, dicendum, quod docere Sacram Scripturam dupliciter contingit: uno modo ex officio Prælationis, ſicut qui prædicat, docet; non enim licet alicui prædicare, niſi officium Prælationis habeat, vel ex authoritate alicujus Prælationem habentis, Rom. 11. *Quomodo prædicabunt niſi mittantur*: alio modo ex officio magiſterii, ſicut Magiſtri Theologiæ docent. Dicunt ergo quidam, quod ille, qui primo modo docet, peccat mortaliter, ſi ſit in peccato mortali notorio; non autem ille, qui ſecundo modo docet. Sed hoc eſt falſum, quia eorum qui docent Sacram Scripturam eſt idem finis, & eorum qui Sacram Scripturam ediderunt; unde cum ad hoc ordinetur Scripturæ editio, ut ad vitam æternam homo perveniat, ut patet Joannis 20. *Quicumque impedit finem doctrinæ, docendo, peccat*: impedit autem qui Sacram Scripturam in peccato docet, quia ore profitetur ſe noſſe Deum, factis autem negat.

Et ideo dicendum, quod ille, qui eſt in peccato notorio, peccat ſive ſic, ſive ſic doceat: ſed ille qui eſt in peccato occulto, peccat ſi primo modo doceat, non autem ſi ſecundo. 4. *ſent. d.* 19. *q.* 2. *art.* 2. *qu.* 2. *ad* 4.

QUÆR. 2. *An ſi per alicujus doctrinam aliqui retrahantur a meliori bono, ille teneatur ipſam retractare.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod hic diſtinguendum videtur: ſi enim doctor doceat falſam doctrinam, tenetur eam modis omnibus revocare, & maxime ſi ex ea ſpirituale damnum ſequatur: ſi vero doceat veram doctrinam, poteſt ex eo ſequi detrimentum ſpirituale in auditoribus dupliciter.

Uno modo ex defectu ipſius qui docet; ſive quia doctrinam ſubtilem, & altam proponeret rudibus, qui non eſſent illius doctrinæ capaces, & qui ex hoc detrimentum ſalutis incurrerent, contra exemplum Apoſtoli, qui dicit 1. ad Cor. 3. *Tanquam parvulis in Chriſto lac potum dedi vobis, non eſcam*: ſive quia confuſe, & inordinate proponit non præferens majora minoribus, contra id quod Gregorius dicit in Paſtorali: *Sic laudanda ſunt bona ſumma, ne deſpiciantur ultima: ſic nutrienda ſunt bona ultima, nedum ſufficere credantur, nequaquam tendatur ad ſumma.* Et in his caſibus tenetur Doctor, ex cujus doctrina damnum ſpirituale accidit, contra hoc damnum remedium ponere inquantum poteſt, exponendo ſaltem doctrinam ſuam.

Alio modo poteſt contingere ex defectu aliorum, puta ſi aliqui docendo aliqua erronea, inducerent homines ad aliquam Religionem, ut ſi dicerent, quod quicunque intrat talem Religionem, ſtatim erit æqualis meriti ſicut B. Petrus: & in hoc caſu non tenetur ceſſare a ſua doctrina: intrare enim Religionem propter errorem non eſt bonum: unde ſic non retrahit homines a meliori bono talis Doctor; & hoc eſt, quod Gregorius dicit in Paſtorali: *Sicut incauta locutio in errorem pertrahit; ita indiſcretum ſilentium eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit. Quodlib.* 5. *art.* 25. *in corp.*

QUÆR. 3. *Cur homo quantumvis ſapiens, non debet ſpernere doctrinam aliorum, qui ſunt minus docti.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod nullus homo quantumcunque ſapiens, debet a quocunque parvo doctrinam repellere; unde Apoſtolus docet primæ ad Corinthios 14. quod *ſi minori aliquid revelatum fuerit, quod tunc majores debent tacere, & eum audire?* & Danielis 13. dicitur, quod *totus populus, & ſeniores audierunt judicium pueri junioris*, ſcilicet Danielis, *cujus Spiritum Dominus ſuſcitavit. lect.* 2. *ſuper cap.* 9. *Joannis.*

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 4. An multitudo Doctorum ſit conveniens bono communi.

Reſp. D. Thomas, utilitas communis non ſolum debet procurari, ut ſit quocunque modo, ſed ut ſit optimo modo quo fieri poteſt; quanto autem Doctores magis multiplicantur: tanto utilitas communis, quæ ex doctrina provenit, magis creſcit; quia uni manifeſtatur, quod alteri nondum notum eſt, propter quod dicitur Sap. 6. *Multitudo autem Sapientium ſanitas eſt orbis terrarum*. Quo zelo Moyſes ductus Num. 11. *Quis tribuat ut omnis populus prophetet?* Gloſſa, *fidelis prædicator optat, ſi fieri valeat, ut veritatem, quam ſolus loqui non ſufficit, ora cunctorum ſonent*. Et infra: *Prophetare omnes voluit, qui bonum quod habuit, non invidit. Opuſc. 34. alias 19. contra impugnantes Religionem, par. 2. cap. 2.*

Plura Doctores concernentia videantur ſupra v. Cathedra, & infra v. Gratia, Prædicare, & v. Zelus ſalutis animar.

DOLUS.

Vide infra *v. Fraus.*

DOMINICA DIES.

QUÆR. 1. Cur Sabbathum in diem Dominicum fuit mutatum.

Reſp. D. Thomas, Sabbathum quod ſignificabat primam creationem, mutatur in diem Dominicum, in quo commemoratur nova creatura inchoata in reſurrectione Chriſti. *1. 2. quæſtiunc. 103. art. 3. ad 4.*

QUÆR. 2. An & quomodo obſervatio Dominicæ obliget ex præcepto Decalogi, & inſtitutione Eccleſiæ: & utrum in majori reverentia ſit habenda, quam antiquitus dies Sabbathi.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod obſervatio Dominicæ non obligat ex præcepto Decalogi, niſi quantum ad hoc, quod eſt de dictamine legis naturæ: taxatio enim illius diei eſt ex inſtitutione Eccleſiæ volentis reſurrectionem Chriſti, cui noſtra vitam conformare debemus, in jugi memoria eſſe: quamvis autem reſurrectio Chriſti ei ſecundum humanitatem conveniat, tamen opus divinitatis eſt, quæ eum a mortuis ſuſcitavit, unde non in minori reverentia eſt habenda, quam requies artificis, & conſummatio operum Conditoris facta in die Sabbati; imo amplius ſecundum quod opus conditionis operæ reparationis perficitur. *3. ſentent. d. 37. qu. 1. art. 5. q. 3. ad 3.*

QUÆR. 3. Quomodo Dominica ſucceſſit Sabbatho: & cur in Dominica permittitur quod cibi coquantur, & quod homines piſcationem, & alia multa hujuſmodi exerceant.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod obſervantia diei Dominicæ in nova lege ſuccedit obſervantiæ Sabbathi, non ex vi præcepti legis, ſed ex conſtitutione Eccleſiæ, & conſuetudine populi Chriſtiani: nec enim hujuſmodi obſervatio eſt figuralis, ſicut fuit obſervatio Sabbathi in veteri lege; & ideo non eſt ita arcta prohibitio operandi in die Dominica, ſicut in die Sabbathi; ſed quædam opera conceduntur in die Dominica, quæ in die Sabbathi prohibebantur, ſicut decoctio ciborum, & alia hujuſmodi; & etiam in quibuſdam operibus prohibitis facilius propter neceſſitatem diſpenſatur in nova, quam in veteri lege; quia figura pertinet ad proteſtationem veritatis, quam nec in modico præterire oportet; opera autem ſecundum ſe conſiderata immutari poſſunt pro loco, & tempore. *2. 2. q. 122. art. 4. ad 4.*

QUÆR. 4. Ex cujus conſtitutione prohibeantur opera ſervilia in die Dominico, & quis in eis diſpenſare poſſit.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in die Dominico tenemur vacare ex conſtitutione Eccleſiæ ab operibus, quæ nos impedire poſſent a cultu Divino, qui indicitur in tali die exercendus, niſi ex cauſa per eum qui habet authoritatem, in aliquo diſpenſetur. Neque oportet quod ab omnibus in die Dominica ceſſemus, a quibus in die Sabbati ceſſabant; quia antiquorum ceſſatio ab omnibus operibus ſervilibus in ſignificationem erat, non autem noſtra ceſſatio. *3. ſent. diſt. 37. qu. 1. artic. 5. qu. 3. ad 4.*

QUÆR. 5. An foret convenientius deputare aliquas horas in ſingulis diebus ad abſtinendum a labore, & vacandum divinis, quam unum diem integrum in ſeptimana.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod labor non ſolum impedit contemplationis actum dum exercetur, ſed etiam poſtquam tranſit, dum remanent ex labore membra feſſa, & mente diſtracta: unde convenientius fuit, ut unus dies integer divinis deputaretur, quam in ſingulis diebus aliquæ horæ. *3. ſentent. d. 37. q. 1. art. 5. q. 1. ad 2.*

DOMINIUM.

QUÆR. 1. An & quomodo infideles poſſint habere Prælationem, ſeu Dominium ſuper fideles.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod circa hoc dupliciter loqui poſſumus: uno

Digitized by Google

modo de Dominio, vel Prælatione infidelium, ſuper fideles de novo inſtituenda, & hoc nullo modo permitti debet; cederet enim hoc in ſcandalum, & in periculum fidei; de facili enim illi, qui ſubjiciuntur aliorum juriſdictioni, immutari poſſunt ab eis, quibus ſubſunt, ut ſequantur eorum imperium, niſi illi, qui ſubſunt, fuerint magnæ virtutis; & ſimiliter infideles contemnunt fidem, ſi fidelium defectus cognoſcant: & ideo Apoſtolus prohibuit, ut fideles non contendant judicio coram Judice infideli; & ideo nullo modo permittit Eccleſia, quod infideles acquirant dominium ſuper infideles, vel qualitercunque præficiantur in aliquo officio: alio modo poſſumus loqui de dominio, vel Prælatione jam exiſtenti.

Ubi conſiderandum eſt, quod dominium, vel Prælatio introducta ſunt ex jure humano; diſtinctio autem fidelium, & infidelium eſt ex jure Divino: jus autem Divinum, quod eſt ex gratia, non tollit jus humanum, quod eſt ex naturali ratione: ideo diſtinctio fidelium, & infidelium ſecundum ſe conſiderata non tollit dominium, & Prælationem ſupra fideles. Poteſt tamen juſte per ſententiam vel ordinationem Eccleſiæ authoritatem Dei habentis tale jus dominii, vel Prælationis tolli, quia infideles merito ſuæ infidelitatis merentur poteſtatem amittere ſuper fideles, qui transferuntur in filios Dei: ſed hoc quidem Eccleſia quandoque facit, quandoque autem non facit: in illis enim infidelibus, qui etiam temporali ſubjectione ſubjiciuntur Eccleſiæ, & membris ejus, hoc jus Eccleſia ſtatuit; ut ſervus Judæorum, cum fuerit factus Chriſtianus, ſtatim a ſervitute liberetur nullo pretio dato, ſi fuerit vernaculus, id eſt in ſervitute natus; & ſimiliter ſi infidelis exiſtens fuerit emptus ad ſervitium: ſi autem fuerit emptus ad mercationem, tenetur eum intra tres menſes exponere ad vendendum: nec in hoc injuriam facit Eccleſia, quia cum ipſi Judæi ſint ſervi Eccleſiæ, poteſt diſponere de rebus eorum; ſicut etiam Principes ſæculares multas leges ediderunt circa ſuos ſubditos in favorem libertatis.

In illis vero infidelibus qui temporaliter Eccleſiæ, vel ejus membris non ſubjacent, prædictum jus Eccleſia non ſtatuit, licet poſſet inſtituere de jure: & hoc facit ad ſcandalum vitandum: ſicut etiam Dominus Matthæi 15. oſtendit quod poterat ſe a tributo excuſare, quia liberi ſunt filii, tamen mandavit tributum ſolvi ad ſcandalum vitandum: ita etiam & Paulus, cum dixiſſet, quod ſervi Dominos ſuos honorarent, ſubjungit, *ne nomen Domini, & doctrina blaſphemetur*. 2. 2. *q*. 19. *art*. 10. *in corp*.

QUÆR. 2. *Quomodo Dominium, ſive Prælatio ordinari debet ad utilitatem ſubditorum*.

Reſp. *v. Prælatio, & v. Rex*.

DONUM.

QUÆR. 1. *Utrum convenienter enumerentur ſeptem dona Spiritus Sancti, ſicut patet Iſaiæ* 11.

RESp. D. Thomas, dicendum, quod dona ſunt quidam habitus perficientes hominem ad hoc quod prompte ſequatur inſtinctum Spiritus Sancti; ſicut virtutes morales perficiunt vires appetitivas ad obediendum rationi: ſicut autem vires appetitivæ natæ ſunt moveri per imperium rationis, ita omnes vires humanæ natæ ſunt moveri per inſtinctum Dei, ſicut a quadam ſuperiori potentia: Et ideo in omnibus viribus hominis quæ poſſunt eſſe principia humanorum actuum, ſicut ſunt virtutes, ita etiam ſunt dona, ſcilicet in ratione & in vi appetitiva, ratio autem eſt ſpeculativa & practica: Et in utraque conſideratur apprehenſio veritatis, quæ pertinet ad inventionem & judicium de veritate: ad apprehenſionem igitur veritatis, perficitur ſpeculativa ratio per intellectum; practica vero per conſilium: ad recte autem judicandum ſpeculativa quidem per ſapientiam, practica vero per ſapientiam perficitur: appetitiva autem virtus, in his quidem quæ ſunt ad alterum, perficitur per pietatem: in his autem quæ ſunt ad ſe ipſum, perficitur per fortitudinem contra timorem periculorum; contra concupiſcentiam vero inordinatam delectabilium per timorem; ſecundum illud Proverb. 16. *In timore Domini declinat omnis a malo*. Et Pſal. 118. *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui*. Et ſic patet quod hæc dona extendunt ſe ad omnia, ad quæ ſe extendunt virtutes tam intellectuales quam morales. 1. 2. *q*. 68. *art*. 4. 2. 2. *qu*. 7. *art*. 6. 4. *ſent*. *d*. 34. *q*. 1. *art*. 1.

QUÆR. 2. *Cur dona Spiritus Sancti ſint connexa? ideoque figurentur per filios Job qui conviviis ſemetipſos in vicem paſcebant; ut dicit D. Gregorius in* 1. *Moralium*.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod hujus quæſtionis veritas de facili ex præmiſſis poteſt haberi: ſicut enim vires appetitivæ diſponuntur per virtutes morales in comparatione ad regimen rationis, ita omnes vires animæ diſponuntur per dona in comparatione ad Spiritum Sanctum moventem. Spiritus autem Sanctus habitat in nobis per Charitatem,

tatem, ſecundum illud Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*; ſicut ratio noſtra perficitur per prudentiam: unde ſicut virtutes morales connectuntur ſibi invicem in prudentia: ita dona Spiritus Sancti connectuntur ſibi invicem in charitate: ita ſcilicet quod qui charitatem habet, omnia dona Spiritus Sancti habet, quorum nullum ſine charitate haberi poteſt. *Ibid. art. 5. in corp.*

QUÆR. 3. Quomodo Deus nobis ſua dona confert, ut ea in aliorum utilitatem effundamus, juxta illud Apoſtoli 2. ad Corinth. 1. qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, ut poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt, per exhortationem qua exhortamur & ipſi a Deo.

Reſp. D. Thomas, notandum eſt, quod in donis divinis eſt ordo. Ad hoc enim Deus dat aliquibus ſpecialia dona, ut ipſi effundant illa in utilitatem aliorum; non enim dat lumen Soli ut ſibi ſoli luceat, ſed ut toti Mundo; unde vult, quod de omnibus bonis noſtris ſive ſint divitiæ, ſive potentia, ſive ſcientia, ſive ſapientia, accreſcat aliqua utilitas aliis, 1. Petri 4. *Unuſquiſque gratiam quam accepit, &c.* hoc eſt ergo, quod Apoſtolus dicit: *Conſolatur nos in omni tribulatione*, ſed quare? non ut ſolum nobis hoc ſit ad bonum, ſed etiam ut aliis proſit. Unde dicit: *Ut poſſimus & ipſi conſolari eos &c.* Poſſumus enim conſolari alios per exemplum conſolationis noſtræ; qui enim non eſt conſolatus neſcit conſolari. Eccl. 34. *Qui non eſt tentatus, qualia ſcit, quæ ſunt in omni*, id eſt, in qualibet preſſura. Iſ. 61. *Spiritus Domini miſit me &c. ut conſolarer omnes lugentes &c.* Eccl. 48. *Conſolatus eſt lugentes &c.* poſſumus, dico, conſolari per exhortationem ad tolerantiam paſſionum promittendo præmia æterna, quia ſcilicet exhortatur nos per Scripturas, & internas inſpirationes, ut patienter ſuſtineamus; & alios exhortemur exempló noſtro, & per ipſas Scripturas. *In expoſit. illius cap. lect. 2.*

QUÆR. 4. Utrum in omni homine quantumcunque malo remaneat aliquod donum Dei; & quomodo intelligatur illud 1. ad Corint. 1. Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.

Reſp. D. Thomas, eſt conſiderandum, quod homines quantumcunque mali non totaliter donis Dei privantur, nec in eis dona Dei reprobantur; ſed in eis reprobatur & perditur, quod ex eorum malitia procedit: & ideo non dicit ſimpliciter *perdam ſapientiam* quia omnis ſapientia a Domino Deo eſt, ut dicit Eccleſiaſt., ſed *perdam ſapientiam ſapientium*, id eſt, quam ſapientes hujus Mundi adinvenerunt ſibi contra veram ſapientiam Dei, quia ut dicitur Jacobi 3. *Non eſt iſta ſapientia dei ſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica.* Similiter non dicit *reprobabo prudentiam*, nam veram prudentiam ſapientia Dei docet; ſed dicit *prudentiam prudentium*, id eſt, quam illi, qui ſe prudentes exiſtimant in rebus mundanis, prudentiam reputant, ut ſcilicet boni hujus Mundi inhæreant; vel quia, ut dicitur Rom. 8. 8. *Prudentia carnis mors eſt. In expoſit. illius cap. lect. 3.*

DOS.

Quæritur 1. Quid ſit Dos.

Reſp. D. Thomas, dos proprie eſt quædam datio ex parte mulieris his, qui ſunt ex parte viri, facta pro onere matrimonii, quod ſuſtinet vir. 4. *ſent. diſt. 49. art. 1. in corp.*

QUÆR. 2. Ad quem pertinet uſus Dotis, & ejus dominium.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod dotes, quamvis aſſignentur ſponſo in carnali matrimonio ad uſum; tamen proprietas, & dominium pertinent ad ſponſam: quod patet ex hoc, quod ſoluto matrimonio dos remanet ſponſæ ſecundum jura. 4. *ſent. diſt. 45. qu. 4. art. 1. ad 1.*

QUÆR. 3. Utrum ille, qui deſloravit virginem, teneatur eam dotare.

Reſpondetur *v. Stuprum.*

DUBIUM.

QUÆR. 1. Utrum in dubiis inferior ſtare poſſit judicio Superioris.

Reſpondetur ſupra *v. Diſpenſatio, qu. ult.*

QUÆR. 2. An & quomodo dubia ſint in meliorem partem interpretanda.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ex hoc ipſo, quod aliquis habet malam opinionem de alio abſque ſufficienti cauſa, injuriatur ei, & contemnit ipſum. Nullus autem debet alium contemnere, vel nocumentum quodcunque inferre abſque cauſa cogente: Et ideo ubi non apparent manifeſta indicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium eſt. 2. 2. *qu. 60. art. 4. in corp.*

QUÆR. 3. An ſit melius frequenter falli interpretando in meliorem partem, quam male ſuſpicando rarius falli.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod poteſt contingere, quod ille, qui in meliorem partem

tem

tem interpretatur frequentius fallatur; ſed melius eſt, quod aliquis frequenter fallatur habens bonam opinionem de aliquo malo homine; quam quod rarius fallatur habens malam opinionem de aliquo bono, quia ex hoc fit injuria alicui, non autem ex primo. 2.2. *qu. 60. art. 4. ad* 1.

QUÆR. 4. Quomodo in dubiis ſit judicandum de rebus & perſonis.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aliud eſt judicare de rebus, & aliud de hominibus: in judicio enim, in quo de rebus judicamus, non attenditur bonum vel malum ex parte ipſius rei, de qua judicamus, cui nihil nocet, qualitercunque judicemus de ipſa; ſed attenditur ibi ſolum bonum judicantis, ſi vere judicet, vel malum, ſi falſo, quia *verum eſt bonum intellectus, falſum autem eſt malum ipſius*, ut dicitur in 6. Ethicor. cap. 2. & ideo unuſquiſque debet niti ad hoc, quod de rebus judicet ſecundum quod ſunt; ſed in judicio, quo judicamus de hominibus, præcipue attenditur bonum, & malum ex parte ejus, de quo judicatur, qui in hoc ipſo honorabilis habetur, quod bonus judicatur, & contemptibilis, ſi judicetur malus; & ideo ad hoc potius tendere debemus in tali judicio, quod hominem judicemus bonum, niſi manifeſta ratio in contrarium appareat.

Ipſi autem homini judicanti falſum, judicium, quo bene judicat de alio, non pertinet ad malum intellectus ipſius; ſicut nec ad ejus perfectionem pertinet ſecundum ſe cognoſcere veritatem ſingularium contingentium, ſed magis pertinet ad bonum affectum. 2.2. *q. 60. art. 4. ad* 2.

QUÆR. 5. Quomodo ſunt interpretanda dubia, cum aliquibus malis remedium adhibere debemus.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod interpretari aliud in deteriorem, vel meliorem partem, contingit dupliciter: Uno modo per quandam ſuppoſitionem, & ſic cum debemus aliquibus malis adhibere remedium ſive noſtris, ſive alienis, expedit ad hoc, ut ſecurius remedium apponatur, quod ſupponatur id, quod eſt deterius; quia remedium, quod eſt efficax contra majus malum, multo magis eſt efficax contra minus malum.

Alio modo interpretamur aliquid in bonum vel malum definiendo, ſive determinando; & ſic in rerum judicio debet aliquis niti ad hoc, ut interpretetur unumquodque ſecundum quod eſt: In judicio autem perſonarum interpretetur in melius, ſicut dictum eſt. 2.2. *q. 80. art. 4. ad* 3.

DUELLUM.

QUÆR. 1. An lex duellorum ad modum ſortis ſit licita.

Reſponſio videatur *v. Sors, qu. ult.*

QUÆR. 2. An & quomodo illi qui male utuntur gladio, ut duelliſtæ, & alii, gladio peribunt, juxta illud Chriſti Matt. 26. Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut Auguſtinus dicit, *ille accepit gladium, qui nulla ſuperiori, aut legitima poteſtate, aut jubente, vel concedente in ſanguinem alicujus armatur.* Qui vero ex authoritate Principis, vel Judicis, ſi ſit perſona privata, vel ex zelo juſtitiæ, quaſi ex authoritate Dei, ſi ſit perſona publica, gladio utitur, non ipſe accipit gladium, ſed ab alio ſibi commiſſo utitur; unde ei pœna non debetur.

Nec tamen illi etiam, qui cum peccato gladio utuntur: ſemper gladio occiduntur: ſed ipſi ſuo gladio ſemper pereunt, quia pro peccato gladii æternaliter puniuntur, niſi pœniteant. 2.2. *qu. 40. art. 1. ad* 1.

Secunda ex propoſitionibus ab Alexandro VII. damnatis ſic habet: Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

EBRIETAS.

QUÆR. 1. An & quare ebrietas ſit peccatum mortale, de quo in Canonibus Apoſtolorum legitur: Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aleæ, aut ebrietati deſerviens, aut deſinat, aut deponatur: Subdiaconus autem, lector, aut cantor ſimilia faciens aut deſinat, aut communione privetur: ſimiliter laicus.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod culpa ebrietatis conſiſtit in inordinato uſu, & concupiſcentia vini. Hoc autem contingit eſſe tripliciter: uno modo ſic, quod neſciat potum eſſe immoderatum & inebriare potentem; & ſic ebrietas poteſt eſſe ſine peccato: alio modo ſic, quod aliquis percipiat potum eſſe immoderatum; non tamen æſtimet potum inebriare potentem, & ſic ebrietas poteſt eſſe cum peccato veniali: tertio modo poteſt eſſe, quod aliquis bene advertat potum eſſe immoderatum, & inebriantem, & tamen magis vult ebrietatem incurrere, quam a potu abſtinere, & talis proprie dicitur ebrius; quia moralia recipiunt ſpeciem non ab his, quæ per accidens eveniunt præter intentionem, ſed ab eo, quod eſt per ſe intentum.

Et

Digitized by Google

Et ſic ebrietas eſt peccatum mortale: quia ſecundum hoc homo volens, & ſciens privat ſe uſu rationis, quo ſecundum virtutem operatur, & peccata declinat; & ſic peccat mortaliter periculo peccandi ſe committens: dicit enim Ambroſius in libro de Patriarchis, *vitandam dicimus ebrietatem, per quam vitia cavere non poſſumus: nam quæ ſobrii cavemus, per ebrietatem ignorantes committimus*; unde ebrietas per ſe loquendo eſt peccatum mortale. 2. 2. *qu.* 150. *art.* 2. *in corp.*

QUÆR. 2. *Utrum ignoranti fortitudinem vini, vel debilitatem ſuam ebrietas imputetur ad peccatum, vel ſolummodo ſuperabundantia potus.*

Reſp. Div. Thomas, quod ebrietas ſit peccatum veniale, contingit propter ignorantiam vel infirmitatem; puta cum homo neſcit virtutem vini aut propriam debilitatem, unde non putat ſe inebriari: tunc enim non imputatur ebrietas ad peccatum, ſed ſolum ſuperabundantia potus. 1. 2. *q.* 88. *art.* 3. *ad* 1.

QUÆR. 3. *Cur Div. Auguſtinus in ſermone de Purgatorio dicit, ebrietatem eſſe mortale peccatum, ſi aſſidua fuerit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aſſiduitas facit ebrietatem eſſe peccatum mortale, non propter ſolam iterationem actus, ſed quia non poteſt eſſe quod homo aſſidue inebrietur, quin ſciens & volens ebrietatem incurrat; dum multoties experitur fortitudinem vini, & ſuam habilitatem ad ebrietatem. 2.2. *q.* 150. *art.* 2. *ad* 1. *Rom.* 13. *lect.* 3. 1. *ad Corinth.* 5. *lect.* 2.

QUÆR. 4. *An invitans aliquem ad bibendum peccet, ſi ille inebrietur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut ille, qui inebriatur, excuſatur a peccato, ſi ignorat fortitudinem vini, ita etiam ille qui invitat aliquem ad bibendum, excuſatur a peccato, ſi ignoret talem eſſe conditionem bibentis, ut ex hoc potu inebrietur: ſed ſi ignorantia deſit, neuter a peccato excuſatur. 2. 2. *qu.* 150. *art.* 1. *ad* 3.

QUÆR. 5. *An poſſit aliquis multum comedere, & bibere ad provocandum vomitum de conſilio Medici: & utrum excuſetur de ebrietate.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod cibus, & potus eſt moderandus ſecundum quod competit corporis valetudini; & ideo ſicut quandoque contingit, ut cibus, vel potus, qui eſt moderatus ſano, ſit ſuperfluus infirmo; ita etiam poteſt e converſo contingere, ut ille, qui eſt ſuperfluus ſano, ſit moderatus infirmo: & hoc modo cum aliquis multum comedit, vel bibit ſecundum conſilium medicinæ ad provocandum vomitum, non eſt reputandus ſuperfluus cibus, vel potus. Nec tamen ad vomitum provocandum requiritur, quod ſit potus inebrians; quia etiam potus aquæ tepidæ vomitum cauſat: & ideo propter hanc cauſam non excuſaretur aliquis ab ebrietate. 2. 2. *qu.* 150. *art.* 2. *ad* 3.

QUÆR. 6. *Utrum ebrietas excuſet a peccato.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in ebrietate duo attenduntur, ſcilicet defectus conſequens, & actus præcedens: ex parte autem defectus conſequentis, in quo ligatur uſus rationis, ebrietas habet excuſare a peccato, inquantum cauſat involuntarium per ignorantiam: ſed ex parte actus præcedentis videtur eſſe diſtinguendum: quia ſi ex actu illo præcedente ſubſecuta eſt ebrietas ſine peccato, tunc peccatum ſequens totaliter excuſatur a culpa; ſicut forte accidit de Loth: ſi autem actus præcedens fuit culpabilis, ſic non totaliter aliquis excuſatur a peccato ſequenti; quod ſcilicet redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actus, inquantum ſcilicet aliquis dans operam rei illicitæ incidit in ſequens peccatum: diminuitur tamen peccatum ſequens ſicut & diminuitur ratio voluntarii; unde Auguſtinus dicit contra Fauſtum, quod *Loth culpandus eſt, non quantum ille inceſtus, ſed quantum ebrietas meruit.* 2. 2. *q.* 150. *art.* 4. *in corp. p.* 2. *q.* 76. *art.* 4. *ad* 2. & *q.* 77. *art.* 7. *in corp.*

QUÆR. 7. *Cur Philoſophus* 3. *Ethicor. dicit, quod ſi quis per ebrietatem committat homicidium, meretur duplices mulctationes.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ebrius homicida duobus peccatis peccat, ſcilicet ebrietate & homicidio; propter quod dicitur duplices mulctationes mereri: nihil tamen prohibet quin quantitas ſequentis peccati per ignorantiam ex præcedenti conſequentem minuatur. 2. *ſentent. d.* 2. 2. *quæſt.* 2. *articul.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 8. *Utrum ebrietas ſit radix omnium vitiorum, juxta illud quod dicitur in Decretis diſt.* 35. *ante omnia Clericis vetetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes, ac nutrix eſt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ex ebrietate ſequuntur omnia peccata, non ſecundum originem cauſæ finalis, ſed ſecundum prohibentis remotionem, inquantum ſcilicet removet judicium rationis, per quod homo a peccato cohibetur. *q.* 14. *de malo art.* 4. *ad* 1.

QUÆR. 9. *Utrum ebrietas ſit graviſſimum peccatum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ex hoc dicitur aliquid eſſe malum, quod privat bono: unde quanto majus eſt bonum, quod privatur per malum; tanto malum gravius eſt:

Digitized by Google

eſt: manifeſtum eſt autem, quod bonum Divinum eſt majus, quam bonum humanum: & ideo peccata, quæ ſunt directe contra Deum ſunt graviora peccato ebrietatis, quod directe opponitur bono rationis humanæ. 2.2. *q.* 150. 3. *in corp.*

QUÆR. 10. *Cur D. Chryſoſtomus Homil.* 58. *in Matthæum dicit: nihil eſt ita dæmoni amicum, ſicut ebrietas, & laſcivia, quæ eſt mater omnium vitiorum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ad peccata intemperantiæ maxime homo habet pronitatem, propter hoc, quod hujuſmodi concupiſcentiæ, & delectationes connaturales ſunt, & ſecundum hoc dicuntur hujuſmodi peccata eſſe maxime amica Diabolo: non quia ſint aliis graviora, ſed quia ſunt apud homines frequentiora. 2.2. *q.* 150. *a.* 3. *ad* 1.

QUÆR. 11. *Quomodo intelligatur illud D. Ambroſii in lib. de Helia, & jejunio c.* 5. *Non eſſet hodie ſervitus, ſi non fuiſſet ebrietas.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſervitus eſt conſecuta ex ebrietate occaſionaliter, inquantum Cham maledictionem ſervitutis in ſua poſteritate accepit, propter hoc quod irriſit Patrem inebriatum; non autem ſervitus fuit directe pœna ebrietatis. 2.2. *quæſt.* 150. *art.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 12. *Quomodo ebrioſi ſint corrigendi, & cur de illis D. Gregorius dicat, quod cum venia ſuo ingenio ſunt relinquendi, ne deteriores fiant ſi a tali conſuetudine evellantur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aliquando correctio peccatoris eſt intermittenda, ne fiat inde deterior: Unde Aug. dicit in epiſtola ad Aurelium Epiſcopum (ſcilicet 64.) de comeſſationibus, & ebrietatibus loquens; non aſpere, quantum exiſtimo, non dure, non imperioſe iſta tolluntur; ſed magis docendo, quam jubendo, magis monendo, quam minando. Sic enim agendum eſt cum multitudine peccantium, ſeveritas autem exercenda eſt in peccata paucorum. *Ibid. ad* 4.

QUÆR. 13. *Cur poſtquam Apoſtolus ad Epheſ.* 5. *dixit fornicatio, & omnis immunditia nec nominetur in vobis, ſubdit: & nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria, ſed impleamini Spiritu Sancto.*

Reſp. D. Thomas, dixit *fornicatio, & omnis immunditia non nominetur in vobis*: ſed ad hoc cavendum, debetis a vino ſuperfluo abſtinere, quia cibus & potus ſuperfluus eſt cauſa luxuriæ, & præcipue vinum, quod caleſacit, & movet: Prover. 20. *Luxurioſa res vinum, & tumultuoſa ebrietas.* Heſt. 1. *Cum eſſet rex hilaris, & poſt nimiam potationem incaluiſſet mero &c.* Oſeæ 4. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Unde Hieronym. quem Sodoma non vicit, vina vicerunt, Loth. *Nolite ergo &c. ſed impleamini Spiritu Sancto.* Inter omnia, quæ multos ſpiritus generant, eſt vinum, unde generat animoſitatem, & *facit homines per talenta loqui*, ut dicitur 2. Eſdræ 4. & ideo convenienter docet eos contra hoc repleri Spiritu Sancto, qui generat fervorem devotionis: Rom. 12. *Spiritu ferventes.* Item etiam generat gaudium, & lætitiam ſpiritualem. Rom. 14. *Juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* Item facit audacter loqui Act. 2. *Repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui &c.* Et ideo qui eos loquentes audiebant, credebant eos ebrios. *In expoſitione ejuſdem capitis lect.* 7.

ECCLESIA.

QUÆR. *Utrum Eccleſia in ſtatutis ſuis errare poſſit: utrum poſſit ea mutare, quæ facta ſunt ab Apoſtolis, vel in ipſis diſpenſare.*

RESp. ſupra *verb. Canonizatio, Concilium, Diſpenſatio, quæſt. penult.* & infra *verb. Papa.*

QUÆR. 2. *Utrum Epiſcopus debeat prohibere ingreſſum Eccleſiæ alicui volenti audire verbum Dei.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod de conſecrat. d. 1. dicitur: *Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam, & audire verbum Dei, ſive Gentilem ſive Hæreticum, ſive Judæum uſque ad Miſſam Catechumenorum.* 3. *p. q.* 83. *a.* 4. *ad* 4.

QUÆR. 3. *An & quando Eccleſia inſervire poſſit nedum ad uſus ſacros, ſed etiam ad manducandum, alioſque uſus licitos.*

Reſp. D. Thomas, non eſt licitum Domum Dei, quæ eſt deputata ſacris uſibus, communibus uſibus applicare: unde & Dominus Jo. 2. ejiciens vendentes, & ementes de templo; dixit, *domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis eam domum negotiationis*: & Auguſtinus dicit in Regula, *in oratorio nemo aliquid faciat, niſi ad quod factum eſt, unde & nomen accepit.* Tamen propter neceſſitatem, quando ſcilicet aliquis aliam domum non inveniret, licite poſſet Eccleſia uti ad manducandum, vel ad alios hujuſmodi licitos uſus. 1. *ad Corinth.* 11. *lect.* 4.

QUÆR. 4. *Quid conferatur Eccleſiæ in virtute conſecrationis: & utrum terra, in qua erat olim Eccleſia conſecrata, vendi poſſit.*

Reſpondetur ſupra *v. Conſecratio*, & infra *v. Simonia q.* 26.

Digitized by Google

QUÆR. 1. Utrum neceſſe ſit ſemper eligere meliorem ad quodlibet officium ſpirituale.

RESp. D. Thomas, dicendum, quod aliquis homo poteſt dici bonus, vel melior altero dupliciter: uno modo ſimpliciter: & ſic melior eſt, qui in charitate eſt perfectior: alio modo ſecundum quid; & ſic dicitur aliquis melior altero vel ad militiam, vel ad magiſterium, vel ad prælationem, vel aliquid hujuſmodi, qui non eſt melior ſimpliciter: eo quod in ſingulis officiis tam ſpiritualibus, quam corporalibus requiruntur aliqua præter moralem bonitatem ad hoc, quod aliquis ſit idoneus ad illud officium exequendum. Dicendum eſt ergo, quod oportet eligere ad prælationem, vel ad Eccleſiaſticum officium aliquem, qui ſit bonus ſimpliciter, quia per quodlibet peccatum mortale aliquis redditur indignus ad quodlibet ſpirituale exequendum. Unde dicit Dion. in Epiſt. ad Demophilum Monachum, loquens de Sacerdote, qui non eſt gratia illuminatus: *Non eſt iſte Sacerdos, ſed inimicus doloſus: deluſor ſui ipſius, & lupus ſupra dominicum populum pelle armatus ovina*. Non tamen oportet, quod ſemper eligatur ille, qui eſt melior ſimpliciter: poſſibile eſt enim, quod illi, qui eſt in charitate perfectior, deficiant multa, quæ requiruntur ad hoc, quod aliquis ſit Prælatus idoneus quæ in alio, qui eſt minoris charitatis, inveniuntur; ut ſunt ſcientia, induſtria, potentia, & alia hujuſmodi; unde non oportet ſemper eligere meliorem ſimpliciter, ſed eum, qui ſit melior ad hoc officium. Si autem eligat quis eum, quem reputat minus idoneum ad tale officium, peccat. Non enim poteſt eſſe, quod de duobus unus alteri præeligatur, niſi propter aliquid in ipſo conſideratum: illud autem quod conſideratur in eo, qui eſt minus idoneus, ad hoc quod magis idoneo præferatur; eſt aliqua conditio indebite movens, vel familiaritas, vel conſanguinitas, vel aliquid hujuſmodi. Non enim poteſt eſſe aliqua conditio pertinens ad Prælati idoneitatem ex quo alter ſimpliciter magis idoneus reputatur: & ſic indebite movet: & ſic in tali electione erit ibi acceptio perſonarum, quæ ſine peccato non ſit. *Quodlib. 8. art. 6.*

QUÆR. 2. Quodnam mortale peccatum reddat hominem indignum ad quodlibet ſpirituale officium.

Reſpondetur infra *v. Officium*.

QUÆR. 3. Quomodo intelligenda ſit decretalis illa, quæ dicit, quod ſufficit eligere bonum, nec requiritur, quod eligatur melior.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod decretalis intelligenda eſt quantum ad hoc quod non ſemper oportet eligere meliorem ſimpliciter, ſed ſufficit eligere bonum. Vel dicendum quod non loquitur quantum ad forum conſcientiæ, ſed quantum ad forum contentioſum, in quo non reprobatur electio ex hoc quod poteſt aliquis alius magis idoneus inveniri, dummodo ille qui eligitur, idoneus ſit; alias omnis electio calumniam pateretur, *quodlib. 8. art. 6. ad 6.*

QUÆR. 4. An licet in foro externo ſufficiat eligere bonum, in foro tamen interno ſit eligendus melior.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quantum ad hoc, quod electio impugnari non poſſit in foro judiciali, ſufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem; quia ſic omnis electio poſſet habere calumniam: ſed quantum ad conſcientiam eligentis neceſſe eſt eligere meliorem, vel ſimpliciter, vel in comparatione ad bonum commune: quia ſi poteſt haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, & alius præferatur, oportet, quod ſit propter aliquam cauſam, quæ quidem ſi pertineat ad negotium, quantum ad hoc erit ille, qui eligitur magis idoneus: ſi vero non pertineat ad negotium id, quod conſideratur ut cauſa; erit manifeſte acceptio perſonæ. *2. 2. queſt. 63. art. 2. ad 3. Joannis 21. lect. 3.*

QUÆR. 5. Utrum ille qui eligitur de gremio Eccleſiæ, ſit regulariter loquendo utilior pro bono communi.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ille, qui de gremio Eccleſiæ aſſumitur, ut in pluribus conſuevit eſſe utilior quantum ad bonum commune; quia magis diligit Eccleſiam, in qua eſt nutritus: & propter hoc etiam mandatur Deut. 17. *Non poteris alterius gentis hominem facere Regem, qui non ſit frater tuus. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 4.*

QUÆR. 6. An pueri non ſint ad Religionem admittendi, ex eo quod Religioſi habent curam animarum: & utrum ſit omnium ſententia, quod ad aliquam curam Eccleſiaſticam oportet eligere meliorem.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ratio illa in multis deficit. Primo quidem, quia ille qui Religionem intrat, non ad hoc eligitur ut ſui vel alterius curam gerat magis quam ante, ſed magis ut ſit ſub cura, & obedientia alterius. Secundo quia hoc non conceditur ab omnibus, quod neceſſe ſit eligere meliorem ad regimen prælationis, ſed ſecundum quoſdam ſufficit eligere bonum. Tertio quia ſi opor-

Digitized by Google

ſi oportet eligere meliorem ad prælationem, non quidem oportet ſimpliciter meliorem eligere, ſed meliorem, ideſt, magis idoneum ad hoc: pueri autem, etſi non ſint meliores ſimpliciter quam adulti, ſunt tamen magis idonei ad hoc, ut in Religione nutriantur: unde Anſelm. in lib. de ſimilitudinibus, comparat eos, qui a pueritia nutriuntur in Religione, Angelis, alios autem hominibus: quia Angeli a principio, homines proceſſu temporis ad vitam æternam perveniunt. Quarto, quia ad Epiſcopatum non eligitur, niſi unus; & ideo major neceſſitas, quod melior aſſumatur, quam de intrantibus Religionem; qui plures accipi poſſunt. *Quodl.* 4. *art.* 23. *ad* 12.

QUÆR. 7. *An melius faciat qui conſentit electioni de ſe factæ, quam qui eam recuſat*:

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in eo, qui electioni Canonicæ de ſe factæ conſentit, conſiderari præcipue debet, quid intendit: ſi enim intendit aliquod temporale; puta honorem, divitias, excutere ſe a jugo Religionis, aut aliquid hujuſmodi, manifeſtum eſt, quod eſt prava intentio; unde melius faceret, ſi non aſſentiret: ſi autem intendit profectum Eccleſiæ, ſic planum eſt, quod bona eſt intentio: unde Auguſtinus dicit 9. de Civit. Dei, *in actione non amandus eſt bonor in hac vita, ſive potentia, ſed opus ipſum ſi recte, atque utiliter fit*, ideſt, ſi valeat ad ſalutem ſubditorum, & inducit illud Apoſtoli, quod habetur 1. ad Timoth. 3. *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.*

Sed tamen ſciendum eſt, quod ad hoc opus maxima requiritur idoneitas, quia ut Gregorius dicit in Paſtorali, *tantum actionem populi debet actio tranſcendere Præſulis, quantum diſtare ſolet a grege Paſtoris vita*, ad quod humana fragilitas ſecundum proprias vires ſufficiens non eſt, ſecundum illud Apoſtoli 2. ad Corinth. 3. *Et ad hæc quis tam idoneus?* Sed tamen ex auxilio gratiæ Divinæ homines idonei, & ſufficientes redduntur, ſicut ipſe poſtmodum ſubdit: *Idoneos nos facit miniſtros novi teſtamenti.*

Poteſt ergo aliquis laudabiliter conſiderans proprium defectum ex humilitate officium Prælationis recuſare, ſicut Hierem. dicit: *Neſcio loqui, quia puer ego ſum*; poteſt etiam laudabiliter conſentire ex Charitate Fraterna, ut ſalutem proximorum procuret, ſicut Iſaias, qui dicit. *Ecce ego, mitte me*; ſed ſicut Gregorius dicit in Paſtorali, *in utroque eſt ſubtiliter intuendum, quia & is, qui recuſavit, plene non reſiſtit, & is, qui mitti voluit, ante ſe per Altaris calculum purgatum vidit; ne aut non purgatus adire quiſque ſacra miniſteria audeat; aut quem ſuperna gratia elegit, ſed humilitatis ſpecie ſupernæ diſpoſitioni contradicat*; quia ergo valde difficile eſt purgatum ſe quemlibet poſſe agnoſcere, Prælationis officium tutius declinatur. Non tamen pertinaciter, cum ad ſuſcipiendum hoc ſuperna voluntas agnoſcitur. *Quodlib.* 5. *a.* 22, *in corp.*

QUÆR. 8. *An verum ſit, quod D. Gregor.* 28. *Moral. ait: Prælatio per meliorem intentionem fugienda eſt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod melior eſt intentio prælationem fugientium ſecundum proprium deſiderium, dummodo non adſit neceſſitas ex parte imponentis hoc onus: unde Auguſtinus dicit 19. de Civit. Dei: *Superior locus ſine quo populus regi non poteſt, etſi ita teneatur ut decet, tamen indecenter appetitur: otium enim ſanctum quærit charitas veritatis; negotium autem juſtum, ſuſcipit neceſſitas charitatis*; *in eodem Quodlibeto, & art. ad* 2.

ELEEMOSYNA.

QUÆR. 1. *Quid ſit eleemoſyna, & an ſit actus charitatis mediante miſericordia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod exteriores actus ad illam virtutem referuntur, ad quam pertinet id quod eſt motivum ad agendum hujuſmodi actus: motivum autem ad dandum eleemoſynas eſt, ut ſubveniatur neceſſitatem patienti: unde quidam diffinientes eleemoſynam dicunt, quod eleemoſyna eſt opus, quo datur aliquid indigenti ex compaſſione propter Deum; quod quidem motivum pertinet ad miſericordiam; unde manifeſtum eſt, quod dare eleemoſynam proprie eſt actus miſericordiæ: & hoc apparet ex ipſo nomine: nam in græco eleemoſyna a miſericordia derivatur, ſicut in latino miſeratio; & quia miſericordia eſt effectus Charitatis, ex conſequenti dare eleemoſynam eſt actus charitatis miſericordia mediante, 2. 2. *q.* 32. *art.* 1. *in corp.*

QUÆR. 2. *In quo conſiſtat eſſentia eleemoſynæ: & utrum ſola voluntas ſine facultate ſufficiat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod eleemoſyna non tantum conſiſtit in collatione pecuniæ, ſed etiam in aliis obſequiis propter Deum proximo factis: unde & ſi alicui pecunia deſit, non tamen facultas dandi eleemoſynam deeſt: & ſi deeſſet omnino facultas reſpectu eleemoſynarum corporalium, propter penuriam rerum, & corporis debilitatem, non tamen deeſſet facultas reſpectu eleemoſynarum ſpiritualium, quia poſſet vel conſule-

re, vel orare ſaltem: etſi etiam facultas omnino deeſſet, voluntas completa ſufficeret. 4. *ſent. d.* 15. *q.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 4.

QUÆR. 3. *Utrum convenienter eleemoſynæ diſtinguantur ſecundum ea, in quibus homines abundant, & deficiunt, juxta illud D. Gregorii Homil. 9. in Evangelia dicentis: habens intellectum, curet omnino ne taceat, habens rerum affluentiam, vigilet ne a miſericordiæ largitate torpeſcat: habens artem qua regitur, magnopere curet, ut uſum atque utilitatem illius cum proximo partiatur: habens loquendi locum apud divitem, damnationem pro retento talento timeat, ſi cum valet non apud eum pro pauperibus intercedat: & utrum convenienter aſſignentur ſeptem eleemoſynæ corporales, ſcilicet, paſcere eſurientem, potare ſitientem, veſtire nudum, recolligere hoſpitem, viſitare infirmum, redimere captivum, ſepelire mortuum, quæ in hoc Verſu continentur.*

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo,

Septem quoque ſpirituales, ſcilicet, docere ignorantem, conſulere dubitanti, conſolari triſtem, corrigere peccantem, remittere offendenti, portare oneroſos & graves, & pro omnibus orare, quæ etiam in hoc Verſu continentur:

Conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod prædicta eleemoſynarum diſtinctio convenienter ſumitur ſecundum diverſos defectus proximorum, quorum quidam ſunt ex parte animæ, ad quos ordinantur ſpirituales eleemoſynæ; quidam vero ex parte corporis, ad quos ordinantur eleemoſynæ corporales: defectus enim corporalis aut eſt in vita, aut eſt poſt vitam: ſi quidem eſt in vita, aut eſt communis defectus reſpectu eorum, quibus omnes indigent: aut eſt ſpecialis propter aliquod accidens ſuperveniens.

Si primo modo, aut defectus interior, aut exterior: interior quidem eſt duplex: unus quidem, cui ſubvenitur per alimentum ſiccum, ſcilicet fames, & ſecundum hoc ponitur *paſcere eſurientem*; alius autem eſt, cui ſubvenitur per alimentum humidum, ſcilicet ſitis, & ſecundum hoc dicitur *potare ſitientem*.

Defectus autem communis reſpectu exterioris auxilii eſt duplex: unus reſpectu tegumenti, & quantum ad hoc ponitur *veſtire nudum*: alius autem reſpectu habitaculi, & quantum ad hoc ponitur *ſuſcipere hoſpitem*.

Similiter autem ſi ſit defectus aliquis ſpecialis, aut eſt ex cauſa intrinſeca, ſicut infirmitas, & quantum ad hoc ponitur *viſitare infirmum*; aut eſt ex cauſa extrinſeca, & quantum ad hoc ponitur *redemptio captivorum*. Poſt vitam autem exhibetur mortuis ſepultura.

Similiter autem ſpiritualibus defectibus per ſpirituales actus ſubvenitur dupliciter: uno modo poſcendo auxilium a Deo, & quantum ad hoc ponitur oratio, qua quis pro aliis orat.

Alio modo impendendo humanum auxilium; & hoc tripliciter: uno modo contra defectum intellectus: & ſi quidem ſit defectus ſpeculativi intellectus adhibetur ei remedium per Doctrinam; ſi autem practici intellectus, exhibetur ei remedium per conſilium: alio modo eſt defectus ex paſſione oppoſita virtuti, inter quos eſt maximus Triſtitia, cui ſubvenitur per conſolationem.

Tertio modo ex parte inordinati actus, qui quidem tripliciter conſiderari poteſt: uno modo ex parte ipſius peccantis, inquantum procedit ab ejus inordinata voluntate, & ſic adhibetur remedium per correctionem: alio modo ex parte ejus in quem peccatur; & ſi quidem ſit peccatum in nos, remedium adhibemus remittendo offenſam; ſi autem ſit in Deum, vel in proximum, non eſt noſtri arbitrii remittere, ut Hieronymus dicit ſuper Matthæum: tertio modo ex parte ſequelæ ipſius actus inordinati, ex qua gravantur ei conviventes etiam præter peccantis intentionem; & ſic remedium adhibetur ſupportando, maxime in his, qui ex infirmitate peccant, ſecundum illud Roman. 15. *Debemus nos firmiores infirmitates aliorum ſuſtinere*; & non ſolum ſecundum quod infirmi ſunt, ſive graves ex inordinatis actibus, ſed etiam quæcunque eorum onera ſunt ſupportanda, ſecundum illud Galat. 6. *Alter alterius onera portate*. 2. 2. *quæſt.* 32. *art.* 2. *in corp.* 4. *ſent. diſt.* 15. *quæſt.* 2. *artic.* 3. *quæſt.* 2. *in corpore*.

QUÆR. 4. *An eleemoſynæ ſpirituales ſint corporalibus potiores; juxta illud quod D. Auguſt. in lib. de Serm. Domini, ait: De correctione, quæ eſt ſpiritualis eleemoſyna, explicans hæc verba, quia petit a te, da ei: dandum eſt quod nec tibi, nec alteri noceat: & cum negaveris quod petit, indicanda eſt juſtitia, ut non eum inanem dimittas: & aliquando melius aliquid dabis, cum injuſte petentem correxeris.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod comparatio iſtarum eleemoſynarum poteſt attendi dupliciter: uno modo ſimpliciter loquendo: & ſecundum hoc eleemoſynæ ſpirituales præeminent triplici ratione. Primo quidem, quia

Digitized by Google

quia id, quod exhibetur, nobilius eſt, ſcilicet donum ſpirituale, quod præeminet corporali, ſecundum illud Proverb. 4. *Donum bonum tribuam vobis, legem meam ne derelinquatis*; ſecundo ratione ejus, cui ſubvenitur, quia ſpiritus nobilior eſt corpore; unde ſicut homo ſibi ipſi magis debet providere quantum ad ſpiritum, quam quantum ad corpus, ita & proximo, quem debet ſicut ſeipſum diligere: tertio quantum ad ipſos actus, quibus ſubvenitur proximo, quia ſpirituales actus ſunt nobiliores corporalibus, qui ſunt quodammodo ſerviles.

Alio modo poſſunt comparari ſecundum aliquam particularem cauſam, in quo quædam corporalis eleemoſyna alicui ſpirituali præfertur, puta magis eſt paſcendum fame morientem, quam docendum, ſicut & indigenti ſecundum Philoſophum melius eſt ditari, quam philoſophari, quamvis hoc ſit ſimpliciter melius. 2. 2. *q.* 32. *art.* 3. *in corp.* 4. *ſent. d.* 15. *qu.* 2. *art.* 3. *quæſt.* 3. *in corp.*

QUÆR. 5. *An & quomodo eleemoſyna ſit in præcepto.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod cum dilectio proximi ſit in præcepto, neceſſe eſt omnia illa cadere ſub præcepto, ſine quibus dilectio proximo non conſervatur: ad dilectionem autem proximi pertinet, ut proximo non ſolum velimus bonum, ſed etiam operemur ſecundum illud 1. Joannis 3. *Non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate*; ad hoc autem quod velimus, & operemur bonum alicujus, requiritur, quod ejus neceſſitati ſubveniamus, quod fit per eleemoſynarum largitionem; & ideo eleemoſynarum largitio eſt in præcepto. Sed quia præcepta dantur de actibus virtutum, neceſſe eſt, quod hoc modo donum eleemoſynæ cadat ſub præcepto, ſecundum quod actus eſt de neceſſitate virtutis, ſcilicet ſecundum quod recta ratio requirit: ſecundum quam eſt aliquid conſiderandum ex parte dantis, & aliquid ex parte ejus cui eſt eleemoſyna danda.

Ex parte quidem dantis conſiderandum eſt, ut id, quod eſt in eleemoſynas erogandum, ſit ei ſuperfluum, ſecundum illud Lucæ 14. *Quod ſupereſt, date eleemoſynam*; & dico ſuperfluum non ſolum reſpectu ſui ipſius, quod eſt ſupra id, quod eſt neceſſarium individuo, ſed etiam reſpectu aliorum, quorum cura ſibi incumbit; reſpectu quorum dicitur neceſſarium perſonæ, ſecundum quod perſona dignitatem importat: quia prius oportet, quod unuſquiſque ſibi provideat, & his quorum cura ei incumbit, & poſtea de reſiduo aliorum neceſſitatibus ſubveniat: & natura primo accipit cibum ad ſuſtentationem proprii corporis, quod eſt neceſſarium miniſterio virtutis nutritivæ; ſuperfluum autem erogat ad generationem alterius per virtutem generativam.

Ex parte autem recipientis requiritur, quod neceſſitatem habeat, alioquin non eſſet ratio, quare eleemoſyna ei daretur; ſed cum non poſſit ab aliquo uno omnibus neceſſitatem habentibus ſubveniri, non omnis neceſſitas obligat ad præceptum, ſed illa ſola, ſine qua is, qui neceſſitatem patitur, ſuſtentari non poteſt: in illo enim caſu locum habet, quod Ambroſius dicit: *Paſce fame morientem, ſi non paviſti, occidiſti*. Sic ergo dare eleemoſynam de ſuperfluo eſt in præcepto, & dare eleemoſynam ei, qui eſt in extrema neceſſitate: alias autem eleemoſynas dare eſt in conſilio, ſicut & de quolibet meliori bono dantur conſilia. 2. 2. *qu.* 32. *art.* 5. *in corp. qu.* 66. *art.* 7. *in corp. qu.* 3. *de malo art.* 19. *ad* 4.

QUÆR. 6. *An & quomodo bona temporalia quantum ad proprietatem, & uſum pertineant ad divites, & pauperes, itaut illi teneantur iſtis de ſuperfluo providere.*

Reſp. D. Thomas dicendum, quod bona temporalia, quæ homini divinitus conferuntur, ejus quidem ſunt quantum ad proprietatem; ſed quantum ad uſum, non ſolum debent eſſe ejus, ſed etiam aliorum, qui ex eis ſuſtentari poſſunt, ex eo quod ei ſuperfluit: unde Baſilius dicit: *ſi fateris ea tibi divinitus proveniſſe* (ſcilicet temporalia bona) *an juſtus eſt Deus inæqualiter res nobis diſtribuens? cur tu abundas, ille vero mendicat, niſi tu bonæ diſpenſationis merita conſequaris, ille vero patientiæ braviis decoretur? eſt panis famelici, quem tu tenes; nudi tunica, quam in conclavi conſervas; diſcalceati calceus, qui penes te marceſcit; indigentis argentum, quod poſſides inhumatum: quocirca tot injuriaris, quot dare vales*: & hoc dicit Ambroſius, ut habetur in decretis, *diſt.* 47. 2. 2. *q.* 32. *art.* 5. *ad* 2.

QUÆR. 7. *Quandonam omiſſio eleemoſynæ ſit peccatum mortale.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod eſt aliquod tempus dare, in quo homo mortaliter peccat, ſi eleemoſynam dare omittat, ex parte quidem recipientis, cum apparet evidens, & urgens neceſſitas, nec apparet in promptu, qui ei ſubveniat: ex parte vero dantis, cum habet ſuperflua, quæ ſecundum ſtatum præſentem non ſunt ſibi neceſſaria, prout probabiliter æſtimari poteſt. Nec oportet, quod conſideret omnes caſus, qui poſſunt contingere in futurum, hoc enim eſſet de craſtino cogitare, quod Dominus pro-

prohibet Matthæi 6. Sed debet dijudicari ſuperfluum, & neceſſarium ſecundum ea, quæ probabiliter, & ut in pluribus occurrunt. *Ibidem ad 3.*

QUÆR. 8. An præceptum de eleemoſyna facienda reducatur ad præceptum de parentibus honorandis, & quinam ordo ſervari debeat in ipſius executione.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod cum eleemoſyna ſit actus virtutis, oportet quod aliquo modo cadat ſub præcepto, quia præcepta legiſlatoris ad virtutem ducere intendunt, ut dicitur 2. Ethic. reducitur autem ad hoc præceptum, *Honora parentes*: Honor autem ille ſecundum Auguſtinum ad reverentiam, & ſubventionem in neceſſariis pertinet, & nomine parentum omnis proximus intelligitur. Sed præcepta affirmativa non obligant ad ſemper, quamvis ſemper obligent; ſed obligant pro loco, & tempore, & ſecundum alias determinatas conditiones. Cum autem uſus divitiarum ſit ordinatus ad ſubveniendum neceſſitatibus præſentis vitæ (quæ quidem ſubventio debet eſſe ordinata) patet quod qui divitiis non utitur ad ſubveniendum præſentis vitæ neceſſitatibus, vel inordinate utitur, a virtute recedit. Ordo autem ſubventionis talis debet attendi quantum ad duo: Primo, ex parte eorum quibus ſubvenitur, ut primo ſibi, poſtea ſibi conjunctis ſubveniat, & deinde extraneis: Secundo, ex parte neceſſitatis talis debet eſſe ordo, ut prius abſolutæ neceſſitati ſubveniatur, quam alicui neceſſitati conditionatæ; quæ eſt, cum quis indiget aliquo ad ſui ſtatus decentem conſervationem: & ideo præceptum legis ad hoc obligat, ut illud, quod ſupereſt alicui poſt ſubventionem perfectam, & ſibi conjunctis (puta familiæ quam gubernare debet) reſpectu utriuſque neceſſitatis, in eleemoſynas expendat ad ſubveniendum aliis reſpectu utriuſque dictarum neceſſitatum: ſicut etiam natura illud quod ſibi de alimento ſuperfluit ab actu nutritivæ (in quo attenditur quaſi neceſſitas abſoluta) & actu augmentativæ (in quo attenditur quaſi neceſſitas conditionata) præparat ad conſervationem ſpeciei, generativæ virtuti ſubminiſtrans. Et ſimiliter præceptum legis obligat, quod etiam neceſſitati extraneorum abſolutæ primo ſubveniatur, quam neceſſitati propriæ, vel propinquorum conditionatæ: & ideo dicitur communiter, quod dare eleemoſynam de ſuperfluo cadit in præcepto; & ſic dare eleemoſynam ei qui eſt in extrema neceſſitate: dare autem de eo quod eſt neceſſarium neceſſitate ſecunda; non autem de eo quod eſt neceſſarium neceſſitate prima; quia hoc eſſet contra ordinem charitatis. 4. *ſentent. diſtinct. 15. quæſt. 2. artic. 1. ad ſolutionem quæſtion. 4.*

QUÆR. 9. Quomodo tempus in quo præceptum eleemoſynæ obligat, conſiderari debeat tam ex parte dantis quam accipientis, & cur non ſit expectanda ultima neceſſitas.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod tempus ad quod obligat præceptum de eleemoſynis faciendis, accipitur ex parte accipientis, & ex parte dantis: ex parte accipientis, quando apparent ſigna probabilia extremæ neceſſitatis futuræ, niſi ei ſubveniatur; ut cum aliquis videt alios impotentes, vel pigros ad ſubveniendum, & pauperem indigentem cibo, & potu, & aliis vitæ neceſſariis, nec ſibi ſatisfacere poſſe: non enim expectanda eſt ultima neceſſitas; quia tunc forte non poſſet juvari natura jam fame vel ſiti conſumpta: dicit enim Chryſoſtomus ſuper Joan. (Homil. 76.) *Non oportet pauperem ululantem deceptorem vocari: quid dicis, o homo? propter unum panem deceptionem quis complicat? utique dicis: quocirca maxime miſericordiam conſequatur, aut maxime neceſſitati eripiatur.* Ex parte autem dantis, quando habet homo multa, quibus non indiget neque ad ſuſtentationem vitæ ſui, & ſuorum, neque ad decentem ſtatus ſui conſervationem; etſi pauperes extremæ neceſſitatis non compareant: neque oportet occaſionem futuræ neceſſitatis prætendere ultra probabilia ſigna futuræ neceſſitatis; quia hæc eſt ſuperflua ſollicitudo, quam Dominus prohibet Matth. 6. *Nolite ſolliciti eſſe* &c. 4. *ſentent. diſtinct. 15. quæſt. 2. artic. 1. quæſt. 4. ad quartum.*

QUÆR. 10. Utrum ad hoc quod aliquis ſatisfaciat præcepto dandi eleemoſynam de ſuperfluo, teneatur pauperes inquirere.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod circa hoc diſtinguendum eſt, ſuppoſito enim quod aliquis habeat de ſuperfluo & reſpectu individui, & reſpectu perſonæ (quod tenetur pauperibus erogare) aut videt in paupere petente evidentia ſigna extremæ neceſſitatis, aut non: ſi videt, certum eſt quod tenetur dare; & peccat non dando: in hoc enim caſu loquitur Ambroſius: *Paſce fame morientem; ſi non paveris, occidiſti.* Si vero non appareant, tunc non tenetur dare pauperi petenti, quia quamvis teneatur dare ſuperfluum pauperibus, non tamen tenetur omnibus dare, nec huic dare, ſed tenetur diſtribuere, ſecundum quod ſibi viſum fuerit opportunum: nec tenetur inquirere, quia hoc eſſet nimis grave, quod de omnibus pauperibus inquire-

Digitized by Google

ret; & præcipue cum ad eum qui neceſſitatem patitur, pertineat ut neceſſitatem ſuam exponat. *Quodlib.* 8. *art.* 12.

QUÆR. 11. *Quomodo ſit intelligenda authoritas D. Baſilii in Homil. ſuper illud Luc.* 12. *Deſtruam horrea mea, dicentis, eſt panis famelici, quem tu tenes, nudi tunica, quam conſervas, indigentis argentum quod poſſides; quocirca tot injuriaris, quot exhibere valeres. Et utrum ex hoc ſequatur, quod non dare eleemoſynam ſit mortale peccatum, ſicut injurari alteri eſt peccatum mortale.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Baſilius loquitur in illo caſu, in quo aliquis tenetur ex debito legali bona ſua pauperibus erogare, vel propter periculum neceſſitatis, vel etiam propter ſuperfluitatem habitorum. 2. 2. *qu.* 118. *artic.* 4. *ad* 2. *quæſt.* 23. *de malo, artic.* 2. *ad* 4.

QUÆR. 12. *An & quando teneatur aliquis ad faciendam ſpiritualem eleemoſynam alios docendo.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut dare eleemoſynam corporalem non cadit ſub præcepto obligante niſi ad tempus neceſſitatis, & ut alicui in neceſſariis vitæ ſubveniatur; ita ad doctrinam alterius non obligatur homo propter debitum officium, niſi in his quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, & quando non eſſet qui inſtrueret, vel quando aliquis alium errantem videret, niſi eſſet alius, qui ex officio id facere teneretur: Alias autem, docere eſt conſilium, & ſupererogatio quædam; ſicut & de eleemoſynis corporalibus dictum eſt. 4. *ſent. diſt.* 15. *qu.* 2. *art.* 3. *qu.* 2. *ad primum.*

QUÆR. 13. *An, quomodo, & quando Clerici, vel Epiſcopi teneantur eleemoſynas facere.*

Reſpond. ſupra *v. Clericus*, & infra *v. Epiſcopus.*

QUÆR. 14. *An & quomodo dare eleemoſynam non ſolum de ſuperfluis, ſed etiam de neceſſariis ſit de conſilio, vel de præcepto.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod de rebus exterioribus dicitur nobis aliquid neceſſarium dupliciter. Uno modo, ſine quo non poteſt aliquis eſſe, & vivere: Alio modo dicitur nobis neceſſarium, quo indigemus ad honeſte vivendum, vel decenter ſecundum ſtatum noſtrum: ſed talis decentia non conſiſtit in aliquo indiviſibili; quia multis additis homo non excedit ſtatus ſui conditionem; multis etiam ſubtractis conditio ſui ſtatus decenter conſervatur: ſed tamen poſſet addi quod eſſet ultra conditionem ſtatus ſui; & tantum dominii quod non ſervaretur honeſtas, vel ſui ſtatus decentia: & hoc quidem ſermone determinari non poteſt, quia de ſingularibus non eſt judicium: ſed ſtatur in hoc prudentiæ arbitrio, & diſcretionis, quæ docet de omnibus. Utroque autem dictorum modorum poteſt aliquid eſſe neceſſarium dupliciter: vel ratione ſui ipſius, & hoc dicitur a quibuſdam *neceſſarium individui*: vel ratione eorum quorum curam gerere debet; & hoc dicitur *neceſſarium perſonæ*, inquantum perſona ad dignitatem pertinet, ſecundum quam alicui competit aliorum curam gerere. Illud ergo ſine quo non poteſt eſſe, vel vivere aliquis, vel ipſe, vel illi quorum curam habet, non debet in eleemoſynas expendi; hoc enim dicitur neceſſarium ſimpliciter quaſi neceſſitate abſoluta; niſi forte poſſet antequam talis neceſſitas incumbat, per alium modum reſarciri; quia jam excideret ab hujuſmodi neceſſitatis ratione: ſimiliter etiam illud, quo ſubtracto non poteſt ſervari decentia ſtatus aliquo modo, vel ſui, vel ſuorum, non debet aliquis in eleemoſynas expendere, niſi de facili reſarciri poſſit, aut niſi aliquis ſtatum mutare vellet (quia nullus debet indecenter in aliquo ſtatu manere) vel niſi neceſſitas illa præponderet, vel alicujus perſonæ ſpecialis in neceſſitate ultima exiſtentis, vel Eccleſiæ, vel Reipublicæ, quia *bonum gentis eſt divinius, quam bonum unius.* Illud autem quo poſito, vel ſubtracto nihilominus decentia ſtatus manet, poteſt in eleemoſynam dari; & de hoc eſt conſilium, non præceptum. Illud autem quod neceſſarium reputatur ad aliquid, quod eſt ultra decentiam ſtatus, debet in eleemoſynam diſpenſari: & hoc cadit ſub præcepto. 4. *ſentent. diſtinct.* 15. *qu.* 2. *art.* 3. *in reſponſione ad prim. qu.*

QUÆR. 15. *An eleemoſyna debeat eſſe abundans, juxta illud Tobiæ* 4. *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; & an multis potius quam uni ſit largienda.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod abundantia eleemoſynæ poteſt conſiderari & ex parte dantis, & ex parte recipientis.

Ex parte quidem dantis, cum ſcilicet aliquis dat, quod eſt multum ſecundum proportionem propriæ facultatis, & ſic laudabile eſt abundanter dare: unde & Dominus Lucæ 21. laudavit Viduam, quæ ex eo, quod deerat illi, omnem victum, quem habuit, miſit, obſervatis tamen his, quæ ſupra dicta ſunt de eleemoſyna facienda de neceſſariis.

Ex parte vero ejus, cui datur, eſt abundans eleemoſyna dupliciter: uno modo quod ſuppleat ſufficienter ejus indigentiam, & ſic

laudabile eſt abundanter eleemoſynam tribuere: alio modo ut ſuperabundet ad ſuperfluitatem, & hoc non eſt laudabile, ſed melius eſt pluribus indigentibus elargiri; unde & Apoſtolus dicit primæ ad Corinth. 13. *Si diſtribuero in cibos pauperum*; ubi Gloſſa dicit, *per hoc cautela eleemoſynæ docetur, ut non uni, ſed multis detur, ut pluribus proſit*. 2. 2. q. 32. art. 10. in corp.

QUÆR. 16. *Quomodo intelligi debeat D. Ambroſius dicens: non debent ſimul effundi opes, ſed diſpenſari.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod authoritas illa loquitur de abundantia eleemoſynæ ex parte dantis: ſed intelligendum eſt, quod Deus non vult ſimul effundi omnes opes, niſi in mutatione ſtatus; unde ſubdit ibidem: *Niſi forte ut Eliſæus boves ſuos occidit, & pavit pauperes ex eo quod habuit; ut nulla cura domeſtica teneretur*. 2. 2. qu. 31. art. 10. ad 2.

QUÆR. 17. *Quomodo intelligi debeat illud Apoſtoli ad Corinth.* 8. *dicentis: non ut aliis ſit remiſſio (ideſt ut alii de veſtris otioſe vivant) vobis autem ſit tribulatio.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod auctoritas inducta quantum ad hoc quod dicit, *non ut aliis remiſſio vel refrigerium*, loquitur de abundantia eleemoſynæ, quæ ſuperexcedit neceſſitatem recipientis; cui non eſt danda eleemoſyna ut inde luxurietur, ſed ut inde ſuſtentetur. Circa quod tamen eſt diſcretio adhibenda, propter diverſas conditiones hominum: quorum quidam delicatius nutriti, indigent magis delicatis cibis aut veſtibus. Unde Ambr. dicit in lib. de officiis: *Conſideranda eſt in largiendo ætas, atque debilitas: nonnunquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit natales; aut ſi quis ex divitiis in egeſtatem cecidit ſuo vitio*. Quantum vero ad id quod ſubditur, *vobis autem tribulatio*, loquitur de abundantia ex parte dantis: ſed ſicut Gloſſa ibidem dicit, *non hoc ideo dicit quin melius eſſet* (ſcilicet abundanter dare) *ſed infirmis timet, quos ſic dare monet, ut egeſtatem non patiantur*. *Ibidem ad* 3.

QUÆR. 18. *Quibus potiſſimum perſonis ſit uberius ſubveniendum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aliquando illud quod eſt ad delectationem vel ornatum, in neceſſitatem vertitur: & hoc dupliciter: vel propter infirmitatem, quia infirmi ſunt ſuſtentandi delicatis cibis, & veſtibus mollioribus ne natura gravetur: vel propter priſtinam conſuetudinem, aut etiam dignitatis ſtatum, in quo aliquis (etiam pauper) ſine confuſione non poteſt aliis uti: & ideo etiam Auguſtinus in Regula his duobus generibus hominum præcipit uberius ſubveniendum. 4. *ſent. diſt.* 15. *quæſt.* 2. *art.* 3. *qu.* 1. *ad* 3.

QUÆR. 19. *Qua ratione Apoſtolus exhortatur ad prompte, abundanter, & hilariter dandam eleemoſynam, dum* 2. *ad Corinth.* 9. *ait: potens eſt enim Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.*

Reſp. D. Thomas, ratio eſt talis. Quicunque dat aliquid quod multiplicatur ſibi, debet prompte, abundanter, & hilariter dare, ſicut videmus, quod homines abundanter & prompte, & cum gaudio ſeminant ſemen, quia multiplicatum illud recolligunt. Cum ergo eleemoſynæ multiplicentur dantibus, debetis illas prompte, gaudenter, & abundanter facere. Et quod multiplicentur patet, quia *Deus potens eſt omnem gratiam, &c.* quaſi dicat: Non timeatis dare, ne indigentia gravati pœniteat aliquando vos dediſſe, quia *potens eſt Deus facere abundare omnem gratiam Spiritus Sancti*, qua, ſcilicet, ſemper gaudeatis de bono opere quod feciſtis; & ideo dicit, *abundetis in omne opus bonum*, ideſt, abundantem effectum habeatis ad dandum eleemoſynam, ſicut habetis ad alia opera virtutum, & tamen habeatis plenam ſufficientiam bonorum exteriorum; & ideo dicit, *ſemper omnem ſufficientiam habentes*, ideſt vos reputantes habere. Jacob. 1. *qui dat omnibus affluenter*, & 1. Timoth. 6. *habentes alimenta*, &c. De iſta ſufficientia dicitur infra 12. *ſufficit tibi gratia mea*, &c. De multiplicatione vero dicitur Iſa. 30. *dabitur pluvia ſemini tuo*. Matth. 19. *omnis qui reliquerit, &c. centuplum accipiet, &c. in expoſitione textus lect.* 2.

QUÆR. 20. *Quomodo Apoſtolus ſatisfacit difficultatibus, quæ incidere poſſunt in mente eorum qui dant eleemoſynam, dum ibidem ſubdit; qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit; & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ.*

Reſp. D. Thomas, inſinuat tria circa hoc. Primum eſt, quod aliquis poſſet dicere, ſi nos damus modo quod habemus, deficient nobis neceſſaria ad quotidianum victum: & hoc removet; quia non ſolum *ſemen miniſtrat ſeminanti, ſed panem*, ideſt neceſſaria vitæ, *præſtabit ad manducandum*, Pſal. 145. *Qui dat eſcam omni carni*. Secundum eſt quia poſſes dicere, quod ſi multum daremus, deficient nobis quæ habemus ad dandum iterum: & hoc Apoſtolus removet dicens, quod non deficiet, *ſed multiplicabit ſemen veſtrum*, unde

Digitized by Google

unde ſcilicet plures eleemoſynas facietis. Tertium eſt, quia poſſet aliquis dicere, quod ſi modo demus, deficit nobis voluntas ad dandum, & pœnitebit nos dediſſe; & ſic totum amittemus: & hoc removet dicens: *Et augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ*, ideſt, intantum augebit facultatem & voluntatem dandi eleemoſynas, ex quibus procedit juſtitia veſtra, quod ſemper parati & prompti eritis ad dandum eleemoſynas, & quod fruges maximæ erunt in comparatione ad parvum ſemen: Prov. 3. *De primitiis frugum tuarum da pauperibus*: Levitici 25. *Dabo benedictionem &c.* 1. ad Timot. 4. *Pietas ad omnia valet. In expoſitione iſtius capitis lect. 2.*

QUÆR. 21. Utrum eleemoſyna ſupra vires facta ſit immoderata.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod virtus in dando poteſt conſiderari dupliciter, ſcilicet ſimpliciter, ſeu abſolute, & ſecundum proportionem aliorum: quando ergo dat plus, quam alii ſuæ proportionis non peccat: ſed ſi ſimpliciter dat ſupra virtutem, tunc immoderate dat. *lect. 1. ſuper cap. 8. ſecundæ ad Corint.*

QUÆR. 22. Utrum ille qui facit elemoſynam, debeat exiſtimare ſibi fieri gratiam potius quam pauperi, juxta illud Apoſtoli 2. ad Corinth. 8. cum multa exhortatione obſecrantes nos gratiam & communicationem miniſterii, quod fit in Sanctis.

Reſp. Div. Thomas, *cum multa exhortatione obſecrantes*, ideſt rogantes, quaſi dicat, non ſolum rogaverunt, ſed etiam per rationes nos induxerunt, ut habeant gratiam, & communicationem miniſterii &c. ideſt, ut liceret eis dare ſua pauperibus ſanctis, qui ſunt in Jeruſalem, non reputantes ſe facere gratiam nobis, ſed quod eis gratia fiat: Hebr. ultim. *beneficentiæ autem, & communionis &c. In expoſitione illius capitis lect. 1.*

QUÆR. 23. Utrum eleemoſyna fieri ſolummodo poſſit, vel debeat de laboribus juſtis, non autem de injuſte acquiſitis, juxta illud Divi Auguſtini in libro de verbis Domini: de juſtis laboribus facite eleemoſynas; non enim corrupturi eſtis Judicem Chriſtum, ut non vos audiat cum pauperibus, quibus tollitis; & poſtea: nolite velle eleemoſynas facere de fœnore, & uſuris; fidelibus dico, quibus Corpus Chriſti erogamus.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod tripliciter poteſt aliquid eſſe illicite acquiſitum: uno enim modo id, quod illicite ab aliquo acquiritur, debetur ei, a quo eſt acquiſitum, nec poteſt ab eo retineri, qui acquiſivit; ſicut contingit in rapina, & furto, & uſuris; & de talibus, cum homo teneatur ad reſtitutionem, eleemoſyna fieri non poteſt.

Alio vero modo eſt aliquid illicite acquiſitum, quia ille quidem, qui acquiſivit retinere non poteſt, nec tamen debetur ei, a quo acquiſivit, quia ſcilicet contra juſtitiam accepit, & alter contra juſtitiam dedit, ſicut contingit in ſimonia, in qua dans, & accipiens contra juſtitiam legis Divinæ agit; unde non debet fieri reſtitutio ei, qui dedit, ſed debet in eleemoſynas erogari: & eadem ratio eſt in ſimilibus, in quibus ſcilicet & datio, & acceptio eſt contra legem.

Tertio modo eſt aliquid illicite acquiſitum, non quidem quia ipſa acquiſitio ſit illicita, ſed quia id, ex quo acquiritur eſt illicitum, ſicut patet de eo, quod mulier acquirit per meretricium; & hoc proprie vocatur turpe lucrum, quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contra legem Dei: ſed in eo, quod accepit, non injuſte agit, nec contra legem: unde quod ſic illicite acquiſitum eſt, retineri poteſt, & de eo eleemoſyna fieri. 2. 2. *q. 32. art. 7. in corp. 4. ſent. d. 15. qu. 2. art. 4. qu. 3. in corp. & qu. 2. in corp.*

QUÆR. 24. Utrum eleemoſyna fieri poſſit de rebus acquiſitis per rapinam, furtum, uſuram, Simoniam, lenocinium, vel meretricium.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod illud dicitur licitum, quod nulla lege prohibetur: unde illicite acquiſitum dicitur, quod contra prohibitionem legis acquiritur; ſed hoc poteſt eſſe dupliciter: quia aut lex prohibuit ipſum lucrum, vel cauſam lucri tantum. Si ipſum lucrum eſt prohibitum, tunc impoſſibile eſt quod juſte detineatur: ex hoc enim ipſo efficitur aliquis injuſti tituli, & malæ fidei poſſeſſor quod contra legem aliquid habet: ſed in talibus diſtinguendum eſt: quia aut non transfertur dominium, ſicut in rapina & furto: Et tunc omnino reſtituere tenetur, & ideo ex hoc non poteſt eleemoſyna fieri; aut transfertur dominium: & tunc vel competit repetitio eis quo quis lucratus eſt ſecundum aliquod jus, ſicut in uſura accidit, in qua quidem (ut quidam dicunt) dominium transfertur: & tunc de hac etiam non poteſt eleemoſyna fieri; aut non competit repetitio ſecundum turpitudinem ſceleris ex parte dantis, ſicut in ſimonia accidit: & tunc tale acquiſitum non poteſt juſte retineri, ſed debet in eleemoſynas erogari. Si autem lex prohibuit actum, ex quo quis lucratur, ſed non lucrum ſuppoſito actu: tunc quamvis acquirendo tali actu contra legem fecerit, tamen tenendo non facit contra legem, ſicut cum quis de lenocinio vel meretricio lucratur: & ideo hæc retineri poſſunt, & de eis eleemoſyna fieri poteſt. *4. ſent. d. 15. quæſt. 2. art. 4. qu. 2. & 3.*

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 25. *Utrum eleemoſyna poſſit fieri de acquiſitis per ludum aleatorium*.

Reſpondetur *v. Ludus*.

QUÆR. 26. *An in caſu extremæ neceſſitatis liceat ſurripere alienum, & de illo ſibi ſubvenire, vel alteri eleemoſynam facere*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in caſu extremæ neceſſitatis omnia ſunt communia: unde licet ei, qui talem neceſſitatem patitur, accipere de alieno ad ſui ſuſtentationem, ſi non inveniat, qui ſibi dare velit. Et eadem ratione licet habenti aliquid de alieno. Et poteſt de hoc eleemoſynam dare, quinimo & accipere, ſi aliter ſubveniri non poſſit neceſſitatem patienti. Si tamen fieri poſſit ſine periculo, requiſita Domini voluntate, debet pauperi providere extremam neceſſitatem patienti. 1. 2. *q*. 32. *art*. 7. *ad* 3.

QUÆR. 27. *Utrum ille, qui de alieno eleemoſynam facit pauperi in ultima ipſius neceſſitate, teneatur ad reſtitutionem*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in tali caſu, ſi ſine periculo pauperis eſſe poteſt, debet ille qui alienum habet, ſignificare ei cui debet; & ſive ille licentiam dederit, ſive non, debet pauperi in ultima neceſſitate exiſtenti providere: nec providet ſibi de alieno; quia neceſſitas talis omnia facit communia; unde non tenetur ad reſtitutionem, niſi ille cui debet, in ſimili neceſſitate eſſet: qui etiam tunc teneretur ei providere, ſi nihil habuiſſet ab eo. 4. *ſent*. *d*. 15. *qu*. 2. *art*. 4. *q*. 2. *ad* 2.

QUÆR. 28. *An & quando aliquis poſſit eleemoſynam facere ſibi ipſi*.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod cum eleemoſyna ſit opus miſericordiæ, ſicut miſericordia non eſt proprie ad ſeipſum, ſed per quandam ſimilitudinem, ita & proprie loquendo nullus ſibi eleemoſynam facit, niſi forte ex perſona alterius, puta cum aliquis diſtributor ponitur eleemoſynarum, poteſt & ipſe ſibi accipere, ſi indigeat, eo tenore, quo & aliis miniſtrat. 2. 2. *quæſt*. 32. *artic*. 9. *ad* 3. & 4. *ſent*. *d*. 15. *qu*. 2. *art*. 6. *q*. 1.

QUÆR. 29. *An eleemoſyna ſit magis danda propinquiori quam ſanctiori, vel magis indigenti, aut magis utili*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut Auguſtinus dicit in primo de doctrina Chriſtiana, *illi, qui ſunt nobis magis conjuncti, quaſi quadam ſorte nobis obveniunt, ut eis magis providere debeamus*: eſt tamen circa hoc diſcretionis ratio adhibenda ſecundum differentiam conjunctionis, & ſanctitatis, & utilitatis; nam multo ſanctiori, & magis indigentiam patienti, & magis utili ad commune bonum eſt magis eleemoſyna danda, quam perſonæ propinquiori; maxime ſi non ſit multum conjuncta, cujus cura ſpecialis nobis immineat, & ſi magnam neceſſitatem non patitur. 2. 2. *quæſt*. 32. *art*. 9. *in corp*. & *ad* 2. 4. *ſent*. *d*. 15. *qu*. 2. *art*. 5. *q*. *in corp*.

QUÆR. 30. *An & quomodo in eleemoſynis attendi debeat honeſtum, & neceſſarium, & debitum*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod cui magis benefaciendum ſit, ut dicit Phil. 9. Ethic. c. 2. non eſt facile determinare propter multas diverſitates boni & neceſſarii. Tamen hoc eſt tenendum, quod ſemper magis reddendum eſt debitum, quam beneficium impendendum, ut ipſe ibidem dicit, niſi ex parte altera adſit major bonitas, vel neceſſitas: & ideo parentibus, & propinquis, & benefactoribus, & eis a quibus ſpiritualia accipit, magis debet eleemoſynam facere ſi indigeat; & (cæteris paribus) melioribus magis etiam indigentibus magis: & ſic ſecundum has tres conditiones debet gradus in eleemoſynis conſtitui; ſcilicet ſecundum honeſtum, & neceſſarium, & debitum:; aſſignare autem in ſingulis quid unum alteri eorum præferatur, eſt impoſſibile; quia ſingulares eorum conditiones quæ attendendæ ſunt, ſunt infinitæ, & non cadunt ſub arte: de his autem ratio docet & prudentiæ conſilium. 4. *ſent*. *d*. 15. *qu*. 2. *artic*. 6. *q*. 3. *in corp*.

QUÆR. 31. *An Clericis ſit facienda eleemoſyna, licet ea non indigeant*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Clericis, etiamſi ipſi non indigeant eleemoſynæ dantur; ut miniſtris pauperum, & diſpenſatoribus eleemoſynarum: & ideo quod eis in eleemoſynam datur, per eos pauperibus tranſmittitur. 4. *ſent*. *d*. 15. *qu*. 2. *art*. 1. *q*. 1. *ad* 3.

QUÆR. 32. *Cur eleemoſyna fieri debet præſertim viris Sanctis: & quare potiſſimum exercenda ſit hoſpitalitas, juxta illud Apoſtoli ad Rom*. 12. *Neceſſitatibus Sanctorum communicantes, hoſpitalitatem ſectantes*.

Reſp. D. Thomas, tria ſunt notanda. Primo quidem, quod eleemoſynæ ex charitate ſunt impendendæ indigentibus, ſive neceſſitatem patientibus, Epheſ. 4. *Laboret operando manibus ſuis quod bonum eſt, ut habeat unde tribuat neceſſitatem patienti*. Secundo quod potius eſt ſubveniendum juſtis, & ſanctis, quam aliis; unde dicit: *neceſſitatibus Sanctorum*. Eccleſ. 12. *Da juſto, & non recipias peccatorem*; quod quidem non ſic eſt intelligendum, quin etiam in neceſſitatibus ſit peccatoribus ſubveniendum, ſed quia non eis ſubveniendum ad fomentum peccati: utilius tamen eſt ſubvenire juſtis, quia talis eleemoſyna fructuoſa eſt non ſolum ex parte dantis, ſed etiam ex ſuffragio recipientis, Lucæ 16. *Facite vobis ami-*

Digitized by Google

amicos de mammona iniquitatis: ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula, ſcilicet ſuis ſuffragiis. Tertio in ſpeciali admonet ad hoſpitalitatem, dicens, *hoſpitalitatem ſectantes*, quia ſcilicet in hoc miſericordiæ opere alia miſericordiæ opera includuntur. Nam hoſpes non ſolum exhibet ad manendum, ſed etiam alia neceſſaria ſubminiſtrat. Heb. ult. *hoſpitalitatem nolite oblivisci*. 1. Petri 4. *hoſpitales invicem ſine murmuratione*. *In expoſit. illius cap.* 2. *lect.* 2.

QUÆR. 33. *An & quando peccatoribus, excommunicatis, & inimicis Reipublicæ facienda ſint, vel ſubtrahendæ eleemoſynæ.*

Reſp. ſupra *v. Beneficentia, qu.* 2. & 3.

QUÆR. 34. *Quomodo collectæ fieri debent præſertim in uſum Sanctorum: & cur eleemoſynæ paulatim ſint exigendæ, juxta illud Apoſtoli* 1. *ad Corinth.* 16. *De collectis autem, quæ fiunt in Sanctos, ſicut ordinavi in Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite per unam Sabbathi.*

Reſp. Div. Thomas, hoc eſt quod dicit, *de collectis autem quæ fiunt*, per Eccleſias, *in Sanctos*, ideſt, in uſum Sanctorum, & non quorumlibet: Eccl. 12. *Da juſto, & ne recipias peccatorem*. Non quod peccatoribus non ſit aliquid dandum, ſed quia magis debet quis dare eleemoſynam juſto indigenti, quam peccatori. *Sicut ordinavi in Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite*, ideſt, colligite *per unam*, ſcilicet diem *Sabbati*, ideſt, ſeptimanæ; & hoc ideo ordinatum eſt, ut paulatim qualibet hebdomada aliquid parum ſolverent, ne ſi ſimul totum ſolviſſent, gravarentur. Et licet eis paululum videretur, & quaſi inſenſibile, paulatim dare, tamen completo anno eleemoſynæ in ſimul collectæ, magnæ erant. *In expoſit. illius cap. lect.* 1.

QUÆR. 35. *Quomodo in colligendis eleemoſynis vitari debeat ſuſpicio quæſtus, exemplo Apoſtoli, qui ibid. ſubdit: Unuſquiſque veſtrum apud ſe reponat recondens quod ei beneplacuerit, ut non cum venero, tunc collectæ fiant.*

Reſp. D. Thomas, in hoc oſtenditur maxima induſtria Apoſtoli, ne aliqui crederent, quod Apoſtolus faceret collectas iſtas magis cauſa quæſtus proprii, quam propter neceſſitatem Sanctorum; ideo ſuſpicionem hanc vitans & quantum ad ſe, & quantum ad ſuos miniſtros, noluit dictam pecuniam a ſe, ſeu a ſuis miniſtris cuſtodiri; ſed ordinavit, quod quilibet illud quod ſibi placebat elargiri, reportaret domi, conſervaret ſeorſum, faciens ſic per totum annum. Et hujus ratio erat, quia Apoſtolus nolebat, quando veniret Corinthum, ut vacarent collectis, ſed doctrinæ, & rebus ſpiritualibus; & ideo dicit: *ut non cum venero, &c.* Act. 6. *Non eſt æquum nos relinquere &c.*

Notandum eſt ergo, quod quilibet debet cavere ſibi, ne videatur aliquid ſpirituale facere propter quæſtum; & inde eſt, quod Dominus. Matth. 10. voluit Prædicatores nihil habere. Romanis enim mos erat, ut nullus aſſumeretur ad Senatus officium, niſi prius probatus fuiſſet in officio quæſtoris: quia virtutis eſt magnæ res temporales cuſtodire. *in eadem lect.*

QUÆR. 36. *Quomodo mittendæ ſint eleemoſynæ, juxta illud Apoſtoli ibid. dicentis: Cum autem præſens fuero, quos probaveritis per Epiſtolas, hos mittam perferre gratiam veſtram in Jeruſalem. Quod ſi dignum fuerit, ut ego eam, mecum ibunt.*

Reſp. Div. Thomas, qualiter autem debeant mitti in Jeruſalem, ſubdit dicens, *Cum autem præſens fuero, &c.* quaſi dicat, nec in hoc volo aliquos ſpecialiter onerare, *cum præſens fuero*, ſcilicet ad portandum pecuniam; ſed mittam illos quos probaveritis, ideſt, approbaveritis mittendos, *mittam*, inquam, *per epiſtolas*, ideſt, cum epiſtolis miſſis a vobis, & a nobis laudatoriis, & commendatoriis: ſcilicet in quibus continetur quantitas pecuniæ, commendatum ſtudium noſtrum, & charitas. *Mittam*, inquam, *perferre gratiam veſtram*, ideſt, quod gratis dabitis Sanctis pauperibus in Jeruſalem. 2. Corinth. 8. *Notam facimus vobis gratiam Dei &c. in Jeruſalem*; & non ſolum mittam illos, quos probaveritis, ſed *ſi dignum fuerit, &c.* ideſt, ſi magna quantitas fuerit, *mecum ibunt*, in quo inducit eos ad bene, & liberaliter ſolvendum. Rom. 15. *Nunc igitur proficiſcar Jeruſalem miniſtrare Sanctis, &c. Ibid.*

QUÆR. 37. *An ille qui eſt ſub alterius poteſtate, poſſit facere eleemoſynas.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ille, qui eſt ſub poteſtate alterius conſtitutus, inquantum hujuſmodi, ſecundum Superioris poteſtatem regulari debet: hic eſt enim ordo naturalis, ut inferiora ſecundum ſuperiora regulentur; & ideo oportet, quod ea, in quibus inferior ſuperiori ſubjicitur, diſpenſet non aliter, quam ei ſit a Superiore permiſſum: ſic ergo ille, qui eſt ſub poteſtate conſtitutus, de re, ſecundum quam Superiori ſubjicitur, eleemoſynam facere non debet, niſi quatenus ei a Superiore fuerit permiſſum. Si quis vero habeat aliquid ſecundum quod poteſtati Superioris non ſubſit, jam ſecundum hoc non eſt poteſtati ſubjectus, quantum ad hoc proprii juris exiſtens, & de hoc poteſt eleemoſynam facere. 2. 2. *q.* 32. *art.* 8.

in

in corp. 4.*ſent. diſt.*13. *qu.*2. *art.*4. *quæſt.*3. *in corp.*

QUÆR. 38. *An & quando uxores, filiifamilias, ſervi, & ancillæ eleemoſynas facere poſſint.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod in extrema neceſſitate exiſtenti, quæ facit omnia communia, quilibet prædictorum poteſt eleemoſynam facere; quia debet præſumere quod ſuo Superiori placeat, cum ipſe dare teneretur ſi præſens eſſet: & ſi etiam prohiberetur, idem dicendum videtur, ſicut de illicito lucro dictum eſt prius, ad cujus reſtitutionem aliquis tenetur: Alias autem de uxore diſtinguendum eſt: quia ſi habet alias res præter dotem, vel eſt lucroſa, tunc poteſt tales eleemoſynas dare, quæ virum non depauperent, etiam non requiſito aſſenſu viri, dummodo non prohibeat: Et ſi etiam prohiberet verbo, poſſet probabiliter credere, quod eam non intenderet ſimpliciter ab eleemoſynis coercere, ſed a ſuperfluitate eleemoſynarum, niſi aperte pateret ei contrarium: ſi autem prædicta duo defuerunt, non debet dare eleemoſynas ſine conſenſu viri, niſi aliquas eleemoſynas communes, & modicas, de quibus ſatis ei conſtare poteſt, quod viro placeret; ſi neceſſitatem pauperis inſpiceret. 4.*ſent. d.*15. *q.*2. *art.*5 *quæſtiunc.*1. *in corp.*

QUÆR. 39. *An uxor poſſit facere eleemoſynam irrequiſito conſenſu viri.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſi uxor habet alia præter dotem, quæ ordinantur ad ſuſtentandum onera matrimonii vel ex proprio lucro, vel quocumque alio licito modo, poteſt dare eleemoſynas, etiam irrequiſito aſſenſu viri; moderatas tamen, ne ex earum ſuperfluitate vir d pauperetur; alias autem non debet dare eleemoſynas ſine conſenſu viri vel expreſſo, vel præſumpto, niſi in articulo neceſſitatis. Quamvis enim mulier ſit æqualis viro in actu matrimonii, tamen in his, quæ ad diſpoſitionem domus pertinent, vir caput eſt mulieris ſecundum Apoſtolum 1. ad Corinthios 15. 2.2.*quæſt.*32. *art.*8. *ad* 2. 4.*ſent. diſt.*15. *q.*2. *artic.*5. *q.*1. *in corp.*

QUÆR. 40. *An filiifamilias, & ſervi poſſint facere eleemoſynam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ea, quæ ſunt filiifamilias ſunt & Patris: & ideo non poteſt eleemoſynam facere, niſi forte aliquam modicam, de qua poteſt præſumere, quod Patri placeat, niſi forte alicujus rei eſſet ſibi a Patre diſpenſatio commiſſa. Et idem dicendum de ſervis. 2.2. *q.*32. *ar.*8. *ad* 3. 4.*ſentent. diſt.*15. *q.*2. *art.*3. *quæſtiunc.*2. *in corp.* & *quæſt.*3. *in corp.*

QUÆR. 41. *An filius familias poſſit ſine conſenſu parentum eleemoſynam facere de pane, & aliis, quæ non inferunt ſenſibile damnum.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod filius familias non poteſt dare eleemoſynam ſine conſenſu parentum, niſi panem & hujuſmodi, quæ non inferunt ſenſibile damnum: de quibus ſatis conſtare poteſt, quod parentibus placeat. 3.*ſent. diſt.*14. *qu.*2. *art.*5. *in ſolutione quæſtiunc.*

QUÆR. 42. *Utrum famuli, & ancillæ eleemoſynam facere poſſint de rebus dominorum ſuorum, ſine ipſorum conſenſu.*

Reſp. D. Thomas, dicendum eſt de ſervis & ancillis, & etiam de famulis, quamvis ſint liberæ conditionis, quod non poſſunt eleemoſynas dare de rebus dominorum, ſine eorum conſenſu, niſi panem & hujuſmodi, quæ non inferunt ſenſibile nocumentum: quia etſi ſit diſpenſator rerum, non tamen ponitur diſpenſator: quaſi poteſtatem aliquam in re domini habens, ſed quaſi tractans eam ad utilitatem Domini. De pretio autem ſui ſervitii conſtat, quod poſſet eleemoſynam dare. 4.*ſent. d.*15. *qu.*2. *art.*5. *q.*3. *in corp.*

QUÆR. 43. *An & quando Religioſi ſive intra, ſive extra Monaſterium exiſtentes poſſin & debeant eleemoſynas facere.*

Reſp. D Thomas, dicendum, quod Monachus, ſi habet diſpenſationem rerum Monaſterii, poteſt, & debet facere eleemoſynam de ſuperfluis nomine Capituli: ſi autem non habet diſpenſationem, tunc in Monaſterio exiſtens non debet dare ſine licentia niſi in extrema neceſſitate, vel abſente Abbate, aliquid modicum ſub ſpe ratihabitionis: extra Monaſterium vero exiſtens, puta in ſtudio, poteſt eleemoſynam facere, quia cum dantur ei expenſæ, committitur ei earum diſpenſatio. 4.*ſentent. diſt.*15. *qu.*2. *articul.*5. *in ſolut. qu.*4.

QUÆR. 44. *Utrum ex hoc, quod Religioſi nequeunt eleemoſynas facere ſine licentia Superiorum ſint pejoris, vel potius melioris conditionis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Monachus ſi habet diſpenſationem a Prælato commiſſam, poteſt eleemoſynas facere de rebus Monaſterii ſecundum quod ſibi eſt commiſſum: ſi vero non habet diſpenſationem, quia nihil proprium habet, tunc non poteſt facere eleemoſynam ſine licentia Abbatis, vel expreſſe habita, vel probabiliter præſumpta, niſi forte in articulo extremæ neceſſitatis, in quo licitum eſſet ei furari, ut eleemoſynam daret. Nec propter hoc efficitur pejoris conditionis, quia ſicut dicitur in lib. de Eccle-

ſia-

ſiaſticis dogmatibus: *Bonum eſt facultates cum diſpenſatione pauperibus erogare: ſed melius eſt pro intentione ſequendi Dominum ſimul omnia donare, & abſolutum ſollicitudine egere cum Chriſto*. 2. 2. *q.* 32. *art.* 8. *ad* 1. 4. *ſent. d.* 15. *q.* 3. *art.* 4. *qu.* 4. *in corp.*

QUÆR. 45. *An & quando Prædicatoribus liceat eleemoſynam recipere ab uſurariis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod de rapina, uſura, & hujuſmodi (in generali loquendo) non poteſt fieri eleemoſyna. Iſa. 61. *Odio habens rapinam in holocauſtum*: tamen in ſpeciali caſu Prædicatoribus, qui prædicant uſurariis, & monent eos reſtituere, licitum eſt accipere: Et hæc eſt una ratio; alia eſt, quando non habent alias unde vivant; & in extrema neceſſitate omnia ſunt communia; & ab omnibus licite accipere ad ſuſtentationem, & neceſſitatem poſſunt. *Quodlib.* 12. *art.* 29.

QUÆR. 46. *Utrum eleemoſynæ corporales habeant effectum ſpiritualem, juxta illud Eccleſ. 29. Eleemoſyna viri gratiam hominis quaſi pupillam conſervabit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod eleemoſyna corporalis tripliciter poteſt conſiderari: uno modo ſecundum ſuam ſubſtantiam, & ſecundum hoc non habet niſi corporalem effectum, inquantum ſcilicet ſupplet corporales defectus proximorum: alio modo poteſt conſiderari ex parte cauſæ ejus, inquantum ſcilicet aliquis eleemoſynam corporalem dat propter dilectionem Dei & proximi, & quantum ad hoc affert fructum ſpiritualem, ſecundum illud Eccl. 29. *Perde pecuniam propter fratrem, pone theſaurum in præceptis Altiſſimi, & proderit tibi magis, quam aurum*; tertio modo ex parte effectus, & ſic etiam habet ſpiritualem effectum, inquantum ſcilicet proximus, cui per corporalem eleemoſynam ſubvenitur, movetur ad orandum pro benefactore: unde & ibidem ſubditur: *Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo*. 2. 2. *q.* 32. *art.* 4. *in corp.*

QUÆR. 47. *An & quomodo eleemoſyna liberet ab Inferno.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod eo modo quo aliquis liberatur a peccato mortali per eleemoſynam; liberatur ab infernalibus tenebris: liberat autem eleemoſyna a peccato mortali, hominem adhuc in ſtatu viæ exiſtentem dupliciter; vel impediendo futurum peccatum, ſicut & alia opera meritoria, quæ hominem in gratia confirmant; vel a præterito liberando, inquantum diſponit eum, qui jam in peccatum incidit, ad gratiam recuperandam, ſicut & alia opera de genere bonorum recta intentione facta. 4. *ſent. d.* 15. *qu.* 2. *art.* 2. *quæſtiunc.* 1. *ad* 1.

QUÆR. 48. *Utrum eleemoſyna ſit opus ſatisfactorium eminenter continens alia; proindeque frequentius injungi debeat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod efficacia ſatisfactionis invenitur in tribus ſatisfactionis partibus, ſicut virtus totius potentialis in partibus ejus, quæ quidem complete in una invenitur, & in aliis diminute; ſicut tota virtus animæ invenitur in rationali, ſed in ſenſibili anima invenitur diminute, & adhuc magis diminute in vegetabili: quia anima ſenſibilis includit in ſe virtutem animæ vegetabilis, & non convertitur.

Eleemoſyna enim includit in ſe virtutem orationis & jejunii duplici ratione: primo, quia eleemoſyna eum conſtituit cui datur, debitorem ad orandum, & jejunandum, & alia bona quæ poteſt, faciendum pro eo qui dedit: ſecundo quia eleemoſyna propter Deum data eſt quaſi quædam oblatio Deo facta: unde Philoſophus etiam dicit in 4. Ethic. cap. 5. quod *dona habent aliquid ſimile Deo ſacratis*: oblatio autem ipſi Deo facta vim orationis habet: & ſimiliter inquantum bona exteriora ad corporis conſervationem ordinantur, ſubtractio bonorum exteriorum per eleemoſynam quaſi virtute continet jejunium, quo maceratur corpus.

Similiter etiam oratio virtute continet jejunium; quia extenſio intellectus ad Deum debilitatem corporis parit: unde eleemoſyna completius habet vim ſatisfactionis quam oratio, & oratio quam jejunium: & ideo dicitur 1. ad Timoth. 4. *Corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt*: & propter hoc eleemoſyna magis indicitur ut univerſalis medicina peccati quam oratio, ſicut Luc. 11. *Date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis*, & Dan. 3. *Peccata tua eleemoſynis redime*: & Tobiæ 4. *Eleemoſyna ab omni peccato liberat*: & Timoth. 4. *Pietas ad omnia valet*. 4. *ſent. d.* 15. *qu.* 2. *art.* 2. *quæſtiunc.* 2. *in corp.*

QUÆR. 49. *Cur Chriſtus Matth. 17. dicit: Hoc genus dæmoniorum in nullo ejicitur niſi in jejunio, & oratione, non facta mentione de eleemoſyna*:

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſatisfactio eſt medicina, & præſervans a peccato futuro, & expians a præterito: & quamvis eleemoſyna habeat vim expiandi quodcunque peccatum præteritum, non tamen habet vim præſervandi a futuro peccato: quia oratio & jejunium præſervant a quibuſdam peccatis non ſolum per modum meriti (quod etiam eleemoſyna facit) ſed per modum contrariæ aſſuetudinis: & ſic ibidem dicit

cit Gloſſa, quod *jejunio ſanantur corporis peſtes, ſed oratione peſtes mentis*. Et ſecundum hoc intelligitur quod aliqua peccata tantum jejunio & oratione ſanantur. 4. *ſent. d.* 15. *qu.* 2. *art.* 2. *qu.* 2. *ad* 1.

QUÆR. 50. *Quomodo eleemoſyna plus habet de ratione boni quam jejunium, & oratio.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quamvis pœna in ſatisfactione requiritur, tamen principalius eſt in ea bonitas actus, quam pænalitas; & quia eleemoſyna plus habet de ratione boni, quam jejunium, inquantum immediatius ſe ad charitatem babet, & inquantum non eſt ſingulare bonum facientis, ſed commune facienti & patienti, eleemoſyna plus erit ſatisfactoria quam jejunium; ſimiliter & quam oratio; quamvis hominem magis familiarem Deo reddat, quam eleemoſyna; ſicut contemplativa plus quam activa: tamen intercesſorum per eleemoſynam multiplicatio plus valet ad impetrandum peccatorum remiſſionem, quam ſingularis unius hominis oratio. 4. *diſt.* 15. *qu.* 2. *art.* 2. *qu.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 51. *Unde penſanda ſit efficacia eleemoſynæ reſpectu præmii tam accidentalis, quam eſſentialis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod eleemoſyna (ut ex dictis patet) habet efficaciam & ex ipſo faciente, inquantum eſt opus meritorium, & ex recipiente, inquantum obligatur ad orandum pro illo qui eleemoſynam dedit. Si ergo conſideretur eleemoſynæ efficacia ex parte recipientis; ſic major efficacia in majori dato conſiſtit, inquantum per hoc plures & magis debitores efficiuntur: ex parte autem dantis & reſpectu præmii eſſentialis, efficacia eleemoſynæ magis penſatur ex affectu, quam ex dato: ſed reſpectu præmii accidentalis, ut puta remiſſionis pœnæ, vel alicujus hujuſmodi, magnificatur efficacia eleemoſynæ ex magnitudine dati; niſi ex parte altera intentio voluntatis magnitudini exterioris dati præponderet: poteſt enim tam intenta eſſe voluntas, quod etiam omnem pœnam abſorberet & reatum, ſicut de contritione dicitur: 4. *ſent. d.* 15. *quæſt.* 2. *art.* 2. *qu.* 3. *in corp.*

QUÆR. 52. *Utrum meritum eleemoſynæ ſpiritualis diminuatur ex hoc quod in ea ſemper eſt recompenſatio, quatenus qui orat pro alio, ſibi proficit, ſecundum illud Pſal.* 34. *Oratio mea in ſinu meo convertetur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod recompenſatio non minuit meritum & laudem eleemoſynæ, ſi non ſit intenta: ſicut etiam humana gloria, ſi non ſit intenta, non minuit rationem virtutis: ſicut & de Catone Saluſtius dicit, quod *quo magis gloriam fugiebat, eo magis eum gloria ſequebatur:* & ita contingit in eleemoſynis ſpiritualibus. Et tamen intentio bonorum ſpiritualium non minuit meritum, ſicut intentio bonorum corporalium. 2. 2. *q.* 32. *art.* 3. *ad* 2.

QUÆR. 53. *An meritum diminuatur ex hoc quod aliquis docendo etiam addiſcat: vel ex hoc quod faciendo ſpirituales eleemoſynas bona ſpiritualia in ipſo poſſidente creſcunt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod recompenſatio non diminuit efficaciam eleemoſynæ, ſed intentio recompenſationis: unde quamvis aliquis docendo, ipſe etiam addiſcat, non tamen quandoque propter hoc facit, ſed ſolum ut alter ſubveniat. Et præterea intentio acquirendi aliquod ſpirituale bonum non minuit rationem meriti, quia per ipſum Deo conjungitur, ut frequenter contingit. 4. *d.* 15. *qu.* 2. *art.* 3. *ad* 2.

QUÆR. 54. *An nedum eleemoſynæ quæ ſunt ſupererogationis, & de conſilio ſed etiam illæ, quæ ſunt obligationis, & de præcepto, itaut ſine peccato non poſſint omitti, ſint ſatisfactoriæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod a peccato deſiſtere non eſt de eſſentia ſatisfactionis; ſed eſt ad ſatisfactionem præambulum, ſicut fundamentum ipſius: unde cum aliquis peccet hoc ipſo quod non facit hoc quod facere tenetur, conſtat quod id ad quod quis alias tenetur, non eſt de eſſentia ſatisfactionis, ſed præambulum ad ipſam: unde cum ad elemoſynarum largitionem quandoque aliquis teneatur, quandoque non, conſtat quod illarum eleemoſynarum largitio ad quam quis tenetur, non eſt pars ſatisfactionis, ſed præambulum ad ipſam: illæ vero eleemoſynæ, ad quas quis alias non tenetur, poſſunt ſatisfactoriæ eſſe: cum ſint opera bona & pœnalia, quod exigebatur ad opus ſatisfactorium: punitur enim qui non ſolum ex afflictione corporis facta, ſed ex ſubtractione rerum. Quidam tamen dicunt quod etiam primæ eleemoſynæ ſatisfactoriæ ſunt ex largitione divinæ miſericordiæ. 4. *d.* 15. *qu.* 2. *art.* 1. *qu.* 2. *in corp.*

QUÆR. 55. *Utrum eleemoſyna utilis ſit ad omnia mala vitanda, & omnia bona acquirenda, & præſertim ad longitudinem vitæ tam præſentis quam futuræ, juxta illud Apoſtoli* 1. *ad Timoth.* 4. *Pietas ad omnia valet.*

Reſp. D. Thomas, Pietas accipitur hic utroque modo, ſcilicet pro cultu Dei, & miſericordia. *Et eſt ad omnia utilis*, quia ad omnia peccata delenda. Eccl. 3. *Ignem ardentem extin-*

Digitized by Google

extinguit aqua , & eleemoſyna reſiſtit peccatis. Item ad bona promovenda. Eccl. 17. *Eleemoſyna hominis quaſi ſacculus*, &c. Item promeretur ſpecialem Dei miſericordiam. Matthæi 5. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*. Et ideo ad hoc deſignandum Dominus Matthæi 25. ſpecialiter commemorat opera miſericordiæ. Quod probat ſubdens *promiſſionem habens*. In præceptis enim Decalogi unum ſolum invenitur, quod pertinet ad pietatem, ſcilicet honorare patrem & matrem, & ſub illo continentur omnia præcepta, ad quodcunque beneficium impendendum proximo: & hoc eſt ſolum præceptum inter ea, quæ ſunt ad proximum habens promiſſionem, ſcilicet, ut ſis longævus &c. Exod. 20. & Apoſtolus hic interpretatur longævus ſecundum vitam præſentem & futuram. Unde dicit, *vitæ quæ nunc eſt & futuræ*. Prov. 3. *Longitudo dierum in dextera ejus*. Sed tunc eſt quæſtio, quia aliquando invenitur aliquis pietatem ſequens, qui tamen non eſt longævus. Reſpondeo, ſicut dicit Philoſ. hæc bona temporalia intantum ſunt bona, inquantum utilia ad felicitatem: Unde ſi quis habet tantummodo de temporalibus, quod propter ipſa impediretur a bono virtutis & felicitatis, hoc non eſſet ſibi ad bonam fortunam, ſed ad malam, ut dicitur 10. Eth. Et longitudo vitæ eſt unum de temporalibus, intantum bonum, inquantum coadjuvat virtutem: Aliquando autem eſt occaſio ad peccandum: & Deus aliquando ſubtrahit eam homini, non quia deficiat a promiſſione, ſed quia dat quod melius eſt. Sapient. 4. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus*. *In expoſitione ejuſdem capitis lect.* 2.

QUÆR. 56. *Quomodo intelligenda ſit hæc Gloſſa Divi Ambroſii: omnis ſumma diſciplinæ chriſtianæ in miſericordia & pietate conſiſtit, quam al. quis ſequens, ſi lubricum carnis patiatur, ſine dubio vapulabit, ſed non peribit*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Gloſſa Ambroſii loquitur de lubrico venialis peccati, a quo aliquis poſt purgatorias pœnas, quas vapulationem dicit, per opera miſericordiæ abſolvetur. Vel ſi loquatur de lubrico mortalis peccati, eſt intelligendum quantum ad hoc, quod adhuc in vita iſta exiſtentes illi, qui ex fragilitate in carnalia peccata incidunt, per opera miſericordiæ ad pœnitentiam diſponuntur. Unde talis non peribit, id eſt diſponetur per talia opera ad non pereundum. 4. *ſent. diſt.* 46. *q.* 2. *art.* 3. *q.* 4. *ad* 4.

QUÆR. 57. *Utrum hoc quod in prædicta authoritate de homine eleemoſynario licet peccato carnis obnoxio dicitur quod non peribit, intelligendum ſit ſecundum neceſſitatem, vel ſolummodo ſecundum diſpoſitionem*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod intelligitur de lubrico mortali. Quod autem dicitur, *non peribit*, non eſt ſecundum neceſſitatem intelligendum, ſed ſecundum quandam diſpoſitionem quia per hoc quod operibus pietatis aliquis vacat in peccato mortali exiſtens, diſponit ſe ad gratiam, ut non facile permittatur in perditionem ire: vel ſi intelligatur de veniali, efficacia eleemoſynæ in hoc oſtenditur, quod pœna vapulationis diminuitur per eam, vel per ipſam veniale impeditur, ne in mortale trahere poſſit. 4. *diſt.* 15. *q.* 2. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 2.

QUÆR. 58. *An prædictus homo ſit liberandus ab æterna damnatione, quatenus per eleemoſynas ſe diſponit ad gratiam, & pro peccatis ſatisfacit*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod per opera pietatis ille qui lubricum carnis patitur, liberatur a perditione æterna, inquantum per hujuſmodi opera diſponitur ad hoc quod gratiam conſequatur per quam pœniteat; & inquantum per hujuſmodi opera ſatisfacit de lubrico carnis commiſſo: non autem ita quod ſi in lubrico carnis perſeveret impœnitens uſque ad mortem, per pietatis opera liberetur. 2. 2. *q.* 154. *art.* 2. *ad* 5.

QUÆR. 59. *Utrum ille homo liberetur a perditione de condigno, vel tantum de congruo, quatenus illi, quibus eleemoſynas largitur pro ipſo orant ipſiuſque ſalutem impetrant*.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod loquitur de lubrico mortali. Et quod dicit, non peribit, licet hoc non ſit ex condigno, tamen eſt ex congruo, inquantum diſponitur animus ad bonum: unde Dominus poſt lapſum hominem reparat, & hoc præcipue videtur eſſe in pietate, quia homo benefaciendo aliis, inducit alios ad orandum pro ſe, & Dominus donat aliquando veniam peccatoribus, precibus Sanctorum, inquantum impetratur eis venia peccatorum, & donum gratiæ: quia homo poteſt mereri ex congruo alteri primam gratiam: alias pro nihilo oraret Eccleſia pro peccatoribus. 1. *ad Timoth.* 4. *lect.* 2.

QUÆR. 60. *An prædicta Div. Ambroſii ſententia melius intelligatur de lubrico peccati mortalis quam venialis: & cur Deus in die judicii non exprobrabit reprobis niſi defectum miſericordiæ*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Ambroſius ibi loquitur de lubrico carnis ſecundum quod eſt veniale peccatum, ut patet in actu matrimoniali ſicut dictum eſt: vel poteſt dici

ci & melius, quod loquitur etiam de lubrico peccati mortalis: non eſt autem ſimpliciter intelligendum, quod ſi aliquis in tali lubrico carnis perſeveret uſque ad mortem, damnationem evadat propter opera pietatis, ſed quia opera pietatis frequentata diſponunt hominem ad facilius pœnitendum, & poſtquam pœnituerit ad peccata præterita facilius expianda propter quod etiam Dominus Matthæi 25. *Per opera miſericordiæ damnandis ſolum defectum miſericordiæ imputat*, quia ſcilicet non ſtuduerunt per opera miſericordiæ peccata præterita expiare: ut dicit Auguſtinus 12. de civitate Dei. *q.* 15. *de malo*, *art.* 2. *ad* 1.

QUÆR. 61. *Utrum eleemoſynarius ſit beatus, juxta illud Pſalm.* 40. *Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem: & quomodo homo debeat eſſe miſericors ad modum Dei.*

Reſp. Div. Thomas, beatus eſt ille, qui eſt miſericors, qui miſeretur egeno, & pauperi: Proverb. 24. *Qui miſeretur pauperi, beatus erit*: & dicit, *qui intelligit*, non dicit, *qui ſubvenit*, quia debet eſſe miſericors ad modum Dei: ſed Deus non expectat, quod ſemper petatur; unde ſubvenit deſiderio antequam petatur: & ideo ille eſt vere miſericors, qui non ſolum petentibus ſubvenit, ſed etiam indigenti ſubvenit priuſquam petatur: Job 31. *Si negavi quod volebant pauperibus, ſi oculos viduæ expectare feci*. Egenus eſt qui indiget ab alio accipere: pauper dicitur ille, qui parum habet. Hieronymus habet: *qui conſiderat*, ideſt, qui ſuſcipit in cura negotia pauperum. Job 29. *Oculus fui cæco, & pes claudo. In expoſit. illius Pſalmi.*

EPIIKEJA, ſive ÆQUITAS.

QUÆR. 1. *Utrum Epiikeja, ſive æquitas ſit virtus ſicut dicit Philoſ.* 5. *Eth.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt cum de legibus ageretur, quia humani actus de quibus lege dantur, in ſingularibus contingentibus conſiſtunt, quæ infinitis modis variari poſſunt, non fuit poſſibile aliquam regulam legis inſtitui, quæ in nullo caſu deficeret: ſed legislatores attendunt ad id quod in pluribus accidit, ſecundum hoc legem ferentes, quam tamen in aliquibus caſibus ſervare eſt contra æqualitatem juſtitiæ, & contra commune bonum quod lex intendit: ſicut lex inſtituit, quod depoſita reddantur, quia hoc, ut in pluribus, juſtum eſt: contingit autem aliquando eſſe nocivum; puta ſi furioſus depoſuit gladium, & eum repoſcat dum eſt in furia; vel ſi aliquis repoſcat depoſitum ad patriæ impugnationem: in his ergo & ſimilibus caſibus malum eſt ſequi legem poſitam: bonum autem eſt prætermiſſis verbis legis ſequi id quod poſcit juſtitiæ ratio & communis utilitas; ad hoc ordinatur Epiikeja, quæ apud nos dicitur æquitas; unde patet quod Epiikeja eſt virtus. 2. 2. *q.* 120. *art.* 1. *in corp.*

QUÆR. 2. *An virtus Epiikeja, ſive æquitatis deſerat juſtum, & opponatur ſeveritati.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod Epiikeja non deſerit juſtum ſimpliciter, ſed juſtum quod eſt lege determinatum: nec etiam opponitur ſeveritati, quæ ſequitur veritatem legis, in quibus oportet: ſequi autem verba legis, in quibus non oportet, vitioſum eſt: Unde dicitur in codice de legibus, & conſtitution. Principum: *Non dubium eſt in legem committere eum, qui verba legis amplexus contra legislatoris nititur voluntatem. In eodem art.* 1. *ad* 1.

QUÆR. 3. *Utrum Epiikeja ſit pars juſtitiæ, & ſuperior regula actuum humanorum.*

Reſp. D. Thomas, Epiikeja eſt pars juſtitiæ communiter dictæ, tanquam juſtitiam quædam exiſtens, ut Philoſ. dicit in 5. Ethic. & de ea juſtitia dicitur per prius quam de legali: nam legalis juſtitia dirigitur ſecundum Epiikejam: unde Epiikeja eſt quaſi ſuperior regula actuum humanorum, 2. 2. *qu.* 120. *artic.* 2. *in corp.* 3. *diſt.* 33. *qu.* 3. *art.* 4. *q.* 5. *in corp. & ad* 5.

QUÆR. 5. *Utrum Epiikeja ſit principalis virtus, quam juſtitia, juxta nomen ſuum: dicitur enim ab Epi, quod eſt ſupra, & Dikajon, quod eſt juſtum.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſicut Philoſophus dicit 5. Ethic. *Epiikeja eſt melior quadam juſtitia*, ſcilicet legali: quæ obſervat verba legis: quia tamen & ipſa eſt juſtitia quædam, non eſt melior omni juſtitia. 2. 2. *q.* 120. *art. ad* 2.

E M P T I O.

Quia emptio venditioni correſpondet: & omnes quæſtiones utramque materiam concernentes connexionem habent, ideo ponuntur omnes ſub v. Venditio.

E P I S C O P A T U S.

QUÆR. 1. *An & quando Epiſcopatum appetere ſit illicitum, & pertineat ad cupiditatem, vel ambitionem, aut præſumptionem, juxta illud Divi Auguſtini* 19. *de Civitate Dei: Locus ſuperior ſine quo populus regi*

non

Digitized by Google

non poteſt, etſi ita adminiſtretur ut decet, tamen indecenter appetitur.

RESp. D. Thomas, dicendum, quod in Episcopatu tria poſſunt conſiderari: quorum unum eſt principale, & finale, ſcilicet Epiſcopalis operatio, per quam utilitati proximorum intenditur, ſecundum illud Joannis ult. *paſce oves meas*: aliud autem eſt altitudo gradus, quia Epiſcopus ſuper alios conſtituitur, ſecundum illud Matthæi 25. *fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam*: tertium autem eſt, quod conſequenter ſe habet ad iſta, ſcilicet reverentia, & honor, & ſufficientia temporalium, ſecundum illud primæ ad Timotheum 5. *Qui bene præſunt Presbyteri duplici bonore digni babentur.*

Appetere ergo Epiſcopatum ratione hujuſmodi circumſtantium bonorum, manifeſtum eſt, quod eſt illicitum, & pertinet ad cupiditatem, vel ambitionem; unde contra Phariſæos Dominus dicit Matthæi 23. *amant primos accubitus in cœnis, & primas Cathedras in ſynagogis, ſalutationes in foro, & vocari ab bominibus Rabbi*: quantum autem ad ſecundum, ſcilicet celſitudinem gradus, appetere Epiſcopatum eſt præſumptuoſum: unde Dominus arguit diſcipulos Matthæi 20. primatum quærentes dicens: *ſcitis, quia Principes Gentium dominantur eorum*, ubi Chryſoſtomus dicit, quod *per boc oſtendit, quod gentile eſt Primatum cupere: & ſic gentium comparatione eorum animam æſtuantem convertit*. Sed appetere proximis prodeſſe eſt ſecundum ſe laudabile, & virtuoſum.

Verum quia prout eſt Epiſcopalis actus, habet annexam gradus celſitudinem, præſumptuoſum videtur, quod aliquis præeſſe appetat ad hoc, quod ſubditis præſit, niſi manifeſta neceſſitate imminente; ſicut Gregorius dicit in Paſtorali, quod *tunc laudabile erat Epiſcopatum quærere, quando per bunc quemquam dubium non erat ad ſupplicia graviora pervenire*; unde non de facili inveniebantur, qui hoc onus aſſumerent; præſertim cum aliqui Charitatis zelo divinitus ad hoc incitantur; ſicut Gregorius dicit in Paſtorali, quod *Iſaias prodeſſe proximis cupiens laudabiliter officium prædicationis appetiit.*

Poteſt tamen abſque præſumptione quilibet appetere talia opera facere, ſi eum contingeret in tali officio eſſe, vel etiam ſe eſſe dignum ad talia opera exequenda; ita quod opus bonum cadat ſub deſiderio, non autem primatus dignitatis; unde Chryſoſtomus dicit ſuper Matthæum: *Opus quidem deſiderare bonum, bonum eſt; primatum autem bonoris concupiſcere vanitas eſt; primatus enim fugientem ſe deſiderat, deſiderantem ſe borret.* 2. 2. *q.*185. *art.* 1. *in corp.*

QUÆR. 2. *In quo caſu Epiſcopatum appetere ſit meritorium, vel econtra injuſtum & nocivum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod contingit appetere prælationem dupliciter; aut propter neceſſitatem urgentem, aut non urgentem: primo modo dupliciter, vel quando imponitur a Superiori, vel quando non invenitur aliquis qui velit onus prælationis ſubire, tali neceſſitate exiſtente meritorium eſt appetere: unde Iſaiæ 6. *Quem mittam, & quis ibit nobis?* reſpondit: *ecce ego, mitte me*, tamen ante dixit ſe indignum. Secundo modo (ſcilicet quando non urget neceſſitas) ſic non licet: quia non poteſt carere aut vitio injuſtitiæ, ſi velit ſe minorem præferre majoribus; aut vitio præſumptionis, ſi reputet ſe ſufficientem præferri aliis; unde Chryſoſt. ſuper illud: *Reges gentium dominantur eorum &c.* Luc. 22. *Primatus Eccleſiaſticos concupiſcere, nec juſtum, nec utile. Quodl.* 12. *art.* 17.

QUÆR. 3. *An ſit indecens appetere Epiſcopatum, licet decenter adminiſtretur: & utrum ſtultus ſit, qui ipſum appetit, ſi non ſit idoneus, & maxime ſuperbus, qui banc idoneitatem ſe babere præſumit.*

Reſp. D. Thomas, numquid licet ipſum deſiderare? Aug. dicit, quod non. Gloſ. *Locus ſuperior ſine quo regi non poteſt populus, etſi teneatur, & adminiſtretur decenter, tamen indecenter appetitur*. Et idem dicit 19. de civit. Dei. Cujus ratio eſt, quod nullus debet appetere aliquid ſupra vires ſuas non ſibi proportionatum, alias eſſet ſtultus. Horatius:

Ludere qui neſcit, campeſtribus abſtinet armis.

Ille ergo bene Epiſcopatum deſiderare poſſet, cujus facultas Epiſcopatui eſſet proportionata; ad hoc autem nullus eſt idoneus: quia Prælatus ſecundum gradum, & convenientiam debet omnes alios excedere in converſatione, & contemplatione, itaut in reſpectu ſui, alii ſint grex. Et hanc idoneitatem de ſe præſumere eſt maximæ ſuperbiæ. Aut ergo appetit circumſtantias, & tunc neſcit quid appetat; quia non eſt hic Epiſcopatus: vel ipſum opus, & hoc eſt ſuperbiæ. Et ideo non eſt accipiendum niſi impoſitum. *In expoſitione illius cap.* 6. *lect.* 1.

QUÆR. 4. *Quomodo intelligi debeat illud Apoſtoli* 1. *ad Timotb.* 3. *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut Gregorius dicit in Paſtorali: *Illo tempore boc dixit Apoſtolus, quo ille qui plebibus præerat, primus*

Digitized by Google

mus ad Martyrii tormenta ducebatur : & ſic nihil aliud erat quod in Epiſcopatu appeti poſſet, niſi bonum opus: unde Auguſtinus dicit 19. de Civ. Dei: quod *Apoſtolus dicens, qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat, exponere voluit quid ſit Epiſcopatus; quia nomen operis eſt, non honoris: græcum eſt enim, epi quippe ſuper, ſcopus vero intentio eſt: ergo Epiſcopus græce ſi velimus, latine ſuperintendere, poſſumus dicere, ut intelligat non ſe eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe*; ut enim parum ante præmittit: *in actione non amandus eſt honor in hac vita, ſive potentia, quoniam omnia vana ſunt ſub Sole; ſed opus ipſum, quod per eundem honorem vel potentiam fit* : & tamen, ut Gregorius dicit in Paſtorali part. 1. capit. 8. *Apoſtolus laudans deſiderium* (ſcilicet boni operis) *in pavorem vertit protinus quod laudavit*; cum ſubjungit: *oportet autem Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe*; quaſi dicat: *laudo quod quæritis, ſed prius diſcite quid quæratis?* 2. 2. *q.*185. *art.* 1. *ad* 1.

QUÆR. 5. *Utrum quiſquis Prælationem appetit, ſit injuſtus, aut ſuperbus: & cur liceat Cathedram Magiſtralem appetere potius quam Epiſcopalem.*

Reſpondetur ſupra *v. Cathedra Magiſtralis*; & infra *v. Prælatus.*

QUÆR. 6. *An ſit laudabile quod aliquis cupiat ad Epiſcopatum promoveri, ſicut quod deſideret ad Religionis ſtatum tranſire.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod non eſt eadem ratio de ſtatu Religionis, & de ſtatu Epiſcopali propter duo.

Primo quidem, quia ad ſtatum Epiſcopalem præexigitur vitæ perfectio; ut patet per hoc quod Dominus a Petro quæſivit, ſi plus eum cæteris diligeret, antequam ei committeret paſtorale officium: ſed ad ſtatum Religionis non præexigitur perfectio, ſed eſt via in perfectionem; unde & Dominus Matthæi 19. non dixit: *Si es perfectus, vade, & vende omnia quæ habes* : ſed, *ſi vis perfectus eſſe.* Et hujus differentiæ ratio eſt, quia ſecundum Dionyſium perfectio pertinet active ad Epiſcopum, ſicut ad perfectorem; ad Monachum autem paſſive, ſicut ad perfectum: requiritur autem, quod ſit perfectus aliquis ad hoc, quod poſſit alios ad perfectionem adducere, quod non præexigitur ab eo, qui debet ad perfectionem adduci: eſt autem præſumptuoſum, quod aliquis perfectum ſe reputet, non autem quod ad perfectionem tendat.

Secundo quia ille, qui ſtatum Religionis aſſumit, ſe aliis ſubjicit ad ſpiritualia capienda, & hoc cuilibet licet; unde Auguſtinus 19. de Civit. Dei, dicit: *A ſtudio cognoſcendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile ortum pertinet* : ſed ille, qui tranſit ad ſtatum Epiſcopalem, ſublimatur ad hoc, quod aliis provideat; & hanc ſublimationem nullus debet ſibi aſſumere, ſecundum illud ad Hebræos 5. *Neque quiſquam ſumat ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo*: & Chryſoſtomus dicit ſuper Matth. *Primatum Eccleſiæ concupiſcere, neque juſtum eſt, neque utile; quis enim ſapiens vult ultro ſe ſubjicere ſervituti, & periculo tali, ut det rationem pro omni Eccleſia, niſi forte qui non timet Dei judicium, abutens primatu Eccleſiaſtico ſæculariter, ut ſcilicet convertat ipſum in ſæcularem.* 2. 2. *q.* 184. *art.* 1. *ad* 1.

QUÆR. 7. *An liceat ex amore vitæ contemplativæ recuſare omnino Prælationis, & Prædicationis officium.*

Reſp. *v. Prædicator.*

QUÆR. 8. *An poſſit aliquis Epiſcopatum injunctum omnino recuſare; vel quandoque teneatur ipſum acceptare, juxta illud D. Auguſtini ad Eudoxium: Si quam operam veſtram mater Eccleſia deſideravit, nec elatione avida ſuſcipiatis, nec blandiente deſidia reſpuatis; poſtea ſubdit: neque otium veſtrum neceſſitatibus Eccleſiæ præponatis; cui parturienti ſi nulli boni miniſtrare vellent, quomodo naſceremini non inveniretis.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod in aſſumptione Epiſcopatus duo ſunt conſideranda: primo quidem quid deceat hominem appetere ſecundum propriam voluntatem: ſecundo quid hominem deceat facere ad voluntatem alterius. Quantum ergo ad propriam voluntatem convenit homini principaliter inſiſtere propriæ ſaluti; ſed quod aliorum ſaluti intendat, hoc convenit homini ex diſpoſitione alterius poteſtatem habentis: unde ſicut ad inordinationem voluntatis pertinet, quod aliquis proprio motu feratur in hoc, quod aliorum gubernationi præficiatur; ita etiam ad inordinationem voluntatis pertinet, quod aliquis omnino contra Superioris injunctionem, prædictum gubernationis officium finaliter recuſet, propter duo.

Primo quidem, quia hoc repugnat Charitati proximorum, quorum utilitati ſe aliquis debet exponere pro loco, & tempore: unde Auguſtinus 19. de Civ. Dei dicit, quod *negotium juſtum ſuſcipit neceſſitas Charitatis.* Secundo, quia hoc repugnat humilitati, per quam aliquis Superiorum mandatis ſe ſubjicit; unde Gregorius dicit in Paſtorali: *Tunc ante Dei oculos vera eſt humilitas, cum ad reſpuendum hoc, quod utiliter ſubire præcipitur, pertinax non eſt.* 2. 2. *q.* 185. *art.* 2. *in corp.*

QUÆR.

QUÆR. 9. An teneatur aliquis removere impedimenta, ut ſuſcipiat Epiſcopatum, vel obedire, licet removeri non poſſunt: & utrum ſi non ſentiat ſe eſſe purgatum, poſſit omnino ipſum recuſare; cum dicat D. Gregorius in Paſtorali: Valde difficile eſt, ut aliquis purgatum ſe poſſit cognoſcere; nec debet aliquis non purgatus ſacra miniſteria adire.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod nullus tenetur obedire Prælato ad aliquod illicitum: poteſt ergo contingere, quod ille, cui injungitur Prælationis officium, in ſe aliquid ſentiat, propter quod non licet ei Prælationem accipere.

Hoc autem impedimentum quandoque quidem removeri poteſt per ipſummet, cui Paſtoralis cura injungitur, puta ſi habeat peccandi propoſitum, quod poteſt deſerere; & propter hoc non excuſatur, qui finaliter teneatur obedire Prælato injungenti.

Quandoque vero impedimentum, ex quo fit ei illicitum Paſtorale officium, non poteſt ipſe removere, ſed Prælatus qui injungit, puta ſi ſit irregularis, vel excommunicatus, & tunc debet defectum ſuum Prælato injungenti oſtendere: quod ſi impedimentum removere voluerit, tenetur humiliter obedire; unde Exodi 4. cum Moyſes dixiſſet: *Obſecro Domine non ſum eloquens ab heri, & nudius tertius*; Dominus reſpondit ad eum: *Ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris.*

Quandoque vero non poteſt removeri impedimentum, nec per injungentem, nec per eum, cui injungitur: ſicut ſi Archiepiſcopus non poſſit ſuper irregularitate diſpenſare; unde ſubditus non tenetur ei obedire ad ſuſcipiendum Epiſcopatum, vel etiam ſacros Ordines ſi ſit irregularis. 2. 2. *qu.* 185. *artic.* 2. *ad ſecundum.*

QUÆR. 10. An poſſit aliquis impedimentum opponere, ne fiat Epiſcopus; exemplo Beati Marci, de quo D. Hieronymus dicit in Prologo ſuper Marcum, quod amputaſſe ſibi poſt fidem pollicem dicitur, ut Sacerdotii reprobus haberetur; & utrum poſſit facere votum de non acceptando Epiſcopatu.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod accipere Epiſcopatum non eſt de ſe neceſſarium ad ſalutem, ſed fit neceſſarium ex Superioris præcepto: ad hæc autem, quæ ſic ſunt neceſſaria ad ſalutem, poteſt aliquis impedimentum licite apponere antequam fiat præceptum: alioquin non liceret alicui tranſire ad ſecundas nuptias, ne per hoc impediretur a ſuſceptione Epiſcopatus, vel ſacri Ordinis; non autem hoc liceret in his, quæ per ſe ſunt de neceſſitate ſalutis: unde B. Marcus non contra præceptum egit ſibi digitum amputando, quamvis eum credibile ſit hoc ex inſtinctu Spiritus Sancti feciſſe, ſine quo non licet alicui ſibi manum injicere.

Qui autem votum emittit de non ſuſcipiendo Epiſcopatum, ſi per hoc intendat ſe obligare ad hoc, quod nec per obedientiam Superioris Prælati accipiat, illicite vovet; ſi autem intendit ad hoc ſe obligare, ut quantum eſt de ſe Epiſcopatum non quærat, nec ſuſcipiat, niſi imminente neceſſitate, licitum eſt votum: quia vovet ſe facturum id, quod hominem facere decet. 2. 2. *quæſt.* 185. *art.* 2. *ad* 3.

QUÆR. 11. An Papa poſſit præcipere alicui, ut Epiſcopatum accipiat.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod quidam dicunt, quod Papa non poteſt præcipere alicui, quod accipiat Epiſcopatum, quia conſenſus debet eſſe liber, ſed hoc poſito periret Eccleſiaſticus ordo: niſi enim aliquis poſſet cogi ad ſuſcipiendum regimen Eccleſiæ, conſervari non poſſet, cum quandoque illi qui ſunt idonei, hoc nollent ſuſcipere, niſi coacti. 4. *ſent. d.* 19. *art.* 4. *ad* 4.

QUÆR. 12. Utrum ille, qui ad Epiſcopatum eligit, teneatur meliorem eligere, & utrum ille qui eligitur, debeat ſe meliorem aliis æſtimare.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod circa aſſumptionem alicujus ad Epiſcopatum aliquid conſiderandum eſt ex parte ejus, qui aſſumit, & aliquid ex parte ejus, qui aſſumitur: ex parte enim ejus, qui aſſumit vel eligendo, vel providendo, requiritur quod talem eligat, qui fideliter Divina myſteria diſpenſet: quæ quidem diſpenſari debent ad utilitatem Eccleſiæ, ſecundum illud 1. Corint. 14. *Ad ædificationem Eccleſiæ, quærite ut abundetis*; non autem Divina myſteria hominibus committuntur propter eorum remunerationem, quam expectare debent in futuro.

Et ideo ille, qui debet aliquem eligere in Epiſcopum, vel de eo providere, non tenetur aſſumere meliorem ſimpliciter, quod eſt ſecundum Charitatem, ſed meliorem quoad regimen Eccleſiæ, qui ſcilicet poſſit Eccleſiam & inſtruere, & defendere, & pacifice gubernare: unde contra quoſdam Hieronymus, dicit, quod *quidam non quærunt in Eccleſia columnas erigere, quos plus cognoſcunt Eccleſiæ prodeſſe, ſed quos plus ipſi amant, vel quorum ſunt obſequiis deliniti, vel dediti, vel pro quibus majorum quiſpiam rogaverit; & ut deteriora taceam, qui ut Clerici fierent, muneribus impetrarunt*; hoc autem pertinet ad acceptionem perſonarum, quæ in talibus eſt grave peccatum: unde ſuper illud Jacobi 2. *Fratres mei nolite in perſona-*

Digitized by Google

rum acceptionem &c. dicit Gloſſa Auguſtini: *Si hanc diſtantiam ſedendi, vel ſtandi ad honores Eccleſiaſticos referamus: non eſt putandum leve eſſe peccatum in perſonarum acceptione habere fidem Domini gloriæ: quis enim ferat eligi Divitem ad ſedem honoris Eccleſiæ contempto paupere inſtructiore, & ſanctiore.*

Ex parte autem ejus, qui aſſumitur, non requiritur, quod reputet ſe aliis meliorem; hoc enim eſſet ſuperbum, & præſumptuoſum; ſed ſufficit, quod nihil in ſe inveniat, per quod illicitum ei reddatur aſſumere Prælationis officium. Unde licet Petrus interrogatus eſſet, an Dominum plus cæteris diligeret, in ſua reſponſione non ſe prætulit cæteris, ſed ſimpliciter reſpondit, quod Chriſtum amaret. 2. 2. *q.* 185. *art.* 3. *in corp.*

QUÆR. 13. *An ſit omnium ſententia, quod neceſſe ſit ad Prælationem eligere meliorem? & utrum melius faciat, qui electioni ſuæ conſentit, quam qui reſiſtit.*

Reſpond. ſupra *v. Electio.*

QUÆR. 14. *Cur Dominus Petro commiſſurus officium Paſtorale quæſivit ab ipſo an ſe præ cæteris diligeret.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Dominus in Petro ſciebat ex ſuo munere eſſe idoneitatem, etiam quantum ad alia, gubernandi Eccleſiam. Et ideo eum de ampliori dilectione examinavit, ad oſtendendum, quod ubi alias invenitur homo idoneus ad Eccleſiæ regimen, præcipue attendi debet in ipſo eminentia divinæ dilectionis. 2. 2. *quæſt.* 183. *artic.* 3. *ad* 1.

QUÆR. 15. *Quomodo intelligi debeat illa ſententia Symmachi Papæ cauſa 1. q. Viliſſimus computandus eſt, niſi ſcientia, & ſanctitate præcellat, qui eſt dignitate præſtantior.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod authoritas illa eſt intelligenda quantum ad ſtudium illius, qui in dignitate conſtitutus eſt: debet enim ad hoc intendere; ut talem ſe exhibeat, ut cæteros ſcientia & ſanctitate præcellat; unde Gregorius dicit in Paſtorali: *Tantum debet actionem populi actio tranſcendere Præſulis, quantum diſtare ſolet a grege vita Paſtoris.* Non autem ei imputandum eſt, ſi ante Prælationem excellentior non fuit, ut ex hoc debeat viliſſimus reputari. 2. 2. *q.* 185. *art.* 3. *ad* 2.

QUÆR. 16. *An carentes uſu rationis poſſint aſſumi ad Epiſcopatum.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ad Epiſcopatum, ubi in corpus myſticum accipitur poteſtas, requiritur actus ſuſcipientis curam Paſtoralem: ideo eſt etiam de neceſſitate conſecrationis Epiſcopalis, quod uſum rationis habeat. 4. *ſent. d.* 25. *q.* 2. *art.* 1. *q.* 1. *in corp.*

QUÆR. 17. *Utrum ille, qui non eſt Sacerdos, poſſit conſecrari in Epiſcopum.*

Reſp. D. Thomas, Epiſcopalis poteſtas dependet a Sacerdotali, quia nullus poteſt recipere Epiſcopalem poteſtatem, niſi prius habeat Sacerdotalem. 4. *ſent. d.* 24. *qu.* 3. *art.* 2. *qu.* 2. *in argum. Sed contra.*

QUÆR. 18. *Cujus ætatis eſſe debeat ille, qui conſecrari debet Epiſcopus.*

Reſp. D. Thomas, Epiſcopus debet conſecrari in trigeſimo anno. 4. *ſent. diſt.* 25. *in expoſit. litteræ.*

QUÆR. 19. *Quo die ſit conſecrandus Epiſcopus.*

Reſp. D. Thomas, Epiſcopi in die Dominico conſecrandi ſunt. 4. *ſent. d.* 25. *in expoſit. litteræ.*

QUÆR. 20. *Utrum ille, qui in Sabbatho factus eſt Sacerdos, poſsit in ſequenti die Dominica Epiſcopus conſecrari.*

Reſp. D. Thomas, poteſt in Dominica conſecrari in Epiſcopum, qui præcedenti die factus eſt Sacerdos. *In expoſitione ejuſdem textus.*

QUÆR. 21. *An quilibet Epiſcopus poſſit alium conſecrare.*

Reſp. Div. Thomas, quantum ad ea, quæ ſunt Epiſcopalis Ordinis, omnes Epiſcopi ſunt æquales; & propter hoc quilibet alium poteſt conſecrare. 4. *ſent. diſt.* 24. *q.* 3. *artic.* 2. *quæſtiunc.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 22. *Utrum Epiſcopatus ſit Ordo diſtinctus ab ordine Sacerdotali.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ordo poteſt accipi dupliciter: uno modo ſecundum quod eſt Sacramentum, & ſic ordinatur omnis ordo ad Euchariſtiæ Sacramentum: unde cum Epiſcopus non habeat poteſtatem ſuperiorem Sacerdote, quantum ad hoc non erit Epiſcopatus *Ordo*: alio modo poteſt conſiderari ordo ſecundum quod eſt officium quoddam reſpectu quarundam actionum ſacrarum: & ſic cum Epiſcopus habeat poteſtatem in actionibus Hierarchicis reſpectu corporis myſtici ſupra Sacerdotem, Epiſcopatus erit Ordo. 4. *ſentent. d.* 24. *q.* 3. *art.* 2. *quæſtiunc.* 2. 4. *contra gent. c.* 76.

QUÆR. 23. *Utrum ſpiritualis poteſtas, quam Epiſcopus recipit in ſua Conſecratione ſit Sacramentum.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ordo ſecundum quod eſt Sacramentum imprimens characterem, ordinatur ſpiritualiter ad Sacramentum Euchariſtiæ, in quo ipſe Chriſtus continetur; quia per characterem ipſi Chriſto configuramur: Et ideo licet detur ali-

aliqua poteſtas Epiſcopo in ſui promotione reſpectu aliquorum Sacramentorum, non tamen illa poteſtas habet rationem characteris: & propter hoc Epiſcopatus non eſt ordo ſecundum quod ordo eſt quoddam Sacramentum. *Ibid. ad* 2.

QUÆR. 24. *Quænam gratia conferatur in Epiſcopi conſecratione.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod gratia quæ ibi confertur, non eſt gratia gratum faciens, quæ ex hoc ineſſe incipiat, niſi forte ratione devotionis ſuſcipientis, quæ debet ineſſe: poteſtas vero Epiſcopalis non eſt gratia ſacrans ſubjectum proprium, ſed eſt gratia gratis data. Vel poteſt dici, quod conſecratio Epiſcopalis, quamvis non ſit Sacramentum, eſt tamen quid Sacramentale: ordinatur enim ad Sacramentum Ordinis conferendum; & ſic nihil prohibet, quod gratia in ea detur. *in* 4. *ad Hannib. diſt.* 1. *q.* 1. *artic.* 1. *ad* 5.

QUÆR. 25. *Utrum Epiſcopo liceat aliquid proprium poſſidere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ad ea, quæ ſunt ſupererogationis, nullus tenetur, niſi ſe ſpecialiter ad illud voto aſtringat: unde Auguſtinus dicit in Epiſtola ad Paulinam, & Armentarium. *Quia jam voviſti, jam te obſtrinxiſti, aliud tibi facere non licet, priuſquam eſſes voti reus, liberum fuit quod eſſes inferior;* manifeſtum eſt autem, quod vivere abſque proprio, ſupererogationis eſt; non enim cadit ſub præcepto, ſed ſub conſilio: unde Matthæi 15. cum dixiſſet Dominus adoleſcenti: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata;* poſtea ſuperaddendo ſubdidit: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus;* non autem Epiſcopi in ſua ordinatione ad hoc ſe obligarunt, ut abſque proprio vivant, neque etiam vivere abſque proprio ex neceſſitate requiritur ad paſtorale officium, ad quod ſe obligant; & ideo non tenentur Epiſcopi ad hoc, quod ſine proprio vivant. 2. 2. *qu.* 185. *art.* 6. *in corp.*

QUÆR. 26. *An Epiſcopi peccent, ſi bona Eccleſiaſtica, quæ procurant, pauperibus non largiantur: quorumnam bonorum ſint Domini, vel tantum diſpenſatores; & quandonam ad reſtitutionem teneantur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aliter eſt dicendum de propriis bonis, quæ Epiſcopi poſſidere poſſunt, & de bonis Eccleſiaſticis; nam proprium bonorum dominium habent: unde ex ipſa rerum conditione non obligantur, ut ea aliis conferant; ſed poſſunt ea vel ſibi retinere, vel etiam aliis pro libito elargiri. Poſſunt tamen in eorum diſpenſatione peccare propter inordinationem affectus; per quam contingit vel quod ſibi plura conferant quam oporteat, vel aliis etiam non ſubveniant ſecundum quod requirit debitum Charitatis: non tamen tenentur ad reſtitutionem, quia hujuſmodi res ſunt eorum dominio deputatæ.

Sed Eccleſiaſticorum bonorum ſunt diſpenſatores, vel procuratores: dicit enim Auguſt. ad Bonifacium, *ſi privatum poſſidemus, quod nobis ſufficiat, non illa bona noſtra ſunt, ſed illorum, quorum procurationem gerimus, non proprietatem nobis uſurpatione damnabili vendicemus*: ad diſpenſatorem autem requiritur bona fides, ſecundum illud primæ ad Corinthios 4. *Hic jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur*: ſunt autem bona Eccleſiaſtica non ſolum in uſus pauperum, ſed etiam ad cultum Divinum, & neceſſitatem miniſtrorum expendenda: unde dicitur 12. qu. 2. *De redditibus Eccleſiæ, vel oblatione fidelium: ſola Epiſcopo ex his una portio mittitur, duæ Eccleſiaſticis fabricis, & erogationi pauperum profuturæ a Presbytero ſub periculo ſui ordinis miniſtrentur, ultima Clericis pro ſingulorum meritis dividatur*: ſi ergo diſtincta ſint bona, quæ debet in uſum Epiſcopi cedere, ab his, quæ ſunt pauperibus, & miniſtris, & cultui Eccleſiæ eroganda, & aliquid ſibi retinuerit Epiſcopus de his, quæ ſunt pauperibus eroganda, vel etiam in uſum miniſtrorum, aut in cultum Divinum expendenda, non eſt dubium, quod contra fidem diſpenſationis agit, & mortaliter peccat, & ad reſtitutionem tenetur.

De his autem, quæ ſunt ſpecialiter ſuo uſui deputata videtur eſſe eadem ratio quæ eſt de propriis bonis, ut ſcilicet propter immoderatum affectum, & uſum peccet quidem ſi immoderata ſibi retineat, & aliis non ſubveniant, ſicut requirit debitum Charitatis: ſi vero non ſunt prædicta bona diſtincta, eorum diſtributio fidei ejus committitur: & ſi quidem in modico deficiat vel ſuperabundet, poteſt hoc fieri abſque bonæ fidei detrimento, quia non poteſt homo in talibus punctualiter accipere illud, quod fieri oportet: ſi vero ſit multus exceſſus, non poteſt latere; unde videtur bonæ fidei repugnare: & ideo non eſt abſque peccato mortali: dicitur enim Matthæi 24. quod *ſi dixerit malus ſervus in corde ſuo, moram facit Dominus meus venire*, quod pertinet ad Divini judicii, contemptum, *& cœperit percutere conſervos*, quod pertinet ad ſuperbiam, *manducet autem, & bibat cum ebrioſis*, quod pertinet ad luxuriam, *veniet Dominus ſervi illius die, qua non ſperat & dividet eum*, ſcilices

Digitized by Google

cet a ſocietate bonorum, & *partem ejus ponet cum hypocritis*, ſcilicet in Inferno. 2. 2. *qu.* 185. *art.* 7. *in corp.*

QUÆR. 27. *Quomodo teneantur Epiſcopi beneficia Eccleſiaſtica dare, & bona diſpenſare.*

Reſpond. ſupra *v. Beneficium Eccleſiaſticum*, *qu.* 1. & *tribus ſequentibus*, & *v. Clericus q.* 6. *uſque ad finem.*

QUÆR. 28. *An Religioſus factus Epiſcopus teneatur ad obſervantias ſuæ Religionis, ut ad ſervandam continentiam, & paupertatem, deferendum habitum, & alia hujuſmodi, juxta illud quod habetur in decretis cauſa* 16. *quæſt.* 1. *de Monachis, qui diu morantes in Monaſteriis, poſtea ad clericatus ordinem pervenerint, ſtatuimus non debere eos a priori propoſito diſcedere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſtatus Religionis ad perfectionem pertinet, quaſi quædam via in perfectionem tendendi: ſtatus autem Epiſcopalis ad perfectionem pertinet tanquam quoddam perfectionis magiſterium: unde ſtatus Religionis comparatur ad ſtatum Epiſcopalem, ſicut diſciplina ad magiſterium, & diſpoſitio ad perfectionem: diſpoſitio autem non tollitur perfectione adveniente, niſi forte quantum ad id in quo perfectioni repugnat; quantum autem ad id quod perfectioni congruit, magis confirmatur; ſicut diſcipulo, cum ad magiſterium pervenerit, non congruit quod ſit auditor, congruit tamen ſibi, quod legat, & meditetur etiam magis quam ante.

Sic ergo dicendum eſt, quod ſi quæ ſunt in regularibus obſervantiis, quæ non impediant Pontificale officium, ſed magis valeant ad perfectionis cuſtodiam, ſicut eſt continentia, paupertas, & alia hujuſmodi: ad hæc remanet Religioſus etiam factus Epiſcopus obligatus, & per conſequens ad portandum habitum ſuæ Religionis, qui eſt hujus obligationis ſignum: ſi vero ſunt in obſervantiis regularibus, quæ officio Pontificali repugnant; ſicut eſt ſolitudo, ſilentium, & aliquæ abſtinentiæ, vel vigiliæ graves, ex quibus impotens corpore redderetur ad exequendum Pontificale officium, ad hujuſmodi obſervanda non tenetur. In aliis tamen poteſt diſpenſatione uti ſecundum quod requirit neceſſitas perſonæ, vel officii, vel conditio hominum, cum quibus vivit; per modum quo etiam Prælati Religionum in talibus ſecum diſpenſant. 2. 2. *qu.* 185. *art.* 8. *in corp. qu.* 88. *art.* 11. *ad* 4.

QUÆR. 29. *An Religioſus factus Epiſcopus teneatur obedire Prælatis ſuæ Religionis: & an poſſit habere proprium, & condere teſtamentum, juxta illud decreti cauſa* 18. *qu.* 1. *quem ſacra ordinatio de Monacho Epiſcopum facit, velut legitimus hæres paternam ſibi hæreditatem jure vendicandi poteſtatem habeat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod hoc eſt per accidens, quod Epiſcopi Religioſi obedire Prælatis ſuarum Religionum non teneantur, quia ſcilicet ſubditi eſſe deſierunt, ſicut & ipſi Prælati Religionum: manet tamen adhuc obligatio voti virtualiter, ita ſcilicet quod ſi eis legitime aliquis præficeretur, obedire tenerentur, inquantum obedire tenentur ſtatutis regulæ per modum prædictum, & ſuis Superioribus, ſi quos habent.

Proprium autem nullo modo habere poſſunt: non enim paternam hæreditatem vendicant quaſi propriam, ſed quaſi Eccleſiæ debitam; unde in eodem Decreto dicitur: *poſtquam Epiſcopus ordinatur ad Altare, ad quod ſanctificatur, & intitulatur, ſecundum ſacros canones quod acquirere potuit, reſtituat.* Teſtamentum autem nullo modo facere poteſt, quia ſola ei diſpenſatio committitur rerum Eccleſiaſticarum, quæ finitur morte, ex qua incipit Teſtamentum valere, ut Apoſtolus dicit ad Hebr. 9. Si tamen ex ceſſione Papæ Teſtamentum faciat, non intelligitur ex proprio facere Teſtamentum, ſed Apoſtolica authoritate intelligitur eſſe ampliata poteſtas ſuæ diſpenſationis, ut ejus diſpenſatio poſſit valere poſt mortem. 2. 2. *q.* 185. *art.* 8. *ad* 3.

QUÆR. 30. *An ſtatus Epiſcopalis aliquod præjudicium afferat voto paupertatis, aut obedientiæ religioſæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod cum illis, qui aſſumuntur a ſtatu Religionis in ſtatum Prælationis, non diſpenſatur in principalibus votis Religionis; quia illa quæ poſſidere videntur, non ſuo nomine, ſed Eccleſiæ poſſident: unde nihil per hoc præjudicatur voto paupertatis. Similiter nec voto obedientiæ; quia obedientia reſpicit ſtatum Prælationis in altero, qui obedire tenetur: & ideo quod ille qui ſub Prælato eſſe deſiſtit, non teneatur alicui obedire, non eſt ex hoc quod obligatio voti deficiat ex parte voventis, ſed quia ſubtrahitur Prælatio ex parte altera, cui obedire tenebatur: Unde Monachus qui Abbati obedientiam promittit, ſi ipſe fiat Abbas, non tenetur obedire alteri Abbati, quia jam non habet Abbatem. 4. *ſent. d.* 38. *qu.* 1. *art.* 4. *qu.* 1. *ad* 5.

QUÆR. 31. *An ſi aliquis poſt votum ſimplex Religionis factus ſit Epiſcopus, teneatur renunciare Epiſcopatui, & Religionem ingredi: & quomodo intelligatur id quod dicitur*

tur

Digitized by Google

tur in decret. 17. *q.* 2. *Bonſaldus Presbyter quondam infirmitate a fervore paſſionis preſſus Monachum ſe fieri promiſit; non tamen Monaſterio aut Abbati ſe tradidit, nec promiſſionem ſcripſit; ſed beneficium Eccleſiæ in manu Advocati reſutavit; ac poſtquam convaluit, Monachum ſe negavit fieri: & poſtea ſubditur: Judicamus, & authoritate Apoſtolica præcipimus, ut præfatus Presbyter beneficium, & Altaria recipiat, & quiete retineat.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ille Presbyter non fecerat votum ſolemne, ſed ſimplex: unde non erat Monachus effectus, ut non deberet de jure in Monaſterio remanere, & Eccleſiam dimittere. Tamen in foro conſcientiæ eſſet ſibi conſulendum, quod omnibus dimiſſis Religionem intraret: unde extra de voto, & voti redemptione cap. *per tuas*, Conſulitur Epiſcopo Gratianopolitano, qui poſt votum Religionis Epiſcopatum aſſumpſerat, voto non impleto, *ut ſi ſuam ſanare deſideraret conſcientiam, regimen Eccleſiæ reſignaret, & redderet Altiſſimo vota ſua.* 1. 2. *quæſt.* 189. *art.* 4. *ad* 1.

QUÆR. 32. *An liceat Epiſcopis gregem ſuum deſerere propter aliquam perſecutionem, juxta illud Chriſti Domini Matth.* 10. *Si vos perſecuti fuerint in civitate iſta, fugite in aliam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in qualibet obligatione præcipue attendi debet obligationis finis; obligant autem ſe Epiſcopi ad exequendum Paſtorale officium propter ſubditorum ſalutem: & ideo ubi ſubditorum ſalus exigit perſonæ Paſtoris præſentiam, non debet Paſtor perſonaliter ſuum gregem deſerere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod perſonale periculum imminens; cum bonus Paſtor animam ſuam ponere teneatur pro ovibus ſuis: ſi vero ſubditorum ſaluti poſſit ſufficienter in abſentia Paſtoris per alium provideri, tunc licet Paſtori, vel propter aliquod commodum Eccleſiæ, vel propter perſonæ periculum, corporaliter gregem deſerere: unde Auguſtinus dicit in Epiſtola ad Honoratum: *Fugiant de Civitate in Civitatem ſervi Chriſti, quando eorum quiſpiam ſpecialiter a perſecutoribus quæritur, ut ab aliis, qui non ita requiruntur, non deſeratur Eccleſia: cum autem omnium eſt commune periculum, hi, qui aliis indigent, non deſerantur ab his, quibus indigent: ſi enim pernicioſum eſt nautam in tranquillitate Navem deſerere, quanto magis in fluctibus*, ut dicit Nicolaus Papa, & habetur 7. *qu.* 1. 2. 2. *qu.* 185. *art.* 5. *in corpore. Opuſculo* 18. *cap.* 19. & 20.

QUÆR. 33. *Quomodo intelligatur illud Chriſti Domini Joann.* 10. *Ille eſt mercenarius, & non vere Paſtor, qui videt lupum venientem, & dimittit oves & fugit: & D. Gregor. in homilia, ait: Lupus ſuper oves venit, cum quilibet injuſtus & raptor fideles quoſque, atque humiles opprimit.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ille tanquam mercenarius fugit, qui commodum temporale vel etiam ſalutem corporalem ſpirituali ſaluti proximorum præponit: unde Gregor. dicit in homil. 14. ſuper Evang. *Stare in periculo ovium non poteſt, qui in eo quod ovibus præeſt, non oves diligit, ſed lucrum terrenum quærit: & ideo opponere ſe contra periculum trepidat, ne hoc quod diligit, amittat.* Ille autem qui ad evitandum periculum recedit abſque detrimento gregis, non tanquam mercenarius fugit. 2. 2. *quæſt.* 185. *artic.* 5. *ad* 1.

QUÆR. 34. *Quomodo intelligi debeat id quod Proverb.* 6. *dicitur: Fili, ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam. Et poſtea ſubdit: diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum. Quod exponens Gregorius in Paſtor. dicit: ſpondere pro amico eſt animam alienam in periculo ſuæ converſationis accipere: Quiſquis autem ad vivendum aliis in exemplum proponitur, non ſolum ut ipſe vigilet, ſed etiam ut amicum ſuum ſuſcitet, admonetur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ille qui ſpondet pro aliquo, ſi per ſe implere non poſſit, ſufficit ut per alium impleat. Unde Prælatus, ſi habet impedimentum, propter quod non poſſit perſonaliter curæ ſubditorum intendere, ſuæ ſponſioni ſatisfacit, ſi per alium provideat. *Ibidem ad* 2.

QUÆR. 35. *Utrum Epiſcopus, etiam dum cogitur fugere, debeat ſui gregis curam habere, illam ſaltem Deo commendans.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aliquando quæritur perſona Prælati tantum, aliquando cum Prælato totus populus. Quando ergo quæritur Prælatus ſolus, tunc deberet committere curam alteri, & abſentare ſe: & ſic fecit Paulus, ut habetur 2. ad Corinth. 11. & ideo dicit Gloſſa, quod licet fugere, tamen fuit illi cura de ovibus, bono Paſtori in cælo ſedenti eas commendando, & utilitati earum ſe per fugam præſervando. Quando vero quæritur totus grex, tunc debet præponere utilitatem, & ſalutem gregis ſaluti corporis ſui. 2. *ad Corinth.* 11. *lect.* 6.

QUÆR. 36. *Quibus de cauſis poſſit Epiſcopus deſerere curam Paſtoralem, & fieri Religioſus, & cujus authoritate.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod perfe-

ctio Epiſcopalis ſtatus in hoc conſiſtit, quod aliquis ex divina dilectione ſe obliget ad hoc, quod ſaluti proximorum inſiſtat: & ideo tamdiu obligatur ad hoc, quod curam Paſtoralem retineat, quamdiu poteſt ſubditis ſibi commiſſis proficere ad ſalutem: quam quidem negligere non debet, neque propter Divinæ contemplationis quietem (cum Apoſtolus propter neceſſitates ſubditorum etiam a contemplatione futuræ vitæ ſe differri patienter tolleraret, ſecundum illud ad Philippenſes 1. *Ecce quid eligam ignoro: coarctor autem e duobus deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, multo magis melius: permanere autem in carne neceſſarium eſt propter vos, & hoc confidens, ſcio quia manebo*) neque propter quæcunque adverſa vitanda, vel lucra conquirenda: quia ſicut dicitur Joan. 10. *Bonus Paſtor ponit animam ſuam pro ovibus ſuis*.

Contingit tamen quandoque, quod Epiſcopus impeditur procurare ſubditorum ſalutem multipliciter: quandoque quidem propter defectum proprium, vel conſcientiæ; ſicut ſi ſit homicida, vel ſimoniacus; vel etiam corporis, puta ſi ſit ſenex, vel infirmus; vel etiam ſcientiæ, quæ ſufficiat ad curam regiminis; vel etiam irregularitatis, puta ſi ſit bigamus: quandoque autem propter defectum ſubditorum, in quibus non poteſt proficere: unde Gregorius dicit in 2. Dialogorum: *Ibi æquanimiter portandi ſunt mali, ubi inveniuntur aliqui, qui adjuventur boni: ubi autem omnino fructus de bonis deeſt, ſit aliquando de malis labor ſupervacaneus: unde ſæpe agitur in animo perfectorum, quod cum laborem ſuum ſine fructu eſſe conſiderant, in loco alio ad laborem cum fructu migrant*.

Quandoque autem contingit ex parte aliorum, puta cum de Prælatione alicujus grave ſcandalum ſuſcitatur; nam ut Apoſtolus dicit 1. ad Corinth. 8. *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum;* dum tamen ſcandalum non oriatur ex malitia aliquorum volentium fidem aut juſtitiam Eccleſiæ conculcare: propter enim hujuſmodi ſcandalum non eſt cura Paſtoralis dimittenda, ſecundum illud Matthæi 15. *Sinite illos;* ſcilicet qui ſcandalizabantur de veritate doctrinæ Chriſti, *cæci ſunt, & duces cæcorum*.

Oportet tamen, quod ſicut curam regiminis aſſumit aliquis per providentiam Superioris Prælati, ita etiam per ejus authoritatem ex cauſis prædictis deſerat ſuſceptam: unde extra de renunciatione ad Epiſcopum quendam dicit Innocentius III. *Etſi pennas habeas, quibus ſatagas in ſolitudinem avolare, ita tamen aſtrictæ ſunt nexibus præceptorum; ut liberum non habeat abſque noſtra permiſſione volatum*. Soli enim Papæ licet diſpenſare in voto perpetuo, quo quis ſe ad curam ſubditorum aſtrinxit, Epiſcopatum ſuſcipiens. 2.2. *quæſt. artic.* 4. *in corp.* 189. *articul.* 7.

QUÆR. 7. *Cur facilius indulgetur, quod Monachus ad Præſulatum aſcendat, quam Præſul ad Monachatum deſcendat.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod perfectio Religioſorum, & Epiſcoporum ſecundum diverſa attenditur: quia ad perfectionem Religionis pertinet ſtudium, quod quis adhibet ad propriam ſalutem; ad perfectionem autem Epiſcopalis ſtatus pertinet adhibere ſtudium ad proximorum ſalutem: & ideo quandiu poteſt eſſe aliquis utilis proximorum ſaluti, retrocederet, ſi ad ſtatum Religionis vellet tranſire, ut ſolum ſuæ ſaluti inſiſteret, qui ſe obligavit ad hoc quod non ſolum ſuam ſalutem, ſed etiam aliorum procuraret: unde Innocentius III. extra de renunciatione dicit, quod *facilius indulgetur, ut Monachus ad præſulatum aſcendat, quam Præſul ad Monachatum deſcendat*. Sed ſi ſalutem aliorum procurare non poſſit, conveniens eſt ut ſuæ ſaluti intendat. 2. 2. *quæſt.* 185. *articul.* 4. *ad* 1.

QUÆR. 38. *An & quando Epiſcopus factus Religioſus poſſit iterum ad Epiſcopatum tranſire.*

Reſp. D Thomas, dicendum, quod propter nullum impedimentum debet homo prætermittere ſtudium ſuæ ſalutis, quod pertinet ad Religionis ſtatum: poteſt autem eſſe aliquod impedimentum procurandæ ſalutis alienæ: & ideo Monachus poteſt ad ſtatum Epiſcopatus aſſumi, in quo etiam ſuæ ſalutis curam agere poteſt: poteſt etiam Epiſcopus, ſi impedimentum alienæ ſalutis procurandæ interveniat, ad Religionem tranſire; & impedimento ceſſante poteſt iterato ad Epiſcopatum aſſumi; puta per correctionem ſubditorum, vel per ſedationem ſcandali, vel per curationem infirmitatis; aut depulſa ignorantia per inſtructionem ſufficientem; vel etiam ſi ſimoniace ſit promotus eo ignorante, ſi ſe ad regularem vitam Epiſcopatu dimiſſo tranſtulerit, poterit iterato ad alium Epiſcopatum promoveri.

Si vero aliquis propter culpam ſit ab Epiſcopatu depoſitus, & in Monaſterium detruſus ad pœnitentiam peragendam, non poteſt iterato ad Epiſcopatum revocari: unde dicitur 7. qu. 1. *præcipit Sancta Synodus, ut quicunque de Pontificali dignitate ad Monachorum vitam, & pœnitentiæ deſcenderit locum*, ne-

Digitized by Google

nequaquam ad Pontificatum reſurgat. 2. 2. *qu.* 185. *art.* 4. *ad* 2.

QUÆR. 39. *Quare Canones injungunt Epiſcoſcopis majorem pœnam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Epiſcopus, vel Sacerdos cum majori periculo ſuo, & aliorum peccat: & ideo ſollicitius retrahunt ipſum Canones a peccato, quam alios, majorem pœnam injungendo ſecundum quod eſt in remedium: quamvis quandoque non debeatur tanta ex debito: unde & in purgatorio non tota ab eo exigitur. 4. *ſent. diſt.* 20. *art.* 2. *quæſtiunc.* 1. *ad* 3.

QUÆR. 40. *Utrum Epiſcopus poſſit punire aliquem alterius Diœceſis, ſi in ſua Diœceſi peccet.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Epiſcopus, in cujus Diœceſi aliquis delinquit, efficitur ſuperior ejus ratione delicti, etiam ſi ſit exemptus; niſi forte delinquat in re aliqua exempta, puta in adminiſtratione bonorum alicujus Monaſterii exempti: ſed ſi aliquis exemptus committat furtum, vel homicidium, vel aliquid hujuſmodi, poteſt per ordinarium juſte condemnari. 2. 2. *qu.* 67. *art.* 1. *ad* 3.

QUÆR. 41. *Ad quid maxime teneantur Epiſcopi.*

Reſp. D. Thomas, ad hoc maxime tenentur Epiſcopi, quod omnia ſua pro honore Dei, & ſalute ſui gregis contemnant, cum opus fuerit; vel pauperibus ſui gregis largiendo, vel rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſtinendo. 2. 2. *qu.* 184. *art.* 7. *ad* 1.

QUÆR. 41. *Utrum Epiſcopalis Benedictio ſit unum ex Sacramentalibus, & quem effectum habeat.*

Reſp. *v. Sacramentale.*

QUÆR. 43. *Quid ſignificent veſtes, quas Epiſcopi habent, præter veſtes Sacerdotales.*

Reſp. D. Thomas, Epiſcopi addunt novem ornamenta ſupra Sacerdotes, quæ ſunt *Caligæ*, *Sandalia*, *Succinctorium*, *Tunica*, *Dalmatica*, *Mitra*, *Chirotecæ*, *Annulus*, *Baculus*, quia novem ſunt, quæ ſupra Sacerdotem poſſunt, ſcilicet Clericos ordinare; Virgines benedicere, Baſilicas dedicare, Clericos deponere, Synodos celebrare, Chriſma conficere, Veſtes, & Vaſa conſecrare.

Vel per caligas ſignificatur rectitudo greſſuum; per Sandalia, quæ pedes tegunt, contemptus terrenorum; per Succinctorium, quo ſtola ligatur cum Alba, amor honeſtatis; per Tunicam perſeverantia, quia Joſeph tunicam talem habuiſſe legitur quaſi deſcendentem uſque ad talos, per quos ſignificatur extremitas vitæ; per Dalmaticam largitas in operibus miſericordiæ; per Chirotecas cautela in opere; per Mitram ſcientia utriuſque teſtamenti, unde & duo cornua habet; per Baculum cura Paſtoralis, qua debet colligere vagos, quod ſignificat curvitas in capite baculi, & ſuſtentare infirmos, quod ſignificat ipſe ſtipes baculi, ſed pungere lentos, quod ſignificat ſtimulus in pede baculi; unde verſus:

Collige, ſuſtenta, ſtimula vaga, morbida, lenta.

Per annulum Sacramentum fidei, qua Eccleſia deſponſatur Chriſto: ipſi enim ſunt Eccleſiæ ſponſi loco Chriſti. 4. *ſent. d.* 24. *qu.* 3. *art. in corp.*

QUÆR. 44. *Quomodo Epiſcopi ſecundum majorem perfectionem Chriſtum repræſentent.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut omnium rerum naturalium perfectiones præexiſtunt exemplariter in Deo, ita Chriſtus fuit exemplare omnium officiorum Eccleſiaſticorum: unde unuſquiſque miniſter Eccleſiæ quantum ad aliquid gerit typum Chriſti: Et tamen ille eſt ſuperior, qui ſecundum majorem perfectionem Chriſtum repræſentat: Sacerdos autem repræſentat Chriſtum in hoc quod per ſeipſum aliquod miniſterium implevit: ſed Epiſcopus in hoc quod alios miniſtros inſtituit, & Eccleſiam fundavit; unde ad Epiſcopum pertinet mancipare aliquid divinis obſequiis, quaſi cultum divinum ad ſimilitudinem Chriſti ſtatuens: & propter hoc etiam Epiſcopus ſpecialiter *ſponſus Eccleſiæ* dicitur ſicut Chriſtus. 4. *d.* 24. *qu.* 3. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 3.

Plura Epiſcopos concernentia videantur v. Abbas, Benedictio, Conſecratio, Docere, Prælatus, Sacramentum, Vita activa, & contemplativa, Zelus ſalutis animarum.

ERROR.

QUÆR. 1. *Utrum error ſit peccatum.*

RESP. D. Thomas, dicendum, quod error eſt approbare falſa pro veris: unde addit actum quendam ſuper ignorantiam; poteſt enim eſſe ignorantia ſine hoc, quod aliquis de ignotis ſententiam ferat, & tunc ignorans eſt, & non errans: ſed quando jam falſam ſententiam fert de his, quæ neſcit, tunc proprie dicitur errare: & quia peccatum in actu conſiſtit, error manifeſte habet rationem peccati; non enim eſt abſque præſumptione, quod aliquis de ignotis ſententiam ferat, & maxime in quibus periculum exiſtit. *qu.* 3. *de malo art.* 7. *in corp.*

QUÆR. 2. *An error excuſet a peccato.*

Reſp. D. Thomas, error non excuſat a pecca-

Digitized by Google

peccato, niſi ſit illius circunſtantiæ; cujus appoſitio, vel remotio facit differentiam liciti, & illiciti in actu: ſi enim aliquis percutiat patrem baculo ferreo, quem credit ligneum eſſe, non excuſatur a toto, quamvis forte a tanto: ſed ſi credat quis percutere filium cauſa diſciplinæ, & percutiat patrem, excuſatur a toto, diligentia debita adhibita. *4. ſent. d. 30. qu. 1. art. 2. in corp.*

EVANGELIUM.

Quæritur, An verba Evangelii ſcripta virtutem ſalutiferam habeant: & utrum in hoc caveri debeat ſuperſtitio.

RESp. D. Thomas, verba Evangelii ſcripta virtutem ſalutiferam habent: ſicut Beatus Barnabas infirmos curabat Evangelium ſuperponendo. Cavendæ ſunt tamen ſuperſtitiones characterum, quia hoc eſt ſuperſtitioſum. Unde Ezech. 9. *Illi ſalvati ſunt, in quorum frontibus eſt ſcriptum Thau*, quod eſt ſignum Crucis. *ad Rom. 1. lect. 6. 1. ad Corinth. 10. lect. 7.*

EUBULIA.

QUÆR. 1. Utrum Eubulia, quæ ut Philoſ. dicit 6. Ethicor. eſt rectitudo conſilii, ſit virtus?

RESp. D. Thomas, dicendum, quod de ratione virtutis humanæ eſt quod faciat actum hominis bonum: inter cæteros autem actus hominis proprium eſt ei conſiliari; quia hoc importat quandam rationis inquiſitionem circa agenda, in quibus conſiſtit vita humana: nam vita ſpeculativa eſt ſupra hominem, ut dicitur in 10. Ethic. Eubulia autem importat bonitatem conſilii; dicitur enim ab *Eu*, quod eſt *bonum*, & *bule*, quod eſt *conſilium*, quaſi *bona conſiliatio*; vel potius, *bene conſiliativa*: unde manifeſtum eſt quod Eubulia eſt virtus humana. *2. 2. q. 51. art. 1. in corp.*

QUÆR. 2. Cur nullus peccator virtutem eubuliæ habet, nec eſt bene conſiliativus, bene tamen quilibet virtuoſus.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in nullo peccatore inquantum hujuſmodi invenitur Eubulia: omne enim peccatum eſt contra bonam conſiliationem: Requiritur enim ad bene conſiliandum non ſolum adinventio, vel excogitatio eorum quæ ſunt opportuna ad finem, ſed etiam aliæ circumſtantiæ; ſcilicet tempus congruum, ut nec nimis tardus, nec nimis velox ſit in conſiliis; & modus conſiliandi, ut ſcilicet ſit firmus in ſuo conſilio; & aliæ hujuſmodi debitæ circumſtantiæ, quæ peccatores peccando non obſervant. Quilibet autem virtuoſus eſt bene conſiliativus in his quæ ordinantur ad finem virtutis; licet forte in aliquibus particularibus negotiis non ſit bene conſiliativus: puta in mercationibus, vel in rebus bellicis, vel in aliquo hujuſmodi. *ibid. ad 3.*

EUCHARISTIA.

QUÆR. 1. Utrum Euchariſtia ſit Sacramentum, ſicut in collecta dicitur: Hoc tuum Sacramentum non ſit nobis reatus ad pœnam.

RESp. D. Thomas, dicendum, quod Sacramenta Eccleſiæ ordinantur ad ſubveniendum homini vita ſpirituali; vita autem ſpiritualis vitæ corporali conformatur: eo quod corporalia ſpiritualium ſimilitudinem gerunt. Manifeſtum eſt autem, quod ſicut ad vitam corporalem requiritur generatio, per quam homo vitam accipit; & augmentum, quo homo perducitur ad perfectionem vitæ; ita etiam requiritur alimentum, quo homo conſervatur in vita: Et ideo ſicut ad vitam ſpiritualem oportuit eſſe Baptiſmum, qui eſt ſpiritualis generatio; & Confirmationem, quæ eſt ſpirituale augmentum: ita oportuit eſſe Sacramentum Euchariſtiæ, quod eſt ſpirituale alimentum. *3. p. q. 73. art. 1. in corp.*

QUÆR. 2. An & quomodo Euchariſtia vel in re, vel in voto ſit de neceſſitate ſalutis tam parvulis quam adultis.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in hoc Sacramento duo eſt conſiderare, ſcilicet ipſum Sacramentum, & rem Sacramenti: res autem hujus Sacramenti eſt unitas corporis myſtici, ſine qua non poteſt eſſe ſalus: nulli enim patet aditus ſalutis extra Eccleſiam, ſicut nec in diluvio ſine arca Noe; quæ ſignificat Eccleſiam, ut habetur 1. Petri 3. res autem alicujus Sacramenti haberi poteſt ante perceptionem Sacramenti ex ipſo voto Sacramenti percipiendi: unde ante perceptionem hujus Sacramenti poteſt homo habere ſalutem ex voto percipiendi hoc Sacramentum, ſicut & ante Baptiſmum ex voto Baptiſmi.

Eſt tamen differentia quantum ad duo: primo quidem quia Baptiſmus eſt principium ſpiritualis vitæ, & Janua Sacramentorum; Euchariſtia vero eſt quaſi conſummatio ſpiritualis vitæ, & omnium Sacramentorum finis; per ſanctificationes enim omnium Sacramentorum

torum

Digitized by Google

torum ſit præparatio ad ſuſcipiendam, vel conſecrandam Euchariſtiam; & ideo perceptio Baptiſmi eſt neceſſaria ad inchoandam ſpiritualem vitam; perceptio autem Euchariſtiæ eſt neceſſaria ad conſummandam ipſam, non ad hoc quod ſimpliciter habeatur, ſed ſufficit eam habere in voto, ſicut & finis habetur in deſiderio & intentione: alia differentia eſt, quia per Baptiſmum ordinatur homo ad Euchariſtiam; & ideo ex hoc ipſo, quod pueri baptizantur, ordinantur per eccleſiam ad Euchariſtiam; & ſicut ex fide Eccleſiæ credunt, ſic ex intentione Eccleſiæ deſiderant Euchariſtiam, & per conſequens recipiunt rem ipſius: ſed ad Baptiſmum non ordinantur per aliud præcedens Sacramentum; & ideo ante ſuſceptionem Baptiſmi non habent pueri aliquo modo Baptiſmum in voto, ſed ſoli adulti: unde rem Sacramenti non poſſunt percipere ſine perceptione Sacramenti: & ideo hoc Sacramentum non hoc modo eſt de neceſſitate ſalutis, ſicut Baptiſmus. *3. p. q. 73. in corp. 4. ſent. d. 8. q. 1. a. 1. q. 1.*

QUÆR. 3. An & quomodo per ſolum votum hujus Sacramenti homo poſſit incorporari Chriſto,

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod hæc eſt differentia inter alimentum corporale & ſpirituale, quod alimentum corporale convertitur in ſubſtantiam ejus qui nutritur; & ideo non poteſt homini valere ad vitæ conſervationem alimentum corporale, niſi realiter ſumatur; ſed alimentum ſpirituale convertit hominem in ſeipſum, ſecundum illud quod Auguſtin. dicit in Conf. lib. 7. cap. 10. quod quaſi audivit vocem Chriſti dicentis ſibi: *nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me*. Poteſt autem aliquis in Chriſtum mutari, & ei incorporari voto mentis etiam ſine hujus Sacramenti perceptione: & ideo non eſt ſimile. *3. p. q. 73. a. 3. ad 2.*

QUÆR. 4. Utrum homo indigeret Euchariſtia, ſi non peccaret.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod niſi homo peccaret actualiter, pœnitentia non indigeret; indigeret tamen Baptiſmo, & Confirmatione, & Euchariſtia: ſicut & in vita corporali non indigeret homo medicatione, niſi infirmaretur; indigeret autem homo per ſe ad vitam generatione, augmento, & nutrimento. *3. p. q. 84. a. 6. in corp. in 4. diſt. 14. in expoſ. textus.*

QUÆR. 5. An convenienter Euchariſtia pluribus nominibus ſignificetur.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Sacramentum Euchariſtiæ habet triplicem ſignificationem: unam quidem reſpectu præteriti, inquantum ſcilicet eſt commemorativum Dominicæ Paſſionis, quæ fuit verum ſacrificium & ſecundum hoc nominatur *Sacrificium*; aliam autem ſignificationem habet reſpectu rei præſentis, ſcilicet Eccleſiaſticæ unitatis, cui homines aggregantur per hoc Sacramentum; & ſecundum hoc nominatur *Communio*; quia communicamus per ipſam Chriſto; & quia participamus ejus carne, & deitate; quia communicamus, & unimur ad invicem per ipſam: tertiam ſignificationem habet reſpectu futuri, inquantum ſcilicet hoc Sacramentum eſt præfigurativum fruitionis Dei, quæ erit in Patria; & ſecundum hoc dicitur *Viaticum*; quia hic præbet nobis viam illuc perveniendi, & ſecundum hoc etiam dicitur *Euchariſtia*, ideſt, bona gratia, quia *Gratia Dei vita æterna*, ut dicitur Romanor. *6.* vel quia realiter continet Chriſtum, qui eſt plenus gratia: dicitur etiam in græco *Metalapſis*, ideſt, *aſſumptio*, quia, ut Damaſcenus dicit, per hoc filii deitatem aſſumimus. *3. q. quæſt. 73. art. 4. in corp.*

QUÆR. 6. Utrum inſtitutio Sacramenti Euchariſtiæ fuerit conveniens.

Reſp. D. Thomas, notandum eſt, quod convenienter hoc Sacramentum inſtitutum fuit in Cœna, in qua ſcilicet Chriſtus ultimo cum ſuis Diſcipulis fuit converſatus. Primo quidem, ratione continentiæ hujus Sacramenti: continetur enim ipſe Chriſtus in Euchariſtia ſicut in Sacramento; & ideo quando ipſe Chriſtus in propria ſpecie a Diſcipulis diſceſſurus erat, in Sacramentali ſpecie ſeipſum eis reliquit; ſicut abſentia Imperatoris exhibetur veneranda ejus imago: unde Euſebius Emyſſen. dicit, quia corpus aſſumptum ablaturus erat ab oculis, & illaturus ſyderibus, neceſſe erat, ut die Cœnæ Sacramentum Corporis & Sanguinis ſui conſecraret nobis; ut coleretur jugiter per myſterium, quod ſemel offerebatur in pretium. Secundo, quia ſine fide Paſſionis Chriſti, nunquam potuit eſſe ſalus, ſecundum illud Roman. 3. *Quem propoſuit Deus propitiatorem* (vel propitiationem) *per fidem in Sanguinem ipſius*. Et ideo oportuit omni tempore apud homines eſſe aliquid repræſentativum Dominicæ Paſſionis, cujus in veteri quidem teſtamento præcipuum Sacramentorum erat agnus Paſchalis: unde & Apoſtol. dicit 1. Corinth. 5. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*: ſucceſſit autem ei in novo teſtamento Euchariſtiæ Sacramentum, quod eſt rememorativum præteritæ Paſſionis, ſicut & illud fuit præfigurativum futuræ. Et ideo conveniens fuit, ut imminente paſſione, celebrato

Digitized by Google

brato priori Sacramento novum Sacramentum inſtitueret. Unde Leo Papa dicit, quod *ut umbræ cederent corpori, antiqua obſervantia novo excluditur Sacramento, hoſtia in hoſtiam tranſit, ſanguine ſanguis auſertur, & legalis feſtivitas, dum mutatur, impletur.* Tertio quia ea quæ ultimo dicuntur, maxime ab amicis recedentibus, magis memoriæ commendantur: Præſertim quia tunc magis inflammatur affectus ad amicos. Ea vero ad quæ magis afficimur profundius animo imprimuntur. Quia igitur ut Beatus Alexander Papa dicit, nihil in ſacrificiis majus eſſe poteſt, quam Corpus & Sanguis Chriſti, nec ulla oblatio hac potior eſt; ideo ut in majori veneratione haberetur, Dominus in ultimo diſceſſu ſuo a Diſcipulis, hoc Sacramentum inſtituit. Et hoc eſt quod Auguſtinus dicit in libro Reſponſionum ad Januar. *Salvator, quo vehementius commendaret myſterii hujus altitudinem, ultimum hoc voluit arctius infigere cordibus, & memoriæ Diſcipulorum, a quibus ad Paſſionem digreſſurus erat. 3. p. q. 73. a. 5. in corp.*

QUÆR. 7. *An panis & vinum ſint materia conveniens Euchariſtiæ.*

Reſp. D. Thomas, Chriſtus hoc Sacramentum ſub ſpecie panis, & vini inſtituit, ut patet Matthæi 26. unde panis, & vinum ſunt materia conveniens hujuſmodi Sacramenti, & hoc rationaliter.

Primo quidem, quantum ad uſum hujus Sacramenti, qui eſt manducatio: ſicut enim aqua aſſumitur in Sacramento Baptiſmi ad uſum ſpiritualis ablutionis, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua; ita panis, & vinum, quibus communius homines reficiuntur, aſſumuntur in hoc Sacramento ad uſum Spiritualis manducationis.

Secundo, quantum ad Paſſionem Chriſti, in qua ſanguis eſt a corpore ſeparatus: & ideo in hoc Sacramento, quod eſt memoriale Dominicæ Paſſionis, ſeorſum ſumitur panis, ut Sacramentum Corporis, & vinum, ut Sacramentum Sanguinis.

Tertio, quantum ad effectum conſideratum in unoquoque ſumentium: quia ut Ambroſius dicit ſuper Epiſtolam 1. ad Corinth. *Hoc Sacramentum valet ad refectionem animæ, & corporis*; & ideo Corpus Chriſti ſub ſpecie panis pro ſalute corporis, ſanguis vero ſub ſpecie vini pro ſalute animæ offertur, ſicut dicitur Levitici 17. quod *anima carnis in ſanguine eſt.*

Quarto, quantum ad effectum reſpectu totius Eccleſiæ, quæ conſtituitur ex diverſis fidelibus ſicut panis conficitur ex diverſis granis, & vinum fluit ex diverſis uvis, ut dicit Gloſſa ſuper illud 2. Corinth. 10. *Multi unum corpus ſumus, &c. 3. p. q. 74. a. 1. in corp. a. d. 11. q. 2. a. 1. quæſtiunc. 2. in corp.*

QUÆR. 8. *An quantitas materiæ hujus Sacramenti ſit indeterminata, itaut nulla ſit vel tam magna, vel tam parva, quæ conſecrari non poſſit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quidam dixerunt, quod Sacerdos non poſſet conſecrare immenſam quantitatem panis, aut vini: puta totum panem, qui venditur in foro, aut totum vinum, quod eſt in dolio; ſed hoc non videtur eſſe verum, quia in omnibus habentibus materiam ratio determinationis materiæ ſumitur ex ordine ad finem, ſicut materia ferrea eſt ferrum, ut ſit apta ſectioni: finis autem hujus Sacramenti eſt uſus fidelium; unde oportet, quod quantitas materiæ hujus Sacramenti determinetur per comparationem ad uſum fidelium, qui nunc occurrunt; alioquin Sacerdos paucos Parochianos habens non poſſet conſecrare multas hoſtias, unde relinquitur, quod materia hujus Sacramenti determinetur per comparationem ad uſum fidelium abſolute; numerus autem fidelium eſt indeterminatus; unde non poteſt dici, quod quantitas materiæ hujus Sacramenti ſit determinata. *3. p. quæſt. 74. a. 2. in corp.*

QUÆR. 9. *An valeat conſecratio licet a Sacerdote fiat in deriſionem: & utrum conſecrare poſſit totum panem in Civitate, vel foro exiſtentem; aut totum vinum, quod eſt in cellario.*

Reſp. D. Thomas, ſi aliquis Sacerdos intenderet conſecrare magnam quantitatem panis & vini, non ad uſum fidelium, ſed in irriſionem, eſſet conſecratum. Non tamen dico, quod poſſet conſecrare totum panem, qui eſt in Civitate ſimul, vel qui eſt in foro, quia ipſa forma pronomine demonſtrativo utens, oſtendit quod materia conſecranda debet eſſe coram Sacerdote; unde Sacerdos exiſtens in domo ſua non poſſet conſecrare panem, qui eſt in Altari: quod etiam non poteſt de toto pane, qui eſt in foro, neque de toto vino, quod eſt in cellario: ſed quantacunque ſit quantitas panis & vini, quæ coram Sacerdote proponitur; credo quod poſſit conſecrari ab ipſo. *4. ſent. diſt. 11. qu. 2. a. 1. quæſtiunc. 3. ad 1.*

QUÆR. 10. *An ſi Sacerdos intendat conſecrare, ut Euchariſtia abutatur in veneficiis, perficiat Sacramentum licet graviter peccet.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod poteſtas miniſtrorum Eccleſiæ ad duo ordinatur; primo quidem ad effectum propinquum, ſecundo ad finem effectus: ſecundum autem non tollit

tollit primum; unde ſi Sacerdos intendat conſecrare Corpus Chriſti propter aliquem malum finem (puta ut irrideat, vel veneficia faciat) propter intentionem mali finis peccat, nihilominus tamen propter poteſtatem ſibi traditam perficit Sacramentum. 3. *p. q.* 74. *a.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 11. *An poſſit conſecrari panis abſque vino.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quamvis conſecratio panis non dependeat a conſecratione vini, quod quidam poſuerunt: tamen potius deberet deſiſtere, qui non haberet utrumque, quam conficere præter morem Eccleſiæ in una tantum ſpecie: quamvis etiam ſi in una tantum conſecraret, conſecratum eſſet. Peccaret autem graviter, niſi poſt conſecrationem Corporis ante conſecrationem Sanguinis occideretur, vel alias præter culpam ſuam impediretur. 4. *ſent. diſt.* 11. *q.* 2. *a.* 1. *quæſtiunc.* 1. *ad* 4.

QUÆR. 12. *Utrum ad materiam Euchariſtiæ requiratur, quod ſit panis triticeus, cum Chriſtus ſeipſum comparet frumento, Joan.* 2. *dicens: Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut dictum eſt, ad uſum Sacramentorum aſſumitur talis materia, quæ communius apud homines in talem uſum venit: inter alios autem panes communius homines utuntur pane triticeo: nam alii panes videntur eſſe introducti in hujus panis defectum: & ideo Chriſtus creditur in hujus panis ſpecie hoc Sacramentum habuiſſe. Qui etiam panis magis confortat hominem; & ita convenientius ſignificat effectum hujus Sacramenti. Et ideo propria materia hujus Sacramenti eſt panis triticeus. 3. *p. q.* 74. *art.* 3. *in corp.* 4. *ſent. d.* 11. *q.* 2. *a.* 2. *q.* 1.

QUÆR. 13. *Utrum Euchariſtia confici poſſit ex pane hordeaceo.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod panis hordeaceus competit ad ſignificandam duritiem veteris legis propter duritiem panis: tum etiam, quia ut Auguſtinus dicit in lib. 83. Quæſtion. *Hordei medulla, quæ tenaciſſima palea tegitur, vel ipſam legem ſignificat, quæ ita data erat, ut in ea vitale animæ alimentum corporalibus Sacramentis obtegeretur; vel ipſum populum nondum expoliatum carnali deſiderio, quod tanquam palea cordi ejus inhærebat*: hoc autem Sacramentum pertinet ad ſuave jugum Chriſti, & ad veritatem jam manifeſtatam, & ad populum ſpiritualem; unde non eſſet materia conveniens hujus Sacramenti panis hordeaceus. 3. *p. q.* 74. *a.* 3. *ad* 1. 4. *ſent. d.* 11. *q.* 2. *a.* 2. *quæſt. unic.* 1. *in corp.*

QUÆR. 14. *An Euchariſtia poſſit confici ex ſiligine, hordeo, ſpelta, & farre.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod generans generat ſibi ſimile in ſpecie: eſt tamen aliqua diſſimilitudo generantis ad genitum, quantum ad accidentia, vel propter materiam, vel propter debilitatem virtutis generativæ: & ideo ſi quæ frumenta ſunt, quæ ex ſemine tritici generari poſſunt (ſicut ex grano tritici ſeminato in malis terris naſcitur ſiligo) de tali frumento panis confectus poteſt eſſe materia Sacramenti. Quod tamen non videtur habere locum neque in hordeo, neque in ſpelta, neque etiam in farre, quod inter omnia eſt grano tritici ſimilius. Similitudo autem figuræ in talibus magis videtur ſignificare propinquitatem, quam idoneitatem ſpeciei, ſicut ex ſimilitudine figuræ manifeſtatur, quod canis & lepus ſunt propinquæ ſpeciei, non autem ejuſdem; unde ex talibus frumentis, quæ nullo modo poſſunt ex ſemine tritici generari, non poteſt confici panis, qui ſit debita materia hujus Sacramenti. 3. *p. q.* 74. *art.* 3. *ad* 2. 4. *ſent. diſt.* 11. *q.* 1. *ad* 2.

QUÆR. 15. *An licet quidam dicant, quod de farre, & ſpelta confici poteſt Euchariſtia, oppoſitum tamen videatur eſſe tenendum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quamvis quidam dicant in pane de farre, & ſpelta confici poſſe; quia eſt ejuſdem ſpeciei cum triticeo pane, licet differat differentiis accidentalibus, videtur tamen magis oppoſitum, quia generatio eſt ex ſimilibus ſpecie: ex tritico vero ſeminato nunquam generetur far, nec e converſo: unde non videtur eſſe ejuſdem ſpeciei. 4. *ad Hannib. diſt.* 11. *a.* 2. *ad* 1.

QUÆR. 16. *An Euchariſtia poſſit confici ex Amydo.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aliquando eſt tanta corruptio panis, quod ſolvitur ſpecies panis; ſicut cum continuitas ſolvitur & ſapor; & color, & alia accidentia mutantur: unde ex tali materia non poteſt confici Corpus Chriſti, aliquando vero non eſt tanta corruptio, quæ ſpeciem ſolvat, ſed eſt aliqua diſpoſitio ad corruptionem, quod declarat aliqualis immutatio ſaporis; & ex tali pane poteſt confici Corpus Chriſti: ſed peccat conficiens propter irreverentiam Sacramenti; & quia Amydum eſt ex tritico corrupto; non videtur, quod panis ex eo confectus poſſit fieri Corpus Chriſti: quamvis quidam contrarium dicant. 3. *p. q.* 74. *a.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 17. *An poſſit confici Euchariſtia ex paſta, vel amydo, ſi coquantur.*

Reſp. D. Thomas, quia amydum fit de farina triticea, quæ quidem per attritionem, & ex-

Digitized by Google

& excolationem, & vaporis admixtionem videtur ſpeciem farinæ amiſiſſe, vel ad corruptionem omnino eſſe diſpoſita: ideo ex eo non debet confici, nec poteſt ſecundum quoſdam. Quidam autem dicunt quod amydum cum ſit crudum non poteſt eſſe materia hujus Sacramenti, ſicut nec paſta: ſed ſi coquatur, poterit exinde confici: quia amydum fit ex farina maxime depurata. 4. *ſent. d.* 11. *q.* 2. *a.* 2. *q.* 2. *ad* 3.

QUÆR. 28. *Utrum Euchariſtia debeat confici ex pane azymo: & utrum peccaret, qui conſecraret in fermentato.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod circa materiam hujus Sacramenti, duo poſſunt conſiderari; ſcilicet quid ſit neceſſarium, & quid conveniens: neceſſarium quidem eſt, ut ſit panis triticeus, ſicut dictum eſt, ſine quo non perficitur Sacramentum: non eſt autem de neceſſitate Sacramenti, quod ſit azymus, vel fermentatus, quia in unoquoque confici poteſt: conveniens autem eſt, ut unuſquiſque ſervet ritum ſuæ Eccleſiæ in Sacramenti celebratione.

Super hoc autem ſunt diverſæ Eccleſiarum conſuetudines; dicit enim B. Gregorius in regiſtro: *Romana Eccleſia offert azymos panes, propterea quod Dominus ſine ulla commixtione ſuſcepit carnem: ſed certæ Eccleſiæ offerunt fermentatum, pro eo quod verbum Patris indutum eſt carne, ſicut fermentum miſcetur farinæ*; unde ſicut peccat Presbyter in Eccleſia Latinorum celebrans de pane fermentato; ita peccaret Presbyter Græcus in Eccleſia Græcorum celebrans de pane azymo, quaſi pervertens Eccleſiæ ſuæ ritum.

Et tamen conſuetudo de pane azymo celebrandi rationabilior eſt. Primo quidem propter inſtitutionem Chriſti, qui hoc Sacramentum inſtituit prima die azymorum, ut habetur Matthæi 26. & Marci 14. & Lucæ 22. Qua die nihil fermentatum in domibus Judæorum eſſe debebat, ut habetur Exodi 12. Secundo quia panis eſt proprie Sacramentum Corporis Chriſti, quod ſine corruptione conceptum eſt, magis quam Divinitatis ipſius. Tertio quia hoc magis competit ſinceritati fidelium, quæ requiritur ad uſum hujus Sacramenti, ſecundum illud 1. Corinth. 5. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, itaque epulemur in azymis ſinceritatis, & veritatis.*

Tamen hinc conſuetudo Græcorum aliquam rationem habet propter ſignificationem, quam tangit Gregorius in deteſtationem hæreſis Nazaræorum, qui legalia Evangelio miſcebant. 3. *p. q.* 74. *a.* 4. *in corp.* 4. *d.* 11. *quæſt.* 2. *art.* 2. *q.* 3.

QUÆR. 19. *Quænam admixtio alterius grani cum tritico faciat indebitam Euchariſtiæ materiam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod modica permixtio non ſolvit ſpeciem, quia id, quod eſt modicum, quodammodo aſſumitur a plurimo: & ideo ſi ſit modica admixtio alterius frumenti ad multo majorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui eſt materia hujus Sacramenti: ſi vero ſit magna permixtio (puta ex æquo, vel quaſi) talis permixtio ſpeciem mutat: unde panis exinde confectus erit debita materia hujus Sacramenti. 3. *p. q.* 74. *art.* 3. *ad* 4. *ſent. d.* 11. *q.* 2. *a.* 2. *q.* 2.

QUÆR. 20. *An vinum vitis ſit propria materia hujus Sacramenti, cum ſicut Dominus ſe comparavit grano frumenti, ita ſe comparaverit viti, Joan.* 10. *dicens: Ego ſum vitis vera.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod de ſolo vino vitis poteſt confici hoc Sacramentum: primo quidem propter inſtitutionem Chriſti, qui in vino vitis hoc Sacramentum inſtituit, ut patet ex eo, quod ipſe dicit Matthæi 26. circa inſtitutionem hujus Sacramenti, *non bibam modo de hoc genimine vitis*: ſecundo quia ſicut dictum eſt, ad materiam Sacramentorum aſſumitur id quod proprie, & communiter habet talem ſpeciem: proprie autem vinum dicitur, quod de vite ſumitur; alii vero liquores vinum dicuntur ſecundum quandam ſimilitudinem ad vinum vitis: tertio quia vinum vitis magis competit ad effectum hujus Sacramenti, qui eſt ſpiritualis lætitia; quia ſcriptum eſt, quod *vinum lætificat cor hominis*. 3. *p. q.* 74. *a.* 5. *in corp.* 4. *ſent. d.* 11. *q.* 2. *a.* 3. *q.* 3. *in corp.*

QUÆR. 21. *Utrum ex vino malorum granatorum, vel ex liquore mororum aut hujuſmodi poſſit confici Euchariſtia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod illi liquores non dicuntur proprie vinum, ſed ſecundum ſimilitudinem. 3. *p. q.* 74. *a.* 5. *ad* 1.

QUÆR. 22. *Utrum ex aceto, vel ex vino aceſcenti confici poſſit Euchariſtia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod vinum fit acetum per corruptionem; unde non fit reditus de aceto in vinum, ut dicitur 8. Metaph. & ideo ſicut de pane totaliter corrupto non poteſt confici hoc Sacramentum, ita de aceto.

Poteſt tamen confici de vino aceſcenti, ſicut & de pane, qui eſt in via ad corruptionem, licet peccet conficiens. 3. *p. q.* 74. *a.* 5. *ad* 2. 4. *ſent. d.* 11. *q.* 2. *a.* 3. *q.* 2.

QUÆR. 23. *An ex agreſta, & muſto poſſit confici Euchariſtia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod agreſta eſt

Digitized by Google

eſt in via generationis: & ideo nondum habet ſpeciem vini: & propter hoc de ea non poteſt confici hoc Sacramentum. Muſtum autem jam habet ſpeciem vini: nam ejus dulcedo atteſtatur digeſtioni, quæ eſt completio a naturali calore, ut dicitur in 4. Met. & ideo de muſto poteſt confici hoc Sacramentum. Non tamen debent uvæ integræ huic Sacramento miſceri, quia jam eſſet ibi aliquid præter vinum. Prohibetur etiam ne muſtum ſtatim expreſſum de uva in calice offeratur, quia hoc eſt indecens propter impuritatem muſti. Poteſt tamen in neceſſitate fieri: dicitur enim a Julio Papa, *ſi neceſſe fuerit, botrus in Calicem comprimatur. p. 3. qu. 74. art. 5. ad 3. 4. ſent. d. 11. q. 2. art. 3. q. 3. in corp.*

QUÆR. 24. *An vino conſecrando debeat immiſceri aqua.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod vino, quod offertur in hoc Sacramento, debet aqua miſceri. Primo quidem propter inſtitutionem; probabiliter enim creditur, quod Dominus hoc Sacramentum inſtituerit in vino aqua permixto, ſecundum morem illius terræ: unde & Proverb. 9. dicitur: *bibite vinum, quod miſcui vobis*. Secundo quia hoc convenit repræſentationi Dominicæ Paſſionis: unde dicit Alexander Papa: *non debet in Calice Domini, aut vinum ſolum, aut aqua ſolum offerri, ſed utrumque permixtum: quia utrumque ex latere ejus in paſſione ſua profluiſſe legitur*. Tertio quia hoc convenit ad ſignificandum effectum hujus Sacramenti, qui eſt unio populi Chriſtiani ad Chriſtum, quia, ut Julius Papa dicit: *videmus in aqua populum intelligi, in vino vero oſtendi ſanguinem Chriſti: ergo cum in Calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur*. Quarto quia hoc competit ad ultimum effectum hujus Sacramenti, qui eſt introitus ad vitam æternam; unde Ambroſius dicit in lib. de Sacramentis: *redundat aqua in Calicem, & ſalit in vitam æternam. 3. p. qu. 74. art. 6. in corp. 4. ſent. d. 11. qu. 2. art. 4. qu. 1.*

QUÆR. 25. *Utrum appoſitio aquæ ſit de neceſſitate Sacramenti.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod judicium de ſigno ſumendum eſt ex eo quod ſignificatur: appoſitio autem aquæ ad vinum refertur ad ſignificandam participationem hujus Sacramenti a fidelibus, quantum ad hoc, quod per aquam mixtam vino ſignificatur populus adunatus Chriſto, ut dictum eſt: ſed hoc ipſum, quod de latere Chriſti pendentis in Cruce aqua profluxit, ad idem refertur: quia per aquam ſignificatur ablutio peccatorum, quæ fiebat per Paſſionem Chriſti: hoc autem Sacramentum perficitur in conſecratione materiæ; uſus autem fidelium non eſt de neceſſitate Sacramenti, ſed eſt aliquid conſequens ad Sacramentum, & ideo conſequens eſt, quod appoſitio aquæ non ſit de neceſſitate Sacramenti. *3. p. qu. 74. art. 7. in corp.*

QUÆR. 26. *Utrum ille peccaret, qui vinum ſine aqua conſecraret.*

Reſp. D. Thomas, vinum ſine aqua poteſt conſecrari: ſed conſecrans peccat graviter, ſi ſcienter omittat. *4. ad Hannib. d. 11. art. 4. in corp.*

QUÆR. 27. *Quænam aqua poſſit apponi vino, vel etiam farinæ, ex qua conficitur panis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quia admixtio aquæ ad vinum non eſt de neceſſitate Sacramenti, non refert quantum ad Sacramenti neceſſitatem quæcunque aqua miſceatur vino, ſive naturalis, ſive artificialis, ut roſacea: quamvis quantum ad convenientiam Sacramenti peccet, qui aliam aquam miſcet, niſi naturalem, & veram: quia de latere Chriſti pendentis in Cruce aqua vera profluxit, non humor phlegmaticus, ut quidam dixerunt, ad oſtendendum, quod Corpus Chriſti erat vere compoſitum ex quatuor elementis: ſicut per ſanguinem fluentem oſtendebatur, quod erat compoſitum ex quatuor humoribus, ut Innocentius III. dicit in quadam decretali.

Quia vero admixtio aquæ ad farinam, eſt de neceſſitate hujus Sacramenti, utpote conſtituens ſubſtantiam panis, ſi farinæ admiſceretur aqua roſacea, vel quicunque alius liquor, quam vera aqua, non poſſet ex eo confici Sacramentum, quia non eſſet verus panis. *3. p. q. 74. art. 7. ad 3. 4. ſent. d. 11. qu. 2. art. 4. quæſt. 3.*

QUÆR. 28. *An ſit probabile, quod Corpus Chriſti confici poſſit de pane facto ex aqua roſacea.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quidam dicunt, quod de pane confecto ex aqua roſacea poteſt confici Corpus Chriſti: quamvis peccaret ſcienter ex tali pane conficiens. Sed probabiliter videtur quod non poſſit confici, quia panis eſt principalis materia hujus Sacramenti, de cujus ſubſtantia, & compoſitione eſt aqua: & ideo diverſificatio aquæ ſecundum ſpeciem facit diverſitatem ſpeciei in materia Saramenti. *4. ſent. d. 11. q. 2. art. 4. q. 3. ad 2.*

QUÆR. 29. *Utrum aqua vino admixta ſit materia hujus Sacramenti.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod de aqua appoſita duplex eſt opinio: Quidam enim dicunt, quod aqua manet in ſua natura, & ſolum vinum tranſubſtantiatur, unde aqua non

appo-

Digitized by Google

apponitur ibi, niſi ad ſignificationem: alii vero dicunt, quod aqua appoſita in vinum convertitur, & ſic totum in Sanguinem Chriſti tranſubſtantiatur. Quæcunque autem horum opinionum ſit vera, aqua non erit materia hujus Sacramenti: quia ſecundum primam non convertitur in Corpus vel in Sanguinem Chriſti: ſecundum ſecundam non manet in propria ſpecie, ſed vini. Secunda tamen verior apparet, & ſecundum rationem naturalem: quia modica aqua vino admixta, quod eſt magis activum, a vino corrumpitur, & in ſpeciem vini tranſit: & quantum ad ritum Sacramenti: quia ſi aqua in propria natura remaneret, ſic Calix conſecratus non eſſet tantum potus ſpiritualis, ſed etiam corporalis: & ita non liceret poſt primam ſumptionem Sanguinis iterum ſumere. 4. *ſent. diſt.* 11. *q.* 2. *art.* 4. *q.* 1. *ad* 2.

QUÆR. 30. *An ſit tutius parum de aqua apponere vino conſecrando.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod circa aquam adjunctam vino, ſicut Innocentius III. dicit in quadam decretali, triplex eſt opinio. Quidam enim dicunt, quod aqua adjuncta vino, per ſe manet vino converſo in ſanguinem: ſed hæc opinio ſtare non poteſt; quia in Sacramento Altaris poſt conſecrationem nihil eſt, niſi Corpus, & Sanguis Chriſti: ſicut enim Ambroſius dicit in libro de officiis, *ante benedictionem illa ſpecies nominatur, poſt benedictionem Corpus ſignificatur*; alioquin non totum adoraretur veneratione latriæ. Et ideo alii dixerunt, quod ſicut vinum convertitur in ſanguinem, ita aqua convertitur in aquam, quæ de latere Chriſti fluxit: ſed nec hoc rationabiliter dici poteſt; quia ſecundum hoc aqua ſeorſum conſecratur a vino, ſicut vinum a pane.

Et ideo ſicut ipſe dicit, aliorum opinio probabilior eſt, qui dicunt aquam converti in vinum, & vinum in ſanguinem; hoc autem fieri non poſſet, niſi adeo modicum apponeretur de aqua, quod converteretur in vinum & ideo ſemper tutius eſt parum de aqua apponere, & præcipue ſi vinum ſit debile: quia ſi tanta fieret appoſitio aquæ, ut ſolveretur ſpecies vini, non poſſet perfici Sacramentum: unde Julius Papa reprehendit quoſdam, qui pannum lineum muſto intinctum per totum annum ſervant, & in tempore ſacrificii aqua partem ejus lavant, & ſic offerunt. 3. *p. q.* 74. *art.* 8. *in corp.* 1. *ad Corinth.* 11. *lect.* 6. & *in Opuſc. de Sacramentis Eccleſiæ.*

QUÆR. 31. *An quantumcunque parum apponatur de aqua, ſervetur ſignificatio hujus Sacramenti.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aqua appoſita vino in vinum convertitur, & ſic totum convertitur in ſanguinem: unde non tantum de aqua debet apponi, quod vinum in aquam convertatur, vel in aliquod medium per mixtionem; & ideo ſemper tutius eſt apponere parum, quia quantumcunque apponatur parum, ſignificatio ſervatur, 4. *d.* 11. *qu.* 2. *art.* 4. *qu.*

QUÆR. 32. *Utrum aliquis liquor poſſit vino conſecrato commiſceri: & quandonam ſub ipſo remaneat Corpus Chriſti.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod iſtius quæſtionis veritas manifeſta eſt. Species enim in hoc Sacramento remanentes ſicut adipiſcuntur virtute conſecrationis modum eſſendi ſubſtantiæ, ita etiam conſequuntur modum agendi, & patiendi; ut ſcilicet agere, & pati poſſint quidquid ageret, vel pateretur ſubſtantia, ſi ſibi præſens exiſteret: manifeſtum eſt autem, quod ſi eſſet ſubſtantia vini, liquor aliquis poſſet ei permiſceri. Hujus tamen permixtionis diverſus eſſet effectus, & ſecundum formam liquoris, & ſecundum quantitatem: ſi enim permiſceretur aliquis liquor in tanta quantitate, quod poſſet diffundi per totum vinum, totum fieret permixtum: quod autem eſt admixtum, ex duobus neutrum miſcibilium eſt, ſed utrumque tranſit in quoddam tertium ex his compoſitum; unde ſequeretur, quod vinum prius exiſtens non remaneret; ſed ſi liquor permixtus eſſet alterius ſpeciei (puta ſi permiſceretur aqua) ſolveretur ſpecies vini, & eſſet liquor alterius ſpeciei: ſi autem eſſet ejuſdem ſpeciei liquor adjunctus (puta ſi vinum permiſceretur vino) remaneret quidem eadem ſpecies, ſed non remaneret idem numero vinum; quod declarat diverſitas accidentium, puta ſi unum eſſet album, & aliud rubrum. Si vero liquor adjunctus eſſet tam parvæ quantitatis, quod non poſſet perfundi per totum, non fieret totum vinum permixtum, ſed aliqua pars ejus; quæ quidem non remaneret eadem numero propter permixtionem extraneæ materiæ, remaneret tamen eadem ſpecie, non ſolum ſi parvus liquor permixtus eſſet ejuſdem ſpeciei, ſed etiam ſi eſſet alterius ſpeciei; quia gutta aquæ multo vino permixta tranſit in ſpeciem vini, ut dicitur in primo de generatione.

Manifeſtum eſt autem, quod Corpus, & Sanguis Chriſti remanet in hoc Sacramento, quamdiu illæ ſpecies manent eædem numero; conſecratur enim hic panis, & hoc vinum; unde ſi fiat tanta permixtio liquoris cujuſcunque, quod pertingat ad totum vinum con-

Digitized by Google

conſecratum , & fiat permixtum , erit aliud numero , & non remanebit ibi Sanguis Chriſti: ſi vero fiat tam parva alicujus liquoris adjunctio, quod non poſſit diffundi per totum , ſed uſque ad aliquam partem ſpecierum , deſinet eſſe Sanguis Chriſti ſub illa parte vini conſecrati , remanebit tamen ſub alia. 3. *p. q.* 77. *a.* 8. *in corp.* 4. *ad Hannib. diſt.* 12. *a.* 3.

QUÆR. 33. *Utrum hæc ſit conveniens forma Euchariſtiæ : Hoc eſt Corpus meum ; & Hic eſt Calix Sanguinis mei, &c. & quænam ſit differentia hujus Sacramenti ab aliis.*

Reſp. D. Thomas , dicendum , quod hoc Sacramentum ab aliis Sacramentis differt in duobus ; primo quidem quantum ad hoc quod hoc Sacramentum perficitur in conſecratione materiæ ; alia vero Sacramenta perficiuntur in uſu materiæ conſecratæ : ſecundo quia in aliis Sacramentis conſecratio materiæ conſiſtit ſolum in quadam benedictione , ex qua materia conſecrata accipit inſtrumentaliter quandam ſpiritualem virtutem , quæ per miniſtrum , qui eſt inſtrumentum animatum , poteſt ad inſtrumenta inanimata procedere ; ſed in hoc Sacramento conſecratio materiæ conſiſtit in quadam miraculoſa converſione ſubſtantiæ, quæ a ſolo Deo perfici poteſt : unde miniſter in hoc Sacramento perficiendo non habet alium actum niſi prolationem verborum : & quia forma debet eſſe conveniens rei ; ideo forma hujus Sacramenti differt a formis aliorum Sacramentorum in duobus.

Primo quidem, quia formæ aliorum Sacramentorum important uſum materiæ, puta baptizationem, vel conſignationem : ſed forma hujus Sacramenti importat ſolam conſecrationem materiæ , quæ in tranſubſtantiatione conſiſtit, puta cum dicitur, *Hoc eſt Corpus meum*, vel, *hic eſt Calix Sanguinis mei.* Secundo quia formæ aliorum Sacramentorum proferuntur ex perſona miniſtri, ſive per modum exercentis actum , ſicut cum dicitur , *Ego te baptizo*, vel *ego te confirmo* ; ſive per modum impetrantis, ſicut in Sacramento Ordinis dicitur, *accipe poteſtatem* &c. ſive per modum deprecantis ſicut cum in Sacramento Extremæ unctionis dicitur, *per iſtam unctionem & noſtram interceſſionem* ; ſed forma hujus Sacramenti profertur quaſi ex perſona ipſius Chriſti loquentis , ut detur intelligi , quod miniſter in perfectione hujus Sacramenti nihil agit, niſi quod profert verba Chriſti. 3. *p. q.* 78. *a.* 1. & 2.

QUÆR. 34. *An proferens prædicta verba prætermiſſis aliis conficeret Euchariſtiam ; & utrum peccaret.*

Reſp. D. Thomas, dicendum , quod quidam dixerunt hoc Sacramentum perfici non poſſe prædictis verbis prolatis , & aliis prætermiſſis, præcipue quæ ſunt in Canone Miſſæ , ſed hoc patet eſſe falſum , tum ex verbis Ambroſii dicentis in lib. de Sacramentis, *conſecratio fit verbis , & ſermonibus Domini Jeſu ; nam reliqua omnia , quæ dicuntur , laudem Deo deferunt , oratio præmittitur pro populo , pro Regibus , pro cæteris ; ubi autem venitur ut conficiatur venerabile Sacramentum , jam non ſuis ſermonibus utitur Sacerdos , ſed utitur ſermonibus Chriſti ;* tum etiam quia Canon Miſſæ non eſt idem apud omnes , nec ſecundum omnia tempora , ſed diverſa ſunt a diverſis appoſita.

Unde dicendum eſt, quod ſi Sacerdos ſola verba prædicta proferret cum intentione conficiendi hoc Sacramentum ; quia intentio faceret , ut hæc verba intelligerentur quaſi ex perſona Chriſti prolata , etiam ſi verbis præcedentibus hoc non recitaretur. Graviter tamen peccaret Sacerdos ſic conficiens hoc Sacramentum , utpote ritum Eccleſiæ non ſervans . 3. *p. q.* 78. *a.* 1. *ad* 3.

QUÆR. 35. *An illa particula , enim , ſit eſſentialis formæ.*

Reſp. D. Thomas , dicendum , quod hæc conjunctio , *enim* , apponitur in hac forma ſecundum conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ a B. Petro Apoſtolo derivatam , & hoc propter continuationem ad verba præcedentia: & ideo non eſt de forma , ſicut nec verba præcedentia formam . 3. *p. q.* 78. *a.* 2. *ad* 4. 4. *ſent. d.* 8. *q.* 2. *a.* 1. *q.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 36. *An omittens illam particulam , enim , peccet.*

Reſp. D. Thomas , dicendum , quod ly *enim* ſublatum non tollit debitum ſenſum verborum: & ideo non impedit perfectionem Sacramenti. Quamvis poſſit contingere , quod ille qui prætermittit , peccet ex negligentia , vel contemptu . 3. *p. q.* 60. *a.* 8. *in corp.*

QUÆR. 37. *Utrum hæc ſit conveniens forma conſecrationis vini*: Hic eſt Calix Sanguinis mei &c. *& quænam verba ſint de ſubſtantia hujus formæ.*

Reſp. Div. Thomas , dicendum , quod circa formam conſecrationis vini eſt duplex opinio: quidam enim dixerunt, quod de ſubſtantia formæ hujus eſt hoc ſolum, quod dicitur , *Hic eſt Calix Sanguinis mei* , non autem ea, quæ ſequuntur: ſed hoc videtur inconveniens , quia ea, quæ ſequuntur, ſunt quædam determinationes prædicati , ideſt Sanguinis Chriſti: unde pertinent ad integritatem ejuſdem locutionis: & propter hoc ſicut alii melius dicunt, omnia ſequentia ſunt de ſubſtantia formæ uſque ad hoc , quod poſtea ſequitur, *hæc quotieſcunque feceritis*,

Digitized by Google

quod pertinet ad uſum hujus Sacramenti, unde non eſt de ſubſtantia formæ: & inde eſt, quod Sacerdos eodem ritu, & modo, ſcilicet tenendo Calicem in manibus, omnia hæc verba profert: Lucæ etiam 22. interponuntur verba ſequentia verbis præmiſſis: cum dicitur; *hic Calix novum teſtamentum eſt in meo Sanguine.*

Dicendum eſt ergo, quod omnia prædicta verba ſunt de ſubſtantia formæ: ſed per prima verba, *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, ſignificatur ipſa converſio vini in Sanguinem, eo modo quo in forma conſecrationis panis: per verba autem ſequentia deſignatur virtus Sanguinis effuſi in Paſſione, quæ operatur in hoc Sacramento: quæ quidem ad tria ordinatur: primo quidem, & principaliter ad adipiſcendam æternam hæreditatem, ſecundum illud Hebræorum 10. *habemus fiduciam in introitu Sanctorum, in Sanguine Chriſti*: & ad hoc deſignandum dicitur, *novi & æterni teſtamenti*: ſecundo ad juſtitiam gratiæ, quæ eſt per fidem, ſecundum, illud Rom. 3. *Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in Sanguine ejus, ut ſit ipſe juſtus, & juſtificans eam, qui eſt ex fide Jeſu Chriſti*, quantum ad hoc ſubditur, *Myſterium fidei*: Tertio autem ad removendum impedimenta utriuſque prædictorum, ſcilicet peccata, ſecundum illud Heb. *Sanguis Chriſti emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis*, id eſt a peccatis, & quantum ad hoc ſubditur, *qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* 3. *part. quæſt.* 78. *art.* 3. 4. *ad Hannib. diſt.* 8. *art.* 4.

QUÆR. 38. *An nedum hæc verba, hic eſt Calix Sanguinis mei, ſed etiam ea quæ ſequuntur, ſint eſſentialia Sanguini Chriſti prout in hoc Sacramento conſecratur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quamvis illa quæ ſequuntur, ſint ut proprietates conſequentes Chriſti Sanguinem, inquantum hujuſmodi, ſunt tamen eſſentialia Sanguini Chriſti, inquantum eſt per paſſionem effuſus: non autem ſeorſum a corpore conſecratur Sanguis Chriſti, ſicut nec aliæ partes ejus, niſi pro eo quod eſt in paſſione effuſus: & ideo illa quæ ſequuntur ſunt eſſentialia Sanguini, prout in hoc Sacramento conſecratur; Et ideo oportet quod ſint de ſubſtantia formæ. 4. *d.* 8. *qu.* 2. *art.* 2. *qu.* 1. *ad* 3.

QUÆR. 39. *Utrum omnia verba prædicta ſint de neceſſitate formæ in Sanguinis conſecratione.*

Reſp. D. Thomas, circa iſta verba, quibus Eccleſia utitur in conſecratione Sanguinis, quidam opinantur, quod non omnia ſint de neceſſitate formæ, ſed ſolum quod dicitur, hic eſt Calix Sanguinis mei, non autem reſiduum quod ſequitur, novi & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Sed hoc non videtur convenienter dici: nam totum illud quod ſequitur eſt quædam determinatio prædicati: Unde & ad ejuſdem locutionis ſententiam ſeu ſignificationem pertinet. Et quia, ut ſæpe dictum eſt, formæ Sacramentorum ſignificando efficiunt, totum pertinet ad vim effectivam formæ. Nec obſtat ratio quam inducunt, quod in conſecratione Corporis ſufficit quod dicitur, hoc eſt Corpus meum, quia Sanguis ſeorſum conſecratus, ſpecialiter repræſentat paſſionem Chriſti, per quam ejus Sanguis ſeparatus eſt a corpore: & ideo in conſecratione Sanguinis oportuit exprimere Chriſti paſſionis virtutem, quæ attenditur, 1. *ad Corinth.* 11. *lect.* 6.

QUÆR. 40. *Quid dicendum ſit de mutatione, additione, vel ſubtractione hujuſmodi verborum.*

Reſp. D. Thomas, de mutatione, additione, & ſubtractione idem dicendum hic quod ſupra poſitum eſt de forma baptiſmi. 4. *d.* 8. *qu.* 2. *art.* 2. *qu.* 3. *ad* 8.

QUÆR. 41. *An poſſit fieri conſecratio, ſi omittantur ritus, indumenta &c. & utrum peccet omittens, & ſit degradandus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod remotis his, quæ non ſunt de eſſentia rei, nihilominus res manet: unde cum ritus hujuſmodi quantum ad determinationem horæ, vel loci, vel indumentorum non ſint de eſſentia Sacramenti, ſed de ſolemnitate, ſi omittantur, nihilominus conſecratum eſt Sacrificium; dummodo adſint ea quæ ſunt de eſſentia Sacramenti, ſcilicet ordo, & intentio ex parte conſecrantis, & materia, & forma ex parte conſecrati. Tamen graviter peccat qui taliter facit, & degradandus eſſet. 4. *ſent. diſt.* 13. *quæſt.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 6. *in corp.*

QUÆR. 42. *An conſecratio Euchariſtiæ ſit propria Sacerdotis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod hoc Sacramentum eſt tantæ dignitatis, quod non conficitur, niſi in perſona Chriſti: quicunque autem aliquid agit in perſona alterius, oportet hoc fieri per poteſtatem ab illo conceſſam: ſicut autem baptizato conceditur a Chriſto poteſtas ſumendi hoc Sacramentum, ita Sacerdoti cum ordinatur, confertur poteſtas hoc Sacramentum conſecrandi in perſona Chriſti: per hoc enim ponitur in gradu eorum, quibus dictum eſt a Domino, *hoc facite in meam commemorationem*: & ideo dicendum eſt, quod proprium eſt Sacerdotum conficere

Digitized by Google

hoc Sacramentum. 3. *part. quæſt.* 82. *art.* 1. *in corp.*

QUÆR. 43. *An plures Sacerdotes poſſint unam, & eandem Hoſtiam conſecrare.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod Sacerdos cum ordinatur, conſtituitur in gradu eorum, qui a Domino acceperunt poteſtatem conſecrandi in cœna: & ideo ſecundum conſuetudinem quarundam Eccleſiarum, ſicut Apoſtoli Chriſto cœnanti concœnaverunt, ita novi ordinati Epiſcopo ordinanti concelebrant; nec propter hoc iteratur conſecratio ſuper eandem Hoſtiam, quia ſicut Innocent. III. dicit: *omnium intentio debet ferri ad idem inſtans conſecrationis.* 3. *p. p. qu.* 82. *art.* 2. *in corp.* 4. *ſent. d.* 13. *qu.* 1. *art.* 2. *qu.* 2. *in corp.*

QUÆR. 44. *An Sacerdotes mali, hæretici, ſchiſmatici, excommunicati, vel degradati poſſint conficere Euchariſtiam.*

Reſpondetur *v. Sacramentum, qu.* 34.

QUÆR. 45. *An & quomodo Euchariſtia ſit perfectio omnium perfectionum, & omnes qui alia Sacramenta ſuſcipiunt, per hoc Euchariſtiæ Sacramentum in fine confirmentur.*

Reſp. D. Thomas, ultimum cujuslibet rei extra ſeipſam, eſt principium a quo res habet eſſe; quia per conjunctionem ad ipſum res complentur & firmantur, & propter diſtantiam ab ipſo deficiunt; ſicut corruptibilia propter longe diſtare a primo, ut dicitur in 2. de gener. text. 59. Et ideo primum agens habet etiam rationem ultimi finis perficientis. Fons autem Chriſtianæ vitæ eſt Chriſtus: Et ideo hoc modo Euchariſtia perficit Chriſto conjungens: & ideo hoc Sacramentum eſt *perfectio omnium perfectionum*, ut Dionyſ. dicit: unde & *omnes, qui Sacramenta alia accipiunt, hoc Sacramento in fine confirmantur*, ut ipſe dicit. 4. *d.* 8. *qu.* 1. *art.* 1. *qu.* 1. *ad* 1.

QUÆR. 46. *Quænam ſint utilitates Euchariſtiæ, quando digne ſumitur.*

Reſp. D. Thomas, ſex ſunt utilitates, quas efficit Corpus Chriſti, cum digne ſumitur. Prima, peccatorum remiſſio: Ambroſ. *paratus aſſiſte, ut Corpus Domini edas, in quo eſt remiſſio peccatorum, & poſtulatio divinæ reconciliationis.* Secunda, a Dæmonibus liberatio: Ambroſ. *Suſcipe Dominum Jeſum tuæ mentis hoſpitio; & cum viderit diabolus hoſpitium tuum occupatum, & cæleſti fulgere præſentia, intelliget locum tentationis ſuæ interclusum per Chriſtum.* Tertia, ineffabilis ſpiritus delectatio: Sapient. 16. *Paratum panem de Cælo præſtitiſti illis, omne delectamentum in ſe habentem.* Quarta, ipſius animæ in ſanctitate confirmatio: Pſal. 103. *Panis cor hominis confirmet.* Quinta, ad moriendum, & præliandum pro amore Dei confortatio: 1. Mach. 6. *Elephantis oſtenderunt ſanguinem uvæ, ad acuendos eos in prælium.* Sexta, æterna animæ vivificatio: Joan. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*; & ibidem: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam. Serm.* 4. *de mortuis. Et Opuſc.* 58. *de Sacramento Altaris.*

QUÆR. 47. *Utrum effectus Sacramenti Euchariſtiæ ſit remiſſio peccati mortalis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod virtus hujus Sacramenti poteſt conſiderari dupliciter: uno modo ſecundum ſe; & ſic hoc Sacramentum habet virtutem ad remittendum quæcunque peccata ex Paſſione Chriſti, quæ eſt fons & cauſa remiſſionis peccatorum: Alio modo poteſt conſiderari per comparationem ad eum qui recipit hoc Sacramentum, prout in eo invenitur, vel non invenitur impedimentum percipiendi hujus Sacramenti effectum: quicunque autem habet conſcientiam peccati mortalis, habet in ſe impedimentum percipiendi effectum hujus Sacramenti: eo quod non eſt conveniens ſuſceptor hujus Sacramenti: tum quia non vivit ſpiritualiter; & ita non debet ſpirituale nutrimentum ſuſcipere, quod non eſt niſi viventis: tum quia non poteſt uniri Chriſto (quod fit per hoc Sacramentum) dum eſt in affectu peccandi mortaliter: Et ideo, ut dicitur in lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus: *ſi mens in affectu peccandi eſt, gravatur magis Euchariſtiæ perceptione, quam purificetur*; unde hoc Sacramentum in eo qui ipſum percipit in conſcientia peccati mortalis non operatur remiſſionem peccati.

Poteſt tamen hoc Sacramentum operari remiſſionem peccati dupliciter: uno modo non perceptum actu, ſed voto; ſicut cum quis primo juſtificatur a peccato: alio modo etiam perceptum ab eo qui eſt in peccato mortali, cujus conſcientiam & affectum non habet: forte enim primo non fuit ſufficienter contritus; ſed devote & reverenter accedens, conſequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remiſſionem peccati. 3. *p. q.* 79. *artic.* 3. *in corp.*

QUÆR. 48. *Utrum per Sacramentum Euchariſtiæ remittantur peccata venialia, ſicut Innocent. III. dicit in lib.* 4. *de Myſteriis Miſſæ: quod hoc Sacramentum venialia delet, & cavet mortalia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in hoc Sacramento duo poſſunt conſiderari; ſcilicet ipſum Sacramentum, & res Sacramenti: Et

Digitized by Google

ex utroque apparet, quod hoc Sacramentum habet virtutem ad remiſſionem venialium peccatorum: nam hoc Sacramentum ſumitur ſub ſpecie cibi nutrientis: nutrimentum autem cibi eſt neceſſarium corpori ad reſtaurandum id quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis: ſpiritualiter autem quotidie aliquid in nobis deperditur ex calore concupiſcentiæ per peccata venialia, quæ diminuunt fervorem charitatis: Et ideo competit huic Sacramento, ut remittat peccata venialia: unde & Ambroſ. dicit in libro de Sacramentis, quod *iſte panis quotidianus ſumitur in remedium quotidianæ infirmitatis*: res autem hujus Sacramenti eſt Charitas non ſolum quantum ad habitum, ſed etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc Sacramento, per quod peccata venialia ſolvuntur; unde manifeſtum eſt, quod virtute hujus Sacramenti remittuntur peccata venialia. *3. p. q. 79. art. 4. in corp.*

QUÆR. 49. *An per hoc Euchariſtiæ Sacramentum præſervetur homo a peccatis futuris, juxta illud Joan. 6. Hic eſt panis de Cælo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod peccatum eſt quædam ſpiritualis mors animæ: unde hoc modo præſervatur aliquis a peccato futuro, quo præſervatur a morte futura: quod quidem fit dupliciter: uno modo inquantum natura hominis interius roboratur contra interiora corruptiva: & ſic præſervatur a morte per cibum & medicinam: alio modo per hoc, quod præmunitur contra exteriores impugnationes; & ſic præſervatur per arma, quibus munitur corpus: utroque autem modo hoc Sacramentum præſervat a peccato: nam primum quidem per hoc, quod Chriſto conjungit per gratiam, roborat ſpiritualem vitam hominis, tanquam ſpiritualis cibus, & ſpiritualis medicina; ſecundum illud Pſalm. 103. *Panis cor hominis confirmat*, ut Auguſtin. dicit ſuper Joan. *Securus accede, panis, eſt, non venenum*: alio modo inquantum eſt quoddam ſignum Paſſionis Chriſti, per quam victi ſunt dæmones, repellit omnem dæmonum impugnationem; unde Chryſoſt. dicit ſuper Joann. *Ut Leones flammam ſpirantes, ſic ab illa menſa diſcedamus terribiles effecti diabolo. 3. p. q. 79. art. 6. in corp.*

QUÆR. 50. *Utrum Euchariſtia diminuat fomitem concupiſcentiæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod licet hoc Sacramentum non directe ordinetur ad diminutionem fomitis, diminuit tamen fomitem ex quadam conſequentia, inquantum auget charitatem, quia ſicut Auguſtin. dicit in lib. 83. Quæſtion. *Augmentum charitatis eſt diminutio cupiditatis*; directe autem confirmat cor hominis in bono, per quod etiam præſervatur homo a peccato. *3. p. quæſt. 79. art. 7. ad 3.*

Plura Euchariſtiam concernentia videantur ſupra v. Communio, & infra v. Miſſa, & Sacrificium.

EUSTOCHIA.

Videatur *v. Solertia.*

EUTRAPELIA.

Videatur *v. Ludus.*

EXCOMMUNICATIO.

QUÆR. 1. *Utrum excommunicatio bene diffiniatur, ſeparatio a communione Eccleſiæ quoad fructum, & ſuffragia generalia: quænam ſit excommunicatio major, & minor.*

RESP. D. Thomas, dicendum, quod ille, qui per Baptiſmum in Eccleſia ponitur, ad duo aſcribitur; ſcilicet ad cœtum fidelium, & ad Sacramentorum participationem: & hoc ſecundum præſupponit primum: quia in Sacramentis participandis etiam fideles communicant: & ideo aliquis poteſt extra Eccleſiam fieri per excommunicationem dupliciter.

Uno modo ita quod ſeparetur tantum a participatione Sacramentorum, & hæc erit excommunicatio minor: alio modo ita quod excludatur ab utroque, & ſic erit excommunicatio major, quæ hic diffinitur. Non autem poteſt eſſe tertium, ſcilicet quod excludatur a communione fidelium, & non a participatione Sacramentorum ratione jam dicta, quia ſcilicet fideles in Sacramentis communicant.

Sed communicatio fidelium eſt duplex, quædam in ſpiritualibus, ſicut ſunt mutuæ orationes, & conventus ad ſacra percipienda, quædam in corporalibus actibus legitimis: qui quidem legitimi actus, & licita communio his Verſibus continentur:

Si pro delictis anathema quis efficiatur,
Os, orare, vale, communio, Menſa negatur.

Os, ſcilicet, ne detur oſculum; orare, ne cum excommunicatis oremus; Vale, ne ſalutentur; communio, ne ſcilicet in Sacramentis cum ipſis aliquis communicet; menſa negatur, ne aliquis cum eis comedat. Præmiſſa ergo diffinitio importat ſeparationem a Sacramentis in hoc quod dicit, *quan-*

Digitized by Google

quantum ad fructum, & a communione fidelium quantum ad ſpiritualia, in hoc quod dicit, *& ſuffragia Eccleſiæ communia*. Alia autem diffinitio invenitur, quæ datur ſecundum ſeparationem ab utriſque actibus, quæ talis eſt, *excommunicatio eſt a qualibet licita communione, ac legitimo actu ſeparatio*. 4. *d.* 28. *qu.* 1. *art.* 1. *q.* 1.

QUÆR. 2. *An & quomodo ſicut pro infidelibus, ita etiam pro excommunicatis orare poſſimus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod pro infidelibus oratur; ſed ipſi fructum orationis non percipiunt, niſi ad fidem convertantur. Similiter & pro excommunicatis orari poteſt, quamvis non inter orationes, quæ pro membris Eccleſiæ fiunt, & tamen fructum non participant, quamdiu in excommunicatione manent; ſed oratur, ut detur eis ſpiritus pœnitentiæ, ut ab excommunicatione ſolvantur. *Ibidem ad* 1.

QUÆR. 3. *Quomodo ſuffragia Eccleſiæ dirigi poſſint ad converſionem eorum, qui ſunt excommunicati: & utrum excommunicatio etiam injuſta privet gratia, & charitate.*

Reſpond. D. Thomas, dicendum, quod ſuffragia alicujus valent alicui ſecundum quod ei continuantur: poteſt autem actio unius alteri continuari dupliciter: uno modo ex vi charitatis, quæ omnes fideles connectit, ut ſint unum in Deo, ſicut dicitur Pſalm. 118. *Particeps ego ſum omnium timentium te, &c.* & hanc continuationem excommunicatio non intercipit, quia juſte excommunicari quis non poteſt, niſi pro culpa mortali, per quam jam a Charitate diviſus eſt, etiamſi non excommunicetur.

Injuſta autem excommunicatio Charitatem alicui auferre non poteſt, cum ſit de maximis bonis, quæ non poſſunt alicui invito auferri. Alio modo per intentionem ſuffragia facientis, quæ in aliquem fertur, pro quo fiunt, & hanc continuationem excommunicatio intercipit: quia Eccleſia per excommunicationis ſententiam ſeparat excommunicatos ab univerſitate fidelium, pro quibus ſuffragia facit: unde ſuffragia Eccleſiæ non proſunt, quæ pro tota Eccleſia fiunt.

Nec ex perſona Eccleſiæ oratio pro eis inter membra Eccleſiæ fieri poteſt; quamvis aliqua perſona privata poſſit ad eorum converſionem aliquod ſuffragium per intentionem dirigere. 4. *ſent. diſt.* 18. *qu.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1. *ad* 2.

QUÆR. 4. *An Eccleſia debeat aliquando aliquos excommunicare.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod judicium Eccleſiæ conforme debet eſſe judicio Dei; Deus autem multipliciter peccatores punit, ut eos ad bonum trahat: uno modo flagellis caſtigando: alio modo hominem ſibi relinquendo, ut auxiliis ſubtractis, quibus a malo præpediebatur, ſuam infirmitatem agnoſcat, & humilis ad Deum redeat, a quo ſuperbus abſceſſit; & quantum ad utrumque, Eccleſia in excommunicationis ſententia Divinum judicium imitatur; inquantum enim eum a communione fidelium ſeparat, ut erubeſcat, imitatur Divinum judicium, quo per flagella caſtigat; inquantum autem a ſuffragiis, & aliis ſpiritualibus ſeparat, imitatur Divinum judicium, quo hominem ſibi relinquit, ut per humilitatem ſeipſum cognoſcens ad Deum redeat. 4. *ſent. d* 18. *qu.* 2. *artic.* 1. *quæſt. unc.* 2. *in corp.* 2. 2. *qu.* 33. *art.* 2. *ad* 3.

QUÆR. 5. *Cur nullus excommunicari debet niſi pro peccato mortali: & utrum poſſit excommunicari aliquis pro damno temporali; ſed tamen non debeat ferri excommunicatio niſi contra contumacem; eo quod eſt graviſſima pœna.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod per excommunicationem Judex Eccleſiaſticus excommunicatos excludit a Regno quodammodo: unde cum non debeat excludere niſi indignos, nec aliquis reddatur indignus, niſi per peccatum mortale amiſerit Charitatem, quæ eſt via ducens ad Regnum; ideo nullus excommunicari debet, niſi pro peccato mortali: & quia in damnificando aliquem corporaliter, vel in rebus temporalibus aliquis mortaliter peccat, & contra Charitatem facit, ideo pro damno temporali illato, Eccleſia aliquem excommunicare poteſt. Sed quia excommunicatio eſt graviſſima pœnarum; pœnæ autem medicinæ ſunt, ſecundum Philoſ. in 2. Ethic. ſapientis autem Medici eſt a levioribus medicinis incipere, & minus periculoſis; ideo excommunicatio infligi non debet etiam pro peccato mortali, niſi contumax fuerit; vel non veniendo ad judicium; vel ante terminationem judicii ſine licentia recedendo; vel determinationi non parendo: tunc enim poſtquam monitus fuerit, ſi obedire contempſerit, contumax reputatur, & excommunicari debet a judice jam non habente quid contra ipſum faciat amplius. 4. *ſent. diſt.* 18. *qu.* 2. *artic.* 1. *qu.* 3. *in corp.* 4. *ad Hannib. d.* 18. *qu.* 2. *artic.* 1. *ad* 3.

QUÆR. 6. *Quomodo intelligatur illud Apoſtoli* 2. *ad Theſſalonic.* 3. *Si quis non obedit verbo noſtro, per epiſtolam hunc notate: & non commiſceamini cum illo ut confundatur: & noli-*

nolite quaſi inimicum exiſtimare; ſed corripite ut fratrem.

Reſp. D. Thomas, primo ponit culpam: ſecundo ejus manifeſtationem: tertio ejus punitionem.

Culpa eſt inobedientia: & ideo dicit, quod *ſi quis non obedierit*. 1. Reg. 15. *Quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare; & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere*. Manifeſtatio, & convictio ponitur, cum dicit, *hunc per epiſtolam notate*, ideſt manifeſtate; ſed per veritatis inquiſitionem: Job. 29. *Cauſam, quam neſciebam, diligentiſſime inveſtigabam*: pœna eorum eſt ſententia excommunicationis: unde dicit, *& non commiſceamini cum illo* &c. 1. Cor. 5. *Cum hujuſmodi nec cibum ſumere*. 2. Joan. *Nolite recipere eum in domum, nec, ave, ei dixeritis*.

Hinc nota quod excommunicatio infligitur pro inobedientia: debet tamen eſſe convictus: unde dicit, *ſi quis non obedierit, per epiſtolam hunc notate*, ideſt ſignificate nobis, ut puniatur: & tamen vos interim, *ne commiſceamini cum illo*.

Sed effectus pœnæ eſt, ut confundatur, & ex hoc reſipiſcat: Eccl. 4. *Eſt confuſio adducens peccatum: & eſt confuſio adducens gloriam*. Finis autem & intentio debet eſſe ejus correctio, quam intendit charitas: unde dicit, *& nolite quaſi inimicum exiſtimare*, quia non debet fieri ex livore odii, ſed ex ſtudio Charitatis: quaſi dicat, quod ipſum vitatis, non fiat ex odio inimicitiæ: Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos*: & ideo dicit, ſed *corripite ut fratrem*: in quo oſtenditur Charitas, Pſal. 132. *Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum, &c. in expoſit. illius cap. lect.* 2.

QUÆR. 7. *Quæ damna incurrantur per excommunicationem: & cur in primitiva Eccleſia excommunicati tradebantur viſibiliter in manum Sathanæ, ut patet 1. ad Corinth.* 5.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ex hoc ipſo quod aliquis ſuffragiis Eccleſiæ privatur, triplex incommodum incurrit per tria, quæ quis ex ſuffragiis Eccleſiæ conſequitur.

Valent enim ad augmentum gratiæ eis qui habent, vel ad merendum eis qui non habent: & quantum ad hoc magiſter dicit, quod *gratia Dei per excommunicationem ſubtrahitur*; valent etiam ad cuſtodiam virtutis, & quantum ad hoc dicit, quod *protectio ſubtrahitur*: non quod omnino a Dei providentia excludatur; ſed quod ab illa protectione, qua filios Eccleſiæ ſpecialiori modo cuſtodit: valent item ad defendendum ab hoſte, & quantum ad hoc dicit, quod *Diabolo major poteſtas ſæviendi in ipſum datur, & ſpiritualiter, & corporaliter.*

Unde in primitiva Eccleſia, quando oportebat per ſigna ad fidem omnes invitare, ſicut Spiritus Sancti Donum viſibili ſigno manifeſtabatur, ita excommunicatio corporali vexatione a Diabolo innoteſcebat. Nec eſt inconveniens, ſi ille, qui non eſt deſperatus, hoſti datur: quia non datur ei quaſi damnandus, ſed quaſi corrigendus: cum in poteſtate Eccleſiæ ſit ex ejus manu ipſum eripere cum voluerit. 4. *ſent. d.* 18. *qu* 2. *art.* 1. *qu.* 2. *ad* 3.

QUÆR. 8. *Quomodo peccatores ex pœna excommunicationis diſcant non peccare, juxta illud Apoſtoli 1. ad Timoth. 1. Quos tradidi Sathanæ, ut diſcant non blaſphemare.*

Reſp. Div. Thomas, diſcit quis recedere a peccato tripliciter. Quandoque ſcilicet ex pœna, quando corporaliter vexatur. Item ex confuſione excommunicationis. Item ex hoc quod cum Eccleſia tradit aliquem Sathanæ, ruit in peccata manifeſta, unde confuſus humiliatur, & abſtinet etiam ab occultis, quæ prius non cognoſcebat ſe habere. *In expoſit. illius cap. lect.* 4.

QUÆR. 9. *Cur ſicut ait D. Gregorius: ſententia Paſtoris ſive juſta, ſive injuſta timenda eſt: & quomodo ſe gerere debeat ille, qui excommunicatur injuſte.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod excommunicatio poteſt dici injuſta dupliciter: uno modo ex parte excommunicantis, ſicut cum ex odio, vel ira excommunicat; & tunc excommunicatio nihilominus habet effectum ſuum, quamvis ille, qui excommunicat, peccet; quia iſte juſte patitur, quamvis ille injuſte faciat.

Alio modo ex parte ipſius excommunicationis, vel quia cauſa excommunicationis eſt indebita; vel quia infertur ſententia juris ordine prætermiſſo: & tunc ſi ſit talis error ex parte ſententiæ, qui ſententiam nullam faciat eſſe, non habet effectum, quia non eſt excommunicatio: ſi autem ſententiam non annullet, habet effectum ſuum: & debet excommunicatus humiliter obedire; & erit ei ad meritum, vel abſolutionem petere ab excommunicante, vel ad Superiorem judicem recurrere: ſi autem contemneret, eo ipſo mortaliter peccaret.

Contingit autem quandoque, quod eſt debita cauſa ex parte excommunicationis, quæ non eſt debita ex parte excommunicati: ſicut cum aliquis pro falſo crimine in judicio probato excommunicatur: & tunc ſi humiliter ſuſtinet humilitatis meritum recompenſat excommunicationis damnum. 4. *ſent. d.* 18. *q.* 2. *art.* 1. *qu.* 4. *in corp.*

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 10. *An ſoli Epiſcopi, & majores Prælati, vel etiam quandoque Presbyteri Parochiales excommunicare poſſint.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in foro conſcientiæ cauſa agitur inter hominem, & Deum; in foro autem exterioris judicii cauſa agitur hominis ad hominem: & ideo abſolutio, vel ligatio, quæ unum hominem obligat quoad Deum tantum, pertinet ad forum pœnitentiæ; ſed illa, quæ hominem obligat in comparatione ad alios homines, ad forum publicum exterioris judicii pertinet: & quia per excommunicationem homo a communione fidelium ſeparatur; ideo excommunicatio ad forum exterius pertinet; & illi ſoli poſſunt excommunicare, qui habent juriſdictionem in foro judiciali: & propter hoc ſoli Epiſcopi propria authoritate, & majores Prælati ſecundum communiorem opinionem poſſunt excommunicare.

Sed Presbyteri Parochiales nonniſi ex commiſſione eis facta; vel in certis caſibus, ſicut in furto, & rapina, & hujuſmodi, in quibus eſt eis a jure conceſſum, quod excommunicare poſſint.

Alii vero dixerunt, quod etiam Sacerdotes Parochiales poſſunt excommunicare: ſed prædicta opinio eſt rationabilior. 4. *ſent. d.* 18. *q.* 2. *art.* 2. *q.* 1. *in corp. d.* 19. *q.* 1. *art.* 1. *q.* 3. *in corp.*

QUÆR. 11. *Utrum etiam illi, qui non ſunt Sacerdotes excommunicare poſſint, dummodo juriſdictionem habeant in foro contentioſo.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Sacramenta, in quibus gratia confertur, diſpenſare ad ſolos Sacerdotes pertinet: & ideo illi ſoli poſſunt abſolvere, & ligare in foro pœnitentiali: ſed excommunicatio non directe reſpicit gratiam, ſed ex conſequenti inquantum homo ſuffragiis Eccleſiæ privatur, quæ ad gratiam diſponunt, vel in gratia conſervant, & ideo etiam non Sacerdotes, dummodo juriſdictionem habeant in foro contentioſo, poſſunt excommunicare. 4. *ſent. d.* 18. *qu.* 2. *art.* 2. *qu.* 2. *in corp.*

QUÆR. 12. *Utrum excommunicatus, aut ſuſpenſus poſſit excommunicare.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod uſus juriſdictionis eſt in comparatione ad alium hominem: & ideo cum omnis excommunicatus a communione fidelium ſeparetur, quilibet excommunicatus uſu juriſdictionis privatur: & quia excommunicatio eſt juriſdictionis privatio: ideo excommunicatus excommunicare non poteſt.

Et eadem ratio eſt de ſuſpenſo a juriſdictione: ſi enim ſit ſuſpenſus ab ordine tantum, tunc non poteſt ea, quæ ſunt ordinis, ſed poteſt ea quæ ſunt juriſdictionis; & e converſo, ſi ſit ſuſpenſus a juriſdictione, & non ab ordine: ſi autem ab utroque, tunc neutrum poteſt. 4. *ſent. diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 2. *q.* 3. 4. *ad Hannib. d.* 18. *q.* 2. *art.* 2.

QUÆR. 13. *Utrum aliquis poſſit ſeipſum, vel ſuperiorem, vel æqualem excommunicare.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod cum per juriſdictionem aliquis conſtituatur in gradu ſuperioritatis reſpectu ejus, in quem habet juriſdictionem, quia eſt judex ejus: ideo nullus habet in ſeipſum, vel in ſuperiorem, vel in æqualem, juriſdictionem: & per conſequens nullus poteſt ſeipſum excommunicare, vel ſuperiorem, vel æqualem. 4. *ſent. d.* 18. *qu.* 2. *art.* 3. *quæſtiunc.* 1. *in corp. d.* 20. *art.* 5. *quæſt.* 4. *ad.* 3.

QUÆR. 14. *An communitas poſſit excommunicari: & utrum ſit peccatum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod excommunicari non debet aliquis, niſi pro peccato mortali: peccatum autem in actu conſiſtit, actus autem non eſt Communitatis, ſed ſingularum perſonarum, ut frequenter: & ideo ſinguli de Communitate excommunicari poſſunt, non autem ipſa Communitas.

Et ſi etiam quandoque actus ſit totius alicujus multitudinis, ut quando multi navim trahunt, quam nullus trahere poſſet, non tamen eſt probabile, quod aliqua Communitas ita tota ad malum conſentiat, quin aliqui ſint diſſentientes: & quia *non eſt Dei, qui judicat omnem terram, ut condemnet Juſtum cum impio;* ut dicitur Geneſis 18. Ideo Eccleſia, quæ judicium Dei imitari debet, ſatis provide ſtatuit, ut tota Communitas non excommunicetur, ne collectis zizaniis ſimul eradicetur & triticum. 4. *ſent. d.* 18. *q.* 2. *art.* 3. *qu.* 2. *in corp.*

QUÆR. 15. *Quomodo in excommunicatione ferenda obſervari debeat præceptum Patriſfamilias Matth.* 13. *De ſeparatione bonorum a malis: & cur non ſit conveniens, quod multitudo, & Principes excommunicentur.*

Reſp. D. Thomas dicendum, quod in illo præcepto Patriſfamilias duplex conditio intelligitur: una eſt, ut exponatur præceptum de univerſali ſeparatione malorum a bonis: & hoc accipitur ex ipſa quæſtione meſſorum, qui dicunt, *vis imus, & colligimus ea?* Hoc enim non erit uſque ad diem judicii: ſecunda conditio eſt, ut intelligatur præceptum quando mali ſine periculo bonorum extirpari non poſſunt; & hoc patet ex reſponſione Patriſfamilias, qui dixit, *ne forte colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum.*

Quod quidem tribus modis contingere poſ-

Digitized by Google

ſet: uno modo, ſi aliquis præſcinderetur antequam de ejus malitia conſtaret; unde dicit Gloſſa, quod *monet Dominus, ne ambigue judicemus*: ſecundo, ſi non eſſet in malitia obſtinatus; unde nullus excommunicatur niſi propter contumaciam: unde dicit Gloſſa ibidem: *monemur non cito amputare; quia qui hodie errat, forte cras defendat veritatem*: & Timoth. ult. dicitur, *hæreticum hominem, poſt primam & ſecundam correctionem devita*: tertio, ſi ſimul boni cum malis involvantur; propter quod dicit ibi Gloſſa Auguſtini, quod *multitudo non eſt excommunicanda, nec Principes populi*. Iſtis autem remotis debent mali præſcindi, ſecundum illud 1. Cor. 4. *auferte malum ex vobis, quodl. 10. art. 15. ad 1.*

QUÆR. 16. Utrum aliquis excommunicari poſſit abſque peccato proprio; ſicut abſque ipſo ſuſpenditur.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſuſpenſio non tanta pœna eſt, quanta excommunicatio, quia ſuſpenſi non fraudantur Eccleſiæ ſuffragiis, ſicut excommunicati: unde etiam aliquis ſine peccato proprio ſuſpenditur, ſicut & totum regnum ſupponitur interdicto pro peccatis Regis: & ideo non eſt ſimile de excommunicatione & ſuſpenſione. 4. *ſent. d.* 18. *q.* 2. *art.* 3. *qu.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 17. Utrum aliquis poſſit pluribus excommunicationibus excommunicari.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ille, qui excommunicatus eſt una excommunicatione, poteſt iterum excommunicari per ejuſdem excommunicationis reiterationem, ad majorem ſui confuſionem; ut vel ſic a peccato reſiliat, vel propter alias cauſas: & tunc tot ſunt principales excommunicationes, quot cauſæ, pro quibus aliquis excommunicatur. 4. *ſent. d.* 18. *q.* 2. *art.* 3. *in corp.*

QUÆR. 18. Utrum aliquis debeat permittere ſe potius excommunicari, quam indigne Euchariſtiam ſumere.

Reſpondetur ſupra *v. Communio q.* 65.

QUÆR. 19. An & in quibus caſibus liceat participare in pure corporalibus cum excommunicato excommunicatione majori, vel minori.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut prædictum eſt, duplex eſt excommunicatio: una eſt minor, quæ ſeparat tantum a participatione Sacramentorum, ſed non a Communione fidelium; & ideo tali excommunicato licet communicare, ſed non licet ei Sacramenta conferre: alia eſt major excommunicatio, & hæc ſeparat hominem a Sacramentis Eccleſiæ, & a communione fidelium; & ideo excommunicato tali excommunicatione communicare non licet.

Sed quia Eccleſia excommunicationem ad medelam, & non ad interitum inducit, excipiuntur ab hac generalitate quædam, in quibus communicare licet; ſcilicet in his, quæ pertinent ad ſalutem, quia de talibus homo licite cum excommunicato loqui poteſt, & etiam alia verba interſerere, ut facilius ſalutis verba ex familiaritate recipiantur.

Excipiuntur etiam quædam perſonæ, ad quas ſpecialiter pertinet proviſio excommunicati, ſcilicet uxor, ſervus, filius, ruſticus, & ſerviens; ſed hoc intelligendum eſt de filiis non emancipatis, alias tenerentur vitare Patrem. De aliis autem intelligitur, quod licet excommunicato communicare, ſi ante excommunicationem ſe ei ſubdiderunt; non autem ſi poſt eam. Quidam autem intelligunt converſo, ſcilicet quod ſuperiores poſſunt licite communicare inferioribus: alii contra dicunt, ſed ad minus in his eis communicare debent, in quibus eis ſunt obligati: quia ſicut inferiores obligantur ad obſequium ſuperiorum, ita ſuperiores ad providentiam inferiorum.

Sunt etiam quidam caſus excepti; ſicut quando ignoratur excommunicatio; & quando aliqui ſunt peregrini, & viatores in terra excommunicatorum, qui licite poſſunt ab eis emere, & vel etiam recipere eleemoſynam: & ſimiliter ſi aliquis videat excommunicatum in neceſſitate; quia tunc ex præcepto Charitatis tenetur ei providere; & hoc verſu continentur.

Utile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

Ut utile referatur ad verba ſalutis, lex ad matrimonium, humile ad ſubjectionem, cætera patent. 4. *ſent. d. quæſt.* 2. *art.* 4. *qu.* 1. *in corp.*

QUÆR. 20. An participans cum excommunicato ſit excommunicatus excommunicatione majori, vel minori.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod excommunicatio poteſt ferri in aliquem dupliciter: aut ita quod ipſe ſit excommunicatus cum omnibus ei participantibus; & ſic non eſt dubium, quod quicunque participat ei, eſt excommunicatus majori excommunicatione: aut eſt excommunicatus ſimpliciter; & tunc aut participat aliquis ei in crimine, præbendo ei auxilium, & conſilium, & favorem, & ſic iterum eſt excommunicatus majori excommunicatione: autem participat in aliis, ſicut in verbo, vel oſculo, vel menſa; & ſic eſt excommunicatus minori excommunicatione. 4. *ſent. d.* 18. *qu.* 2. *art.* 3. *qu.* 2. *in corp.*

QUÆR. 12. An liceat communicare cum excommunicato minori excommunicatione.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod excommunicato minori excommunicatione licet communicare: & ſic excommunicatio non tranſit in tertiam perſonam. 4. *ſent. diſt.* 18. *qu.* 2. *art.* 4. *qu.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 22. *An & quando ille qui communicat cum excommunicatis, peccet mortaliter, aut venialiter.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod aliquis per excommunicationem ſeparatur a communione fidelium, non autem hominum, niſi per accidens: quia intantum ſeparatur a communione hominum, inquantum convenit ſeparari a communione fidelium. Dico ergo quod aliquis poteſt communicare, ſeu participare cum excommunicato directe, & indirecte: directe quidem in his quæ ſunt fidelium: & ſic ille, qui hoc modo ei communicat, peccat mortaliter, & hoc contingit tripliciter: puta ſi communico cum illo in Divinis; ſicut ſi orem pro eo, vel audiam Miſſam cum eo, & in aliis ſpiritualibus; item ſi ex contemptu, & hoc in quocunque communicat quis cum eo, quaſi contemnens mandatum Eccleſiæ, peccat mortaliter; item quicumque participat cum illo in crimine, & in cauſa.

Indirecte vero communicat quis cum eo in his, quæ ſunt hominis, ſicut in verbo, in cibo, & in his, quæ ſunt ſimpliciter humanæ converſationis; ſecundum hoc non peccat mortaliter, ſed venialiter, niſi faciat ex contemptu, ut dictum eſt. *quodl.* 11. *art.* 9. *in corp.*

QUÆR. 23. *An ſit probabilius quod non ſemper mortaliter peccet ille, qui participat cum excommunicato.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quidam dicunt, quod quandocunque aliquis participat excommunicato (vel verbo, vel quocunque dictorum modorum; ſecundum quos ei communicare non licet) peccat mortaliter, niſi in caſibus exceptis a jure: ſed quia hoc videtur valde grave, quod homo pro uno verbo levi quo excommunicatum alloquitur, mortaliter peccet; & multis excommunicantes laqueum damnationis injicerent, quod in eos retorqueretur; ideo aliis probabilius videtur quod non ſemper peccant mortaliter, ſed ſolum quando vel in crimine illis participant, vel in divinis, vel in contemptum Eccleſiæ. 4. *diſt.* 18. *qu.* 2. *art.* 4. *qu.* 3. 4. *ad Hannib. d.* 18. 2. *ad* 3.

QUÆR. 24. *Cur ille qui participat cum excommunicatis in aliis præter divina, non peccet niſi venialiter.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod præceptum Eccleſiæ directe reſpicit ſpiritualia, & ex conſequenti legitimos actus: Et ideo qui communicat ei in divinis facit contra præceptum, & peccat mortaliter: Qui autem participat in aliis, facit præter præceptum, & peccat venialiter. *Ibid. ad* 2.

QUÆR. 25. *An & quando ille, qui participat cum excommunicatis, poſſit excommunicari.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod etiam aliquis ſine culpa quandoque ab Euchariſtia arcetur; ſicut patet in ſuſpenſis, vel interdictis; quia tales pœnæ quandoque alicui pro culpa alterius qui in eis punitur, inferuntur *Ibid. ad* 3.

QUÆR. 26. *An debeant vitari illi excommunicati, de quorum excommunicatione eſt apud peritos diverſa ſententia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod dubitatio de excommunicatione aliquorum, aut præcedit ſententiam Judicum, aut ſequitur: ſi præcedit, puta cum nondum eſt declaratum per Judicum conſenſum aliquos eſſe excommunicatos, non ſunt vitandi, quouſque certo judicio terminetur: in hoc enim caſu certum eſt, quod in mitiorem partem interpretari debemus; unde & Deut. 27. dicitur: *Si difficile, & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris, & judicum intra portas tuas videris verba variari, venies ad Sacerdotes, & ad judicem, quæreſque ab eis, & facies quodcunque dixerint.*

Sed ſi ambiguum oriatur poſt concordem judicum determinationem, magis ſtandum eſt ſententiæ Judicum, duplici ratione: primo quidem, quia Judices ſollicitius diſcutientes negotium, plenius poſſunt percipere veritatem, etiamſi ſint minus periti, quam alii, qui perfunctorie conſtituuntur, & extraordinarie: ſecundo quia hoc eſſet in magnum nocumentum utilitatis communis ſtatus hominum, ſi ſententiæ non ſtaretur, ſed quilibet pro ſuo libito vellet ſententiæ calumniam ingerere: quia ſic litigia eſſent interminabilia: & ideo in tali caſu magis eſt ſtandum ſententiæ Judicum, niſi forte ſit per appellationem ſuſpenſa. *quodlibeto* 4. *artic.* 14. *in corp.*

QUÆR. 27. *An poſſit aliquis communicare cum excommunicatis; quando ſunt omnino occulti.*

Reſpondetur ſupra *v. Communio qu.* 47.

QUÆR. 28. *An quilibet abſolvere poſſit a minori excommunicatione: quandonam Epiſcopus abſolvere poſſit etiam a majori: quinam caſus Summo Pontifici reſerventur: & in quibus caſibus, ille, qui percutit clericum, non incurrit excommunicationem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod a minori

ri excommunicatione quilibet poteſt abſolvere, qui poteſt abſolvere a peccato participationis.

Si autem eſt major, aut eſt lata a Judice; & ſic ille, qui tulit, vel ejus Superior poteſt abſolvere; vel lata a jure; & tunc Epiſcopus, vel etiam Sacerdos poteſt abſolvere.

Exceptis ſex caſibus, quos ſibi juris conditor, ſcilicet Papa reſervavit: primus eſt cum aliquis injicit manus in Clericum, vel Religioſum: ſecundus eſt de illo, qui incendit Eccleſiam, & eſt denuntiatus: tertius eſt de illo, qui frangit Eccleſiam, & denuntiatus eſt; quartus eſt de illo, qui in Divinis ſcienter communicat cum excommunicatis nominaliter a Papa: quintus de illo, qui falſat litteras Apoſtolicæ Sedis: ſextus de illo, qui excommunicatis in crimine communicat; non enim debet abſolvi, niſi ab eo, qui excommunicavit, etiamſi non ſit ejus ſubditus, niſi propter difficultatem accedendi ad ipſum abſolveretur ab Epiſcopo, vel a proprio Sacerdote, præſtita juratoria cautione, quod pareret mandato illius Judicis, qui ſententiam tulit.

A primo autem caſu octo excipiuntur: primus eſt in articulo mortis, in quo a qualibet excommunicatione poteſt quis a quolibet Sacerdote abſolvi: ſecundus ſi ſit oſtiarius alicujus potentis, & non ex odio, vel propoſito percuſſit: tertius ſi percutiens ſit mulier: quartus ſi ſit ſervus, & dominus læderetur de ejus abſentia, qui non eſt in culpa; quintus ſi regularis regularem, niſi ſit enormis exceſſus: ſextus ſi ſit pauper: ſeptimus ſi ſit impubes, vel ſenex, vel valetudinarius: octavus ſi habet inimicitias capitales.

Sunt autem alii caſus ſeptem, in quibus percutiens clericum, excommunicationem non incurrit: primus ſi cauſa diſciplinæ (ut Magiſter, vel Prælatus) percuſſerit: ſecundus, ſi jocoſa levitate: tertius, ſi invenerit eum turpiter agentem cum uxore, vel matre, ſorore, vel filia: quartus, ſi ſtatim vim repellat: quintus, ſi ignoret eum eſſe clericum: ſextus, ſi inveniat eum in apoſtaſia poſt trinam admonitionem: ſeptimus, ſi transfert ſe clericus ad actum penitus contrarium, ut fiat miles, vel ad Bigamiam tranſeat. 4. *ſent. d.* 18. *q.* 2. *art.* 5. *q.* 1. *in corp.*

QUÆR. 29. *Quare omnis Confeſſarius non poſſit abſolvere ab excommunicatione, cum poſſit abſolvere a peccato: & cur cautio juramenti adhibetur in abſolutione ab excommunicatione, non autem in Sacramentali.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quamvis vinculum peccati ſit majus ſimpliciter, quam excommunicationis; tamen quoad aliquid vinculum excommunicationis eſt majus, inquantum non ſolum obligat quoad Deum, ſed etiam in facie Eccleſiæ, & ideo in abſolvendo ab excommunicatione requiritur juriſdictio in exteriori foro, non autem in abſolutione a peccato.

Nec exigitur cautio juramenti, ſicut exigitur in abſolutione ab excommunicatione; per juramenta enim controverſiæ, quæ ſunt inter homines, terminantur, ſecundum Apoſtolum. 4. *ſent. d.* 28. *q.* 2. *art.* 5. *quæſtiunc.* 1. *ad* 1.

QUÆR. 30. *Cur abſolutio ab excommunicatione præcedere debet abſolutionem a peccatis: & utrum poſſit Sacerdos ab aliis peccatis abſolvere, & pro reſervatis ad Superiorem remittere.*

Reſpondetur *v. Abſolutio*, *q.* 7. & *v. Caſus reſervatus*, *q.* 3.

QUÆR. 31. *Utrum aliquis poſſit abſolvi ab excommunicatione etiam invitus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod malum culpæ, & pœnæ differunt in hoc, quod culpæ in nobis principium eſt, quia omne peccatum voluntarium eſt, pœnæ autem principium quandoque eſt extra nos: non autem requiritur ad pœnam, quod ſit voluntaria, imo magis de ratione pœnæ eſt contra voluntatem eſſe: & ideo ſicut peccata non committuntur niſi voluntate, ita non remittuntur alicui invito; ſed excommunicatio ſicut in aliquem invitum ferri poteſt, ita & invitus ab ea abſolvi poterit. 4. *ſentent. d.* 18. *quæſt.* 2. *art.* 5. *quæſtiunc.* 2. *in corp.*

QUÆR. 32. *An ſtante contumacia poſſit quis remittere excommunicationem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod etiam manente contumacia poteſt aliquis diſcrete excommunicationem juſte latam remittere, ſi judicat ſaluti illius expedire, in cujus medicinam excommunicatio lata eſt. 4. *ſentent. d.* 18. *qu.* 2. *art.* 5. *quæſtiunc.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 33. *An irretitus pluribus excommunicationibus poſſit abſolvi ab una, & non ab alia: etiam dum a diverſis Judicibus fuit excommunicatus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod excommunicationes non habent connexionem in aliquo: & ideo poſſibile eſt, quod aliquis ab una abſolvatur, & in altera remaneat. Sed circa hoc ſciendum eſt, quod aliquis quandoque eſt excommunicatus pluribus excommunicationibus ab uno Judice; & tunc quando abſolvitur ab una, intelligitur ab omnibus abſolvi, niſi contrarium exprimatur, vel niſi in caſu quo quis abſolutio-

tio-

Digitized by Google

tionem impetrat de uno tantum caſu excommunicationis; cum pro pluribus excommunicatus ſit.

Quandoque eſt excommunicatus a diverſis Judicibus; & tunc abſolutus ab una excommunicatione, non propter hoc eſt abſolutus ab altera, niſi omnes alii ad petitionem ejus excommunicationem ipſius confirmaverint; vel niſi omnes uni demandent abſolutionem. 4. *ſent. d.* 18. *q.* 2. *art.* 5. *quæſt.* 3. *in corp.*

QUÆR. 34. *Utrum abſolutio ab excommunicatione habeat verba determinata.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod alia eſt ratio de abſolutione ab excommunicatione, quæ non eſt Sacramentalis, ſed magis judiciaria juriſdictionem conſequens, & alia de abſolutione a peccatis in Sacramento pœnitentiæ, quæ conſequitur poteſtatem clavium, & eſt Sacramentalis: in illa enim verba habent efficaciam ab intentione dicentis; unde non refert quibuſcunque verbis utatur ad exprimendum ſuam intentionem; In Sacramentis autem verba habent efficaciam ex inſtitutione Divina; unde tenenda ſunt verba determinata conſonantia Divinæ inſtitutioni: inſtitutioni autem dicentis, *quodcunque ſolveris &c.* iſta verba conveniunt, *ego te abſolvo*: ſicut inſtitutioni dicentis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes &c.* conveniunt iſta verba: *ego te baptizo*; ſicut ergo iſta tenenda ſunt in Baptiſmo, *ego te baptizo*, ita in Pœnitentia, *ego te abſolvo*. *Opuſc.* 32. *cap.* 2.

Excommunicationes Summo Pontifici reſervatæ in Bulla Cœnæ Domini.

1. *Excommunicantur omnes hæretici cujuſcunque ſectæ, eorum fautores, legentes eorum libros, retinentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes, & omnes ſchiſmatici.*

2. *Excommunicantur omnes a Romano Pontifice ad futurum Concilium appellantes.*

3. *Excommunicantur Piratæ, eorumque acceptatores, ac fautores.*

4. *Excommunicantur omnes, qui ſubripiunt bona Chriſtianorum navigantium, licet talia bona in littore inveniantur.*

5. *Excommunicantur nova pedagia, ſeu gabellas, vel augentes, ſeu imponi, vel augeri facientes, & qui prohibita exigunt.*

6. *Excommunicantur falſificantes litteras, aut ſupplicationes ſignatas authoritate Apoſtolica.*

7. *Excommunicantur arma, & alia uſui bellico idonea ad Turcas, vel ad alios inimicos nominis Chriſtiani deferentes.*

8. *Excommunicantur qui impediunt, & invadunt portantes victualia, & neceſſaria in Urbe Roma.*

9. *Excommunicantur, qui ſuo, aut aliorum opere lædunt venientes ad Sedem Apoſtolicam, aut ab ea recedentes.*

10. *Excommunicantur, qui læſerint Romipetas, aut peregrinos ad Urbem accedentes, & in ea morantes, & ab ipſa recedentes; qui dant auxilium, conſilium, aut favorem.*

11. *Excommunicantur, qui nocuerint Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & aliis Prælatis, eoſque ab eorum Diœceſi ejecerint, eorumque fautores.*

12. *Excommunicantur, qui lædunt, & favent lædentibus eos, qui ad Romanam curiam pro negotiis ſuis recurrunt, vel per ſe, vel per alios.*

13. *Excommunicantur, qui appellant a gravamine, vel futura executione litterarum Apoſtolicarum ad laicam poteſtatem.*

14. *Excommunicantur quicunque executionem litterarum Apoſtolicarum, aut aliorum expeditionum impediunt, & ad gratias impetrandas accedentes prohibent.*

15. *Excommunicantur Judices ſæculares, qui trahunt ad Tribunalia perſonas Eccleſiaſticas, quique tollunt, aut perturbant Eccleſiaſticam libertatem.*

16. *Excommunicantur, qui impediunt Prælatos omnes, & alios Judices Eccleſiaſticos, ne ſua juriſdictione utantur, quique illorum & delegatorum judicia eludentes ad cancellarias recurrunt.*

17. *Excommunicantur uſurpantes Sedis Apoſtolicæ, ac quarumcunque Eccleſiarum juriſdictiones, vel fructus etiam ſequeſtrantes.*

18. *Excommunicantur imponentes decimas, & alia onera perſonis Eccleſiaſticis, Eccleſiis, Monaſteriis, aut eorum fructibus.*

19. *Excommunicantur Judices ſæculares, qui ſe interponunt in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus contra Eccleſiaſticas perſonas.*

20. *Excommunicantur occupantes bona, aut terras Eccleſiæ Romanæ, & in illis ſupremam juriſdictionem uſurpantes.*

EXEQUIÆ.

Vide *Sepultura*.

EXORCISMUS.

QUÆR. Cur omnia, quæ ad cultum Divinum ſanctificanda ſunt, prius exorcizantur.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod propter peccatum hominis Diabolus poteſtatem

ſtatem accepit in hominem, & in omnia, quæ in uſum hominis veniunt, in ipſius nocumentum: Et quia *nulla conventio Chriſti ad Belial*, ideo quandocunque aliquid ſanctificandum eſt ad cultum divinum, prius exorcizatur, ut liberatum a poteſtate Diaboli, qua illud in nocumentum hominis aſſumere poterat, Deo conſecretur; & hoc patet in benedictione aquæ, in conſecratione templi, & in omnibus hujuſmodi. 4. *diſt.* 6. *qu.* 4. *a.* 3. *quæſtiunc.* 1. 4. *ad Hannib. d.* 6. *a.* 4.

Plura de Exorciſmo videantur ſupra v. Aqua benedicta, Baptiſmus, q. 54. *& ſeq.* & infra *Sacramentale*.

EXCUSATIO.

QUÆR. Cur ſuper illud Pſal. 11. *Nolite extollere in altum cornu veſtrum, dicit Gloſſa, Maximum eſt vitium excuſationis peccati.*

RESP. D. Thomas, dicendum, quod excuſatio peccati eſt quædam circumſtantia aggravans omne peccatum, etiam ipſam blaſphemiam: & pro tanto dicitur eſſe maximum peccatum, quia quodlibet facit majus. 2. 2. *q.* 13. *a.* 3. *ad* 3.

EXTREMA UNCTIO.

Vide *Unctio Extrema*.

FAMA.

QUÆR. An, quando, & in quibus contemptus; vel appetitus famæ ſit laudabilis, aut vitioſus.

RESP. D. Thomas, dicendum, quod utrumque ſcilicet & contemptus famæ, & appetitus, poteſt eſſe laudabile, & vitioſum: fama enim non eſt neceſſaria homini propter ſeipſum, ſed propter proximum ædificandum: appetere ergo famam propter proximum, charitatis eſt; appetere vero propter ſeipſum, ad inanem gloriam pertinet. Econverſo contemptus famæ ratione ſuiipſius humilitatis eſt, ratione vero proximi, ignavia eſt & crudelitas.

Illi ergo, quibus incumbit ex officio, vel ſtatu perfectionis aliorum ſaluti providere, peccant, niſi infamiam propriam juxta poſſe repellant; alii vero, quibus magis cuſtodia ſuæ propriæ ſalutis imminet, poſſunt ſuæ humilitati providentes, famam, vel infamiam contemnere.

Sed cum infamia dupliciter repellatur, ſcilicet occaſionem ſubtrahendo, & linguas detrahentium compeſcendo: primo modo omnes tenentur infamiam vitare, alias ſine ſcandalo activo tranſiri non poſſet, quod ſemper peccatum eſt; ſed ſecundo modo non tenentur, niſi quatenus debet aliquis ſaluti proximorum providere. *Quodlibet.* 10. *art.* 13. *in corp.*

Plura, quæ famam concernunt, videantur v. Calumnia, Contumelia, Detractio.

FAMILIARITAS.

QUÆR. 1. *Cur, ſicut ait Chriſtus Joan.* 4. *Propheta in patria ſua honorem non habet: & quare familiaritas cum hominibus parit contemptum, cum Deo vero reverentiam.*

RESP. D. Thomas, dicendum quod conſueta converſatio cum hominibus, & nimia familiaritas reverentiam minuit, & contemptum parit; & ideo quos familiares magis habemus, minus revereri conſuevimus, & quos familiares habere non poſſumus, magis reputamus; cujus contrarium contingit de Deo: nam quanto aliquis Deo per amorem, & contemplationem familiarior efficitur, tanto eum excellentiorem reputans magis reveretur, & ſeipſum minorem reputat: & hujus ratio eſt, quia in homine, cum ſit infirmæ, & fragilis naturæ, quando cum alio diu converſatur, cognoſcit in eo aliqua infirma, & ex hoc diminuitur reverentia ejus ad eum; ſed cum Deus ſit immenſe perfectus, quanto plus homo in cognitione ejus proficit, tanto magis perfectionis ejus excellentiam admiratur, & ex hoc eum magis reveretur. *lect.* 6. *ſuper c.* 4. *in Joan.*

QUÆR. 2. *An familiaritas cum peccatoribus ſit habenda.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod convivere peccatoribus, infirmis quidem eſt vitandum propter periculum, quod eis imminet, ne ab eis ſubvertantur; perfectis autem, de quorum corruptione non timetur, laudabile eſt, quod cum peccatoribus convertentur, ut eos convertant; ſic enim Dominus cum peccatoribus manducabat, & bibebat, ut dicitur Matthæi 9. Convictus tamen peccatorum quantum ad conſortium peccati vitandus eſt omnibus: & ſic dicitur 2. ad Cor. 7. *Exite de medio eorum, & immundum ne tetigeritis*, ſcilicet ſecundum peccati conſenſum: 2. 2. *q.* 25. *a.* 6. *ad* 5.

FAS-

Digitized by Google

FASCINATIO.

QUÆR. Quid ſit faſcinatio: & cur Apoſtolus ad Galatas 3. ait: O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit non obedire veritati?

RESP. D. Thomas, dicendum, quod ſecundum Gloſs. faſcinatio proprie dicitur ludificatio ſenſus, quæ per artes magicas fieri conſuevit: puta, cum hominem facit aſpectibus aliorum apparere Leonem, vel cornutum, & hujuſmodi. Et hoc etiam per Dæmones poteſt fieri, qui habent poteſtatem movendi phantaſmata, & reducendi ad principia ſenſuum, ipſos ſenſus immutando. Et ſecundum hanc acceptionem ſatis proprie dicit Apoſt. *Quis vos faſcinavit?* quaſi dicat vos eſtis ſicut homo ludificatus, qui res manifeſtas aliter accipit, quam ſint in rei veritate: quia ſcilicet, vos eſtis ludificati per deceptiones & ſophiſmata; *veritati non obedire*, ideſt, veritatem manifeſtam, & a vobis receptam non videtis, nec obediendo recipitis. Sap. 4. *Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona*. Eſaiæ 5. *Væ qui dicitis bonum malum*, &c. alio modo accipitur faſcinatio ſecundum quod aliquis ex aſpectu malevolo læditur, & hoc maxime in vetulis, quæ viſu urenti & aſpectu invido faſcinant pueros, qui ex hoc infirmantur & vomunt cibum. Hujus cauſam volens aſſignare Avicenna in lib. ſuo de anima dicit, quod materia corporalis obedit ſubſtantiæ intellectuali: magis quam qualitatibus activis & paſſivis in natura, & ideo ponit quod ad apprehenſionem ſubſtantiarum intellectualium (quas vocat animas, ſeu motores orbium) multa fiunt præter ordinem motus cæli, & omnium corporalium agentium.

Eodem modo dicit, quod quando anima ſancta depurata eſt ab affectibus terrenorum, & a carnalibus vitiis, accedit ad ſimilitudinem ſubſtantiarum dictarum, & obedit ei natura. Et hinc eſt quod aliqui ſancti viri operantur quædam mira præter naturæ curſum: & ſimiliter quia anima alicujus fœdata paſſionibus carnalibus, habet fortem apprehenſionem in malitia, obedit ei natura ad tranſmutationem materiæ, in illis maxime, in quibus materia habilis eſt: ſicut in pueris teneris contingit. Et ſic contingit ſecundum eum, quod ex forti apprehenſione vetularum, in malitiam immutatur puer & faſcinatur. Hæc autem poſitio ſatis videtur vera ſecundum poſitionem Avicennæ: nam ipſe poſuit formas omnes corporales in iſtis inferioribus influi a ſubſtantiis in corporalibus ſeparatis; & quod agentia naturalia non habent ſe ad hoc niſi ut diſponentia tantum. Sed hoc quidem improbatur a Philoſ. agens enim oportet eſſe ſimile ſubjecto: non fit autem forma tantum, nec materia, ſed compoſitum ex materia & forma; id ergo quod agit ad eſſe corporalium, oportet quod habeat materiam & formam; unde dicit quod tranſmutare materiam & formam non poteſt, niſi id quod habet materiam & formam; & hoc quidem vel virtute, ſicut Deus, qui author eſt formæ & materiæ; vel actu ſicut agens corporeum: Et ideo materia corporalis quantum ad hujuſmodi formas, nec Angelis, nec alicui puræ creaturæ obedit ad nutum, ſed ſoli Deo, ut Auguſtin. dicit: unde non eſt verum quod Avicenna dicit de hujuſmodi faſcinatione.

Et ideo dicendum, quod ad imaginationem, ſeu apprehenſionem hominis quando fortis eſt, immutatur ſenſus, ſed appetitus ſenſitivus; quæ quidem immutatio non eſt ſine alteratione corporis, & ſpirituum corporis; ſicut nos videmus, quod ad apprehenſionem delectabilis movetur appetitus ſenſitivus ad concupiſcentiam, & exinde corpus calefit; ſimiliter ex apprehenſione timendi frigeſcit. Immutatio autem ſpirituum maxime inficit oculos, qui infecti rem per reſpectum inficiunt; ſicut patet in ſpeculo mundo, quod ex aſpectu menſtruatæ inficitur. Hic ergo quia vetulæ obſtinatæ in malitia duræ ſunt, ex forti apprehenſione immutatur appetitus ſenſitivus; & ex hoc, ſicut dictum eſt, infectio maxime fit a venis ad oculos, & ex oculis ad rem perſpectam: unde quia caro pueri mollis eſt, ad earum invidum aſpectum inficitur & faſcinatur. Et quandoque quidem ad hunc effectum Dæmones operantur.

Dicit ergo, *quis vos faſcinavit veritati non obedire?* quaſi dicat: vos aliquando obediſtis veritati fidei, ſed modo non: ergo eſtis ſicut pueri, qui ex aliquo invido aſpectu infecti, cibum receptum vomitis. *In expoſit. illius capitis lect. 1.*

FESTA.

QUÆR. 1. Quæ requirantur ad obſervantiam diei Sabbathi & feſtivi: & quanam opera ipſi repugnent.

RESP. D. Thomas, dicendum, quod in obſervantia Sabbathi duo ſunt conſideranda: quorum unum eſt ſicut finis, & hoc eſt ut homo vacet rebus Divinis, quod ſignificatur

tur in hoc, quod dicit, *memento ut diem Sabbathi ſanctifices*; illa enim dicuntur ſanctificari in lege, quæ Divino cultui applicantur: aliud autem eſt ceſſatio operum, quæ ſignificatur, cum ſubditur, *ſeptima die Domini Dei tui non facies omne opus*: ſed de quo opere intelligatur apparet per id, quod exponitur Levit. 23. *Omne opus ſervile non facietis in eo*.

Opus autem ſervile dicitur a ſervitute. Eſt autem triplex ſervitus: una quidem, qua homo ſervit peccato, ſecundum illud, *qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*, & ſecundum hoc omne opus peccati dicitur ſervile: alia vero ſervitus eſt, qua homo ſervit homini; eſt autem homo alterius non ſecundum mentem, ſed ſecundum corpus; & ideo opera ſervilia ſecundum hoc dicuntur opera corporalia, in quibus unus homo alteri ſervit: tertia autem eſt ſervitus Dei, & ſecundum hoc opus ſervile poſſet dici opus latriæ, quod pertinet ad Dei ſervitium: ſi autem ſic intelligatur opus ſervile, non prohibetur in die Sabbathi, quia hoc eſſet contrarium fini obſervationis Sabbathi: homo enim ad hoc ab aliis operibus abſtinet in die Sabbati, ut vacet operibus ad Dei ſervitutem pertinentibus: & inde eſt quod dicitur Joannis 7. *Circumciſionem homo accipit in Sabbatho, ut non ſolvatur lex Moyſi*; idem etiam eſt quod ſicut dicitur Matthæi 17. *Sabbatho Sacerdotes in templo Sabbathum violant*, ideſt corporaliter in Sabbatho operantur, *& ſine crimine ſunt*; & ſic etiam Sacerdotes in Sabbatho circumferentes arcam non tranſgrediebantur præceptum de Sabbathi obſervatione.

Similiter etiam nullius ſpiritualis actus exercitium eſt contra obſervantiam Sabbathi, puta ſi quis doceat verbo, vel ſcripto: unde Numer. 28. dicit Gloſs. *Quod fabri, & hujuſmodi artifices otiantur in die Sabbathi, lector autem Divinæ legis, vel doctor ab opere ſuo non deſinit; nec tamen contaminatur Sabbathum: ſicut Sacerdotes in templo Sabbathum violant, & ſine crimine ſunt*.

Sed alia opera ſervilia, quæ dicuntur ſervilia primo, vel ſecundo modo, contrariantur obſervantiæ Sabbathi, inquantum impediunt applicationem hominis ad Divina: & quia magis homo impeditur a rebus Divinis per opus peccati, quam per opus licitum, quamvis ſit corporale: ideo magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die feſto, quam qui aliud corporale opus licitum facit: unde Auguſtinus dicit in libro de decem Chordis, *melius faceret Judæus in agro ſuo aliquid utile, quam ſi in theatro ſeditioſus exiſteret; & melius feminæ eorum die Sabbathi lanam facerent, quam quod tota die in Neomeniis ſuis impudice ſaltarent*. Non autem qui peccat venialiter in Sabbatho, contra hoc præceptum facit, quia peccatum veniale non excludit ſanctitatem.

Opera etiam corporalia ad ſpiritualem Dei cultum non pertinentia intantum ſervilia dicuntur, inquantum proprie pertinent ad ſervientes; inquantum vero ſunt communia ſervis, & liberis, ſervilia non dicuntur: quilibet autem tam ſervus, quam liber tenetur in neceſſariis providere non tantum ſibi, ſed etiam proximo; præcipue quidem in his, quæ ad ſalutem corporis pertinent, ſecundum illud Proverb. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem*; ſecundario autem etiam in damno rerum vitando, ſecundum illud Deut. 22. *Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, & præteribis, ſed reduces fratri tuo*: & ideo opus corporale pertinens ad conſervandam ſalutem proprii corporis, non violat Sabbathum; non enim eſt contra obſervantiam Sabbathi, quod aliquis comedat, & alia hujuſmodi faciat, quibus ſalus corporis conſervatur: & propter hoc Machabæi non polluerunt Sabbathum pugnantes ad ſui defenſionem die Sabbathi, ut legitur 1. Machabæorum 2. Similiter nec etiam Helias fugiens a facie Jezabel in die Sabbathi: & propter hoc etiam Dominus Matthæi 12. excuſat diſcipulos ſuos, qui colligebant ſpicas in die Sabbathi propter neceſſitatem, quam patiebantur.

Similiter opus corporale, quod ordinatur ad ſalutem corporalem alterius, non eſt contra obſervantiam Sabbati; unde dicitur Joann. 7. *Mihi indignamini, quia totum hominem ſalvum feci in Sabbatho*. Similiter etiam opus corporale, quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum, non violat Sabbatum: unde dicit Dominus Matthæi 12. *Quis erit ex vobis homo, qui habet unam ovem, & ſi ceciderit Sabbatho in foveam, nonne tenebit, & levabit eam?* 2. 2. *quæſt.* 122. *art.* 4. *ad* 3. *in* 3. *diſt.* 37. *q.* 1. *art.* 5. *q.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 2. *An & quomodo feſta ſint de jure naturali, vel tantum de poſitivo*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ex præcepto juris naturalis tenetur homo ad hoc quod aliquando rebus divinis vacet; ut patet ex tertio præcepto Decalogi: ſed determinatio temporis, ad quod qui tenetur, dependet ex jure poſitivo; ſive ſit divinitus inſtitutum, ſicut obſervatio Sabbathi in veteri lege; ſive ab homine, ſicut feſta, quæ Eccleſia inſtituit celebranda. 4. *ad Hannib. d.* 32. *art.* 4. *in corp.*

QUÆR. 3. *An & quomodo facere aliquid indecens in die feſto ſit circumſtantia, vel objectum peccati*.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, ſi quis faciat aliquid indecens in tempore ſacro, tempus ſacrum, quod conſideratur ut circumſtantia, reſpectu actus indecentis, qui in eo fit, poteſt conſiderari ut objectum reſpectu alterius actus circumſtantis, qui eſt contemnere tempus ſacrum. *qu.* 2. *de malo, art.* 6. *ad* 2.

QUÆR. 4. *Ex cujus conſtitutione prohibita ſint opera ſervilia in die feſto; & quis in eis diſpenſare poſſit.*

Reſpondetur ſupra *v. Dominica dies qu.* 4.

QUÆR. 5. *An liceat petere, vel reddere debitum conjugale in die feſto: & utrum circumſtantia feſti mutet ſpeciem.*

Reſpondetur ſupra *verb. debitum conjugale, q.* 28. *& ſeq.*

FICTIO.

QUÆR. 1. *Quid ſit proprie fictio: & quomodo interveniat in Baptiſmo.*

RESp. D. Thomas, dicendum, quod fictio proprie eſt, cum aliquis aliquid oſtendit dicto, vel facto, quod non eſt in rei veritate: hoc autem contingit dupliciter: uno modo quando ex hac intentione aliquid dicitur, vel fit, ut aliud oſtendatur, quam rei veritas habet, & tunc fictio eſt ſpeciale peccatum: alio modo quando aliquid oſtenditur, quod rei veritas non habet dicto, vel facto, etiamſi non propter hoc dicatur, vel fiat, & ſic accipitur hic fictio: quicumque enim ad Baptiſmum accedit, oſtendit ſe veteri vitæ abrenunciare, & novam inchoare: unde ſi voluntas ejus adhuc in vetuſtate vitæ remaneat, aliud oſtendit, quam ſit in rei veritate; & ideo eſt fictio. 4. *ſentent. diſt.* 4. *q.* 3. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 1. 3. *p. q.* 69. *art.* 9. & 10.

QUÆR. 2. *An & quomodo peccatum tam veniale, quam mortale faciat hominem fictum, & impediat effectum Baptiſmi.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quantum eſt de ſe Baptiſmus tollit omnem culpam originalem, & actualem, non ſolum mortalem, ſed etiam venialem; quæ quamvis non contrarietur gratiæ ſimpliciter, contrariatur tamen gratiæ baptiſmali, quæ debet eſſe perfecta ratione novitatis vitæ; ſed poteſt impediri effectus ejus ex parte recipientis, ſi ſit indiſpoſitio per fictionem. Sed cum fictio ſit peccatum ſicut peccatum mortale eſt peccatum ſimpliciter, ita facit fictum ſimpliciter, & totaliter effectum Baptiſmi impedit quantum ad remiſſionem culpæ, ſed peccatum veniale, quod in actu, vel in propoſito eſt, facit fictum ſecundum quid, & eſt ſecundum quid peccatum ut diſpoſitio ad peccatum; & ideo impedit effectum Baptiſmi, non ſimpliciter, ſed quantum ad remiſſionem illius venialis. 4. *d.* 4. *qu.* 2. *art.* 1. *qu.* 1. *ad* 1. 3. *p. q.* 69. *art.* 9.

QUÆR. 3. *Utrum fictio, ſeu voluntatis indiſpoſitio impediat omnem Baptiſmi effectum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod duplex eſt effectus Baptiſmi: Primus eſt res, & Sacramentum, ſcilicet character: & quia character non imprimitur ad præparandum hominis voluntatem ut aliquid bene fiat (cum non ſit habitus, ſed potentia) ideo hunc effectum voluntatis diſpoſitio non impedit, dummodo aliqualis ſit voluntas recipiendi Sacramentum: alius effectus eſt qui eſt res, & non Sacramentum: ſcilicet gratia, & quæ ad ipſam conſequuntur, per quæ hominis voluntas præparatur ut bene velit, & bene operetur: & ideo ad hunc effectum percipiendum non ſufficit quælibet voluntas Sacramentum recipiendi, ſed requiritur voluntas talis, a qua removeatur omnis indiſpoſitio contraria gratiæ baptiſmali; quia contraria non ſe compatiuntur: unde manente contraria diſpoſitione, Baptiſmus ultimum ſuum effectum habere non poſſet. 4. *d.* 4. *q.* 3. *art.* 2. *q.* 1. *in corp.* 4. *ad Hannib. d.* 4. *art.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 4. *Utrum recedente fictione Baptiſmus ſtatim ſuum conſequatur effectum, juxta illud D. Auguſtini in lib. de Baptiſmo: tunc valere incipit ad ſalutem Baptiſmus, cum ab illo fictio veraci confeſſione receſſerit, quæ corde in malitia vel ſacrilegio perſeverante, peccatorum ablutionem non ſinebat fieri.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Baptiſmus eſt quædam ſpiritualis regeneratio: cum autem aliquid generatur, ſimul cum forma recepit effectum formæ, niſi ſit aliquid impediens; quo remoto forma rei generatæ perficit ſuum effectum: ſicut ſimul cum corpus grave generatur, movetur deorſum, niſi ſit aliquid prohibens, quo remoto ſtatim incipit moveri deorſum: ſimiliter quando aliquis baptizatur, accipit characterem quaſi formam, & conſequitur proprium effectum, qui eſt gratia remittens omnia peccata: Impeditur autem quandoque per fictionem; unde oportet quod remota ea per pœnitentiam Baptiſmus ſtatim conſequatur ſuum effectum. 3. *p. q.* 69. *art.* 10. *in corp.*

QUÆR. 5. *Quomodo recedente fictione remittantur peccata per Baptiſmum, vel per contritionem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Baptiſmus recedente fictione habet illum effectum quem prius habuiſſet, ſi fictio non fuiſſet: & ideo peccata præcedentia Baptiſmum remittit & quoad culpam, & quoad pœnam: ſed pec-

Digitized by Google

peccata ſequentia remittuntur virtute contritionis, quæ fictionem amovet quantum ad culpam, ſed non quantum ad pœnam totaliter. *4. ſent. d. 4. qu. 3. art. 2. q. 3. ad 2. 3. p. qu. 69. art. 10. 2.*

QUÆR. 6. *Utrum Euchariſtia recedente fictione ſuum cauſet effectum, ſicut Baptiſmus?*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in Euchariſtia non imprimitur character, cujus virtute poſſit aliquis virtutem Sacramenti percipere fictione recedente; & ideo non eſt ſimile. *Ibidem ad 3.*

QUÆR. 7. *An dari poſſit confeſſio valida, & informis, quæ recedente fictione ſuum habeat effectum: & utrum qui fictus acceſſit, teneatur iterare confeſſionem: & quid dicendum ſit de aliis Sacramentis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod confeſſio eſt actus virtutis, & pars Sacramenti: ſecundum autem quod eſt actus virtutis eſt actus meritorius proprie, & ſic confeſſio non valet ſine charitate, quæ eſt principium merendi; ſed ſecundum quod eſt pars Sacramenti, ſic ordinat confitentem ad Sacerdotem, qui habet claves Eccleſiæ, qui per confeſſionem conſcientiam confitentis cognoſcit; & ſecundum hoc confeſſio etiam poteſt eſſe in eo, qui non eſt contritus; quia poteſt peccata ſua Sacerdoti manifeſtare, & clavibus Eccleſiæ ſe ſubjicere. Et quamvis tunc non percipiat abſolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipit. Sicut etiam eſt in aliis Sacramentis.

Unde non tenetur iterare confeſſionem qui fictus accedit, ſed tenetur poſtmodum fictionem ſuam conteri. *4. ſent. d. 17. q. 3. art. 3. q. 1. in corp.*

QUÆR. 8. *Utrum ille, qui Euchariſtiam, vel Confirmationem, aut Extremam unctionem recipit in ſtatu peccati mortalis, quod non cognoſcit, juſtificetur.*

Reſpondetur *v. Communio qu. 58. Confirmatio q. 16. Unctio extrema q. 24.*

FIDES.

QUÆR. 1. *Utrum hæc diffinitio fidei tradita ab Apoſtolo ad Hebræos 11. ſit conveniens: Fides eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, argumentum non apparentium. Et quo modo fides ſpectet ad intellectum, & ad voluntatem.*

RESp. D. Thomas, dicendum, quod licet quidam dicant prædicta Apoſtoli verba non eſſe fidei diffinitionem, quia diffinitio indicat rei quidditatem, & eſſentiam, ut habetur 7. Metaphyſ. tamen ſi quis recte conſideret, omnia ex quibus fides poteſt diffiniri, in prædicta deſcriptione tanguntur, licet verba non ordinentur ſub forma diffinitionis; ſicut etiam apud Philoſophos prætermiſſa ſyllogiſtica forma, ſyllogiſmorum principia tanguntur.

Ad cujus evidentiam conſiderandum eſt, quod cum habitus cognoſcantur per actus, & actus per objecta, fides cum ſit habitus quidam, debet diffiniri per proprium actum in comparatione ad proprium objectum: actus autem fidei eſt credere, qui actus eſt intellectus determinati ad unum ex imperio voluntatis: ſic ergo actus fidei habet ordinem ad objectum voluntatis: quod eſt bonum, & finis; & ad objectum intellectus, quod eſt verum: & quia fides cum ſit virtus theologica habet idem pro objecto & fine, neceſſe eſt, quod objectum fidei, & finis proportionabiliter ſibi correſpondeant. Veritas autem prima eſt objectum fidei ſecundum quod ipſa eſt non viſa, & ea quibus propter ipſam inhæretur: & ſecundum hoc oportet, quod ipſa veritas prima ſe habeat ad actum fidei per modum finis ſecundum rationem rei non viſæ, quod pertinet ad rationem rei ſperatæ; ſecundum illud Apoſtoli ad Rom. 8. *Quod non videmus, ſperamus*: veritatem enim videre eſt ipſam habere; non autem ſperat aliquis id, quod jam habet; ſed ſpes eſt de hoc, quod non habetur.

Sic ergo habitudo actus fidei ad finem, qui eſt objectum voluntatis, ſignificatur in hoc quod dicitur, *fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum*. Subſtantia enim ſolet dici prima inchoatio cujuſcunque, & maxime tota res ſequens continetur virtute in primo principio: puta, ſi dicamus quod prima principia indemonſtrabilia ſunt ſubſtantia ſcientiæ, quia ſcilicet primum, quod in nobis eſt de ſcientia, ſunt hujuſmodi principia, & in eis virtute continetur tota ſcientia. Per hunc ergo modum dicitur fides eſſe ſubſtantia rerum ſperandarum; quia ſcilicet prima inchoatio rerum ſperandarum in nobis eſt per aſſenſum fidei, quæ virtute continet omnes res ſperandas: in hoc enim ſperamus beatificari, quod videbimus aperta viſione veritatem, cui per fidem adhæremus.

Habitudo autem fidei ad objectum intellectus ſecundum quod eſt objectum fidei deſignatur in hoc, quod dicitur, *argumentum non apparentium*, & ſumitur argumentum pro argumenti effectu: per argumentum enim intellectus inducitur ad inhærendum alicui vero: unde ipſa firma adhæſio intellectus ad veritatem fidei non apparentem vocatur hic *argumentum*. Unde alia littera habet *convictio*:

ſtio: quia ſcilicet per authoritatem divinam intellectus credentis convincitur ad aſſentiendum his, quæ non vidit.

Si quis ergo in formam diffinitionis hujuſmodi verba reducere velit, poteſt dicere, quod *fides eſt habitus mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum aſſentire non apparentibus*. Per hoc enim fides ab omnibus aliis diſtinguitur, quæ ad intellectum pertinent: per hoc enim quod dicitur *argumentum*, diſtinguitur fides ab opinione, ſuſpicione, & dubitatione, per quæ non eſt firma adhæſio intellectus ad aliquid: per hoc autem quod diciur, *non apparentium*, diſtinguitur fides a ſcientia, & intellectu, per quæ fit aliquid apparens: per hoc autem quod dicitur, *ſubſtantia ſperandarum rerum*, diſtinguitur virtus fidei a fide communiter ſumpta, quæ non ordinatur ad beatitudinem ſperatam.

Omnes autem aliæ definitiones, quæcunque de fide dantur, explicationes ſunt ejus, quam Apoſtolus ponit. Quod enim dicit Auguſtiuus, *fides eſt virtus qua creduntur quæ non videntur*; & quod dicit Damaſcenus, quod *fides eſt non inquiſitivus conſenſus*, & alii dicunt quod *fides eſt certitudo animi quædam de abſentibus, ſupra opinionem, & infra ſcientiam*; idem eſt ei quod Apoſt. dicit argumentum non apparentium: quod vero Dionyſ. dicit 7. cap. de div. nom. quod *fides eſt manens credentium fundamentum collocans eos in veritate, & eis veritatem oſtendens*, idem eſt ei quod dicitur, *ſubſtantia ſperandarum rerum*. 2. 2. q. 4. art. 1. in corp.

QUÆR. 2. An convenienter enumerentur quatuordecim, vel ſaltem duodecim articuli fidei in ſymbolo.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod illa per ſe pertinent ad fidem, quorum viſione in vita æterna perfruimur, & per quæ ducimur ad vitam æternam: duo autem nobis videnda proponuntur; ſcilicet occultum Divinitatis, cujus viſio nos Beatos facit; & myſterium humanitatis Chriſti, per quod in gloriam filiorum Dei acceſſum habemus, ut dicitur ad Rom. 5. unde dicitur Joan. 17. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*: & ideo prima diſtinctio credibilium eſt, quod quædam pertinent ad majeſtatem Divinitatis, quædam vero pertinent ad myſterium humanitatis Chriſti, quod eſt pietatis Sacramentum.

Circa majeſtatem autem Divinitatis, tria nobis credenda proponuntur: primo quidem unitas Divinitatis, & ad hoc pertinet primus articulus: ſecundo Divinitas perſonarum, & de hoc ſunt tres articuli ſecundum tres perſonas: tertio vero proponuntur nobis opera Divinitatis propria; quorum primum pertinet ad eſſe naturæ, & ſic proponitur nobis articulus creationis: ſecundum vero pertinet ad eſſe gratiæ; & ſic proponuntur nobis ſub uno articulo omnia pertinentia ad ſanctificationem humanam: tertium vero pertinet ad eſſe gloriæ; & ſic proponitur nobis alius articulus de reſurrectione carnis, & de vita æterna: & ita ſunt ſeptem articuli ad Divinitatem pertinentes.

Similiter etiam circa humanitatem Chriſti ponuntur ſeptem articuli: quorum primus eſt de incarnatione, ſive de conceptione Chriſti: ſecundus de Nativitate ejus ex Virgine: tertius de Paſſione ejus, & morte, & ſepultura: quartus eſt de deſcenſu ad inferos: quintus eſt de reſurrectione: ſextus de aſcenſione: ſeptimus de adventu ad judicium; & ſic in univerſum ſunt quatuordecim.

Quidam tamen diſtinguunt duodecim articulos fidei; ſex pertinentes ad Divinitatem, & ſex pertinentes ad humanitatem: tres enim articulos trium perſonarum comprehendunt ſub uno: quia eadem eſt cognitio trium perſonarum: articulum vero de opere glorificationis diſtinguunt in duos, ſcilicet reſurrectionem carnis, & gloriam animæ: ſimiliter articulum Conceptionis, & Nativitatis conjungunt in unum. 2. 2. *qu.* 1. *art.* 8. *in corp.* 3. *ſent. d.* 25. *qu.* 1. *art.* 2. *in corp.*

QUÆR. 3. An de omnibus, & omni tempore verificetur illud Apoſt. ad Hebr. 11. Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt; & quia inquirentibus ſe remunerator eſt.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod explicite credere de Deo, quia eſt; & quia inquirentibus ſe remunerator eſt, omni tempore, & quoad omnes neceſſarium fuit: non tamen eſt ſufficiens omni tempore, & quoad omnes. 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 8. *ad* 1. 3. *ſent. d.* 25. *qu.* 2. *art.* 2. *quæſtiunc.* 4. *ad* 1. *in expoſit. illius loci lect.* 1.

QUÆR. 4. An myſterium incarnationis, aut etiam alia Chriſti myſteria, quæ in Eccleſia ſolemnizantur, explicite credi debeant, juxta illud D. Auguſtini in lib. de corrept. & gratia: Illa fides ſana eſt, qua credimus nullum hominem ſive majoris, ſive parvæ ætatis, liberari a contagio mortis, & obligatione peccati, niſi per unum mediatorem Dei, & hominum, Jeſum Chriſtum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, illud proprie, & per ſe pertinet ad objectum fidei, per quod homo beatitudinem conſequitur: via autem hominibus veniendi ad beatitudinem eſt myſterium in-

incarnationis, & paſſionis Chriſti; dicitur enim Act. 4. *Non eſt aliud nomen ſub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri;* & ideo myſterium incarnationis Chriſti aliqualiter oportuit omni tempore eſſe creditum apud omnes; diverſimode tamen ſecundum diverſitatem temporum, & perſonarum. Nam ante ſtatum peccati homo habuit explicitam fidem de Chriſti incarnatione ſecundum quod ordinabatur ad conſummationem gloriæ: non autem ſecundum quod ordinabatur ad liberationem a peccato per Paſſionem, & Reſurrectionem, quia homo non fuit præſcius peccati futuri: videtur autem incarnationis Chriſti præſcius fuiſſe per hoc quod dixit: *propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ,* ut habetur Geneſis 2. & hoc Apoſtolus ad Epheſios 5. dicit: *Sacramentum magnum eſſe in Chriſto, & Eccleſia;* quod quidem Sacramentum non eſt credibile primum hominem ignoraſſe.

Poſt peccatum autem fuit explicite creditum myſterium incarnationis Chriſti non ſolum quantum ad incarnationem, ſed etiam quantum ad Paſſionem, & reſurrectionem, quibus humanum genus a peccato, & morte liberatur: aliter enim non præfiguraſſent Chriſti Paſſionem quibuſdam ſacrificiis, & ante legem, & ſub lege: quorum quidem ſacrificiorum ſignificatum explicite majores cognoſcebant, minores autem ſub velamine illorum ſacrificiorum, credentes ea divinitus eſſe diſpoſita de Chriſto venturo, quodammodo habebant velatam cognitionem; & ea quæ ad myſteria Chriſti pertinent, tanto difficilius cognoverunt, quanto Chriſto remotiores fuerunt, & tanto facilius cognoverunt, quanto Chriſto propinquiores fuerunt.

Poſt tempus autem gratiæ revelatæ, tam majores, quam minores tenentur habere fidem explicitam de myſteriis Chriſti, præcipue quantum ad ea, quæ communiter in Eccleſia ſolemnizantur, & publice proponuntur, ſicut ſunt articuli incarnationis.

Alias autem ſubtiles conſiderationes circa incarnationis articulos tenentur aliqui magis, vel minus explicite credere ſecundum quod convenit ſtatui, & officio uniuſcujuſque 2. 2. *quæſtiunc.* 2. *art.* 7. *in corp.*

QUÆR. 5. *An ſit neceſſe credere explicite myſterium Trinitatis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod myſterium incarnationis Chriſti explicite credi non poteſt ſine fide Trinitatis; quia in myſterio incarnationis Chriſti hoc continetur, quod Filius Dei carnem aſſumpſerit, quod per gratiam Spiritus Sancti Mundum renovaverit; & iterum quod de Spiritu ſancto conceptus fuerit: & ideo eodem modo, quo myſterium incarnationis Chriſti ante Chriſtum fuit explicite creditum a majoribus, implicite autem, & quaſi obumbrate a minoribus, ita etiam & Myſterium Trinitatis.

Et ideo etiam poſt tempus gratiæ divulgatæ tenentur omnes ad explicite credendum myſterium Trinitatis: & omnes qui renaſcuntur in Chriſto, hoc adipiſcuntur per invocationem Trinitatis, ſecundum illud Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* 2. 2. *qu.* 2. *art.* 4. *in corp.*

QUÆR. 6. *An & quare neceſſaria ſit fides explicita de nativitate, paſſione, & reſurrectione Chriſti, & de judicio.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod fides explicita ad hoc neceſſaria eſt, quod in finem ultimum intentionem dirigat: & quia per peccatum homo ab illo fine abductus fuerat, non poterat reduci niſi per mediatorem Dei, & hominum Dominum Jeſum Chriſtum: ideo poſt peccatum oportuit haberi cognitionem explicitam de Redemptore; & præcipue quantum ad ea, quibus nos in finem reduxit, victo hoſte, a quo detinebamur. Ad hoc autem, quod nos in finem reduceret, quatuor requirebantur: primum eſt; quod propugnator noſter inſtrueretur, quod factum eſt Nativitate: ſecundum eſt, quod propugnaret; quod factum eſt in Paſſione: tertium eſt, quod vinceret; quod factum eſt in Reſurrectione, quando *æternitatis aditum devicta morte reſeravit:* quarto, quod victoriæ ſuæ omnes ſuos participes faceret; & hoc erit in judicio, quando bonis bona, & malis mala reddentur. Et ideo iſta præcipue requirebantur, ut de Redemptore explicite ſcirentur. 3. *ſent. d.* 25. *q.* 2. *artic.* 2. *quæſtiunc.* 3. *in corp.*

QUÆR. 7. *Quid dicendum ſit de articulo conceptionis Chriſti, de ipſius deſcenſu ad inferos, & de aſcenſione.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod articulus conceptionis implicite continetur in articulo nativitatis, inquantum eſt via ad Nativitatem: articulus autem de deſcenſu ad inferos, in articulo de Paſſione: articulus autem de Aſcenſione, in articulo de Reſurrectione, quia ibi terminatur victoria reſurgentis. *Ibid. ad* 2.

QUÆR. 8. *Quare majores tenentur magis explicite credere, quam minores, qui eorum fidei adhærent juxta illud Job* 1. *Boves arabant, & aſinæ paſcebantur juxta eos.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod explicatio

Digitized by Google

tio credendorum fit per revelationem divinam: credibilia enim naturalem rationem excedunt: revelatio autem Divina ordine quodam ad inferiores pervenit per ſuperiores; ſicut ad homines per Angelos; & ad inferiores Angelos per ſuperiores, ut patet per Dionyſ. in Cæleſti Hierarch. & ideo pari ratione, explicatio fidei oportet, quod perveniat ad inferiores homines per majores, & ideo ſicut ſuperiores Angeli, qui inferiores illuminant, habent pleniorem notitiam de rebus divinis, quam inferiores, ut dicit Dionyſ. cap. 12. Cæleſtis Hierarc. ita etiam ſuperiores homines, ad quos pertinet alios erudire, tenentur habere pleniorem notitiam de credendis, & magis explicite credere. 2. 2. *quæſt. 2. art. 6. in corp.*

QUÆR. 9. Quid ſit explicite, vel implicite credere.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod implicitum proprie dicitur eſſe illud, in quo quaſi in uno multa continentur: explicitum autem, in quo unumquodque ipſorum in ſe conſideratur, & transferuntur hæc nomina a corporalibus ad ſpiritualia: Unde quando aliqua multa virtute continentur in aliquo uno, dicuntur eſſe in illo implicite, ſicut concluſiones in principiis: explicite autem in aliquo continetur, quod in eo actu exiſtit. Unde ille qui cognoſcit aliqua principia univerſalia, habet implicitam cognitionem de omnibus concluſionibus particularibus: qui autem concluſiones actu conſiderat dicitur eas explicite cognoſcere: unde & explicite dicimur aliqua credere quando eis actu cogitatis adhæremus: implicite vero quando adhæremus quibuſdam, in quibus ſicut in principiis univerſalibus iſta continentur; ſicut qui credit fidem Eccleſiæ veram eſſe, in hoc quaſi implicite credit ſingula, quæ ſub fide Eccleſiæ continentur, *q. 14. de verit. art. 11. in corp.*

Authoritate Summi Pontificis Gregorii XI. damnata fuit hæc propoſitio ut hæretica. Laicus non tenetur ad aliquem fidei articulum expreſſe credendum: ſed ſufficit ſibi iſta concluſio in genere, quod credat omne illud quod credit Sancta Mater Eccleſia Dei. Ita refertur in Directorio Inquiſitorum parte 2. quæſt. 10.

Iſta quoque propoſitio ab Alexandro VII. damnata eſt: Homo nullo unquam tempore vitæ ſuæ tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium; ut notavimus ſupra v. Charitas, q. 8.

QUÆR. 10. Utrum quilibet teneatur ſcire mandata Decalogi.

Reſp. D. Thomas, mandata Decalogi ſunt de his, quæ naturalis ratio dictat: & ideo quilibet tenetur ea explicite cognoſcere. *q. 14. de verit. art. 11. ad 3. in contrarium.*

QUÆR. 11. Quomodo omnes errores vitari poſſint circa ea, quæ ſunt credenda de fide.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ille, qui non credit explicite omnes articulos, poteſt omnes errores vitare; quia ex habitu fidei retardatur ne conſentiat contrariis articulorum, quos ſolum implicite novit; ut ſcilicet cum ſibi proponuntur quaſi inſolita, ſuſpecta habeat, & aſſenſum differat, quouſque inſtruatur per eum, cujus eſt in dubia fide determinare. *ibid. ad 2.*

QUÆR. 12. Quomodo ſe gerere debeant minores, vel ſubditi, quando majores, ſive Prælati, vel Doctores aliquid annunciant circa fidem inſolitum, vel etiam ipſi contrarium.

Reſp. Div. Thomas, Prælato contra fidem prædicanti non eſt aſſentiendum; quia in hoc diſcordat a prima regula. Nec per ignorantiam ſubditus excuſatur a toto; quia habitus fidei facit inclinationem ad contrarium; cum unctio doceat de omnibus, quæ pertinent ad ſalutem, 1. Joan. 1. Unde ſi homo non ſit facilis nimis ad credendum omni ſpiritui, quando aliquid inſolitum prædicatur, non aſſentiet, ſed aliunde requiret, vel Deo ſe committet, in ejus ſecreta ſupra modum ſuum non ſe ingerendo. *3. ſent. d. 25. q. 2. artic. 1. q. 4. ad 3.*

QUÆR. 13. An & quomodo poſſit, & debeat aliquis fidem implicitam habere in cognitione alterius revelationem habentis, vel miracula facientis.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ad hoc datum eſt hominibus facere miracula, ut oſtendatur, quod Deus per illa loquitur: nec oportet quod in tali homine revelationem habente aliquis ſuam fidem implicet, quouſque talis homo ad ejus notitiam deveniat vel divinitus, vel per famam humanam. *Ibidem ad 4.*

QUÆR. 14. An & quando defectus majorum præjudicium afferat minoribus, qui fidem implicitam in fide ipſorum habent.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod minores non habent fidem implicitam in fide majorum, niſi quatenus majores adhærent Doctrinæ divinæ: unde & Apoſtolus dicit 1. ad Cor. 4. *imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*: Unde humana cognitio non fit regula fidei, ſed veritas divina, a qua ſi aliqui majorum deficiunt, non præjudicat fidei ſimplicium, qui eos rectam fidem habere cre-

Digitized by Google

dunt ; niſi pertinaciter eorum erroribus in particulari adhæreant contra univerſalis Eccleſiæ fidem, quæ non poteſt deficere Domino dicente Lucæ 22. *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua*, 2. 2. *q.* 2. *art.* 6. *ad* 3.

QUÆR. 15. *An & quomodo rationes naturales, quæ pro fide afferuntur, vel etiam contra ipſam, ejus meritum augeant, vel diminuant.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod quantitas meriti ex duobus poteſt attendi, ſcilicet ex parte operis, & ex parte operantis: opus quidem oportet ut ſit virtuoſum: Et quia virtus eſt circa difficile & bonum, oportet quod habeat difficultatem & bonitatem, quantum in ſe eſt: & ideo quod addit ad alterum eorum, addit ad meritum quantum ex parte operis: ex parte vero operantis requiritur voluntas: unde quanto magis quis voluntarie facit, tanto magis meretur, & ſemper quantitas meriti attenditur ſecundum radicem charitatis: hæc autem quantitas eſt quaſi formalis reſpectu alterius: unde ſecundum eam certius eſt judicium de quantitate meriti. Ratio ergo naturalis dupliciter poteſt induci in his quæ fidei ſunt; vel cum ratio inducitur ſecundum fidem, vel contra fidem: ratio autem inducta contra fidem addit difficultatem actus quantum in ſe eſt: unde manente eadem voluntate credendi, magis meretur qui credit, ad quod videt multas rationes naturales in contrarium, quam qui eas non videt; ſicut cum quis tentatur vehementius de luxuria, ſi reſiſtit; æquali voluntate plus meretur: ratio autem quæ ſecundum fidem inducitur, non facit videri id quod creditur: & ideo difficultatem operis quantum in ſe eſt, non diminuit; ſed quantum in ſe eſt facit voluntatem magis promptam ad credendum: & ex iſta parte poteſt augere meritum fidei; ſicut habitus virtutis, qui inclinat ad actum in ſe difficilem, quem facilem reddit operanti. Unde patet quod tam cauſa rationalis pro fide inducta, quam contra fidem quantum in ſe eſt, meritum fidei auget, quamvis poſſit etiam diminuere utrumque ex defectu credentis. 3. *d.* 24. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 3. *in corp.*

QUÆR. 16. *Quomodo intelligi debeat D. Gregorius dicens homilia 26. Evang. fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Greg. loquitur in caſu illo, quando homo non habet voluntatem credendi ea quæ ſunt fidei, niſi propter rationem inductam. Quando autem habet voluntatem credendi ea, quæ ſunt fidei ex ſola authoritate divina, etiamſi habeat rationem demonſtrativam ad aliquid eorum, puta ad hoc quod eſt Deum eſſe, non propter hoc tollitur, vel diminuitur meritum fidei. 2. 2. *q.* 2. *artic.* 10. *ad* 1.

QUÆR. 17. *An & quare rationes, & demonſtrationes, quæ afferuntur circa articulos fidei, vel circa ea quæ ſunt fidei præambula, non diminuant ejus meritum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod rationes quæ inducuntur ad authoritatem fidei non ſunt demonſtrationes, quæ in viſionem intelligibilem, intellectum humanum reducere poſſunt; & ideo non deſinunt eſſe non apparentia, ſed removent impedimenta fidei, oſtendendo non eſſe impoſſibile quod in fide proponitur: unde per tales rationes non diminuitur meritum fidei, nec ratio fidei; ſed rationes demonſtrativæ inductæ ad ea, quæ ſunt fidei præambula, non tamen ad articulos, etſi diminuant rationem fidei, quia faciunt eſſe apparens id quod proponitur, non tamen diminuunt rationem charitatis per quam voluntas eſt prompta ad ea credendum, etiamſi non apparerent: & ideo non diminuitur ratio meriti. *Ibidem ad* 2.

QUÆR. 18. *Quomodo intelligi debeat illud Joan. 20. Beati qui non viderunt & crediderunt: & utrum fides perfecta requirat miracula.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod meritum beatitudinis, quod cauſat fides, non totaliter excluditur, niſi homo nollet credere, niſi ea quæ videt; ſed quod aliquis ea quæ non videt, credat per aliqua ſigna viſa, non totaliter fidem evacuat, nec meritum ejus. Sicut & Thomas, cui dictum eſt, *quia vidiſti me, credidiſti*; aliud vidit, & aliud credidit: vidit vulnera, & credidit Deum. Eſt autem perfectionis fidei quod non requirit hujuſmodi auxilia ad credendum. Unde ad arguendum defectum fidei in quibuſdam Dominus dicit Joan. 4. *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis*. Et ſecundum hoc poteſt intelligi, quod illi qui ſunt tam prompti animi, ut credant Deo, etiam ſignis non viſis, ſint beati per comparationem ad illos, qui non credunt, niſi talia videant. 3. *p. qu.* 53. *art.* 5. *ad* 3.

QUÆR. 19. *An quando confeſſio fidei cadat ſub præcepto, juxta illud Apoſtoli ad Romanos 10. Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ea, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, cadunt ſub præce-

pto

Digitized by Google

pto Divinæ legis: confeſſio autem fidei, cum ſit quoddam affirmativum, non poteſt cadere niſi ſub præcepto affirmativo; unde eodem modo eſt de neceſſariis ad ſalutem, quomodo poteſt cadere ſub præcepto affirmativo Divinæ legis: præcepta autem affirmativa non obligant ad ſemper, etſi ſemper obligent; obligant autem pro loco & tempore, ſecundum alias circumſtantias debitas, ſecundum quas oportet actum humanum limitari ad hoc quod ſit actus virtutis: ſic ergo confiteri fidem non ſemper, neque in quolibet loco eſt de neceſſitate ſalutis, ſed in aliquo loco, & tempore.

Quando ſcilicet per dimiſſionem hujus confeſſionis ſubtraheretur honor debitus Deo, & etiam utilitas proximis impendenda; puta ſi aliquis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non eſſet vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur a fide: in hujuſmodi enim caſibus confeſſio fidei eſt de neceſſitate ſalutis. 2.2. *qu.* 3. *art.* 2. *in corp.* 3.*ſent. d.* 29. *art.* 8. *qu.* 2. *ad* 3. 4.*ſent. d.* 49. *q.* 5. *art.* 3. *q.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 20. *An quilibet in caſu neceſſitatis teneatur confiteri fidem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in caſu neceſſitatis, ubi fides periclitatur, quilibet tenetur fidem ſuam aliis propalare; vel ad inſtructionem aliorum fidelium, ſive confirmationem, vel ad reprimendum infidelium inſultationem: ſed aliis temporibus inſtruere homines de fide non pertinet ad omnes fideles. 2.2. *q.* 3. *art.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 21. *An præcipue Prælati debeant fidem confiteri.*

Reſp. Div. Thomas, confeſſio credentis eſt neceſſaria ad ſalutem, pro loco, & tempore: quando ſcilicet expoſcitur fides alicujus, licet a perſecutore fidei, aut quando periclitatur fides aliena: ſicut præcipue Prælati debent prædicare fidem ſubditis ſuis. *Ad Roman.* 10. *lect.* 2.

QUÆR. 22. *Quænam pertinentia ad fidem teneatur fidelis confiteri, quænam poſſit tacere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod eorum, quæ ſunt fidei, quædam ſunt quæ non ſunt perfecte per Eccleſiam manifeſtata; ſicut in primitiva Eccleſia nondum erat perfecte declaratum apud homines, quod illi, qui erant ex Judæis converſi, non tenerentur legalia obſervare; & ſicut tempore Auguſtini nondum erat per Eccleſiam declaratum, quod anima non eſſet ex traduce; unde in hujuſmodi ſufficit homini, quod fidem habeat coram Deo; nec oportet, quod fidem propalet cum ſcandalo proximorum, niſi forte apud eos, qui habent de fide determinare.

Quædam vero ſunt ad fidem pertinentia jam per Eccleſiam determinata; & in talibus non ſufficit fidem habere coram Deo, ſed oportet, quod coram proximo fidem quis confiteatur, quantumcumque ex hoc aliquis ſcandalizetur: quia veritas doctrinæ non eſt dimittenda propter ſcandalum, ſicut nec Chriſtus veritatem ſuæ doctrinæ propter ſcandalum Phariſæorum dimiſit, ut habetur Matthæi 15. *Ro* . 14. *lect.* 3.

QUÆR. 23. *Quandonam ſit abſtinendum ab exteriori confeſſione fidei.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſi turbatio infidelium oriatur de confeſſione fidei manifeſta abſque aliqua utilitate fidei, vel fidelium, non eſt laudabile in tali caſu fidem publice confiteri: unde Dominus dicit Matthæi 7. *Nolite ſanctum dare canibus, neque margaritas veſtras ſpargere ante porcos, ne converſi dirumpant vos*: ſed ſi utilitas fidei aliqua ſperetur, aut neceſſitas adſit, contempta perturbatione infidelium debet homo publice fidem confiteri; unde Matthæi 15. dicitur, quod cum diſcipuli dixiſſent Domino, quod Phariſæi audito ejus verbo ſcandalizati ſunt, Dominus reſpondit, *ſinite illos*, ſcilicet turbari, *cæci ſunt, & duces cæcorum.* 2.2. *q.* 3. *art.* 2. *ad* 3.

QUÆR. 24. *Cur Petrus negando Chriſtum peccavit: & cur mendacium in rebus fidei eſt pernicioſiſſimum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod abſque dubio Petrus peccavit mortaliter negando Chriſtum, quod quidem patet ex duobus: primo, quia negavit fidem in loco ubi periclitabatur, & ejus confeſſio requirebatur: *ore enim confeſſio fit ad ſalutem*, ut dicitur ad Roman. 10. in quo videtur quod ſit de neceſſitate ſalutis confeſſio fieri in caſu prædicto; & ſic præcipue mendacium in his quæ fidei ſunt, eſt pernicioſiſſimum, ſecundum Auguſtinum in libro de mendacio: ſecundo quia defectui confeſſionis, & mendacio addidit perjurium, & blaſphemiam; quia, ut dicitur Matth. 26. *cœpit deteſtari, & jurare, quia non noviſſet hominem*; quæ conſtat eſſe gravia peccata; unde Gloſſa dicit ibidem: *tertio cœpit deteſtari, & jurare, quia non noviſſe hominem; quia perſeverare in peccato dat incrementum ſcelerum; & qui minima ſpernit, cadit in majora.* *Quodl.* 9. *art.* 14.

Extat decretum Sacræ Congregationis de propaganda fide impreſſum Romæ anno 1645 in quo continentur ſeptendecim dubia Miſſionariorum Chinæ, ſeu Sinarum, cum reſolutionibus ejuſdem Sacræ Congregationis & præcepto ſummi Pontificis Innocentii X. de ipſis in praxi ſequendis ſub pœna excommunicationis latæ ſen-

Digitized by Google

tentiæ Sanctitatis Suæ ſpecialiter reſervatæ, donec Sancta Sedes Apoſtolica aliud ordinaverit.

Dubium autem 17. ſic proponitur; Si tenentur Prædicatores Evangelii prædicare in illo regno Chriſtum crucifixum; & oſtendere ſanctiſſimam ejus Imaginem, maxime in Eccleſiis noſtris. Cauſa hujus dubitationis eſt, quod gentiles ſcandalizantur ex tali prædicatione, & oſtenſione: & judicant maximam eſſe ſtultitiam.

Reſolutio vero talis eſt: Cenſuerunt nulla prudentia, aut prætextu differendam eſſe doctrinam Chriſti poſt Baptiſmum, ſed omnino præmittendam: ad actualem vero prædicationem Chriſti crucifixi, licet non teneantur Miniſtri Evangelici in ſingulis concionibus, ſed ad proponendum verbum Dei, ac divina myſteria prudenter & opportune, & ad illa pro Catechumenorum captu explicanda; non tamen a ſermonibus Paſſionis Domini noſtri abſtinere tenentur ea ratione quod Gentiles inde ſcandalum ſumant, aut ſtultitiam putent.

Cenſuerunt etiam conveniens eſſe, ut in Eccleſiis Imagines habeantur Chriſti crucifixi, & ideo curandum ut quoad opportune fieri poteſt, exponantur.

Aliæ dubitationes, earumque reſolutiones videantur infra v. Infidelitas, Idololatria, Uſura ſub finem.

FIDUCIA.

QUÆR. 1. Quid ſit proprie fiducia, & in quo differat a ſpe.

Reſp. D. Thomas, ſpes etſi non ſit de impoſſibili, tamen habet timorem conjunctum quandoque, & tunc proprie dicitur ſpes. Spes quandoque eſt firma & ſine timore, & tunc proprie dicitur fiducia. *ad Hebr. 2. lect. 3.*

QUÆR. 6. Quomodo unuſquiſque cum fiducia exequi debet miniſterium ex quo creſcit ſpes gloriæ, exemplo Apoſt. 2. ad Cor. 3. dicentis: habentes igitur talem ſpem multa fiducia utimur.

Reſp. D. Thomas, dicit, *habentes igitur talem ſpem*, ſcilicet videndi gloriam Dei, Rom. 8. *Spe ſalvi facti ſumus, multa fiducia utimur*, ideſt, confidenter operamur ea, quæ pertinent ad uſum hujus miniſterii, ex quo creſcit nobis ſpes: Prov. 28. *Juſtus quaſi leo confidens abſque terrore erit*. Hier. 17. *Benedictus vir qui confidit in Domino. In expoſ. ejuſdem cap. lect. 2.*

QUÆR. 3. An & quomodo fiducia pertineat ad magnanimitatem.

Reſpondetur *v. Magnanimitas.*

QUÆR. 1. An & quare fornicatio ſimplex ſit peccatum mortale: & utrum ſit contra naturam.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod abſque omni dubio tenendum eſt, quod fornicatio ſimplex ſit peccatum mortale, non obſtante quod Deut. 23. ſuper illud, *non erit meretrix, &c.* dicit Gloſſa, *ad eas prohibet accedere quarum eſt venialis turpitudo*; non enim debet dici *venialis*, ſed *venalis*, quod eſt proprium meretricum.

Ad hujus autem evidentiam conſiderandum eſt, quod peccatum mortale eſt omne peccatum, quod committitur directe contra vitam hominis: fornicatio autem ſimplex importat inordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ ejus, qui eſt ex tali concubitu naſciturus: videmus enim in omnibus animalibus, in quibus ad educationem prolis requiritur cura maris, & feminæ, quod in eis non eſt vagus concubitus, ſed maris ad certam feminam unam, vel plures, ſicut patet in omnibus avibus: ſecus autem in animalibus, in quibus ſola femina ſufficit ad educationem fœtus, in quibus eſt vagus concubitus, ut patet in canibus, & hujuſmodi aliis animalibus: manifeſtum eſt autem, quod ad educationem hominis non ſolum requiritur cura matris a qua nutritur, ſed multo magis cura Patris; a quo eſt inſtruendus, & defendendus, & in bonis tam interioribus, quam exterioribus promovendus: & ideo contra naturam hominis eſt, quod utatur vago concubitu, ſed oportet, quod ſit maris ad determinatam feminam, cum qua permaneat non per modicum tempus, ſed diu; vel etiam per totam vitam.

Et inde eſt, quod naturaliter eſt maribus in ſpecie humana ſollicitudo de certitudine prolis; quia eis imminet educatio prolis; hæc autem certitudo tolleretur, ſi eſſet vagus concubitus, hæc autem determinatio certæ feminæ matrimonium vocatur: & ideo dicitur eſſe de jure naturali. Sed quia concubitus ordinatur ad bonum commune totius humani generis: bona autem communia cadunt ſub determinatione legis, conſequens eſt, quod illa conjunctio maris ad feminam, quæ matrimonium dicitur, lege aliqua determinetur (qualiter autem ſit apud nos determinatum, dicetur, cum de matrimonii Sacramento tractabitur) unde cum fornicatio ſit concubitus vagus, utpote præter matrimonium exiſtens, eſt contra bonum prolis educandæ: & ideo eſt peccatum mortale.

Nec obſtat ſi aliquis fornicando aliquam co-

Digitized by Google

cognoſcens ſufficienter provideat proli de educatione: quia id, quod cadit ſub legis determinatione, judicatur ſecundum id, quod communiter accidit, & non ſecundum id, quod in aliquo caſu poteſt accidere. 2. 2. *quæſt.* 154. *a.* 2. *in corp.* 4. *ſent. d.* 41. *a.* 4. *quæſt.* 1. *qu.* 15. *de malo a.* 2.

QUÆR. 2. *Cur alia vitia ſuperentur reſiſtendo, vitium autem fornicationis fugiendo ipſam, & quaslibet occaſiones.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod cætera vitia vincuntur reſiſtendo; quia quanto magis homo particularia conſiderat, & tractat, tanto minus in eis invenit unde delectetur, ſed unde magis anxietur. Sed vitium fornicationis non vincitur reſiſtendo; quia quanto magis ibi homo cogitat particulare, tanto magis incenditur; ſed vincitur fugiendo, ideſt totaliter vitando cogitationes immundas, & quaslibet occaſiones, ut dicitur Zachar. 2. *Fugite de terra Aquilonis dicit Dominus.* 1. *ad Corinth.* 6. *lect.* 3.

Plura, quæ fornicationem concernunt, videantur ſupra v. Adulterium, & Concubinatus, & infra v. Incontinentia, Luxuria, Meretrix. Et quando agemus de impedimentis matrimonii, ac præſertim de divortio ſub v. Matrimonium.

FORTITUDO.

QUÆR. 1. *An fortitudo ſit virtus, juxta illud D. Ambr. in lib. de Officiis, ubi dicit: Non mediocris animi eſt fortitudo, quæ ſola defendit ornamenta virtutum omnium, & judicia cuſtodit: & quæ inexpiabili prælio adverſus omnia vitia decertat; invicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior adverſus voluptates, dura adverſus illecebras, avaritiam fugat tanquam labem quandam, quæ virtutem effeminet.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod nomen fortitudinis dupliciter accipi poteſt: Uno modo, ſecundum quod abſolute importat quandam animi firmitatem: & ſecundum hoc eſt generalis virtus, vel potius conditio cujuslibet virtutis; quia ſicut Philoſophus dicit in 2. Ethic. *ad virtutem requiritur firmiter; & immobiliter operari.* Alio modo poteſt accipi fortitudo, ſecundum quod importat firmitatem animi in ſuſtinendis, & repellendis his, in quibus maxime difficile eſt firmitatem habere, ſcilicet in aliquibus periculis gravibus. Unde Tullius dicit in ſua Rhetorica, quod fortitudo *eſt conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio.* Et ſic fortitudo ponitur ſpecialis virtus, utpote materiam determinatam habens. 2. 2. *quæſt.* 123. *art.* 2. 1. 2. *quæſt.* 61. *art.* 3. & 4.

QUÆR. 2. *An fortitudo verſetur circa timores, & audacias, ſicut dicit Philoſ. in* 2. & 3. *Eth.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ad virtutem fortitudinis pertinet removere impedimentum, quo retrahitur voluntas a ſequela rationis: Quod autem aliquis retrahatur ab aliquo difficili, pertinet ad rationem timoris, qui importat receſſum quendam a malo difficultatem habente: Et ideo fortitudo principaliter eſt circa timores difficilium rerum, quæ retrahere poſſunt voluntatem a ſequela rationis. Oportet autem hujuſmodi rerum difficilium impulſum non ſolum firmiter tolerare, cohibendo timorem, ſed etiam moderate aggredi; quando ſcilicet oportet exterminare ad ſecuritatem in poſterum habendam, quod videtur pertinere ad rationem audaciæ: Et ideo fortitudo eſt circa timores, & audacias quaſi cohibitiva timorum, & moderativa audaciarum. 2. 2. *q.* 123. *art.* 3. *in corp. ad Hebr.* 9. *lect.* 1.

QUÆR. 3. *An ſicut ait Andronicus, fortitudo ſit virtus iraſcibilis non facile obſtupeſcibilis a timoribus, qui ſunt circa mortem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum eſt, quod ad virtutem fortitudinis pertinet, ut voluntatem hominis tueatur, ne retrahatur a bono rationis propter timorem mali corporalis. Oportet autem bonum rationis firmiter tenere contra quodcunque malum, quia nullum bonum corporale æquivalet bono rationis: Et ideo oportet, quod fortitudo animi dicatur, quæ firmiter retinet voluntatem hominis in bono rationis contra maxima mala: quia qui ſtat firmus contra majora, conſequens eſt, quod ſtat firmus contra minora, ſed non convertitur. Et hoc etiam ad rationem virtutis pertinet, ut reſpiciat ultimum. Maxime autem terribile inter omnia corporalia mala eſt mors, quæ tollit omnia corporalia bona: unde Auguſtinus dicit in lib. de moribus Eccleſiæ, quod *vinculum corporis, ne concutiatur, atque vexetur laboris, vel doloris metu, ne auferatur autem, atque perimatur, mortis terrore animam quatit*, & ideo virtus fortitudinis eſt circa timores periculorum mortis. 2. 2. *quæſt.* 123. *art.* 4. *in corp. quæſt.* 1. *de virt. a.* 12.

QUÆR. 4. *Cur ſicut Philoſophus dicit* 3. *Ethic. Maxime eſt fortitudo circa mortem quæ eſt in bello.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ut ſu-

Digitized by Google

pra dictum eſt, fortitudo confirmat animum hominis contra maxima pericula, quæ ſunt pericula mortis. Sed quia fortitudo virtus eſt, ad cujus rationem pertinet, quod ſemper tendat in bonum, conſequens eſt, ut homo pericula mortis non refugiat propter aliquod bonum proſequendum. Pericula autem mortis, quæ ſunt ex ægritudine, vel ex tempeſtate maris, vel ex incurſu latronum, vel ſi qua alia ſunt hujuſmodi, non videntur alicui directe imminere ex hoc quod proſequatur aliquod bonum: ſed pericula mortis, quæ ſunt in bellicis, directe imminent homini propter aliquod bonum, inquantum videlicet defendit bonum commune per juſtum bellum. Poteſt autem aliquod eſſe juſtum bellum dupliciter. Uno modo, generale, ſicut cum aliqui decertant in acie. Alio modo, particulare, puta, cum aliquis judex, vel etiam privata perſona non recedit a juſto judicio timore gladii imminentis, vel cujuſcunque periculi, etiam ſi ſit mortiferum. Pertinet ergo ad fortitudinem, firmitatem animi præbere contra pericula mortis, non ſolum quæ imminent in bello communi; ſed etiam quæ imminent in particulari impugnatione, quæ communi nomine bellum dici poteſt. Et ſecundum hoc concedendum eſt, quod fortitudo proprie non ſolum eſt circa pericula mortis, quæ eſt in bello, ſed & circa pericula cujuſcumque alterius mortis fortis bene ſe habet: præſertim quia & cujuſcumque mortis homo poteſt periculum ſubire propter virtutem; puta, cum aliquis non refugit amico infirmanti obſequi propter timorem mortiferæ infectionis; vel cum non refugit itinerari ad aliquod pium negotium proſequendum propter timorem naufragii, vel latronum. 2. 2. *quaſt.* 123. *art.* 5. *in corp.*

QUÆR. 5. *Quinam ex duobus fortitudinis actibus, qui ſunt ſuſtinere & aggredi, ſit difficilior.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſuſtinere eſt difficilius quam aggredi, triplici ratione. Primo quidem, quia ſuſtinere videtur aliquis ab aliquo fortiori invadente: qui autem aggreditur, invadit per modum fortioris: difficilius autem eſt pugnare cum fortiori, quam cum debiliori. Secundo, quia ille, qui ſuſtinet, jam ſentit pericula imminentia: ille autem, qui aggreditur, habet ea ut futura; difficilius autem eſt non moveri a præſentibus, quam a futuris. Tertio, quia ſuſtinere importat diuturnitatem temporis; ſed aggredi poteſt aliquis ex ſubito motu: difficilius autem eſt diu manere immobilem, quam ſubito motu moveri ad aliquod arduum. Unde Philoſophus dicit in 3. Eth. quod *quidam ſunt prævolantes ante pericula; in ipſis autem diſcedunt.* Fortes autem a contrario ſe habent. 2. 2. *q.* 123. *a.* 6. *ad* 1.

QUÆR. 6. *An fortis in ſuæ virtutis exercitio delectetur, cum Philoſoph.* 3. *Eth. dicat: fortis in ſuo actu nihil delectabile videtur habere: & quare a forti non exigitur ut delectetur, ſed ſolummodo quod non triſtetur.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod duplex eſt delectatio: una quidem corporalis, quæ conſequitur tactum corporalem: alia autem animalis, quæ conſequitur apprehenſionem animæ; & hæc proprie conſequitur opera virtutum, quia in eis conſideratur bonum rationis. Principalis vero actus fortitudinis eſt ſuſtinere aliqua triſtia ſecundum apprehenſionem animæ; puta, quod homo amittat corporalem vitam, quam virtuoſus amat, non ſolum inquantum eſt bonum naturale, ſed etiam inquantum neceſſaria eſt ad opera virtutum, & quæ ad ea pertinent; & iterum ſuſtinere aliqua doloroſa ſecundum tactum corporis, puta, vulnera, vel flagella. Et ideo fortis ex una parte habet unde delectetur, ſecundum delectationem animalem, ſcilicet de ipſo actu virtutis, & de fine ejus; ex alia vero parte habet unde doleat & animaliter, dum conſiderat amiſſionem propriæ vitæ; & corporaliter, unde legitur 2. Machab. 6. quod Eleazarus dixit, *diros corporis ſuſtineo dolores: ſecundum animam vero propter timorem tuum libenter hæc patior.* Senſibilis autem dolor corporis facit non ſentiri animalem delectationem virtutis, niſi forte propter abundantem Dei gratiam, quæ fortius elevat animam ad divina, in quibus delectatur, quam a corporalibus pœnis afficiatur; ſicut Beatus Tiburtius: *cum ſuper carbones incenſos nudis plantis incederet, dixit, quod videbatur ſibi ſuper roſeos flores ambulare.* Facit tamen virtus fortitudinis, ut ratio non abſorbeatur a corporalibus doloribus. Triſtitiam autem animalem ſuperat delectatio virtutis, inquantum homo præfert bonum virtutis corporali vitæ, & quibuſcunque ad eam pertinentibus. Et ideo Philoſophus dicit in 3. Eth. quod *a forti non requiritur ut delectetur, quaſi delectationem ſentiens; ſed ſufficit quod non triſtetur.* 2. 2. *q.* 123. *a.* 8. *in corp.*

QUÆR. 7. *An fortitudo maxime conſiſtat in repentinis, juxta illud Philoſoph.* 3. *Ethic. Fortitudo maxime eſt circa quæcunque, quæ mortem inferunt, repentina exiſtentia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in operatione fortitudinis duo ſunt conſideranda: unum quidem, quantum ad electionem ipſius, & ſic

Digitized by Google

& ſic fortitudo non eſt circa repentina : eligit enim fortis præmeditari pericula, quæ poſſunt imminere, ut eis reſiſtere poſſit, aut facilius ea ferre : quia, ut Gregorius dicit in Homilia 35. in Evang. in princ. *jacula, quæ prævidentur, minus feriunt : Et nos mala mundi facilius ferimus, ſi contra ea clypeo præſcientiæ præmunimur*. Aliud vero conſiderandum eſt in operatione fortitudinis, quantum ad manifeſtationem virtuoſi habitus; Et ſic fortitudo maxime eſt circa repentina : quia ſecundum Philoſophum in 3. Ethic. *In repentinis periculis manifeſtatur fortitudinis habitus*. Habitus enim agit in modum naturæ: unde quod aliquis abſque præmeditatione facit ea, quæ ſunt virtutis, cum neceſſitas imminet propter repentina pericula, hoc maxime manifeſtat, quod ſit fortitudo habitualis in anima confirmata. Poteſt autem aliquis, etiam qui habitu fortitudinis caret, ex diuturna præmeditatione animum ſuum contra pericula præparare : quia etiam præparatione fortis utitur, cum tempus adeſt. 2. 2. *qu.* 123. *art.* 6. *in corp.*

QUÆR. 8. *An fortitudo ſit una ex quatuor virtutibus Cardinalibus, juxta illud Sap. 7. Sobrietatem, & prudentiam docet, & juſtitiam, & virtutem, ubi virtus pro fortitudine ponitur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod virtutes Cardinales, ſive principales dicuntur, quæ præcipue ſibi vendicant id, quod pertinet communiter ad virtutis conditiones, una ponitur, *firmiter operari*, ut patet in 2. Ethic. Laudem autem firmitatis præcipue ſibi vendicat fortitudo. Tanto enim magis laudatur qui firmiter ſtat, quanto habet gravius impellens ad cadendum, vel ad retrocedendum: impellit autem ad diſcedendum ab eo, quod eſt ſecundum rationem, & bonum delectans, & malum affligens: ſed gravius impellit dolor corporis, quam voluptas; dicit enim Auguſtinus in lib. 83. quæſt. *Nemo eſt qui non magis fugiat dolorem, quam appetat voluptatem; quandoquidem videmus etiam immaniſſimas beſtias a maximis voluptatibus exterreri dolorum metu*. Et inter dolores animi, & pericula maxime timentur ea, quæ ducunt ad mortem, contra quæ firmiter ſtat fortis : unde fortitudo eſt virtus Cardinalis. 2. 2. *qu.* 123. *art.* 11.

QUÆR. 9. *In quo ſenſu dixit Div. Ambroſius in 1. de offic. eſt fortitudo velut cæteris excelſior.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Ambroſius fortitudinem aliis virtutibus præfert, ſecundum quandam generalem utilitatem: prout ſcilicet & in rebus bellicis, & in rebus civilibus, ſive domeſticis utilis eſt: unde ipſe ibidem præmittit : *Nunc de fortitudine tractemus, quæ velut excelſior cæteris, dividitur in res bellicas, & domeſticas*. 2. 2. *qu.* 123. *art.* 12. *ad* 1.

QUÆR. 10. *Quare laus fortitudinis quodammodo dependeat ex juſtitia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod homo non exponit perſonam ſuam mortis periculis, niſi propter juſtitiam conſervandam : & ideo laus fortitudinis dependet quodammodo ex juſtitia: Unde Ambroſius dicit in primo de offic. quod *fortitudo ſine juſtitia iniquitatis eſt materia : Quo enim validior eſt, eo promptior, ut inferiorem opprimat*. 2. 2. *qu.* 123. *art.* 12. *ad* 3.

QUÆR. 11. *An fortitudo ſit magis utilis quam liberalitas : & cur juſti, & fortes maxime amantur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod liberalitas utilis eſt in quibuſdam particularibus beneficiis : ſed fortitudo habet utilitatem generalem ad conſervandum totum juſtitiæ ordinem. Et ideo Philoſophus dicit in 1. Reth. quod juſti, & fortes maxime amantur, quia ſunt maxime utiles in bello, & in pace. 2. 2. *qu.* 123. *art.* 12. *ad* 5.

QUÆR. 12. *Cur præter virtutem fortitudinis requiratur etiam fortitudinis donum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod fortitudo importat quandam animi firmitatem. Et hæc quidem firmitas animi requiritur & in bonis faciendis, & in malis perferendis, & præcipue in arduis bonis, vel malis. Homo autem ſecundum proprium, & connaturalem ſibi modum, hanc firmitatem in utroque poteſt habere, ut non deficiat a bono propter difficultatem, vel alicujus ardui operis implendi, vel alicujus gravis mali perferendi : Et ſecundum hoc fortitudo ponitur virtus ſpecialis, vel generalis. Sed ulterius a Spiritu Sancto movetur animus hominis ad hoc, quod perveniat ad finem cujuslibet operis inchoati, & evadat quæcunque pericula imminentia : quod quidem excedit naturam humanam. Quandoque enim non ſubeſt poteſtati hominis, ut conſequatur finem ſui operis, vel evadat mala, ſeu pericula, cum quandoque opprimatur ab eis in morte. Sed hoc operatur Spiritus Sanctus in homine, cum perducit eum ad vitam æternam, quæ eſt finis omnium bonorum operum, & evaſio omnium periculorum. Et hujus rei infundit quandam fiduciam menti Spiritus Sanctus contrarium timorem excludens. Et ſecundum hoc fortitudo ponitur donum Spiritus Sancti. Dona autem reſpiciunt motionem animæ a Spiritu Sancto. 2. 2. *qu.* 139. *art.* 1. *in corp.*

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 13. An virtus fortitudinis habeat pro ſua menſura humanas vires, donum vero fortitudinis divinam potentiam.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod dona a virtutibus differunt, inquantum dona altiori modo operantur: & ſecundum hoc oportet accipere differentiam doni fortitudinis a fortitudinis virtute: modus autem unicuique ex propria menſura præfigitur: unde fortitudinis virtus menſuram ſui actus habet humanas vires: unde ea, quæ ſupergrediuntur vires hominis, neque aggreditur, neque ſuſtinet; unde Philoſophus 3. Ethicor. *Fortis autem inſtupefactibilis ut homo*; in his ſcilicet terribilibus, quæ ſunt ſecundum hominem. Sed donum fortitudinis debet pro menſura ſui actus divinam potentiam, de cujus auxilio confidit, ſicut dicitur Pſalm. 57. *In Deo meo tranſgrediar murum*; ideſt, omne quod poſſet humanæ infirmitati obviare. *3. ſent. d. 34. q. 3. art. 1. quæſt. 1.*

QUÆR. 14. An licet virtus fortitudinis non ſe extendat, niſi ad aliquas difficultates vincenda; donum tamen fortitudinis ſe extendat ad omnes, eo quod divina voluntate utitur tanquam ſua.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quando aliqua potentia altior eſt, tanto ad plura ſe extendit; & quia humana facultas eſt infima reſpectu divinæ facultatis, ideo ad diverſas difficultates ſunt ordinatæ diverſæ humanæ facultates; & quandoque ſeparantur ab invicem: aliquis enim habet facultatem, ut facile ſuperare poſſit difficultates, quæ ſunt in delectationibus, qui tamen non facile ſuperare poteſt difficultatem, quæ ſunt in paſſionibus innatis, & ſic de aliis: Sed divina facultas eſt una & eadem reſpectu omnium prædictarum difficultatum; & ideo quia fortitudinis virtus facultati humanæ innititur, non eſt reſpectu omnium difficultatum, ſed reſpectu aliquarum, quæ ſunt maximæ in genere humanarum; unde excellenter nomen fortitudinis habet: ad alias autem difficultates ſunt ordinatæ aliæ virtutes, quæ ſunt facultates quædam; ſed fortitudinis donum utitur divina voluntate quaſi ſua, ſecundum quod in Pſalm. dicitur: *Diligam te, Domine, virtus mea*; & ideo donum fortitudinis ſe extendit ad omnes difficultates, quæ in humanis rebus poſſunt accidere, etiam ſupra facultatem humanam; ſicut Apoſtolus dicebat Philipp. ult. *Omnia poſſum in eo qui me confortat*. *3. ſent. d. 34. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 2.*

FRAUS.

QUÆRITUR, An legem violat, qui aliquid facit in fraudem legis.

RESP. D. Thomas, legem violat, qui in fraudem legis aliquid facit. *4. ſentent. d. 15. qu. 3. art. 3. quæſt. 1. ad 1.*

Idem axioma ſupponit Sanctus Doctor, 2. 2. qu. 147. art. 6. ad 2. & 3. & 4. ſent. diſt. 8. qu. 1. art. 4. qu. 2. ad 2. ubi docet quod pluries bibens nedum aquam, ſed etiam vinum in die jejunii; vel etiam electuaria, aut alias medicinas ſumens, non peccat contra jejunii legem, niſi hoc faciat in fraudem, ut referemus v. Jejunium.

Idem etiam axioma ſupponit Clemens X. in Bulla, cujus ſummam referemus *v. Privilegium*, dum ait: poſſe Regularem Confeſſorem in ea Diœceſi, in qua eſt approbatus confluentes ex alia Diœceſi a peccatis in ipſa reſervatis; non autem in illa, ubi idem Confeſſor non eſt approbatus, abſolvere; niſi eoſdem pœnitentes noverit in fraudem reſervationis ad alienam Diœceſim pro abſolutione obtinenda migraſſe.

FRUCTUS EVANGELICUS.

QUÆR. 1. Quid ſit Fructus Evangelicus?

RESP. D. Thomas, agimus nunc de fructu ſecundum quod ex ſemine conſurgit: ſic enim de fructu loquitur Dominus Matt. 19. ubi fructum dividit in *trigeſimum, ſexageſimum, & centeſimum*; fructus autem ſecundum hoc poteſt prodire ex ſemine, quod vis ſementina eſt efficax ad convertendum humores terræ in ſuam naturam; & quanto hæc virtus eſt efficacior, & terra ad hoc paratior, tanto fructus ſequitur uberior; ſpirituale autem ſemen, quod in nobis ſeminatur, eſt verbum Dei; unde quanto aliquis magis in ſpiritualitatem convertitur a carne recedens, tanto in eo eſt major fructus Verbi Dei. *4. ſent. d. 49. qu. 5. art. 2. quæſt. 1.*

QUÆR. 2. Quare fructus Evangelicus continentiæ correſpondet.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſicut dictum eſt, fructus eſt quoddam præmium quod debetur homini ex hoc quod a carnali vita in ſpiritualem tranſit: & ideo illi virtuti præcipue reſpondet, quæ hominem præcipue a ſubjectione carnis liberet: hoc autem facit continentia, quia per delectationes venereas anima præcipue carni ſubditur; adeo ut in actu carnali ſecundum Hieronymum nec

nec ſpiritus prophetiæ corda Prophetarum tangat, nec in illa delectatione poſſibile eſt aliquid intelligere, ut Philoſ. dicit in 7. Ethicor. & ideo continentiæ magis reſpondet fructus, quam alii virtuti. *4. ſent. diſt. 49. quæſt. 5. artic. 2. quæſtiunc. 2.*

QUÆR. 3. Cur continentiæ conjugali correſpondet fructus trigeſimus, viduali ſexageſimus, & virginali centeſimus.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod per continentiam, cui fructus correſpondet, homo in quandam ſpiritualitatem adducitur carnalitate abjecta: & ideo ſecundum diverſum modum ſpiritualitatis, quem continentia facit, diverſi fructus diſtinguuntur. Eſt enim quædam ſpiritualitas neceſſaria, & quædam ſuperabundans: neceſſaria quidem ſpiritualitas eſt in hoc, quod rectitudo ſpiritus ex delectatione carnis non pervertatur; quod fit dum aliquis ſecundum rectum ordinem rationis utitur delectabilibus carnis; & hæc eſt ſpiritualitas conjugatorum: ſpiritualitas vero ſuperabundans eſt per quam homo ab hujuſmodi delectationibus carnis ſpiritum ſuffocantibus omnino ſe abſtrahit; ſed hoc contingit dupliciter: vel reſpectu cujuslibet temporis præteriti, præſentis, & futuri; & hæc eſt ſpiritualitas virginum: vel ſecundum aliquod tempus; & hæc eſt ſpiritualitas viduarum. Servantibus ergo continentiam conjugalem datur fructus triceſimus, vidualem ſexageſimus, virginalem centeſimus. *ibid. quæſtiunc. 3. & 1. 2. quæſt. 70. art. 3. ad 1.*

FRUCTUS SPIRITUS SANCTI.

QUÆR. 1. Quid ſit Fructus Spiritus Sancti.

RESP. D. Thomas, dicendum, quod nomen fructus a corporalibus ad ſpiritualia eſt translatum: dicitur autem in corporalibus fructus id quod ex planta producitur, cum ad perfectionem pervenerit, & quandam in ſe ſuavitatem habet: qui quidem fructus ad duo comparari poteſt, ſcilicet ad arborem producentem ipſum, & ad hominem qui fructum ex arbore adipiſcitur. Secundum hoc igitur nomen fructus in rebus ſpiritualibus dupliciter accipere poſſumus: uno modo ut dicatur fructus hominis quaſi arboris id quod ab eo producitur: alio modo, ut dicatur fructus hominis id quod homo adipiſcitur: non autem omne id quod adipiſcitur homo, habet rationem fructus, ſed id quod eſt ultimum delectationem habens: habet enim homo agrum, & arborem, quæ fructus non dicuntur; ſed ſolum id quod eſt ultimum, quod ſcilicet ex agro, & arbore homo intendit habere: & ſecundum hoc fructus hominis dicitur ultimus finis quo debet frui. Si autem dicatur fructus hominis id quod ex homine producitur, ſic ipſi actus hominis fructus dicuntur: operatio enim eſt actus ſecundus operantis, & delectationem habet ſi ſit conveniens operanti: ſi igitur operatio hominis procedat ab homine ſecundum facultatem ſuæ rationis, ſic dicitur eſſe fructus rationis: ſi vero procedat ab homine ſecundum altiorem virtutem, quæ eſt virtus Spiritus Sancti, ſic dicitur eſſe operatio hominis fructus Spiritus Sancti quaſi cujuſdam divini ſeminis; dicitur enim 1. Joann. 3. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet. 1. 2. q. 70. art. 1. ad Galat. 5. lect. 9.*

QUÆR. 2. Utrum convenienter ab Apoſtolo ad Galatas 5. enumerentur duodecim fructus Spiritus Sancti: ſcilicet charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, & caſtitas.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod numerus duodecim fructuum ab Apoſtolo enumeratorum conveniens eſt, & poſſunt ſignificari per duodecim fructus, de quibus dicitur Apoc. ult. *Ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim.* Quia vero fructus dicitur quod ex aliquo principio procedit, ſicut ex ſemine, vel radice, attendenda eſt diſtinctio horum fructuum, ſecundum diverſum proceſſum Spiritus Sancti in nobis: qui quidem proceſſus attenditur ſecundum hoc, ut primo mens hominis in ſe ipſa ordinetur, ſecundo vero ordinetur ad ea quæ ſunt juxta, tertio vero ordinetur ad ea quæ ſunt infra. Tunc autem bene mens hominis diſponitur in ſe ipſa, quando mens hominis bene ſe habet in bonis & in malis. Prima autem diſpoſitio mentis humanæ ad bonum eſt per amorem, qui eſt prima affectio, & omnium affectionum radix: & ideo inter fructus Spiritus primo ponitur Charitas: in qua ſpecialiter Spiritus Sanctus datur ſicut in propria ſimilitudine, cum & ipſe ſit amor: Unde dicitur Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Ad amorem autem charitatis ex neceſſitate ſequitur gaudium; omnis enim amans gaudet ex conjunctione amati; Charitas autem ſemper habet præſentem Deum quem amat, ſecundum illud 1. Joan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Unde ſequela charitatis eſt gaudium; perfectio autem gaudii eſt pax quantum ad duo. Primo quidem quantum ad quietem ab exte-

Digitized by Google

exterioribus conturbantibus: non enim poteſt perfecte gaudere de bono amato, qui in ejus fruitione ab aliis perturbatur. Et iterum qui perfecte cor habet in uno pacatum, a nullo alio moleſtari poteſt, cum alia quaſi nihil reputet: unde dicitur in Pſal. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.* Quia ſcilicet ab exterioribus non perturbantur quin Deo fruantur. Secundo quantum ad ſedationem deſiderii fluctuantis: non enim perfecte gaudet de aliquo, cui non ſufficit id de quo gaudet. Hæc autem duo importat pax, ſcilicet ut neque ab exterioribus perturbemur, & ut deſideria noſtra conquieſcant in uno: unde poſt charitatem & gaudium tertio ponitur pax. In malis autem bene ſe habet mens quantum ad duo. Primo quidem ut non perturbetur mens per imminentiam malorum, quod pertinet ad patientiam. Secundo ut non perturbetur in dilatione bonorum, quod pertinet ad longanimitatem: nam carere bono habet rationem mali, ut dicitur in 5. Eth.

Ad id autem quod eſt juxta hominem, ſcilicet proximum, bene diſponitur mens hominis. Primo quidem quantum ad voluntatem bene faciendi: & ad hoc pertinet bonitas. Secundo quantum ad beneficentiæ executionem, & ad hoc pertinet benignitas: dicuntur enim benigni, quos bonus ignis amoris fervere facit ad benefaciendum proximis. Tertio quantum ad hoc quod æquanimiter tolerantur mala ab eis illata, & ad hoc pertinet manſuetudo, quæ cohibet iras. Quarto quantum ad hoc, quod non ſolum per iram proximis non noceamus, ſed etiam neque per fraudem, vel per dolum, & ad hoc pertinet fides, ſi pro fidelitate ſumatur; ſed ſi ſumatur pro fide, qua creditur in Deum, ſic per hanc ordinatur homo ad id quod ſupra ſe eſt, ut ſcilicet homo intellectum ſuum Deo ſubjiciat, & per conſequens omnia quæ ipſius ſunt.

Sed ad id quod infra eſt bene diſponitur homo, primo quidem quantum ad exteriores actiones per modeſtiam, quæ in omnibus dictis & factis modum obſervat. Quantum ad interiores concupiſcentias, per continentiam, & caſtitatem; ſive hæc duo diſtinguantur per hoc quod caſtitas refrænat hominem ab illicitis: continentia vero a licitis: ſive per hoc quod continens patitur concupiſcentias, ſed non deducitur: caſtus autem neque patitur, neque deducitur. 1. 2. *qu. 70. art. 3. in corp.*

FURTUM.

QUÆR. 1. Quid ſit furtum.

RESp. D. Thomas, dicendum, quod ad rationem furti tria concurrunt: quorum primum convenit ei ſecundum quod contrariatur Juſtitiæ, quæ unicuique tribuit quod ſuum eſt, & ex hoc competit ei, quod uſurpat alienum: ſecundum vero pertinet ad rationem furti, prout diſtinguitur a peccatis, quæ ſunt contra perſonam, ſicut ab homicidio, & adulterio; & ſecundum hoc competit furto, quod ſit circa rem poſſeſſam; ſi quis enim accipiat id, quod eſt alterius, non quaſi poſſeſſio, ſed quaſi pars (ſicut ſi amputet membrum) vel ſicut perſona conjuncta (ut ſi auferat filiam, vel uxorem) non habet proprie rationem furti: tertia differentia eſt, quæ complet rationem furti, ut ſcilicet occulte uſurpetur alienum, & ſecundum hoc propria ratio furti eſt, ut ſit occulta acceptio rei alienæ. 2. 2. *quæſt. 66. art. 3. in corp.*

QUÆR. 2. An furtum ſit peccatum mortale, de quo dicitur Zach. 5. Hæc eſt maledictio, quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ; quia omnis fur ſicut ibi ſcriptum eſt, judicabitur.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod peccatum mortale eſt, quod contrariatur Charitati ſecundum quod eſt ſpiritualis animæ vita: Charitas autem conſiſtit quidem principaliter in dilectione Dei, ſecundario vero in dilectione proximi, ad quem pertinet, ut homo proximo bonum velit, & operetur: per furtum autem homo infert nocumentum proximo in ſuis rebus: & ſi paſſim homines ſibi invicem furarentur, periret humana ſocietas: unde furtum tanquam contrarium Charitati eſt peccatum mortale. 2. 2. *qu. 66. art. 6. in corp.*

QUÆR. 3. An & quando ille, qui furatur minima, ut acum, vel pennam, excuſetur a mortali peccato.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod illud quod modicum eſt, ratio apprehendit quaſi nihil: & ideo in his, quæ minima ſunt, homo non reputat ſibi nocumentum inferri; & ille, qui accipit, poteſt præſumere hoc non eſſe contra voluntatem ejus, cujus eſt res: & pro tanto ſi quis furtive hujuſmodi res minimas accipiat, poteſt excuſari a peccato mortali. Si tamen habet animum furandi, & inferendi nocumentum proximo, etiam in talibus minimis, poteſt eſſe peccatum mortale; ſicut & in ſolo cogitatu per conſenſum, 2. 2. *q. 66. art. 6. ad 3.*

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 4. An qui retinet inventa, dicatur furari.

Reſpondetur *v. Inventum.*

QUÆR. 5. An liceat alicui furari propter neceſſitatem.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ea, quæ ſunt juris humani, non poſſunt derogare juri naturali, vel juri Divino: ſecundum autem naturalem ordinem ex Divina providentia inſtitutum res inferiores ſunt ordinatæ ad hoc, quod ex his ſubveniatur hominum neceſſitati: & ideo per rerum diviſionem, & appropriationem ex jure humano procedentem non impeditur, quin hominis neceſſitati ſit ſubveniendum ex hujuſmodi rebus: & ideo res, quas aliqui ſuperabundanter habent, ex naturali jure debentur pauperum ſuſtentationi: unde Ambroſius dicit, & habetur in *Decretis d. 47. eſurientium panis eſt, quem tu detines; nudorum indumentum eſt, quod tu recludis: miſerorum redemptio, & abſolutio eſt pecunia, quam tu in terram defodis.* Sed quia multi ſunt neceſſitatem patientes, & non poteſt ex eadem re omnibus ſubveniri, committitur arbitrio uniuſcujuſque diſpenſatio propriarum rerum; ut ex eis ſubveniat neceſſitatem patientibus.

Si tamen adeo ſit evidens, & urgens neceſſitas, ut manifeſtum ſit inſtanti neceſſitati de rebus occurrentibus eſſe ſubveniendum, puta cum imminet perſonæ periculum, & aliter ſubveniri non poteſt; tunc licite poteſt aliquis ex rebus alienis ſuæ neceſſitati ſubvenire, ſive manifeſte, ſive occulte ſublatis: nec hoc proprie habet rationem furti, vel rapinæ. 2. 2. *q. 66. art. 7. in corp.*

QUÆR. 6. An in caſu ſimilis neceſſitatis liceat accipere rem alienam ad ſubveniendum proximo.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in caſu ſimilis neceſſitatis etiam poteſt aliquis occulte rem alienam accipere, ut ſubveniat proximo ſic indigenti. 2. 2. *qu. 66. art. 7. ad 3.*

QUÆR. 7. Quam pœnam mereatur furtum.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod pœnæ præſentis vitæ magis ſunt medicinales, quam retributivæ: retributio enim reſervatur Divino judicio, quod eſt ſecundum veritatem in peccantes: & ideo ſecundum judicium præſentis vitæ non pro quolibet peccato mortali infligitur pœna mortis, ſed ſolum pro illis, quæ inferunt irreparabile nocumentum, vel etiam pro illis, quæ habent aliquam horribilem deformitatem: & ideo pro furto, quod irreparabile damnum non infert, non infligitur ſecundum præſens judicium pœna mortis: niſi ut furtum aggravatur per aliquam gravem circumſtantiam; ſicut patet de ſacrilegio, quod eſt furtum rei ſacræ; & de peculatu, quod eſt furtum rei communis, ut patet per Auguſtinum ſuper Joannem, & de plagio, quod eſt furtum hominis, pro quo quis morte punitur, ut patet Exodi 21. 2. 2. *qu. 66. art. 6. ad 2.*

QUÆR. 8. Utrum hæredes obligentur pro furto Patris.

Reſp. D. Thomas, hæredes alicujus furis obligantur pro furto Patris ſecundum jura canonica, etiamſi nihil ad eos de furto pervenerit, ſite etiam non conteſtata cum Patre, *qu. 4. de malo art. 8. in arg. 15.*

GAUDIUM.

QUÆR. 1. An & quomodo gaudium cauſetur ex charitate, juxta illud ad Rom. 14. Non eſt regnum Dei eſca, & potus: ſed pax, & gaudium in Spiritu Sancto.

RESP. Div. Thomas, dicendum, quod ex amore procedit & gaudium, & triſtitia; ſed contrario modo. Gaudium enim ex amore cauſatur, vel propter præſentiam boni amati, vel etiam propter hoc, quod ipſi bono amato proprium bonum eſt, & conſervatur: & ſecundum hoc maxime pertinet ad amorem benevolentiæ, per quem aliquis gaudet de amico proſpere ſe habente, etiam ſi ſit abſens. E contrario autem ex amore ſequitur triſtitia, vel propter abſentiam amati, vel propter hoc quod amatum, cui volumus bonum, ſuo bono privatur, aut aliquo modo deprimitur. Charitas autem eſt amor Dei, cujus bonum immutabile eſt; quia ipſe eſt ſumma bonitas: & ex hoc ipſo, quod amatur, eſt in amante per nobiliſſimum ſuum effectum, ſecundum illud Joan. 4. *Qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo;* & ideo ſpirituale gaudium, quod de Deo habetur, ex Charitate cauſatur. 2. 2. *q. 28. art. 1.*

QUÆR. 2. An & quomodo gaudium, quod ex Charitate cauſatur, recipiat admixtionem triſtitiæ, vel ipſam excludat, juxta illud Sap. 8. Non habet amaritudinem converſatio illius.

Reſpond. D. Thomas, dicendum, quod ex Charitate cauſatur duplex gaudium de Deo. Unum quidem principale, quod eſt proprium Charitatis, quo ſcilicet gaudemus de bono divino ſecundum ſe conſiderato: & tale gaudium Charitatis permixtionem triſtitiæ non patitur, ſicut nec illud bonum, de quo gaudetur, poteſt aliquam mali admixtionem habere: & ideo Apoſtolus dicit ad Philippenſes 4. *Gaudete in Domino ſemper.* Aliud autem eſt gaudium charitatis, quo gaudet aliquis de bono divino, ſecundum quod parti-

ticipatur a nobis: Hæc autem participatio poteſt impediri per aliquod contrarium: & ideo ex parte gaudium Charitatis poteſt habere permixtionem triſtitiæ; prout ſcilicet aliquis triſtatur de eo, quod repugnat participationi divini boni vel in nobis, vel in proximis, quos tanquam nos ipſos diligimus. 2. 2. *qu.* 28. *art.* 2.

QUÆR. 3. *Utrum ſpirituale gaudium, quod ex charitate cauſatur, poſſit in nobis impleri, juxta illud Chriſti Domini Joan.* 15. *Ut gaudium meum in vobis ſit, & gaudium veſtrum impleatur.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod plenitudo gaudii poteſt intelligi dupliciter. Uno modo ex parte rei de qua gaudetur, ut ſcilicet tantum gaudeatur de eo, quantum eſt dignum de ea gauderi. Et ſic Dei ſolum gaudium eſt plenum de ſeipſo, quia gaudium Dei eſt infinitum; & hoc eſt condignum infinitæ bonitati Dei; cujuslibet autem creaturæ gaudium oportet eſſe finitum. Alio modo poteſt intelligi plenitudo gaudii ex parte gaudentis. Gaudium autem comparatur ad deſiderium, ſicut quies ad motum: Eſt autem quies plena, cum nihil reſtat de motu: Unde tunc gaudium eſt plenum, quando jam nihil deſiderandum reſtat. Quandiu autem in hoc mundo ſumus, non ceſſat in nobis deſiderii motus; quia adhuc reſtat, quod Deo magis appropinquemus per gratiam. Sed quando jam ad beatitudinem perfectam perventum fuerit, nihil deſiderandum reſtabit; quia ibi erit plena Dei fruitio, in qua homo obtinebit quidquid etiam circa alia bona deſideraverit, ſecundum illud Pſalm. 102. *Qui replet in bonis deſiderium tuum.* Et ideo quieſcet deſiderium non ſolum quo deſideramus Deum, ſed etiam erit omnium deſideriorum quies. Unde gaudium Beatorum eſt perfecte plenum, & etiam ſuperplenum, quia plus obtinebunt, quam deſiderare ſuffecerint: *Non enim in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe*, ut dicitur 1. ad Corint. 2. Et hoc eſt quod dicitur Lucæ 6. *Menſuram bonam & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum.* Quia tamen nulla creatura eſt capax gaudii de Deo ei condigni; inde eſt quod illud gaudium omnino plenum non capitur in homine, ſed potius homo intrat in ipſum, ſecundum illud Matth. 25. *Intra in gaudium Domini tui.* 2. 2. *q.* 28. *art.* 3.

QUÆR. 4. *An & quando, ſalva charitate, poſſimus gaudere de malo proximi.*

Reſp. ſupra *v. Deſiderare malum.*

QUÆR. 1. *Utrum appetitus gloriæ ſit peccatum: & quid ſit vana gloria.*

RESp. D. Thomas, dicendum, quod gloria claritatem quandam ſignificat; unde gloriari idem eſt, quod clarificari, ut Auguſtinus dicit ſuper Joannem: Claritas autem, & decor quandam habet manifeſtationem; & ideo nomen gloriæ proprie importat manifeſtationem alicujus de hoc, quod apud homines decorum videtur; ſive illud ſit bonum corporale aliquod, ſive ſpirituale: quia vero illud quod ſimpliciter clarum eſt, a multis conſpici poteſt, & a remotis; ideo proprie per nomen gloriæ deſignatur, quod bonum alicujus deveniat in multorum notitiam & approbationem, ſecundum quod Saluſtius dicit in Catilinario: *Gloriari ad unum non eſt.* Largius tamen accepto gloriæ nomine non ſolum conſiſtit in multitudinis cognitione, ſed etiam paucorum, vel unius, aut ſui ſolius, dum ſcilicet aliquis proprium bonum conſiderat, ut dignum laude.

Quod autem aliquis bonum ſuum cognoſcat, & approbet, non eſt peccatum: dicitur enim ad Corinth. 2. *Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt: ut ſciamus quæ a Deo donata ſunt nobis.* Similiter etiam non eſt peccatum, quod aliquis velit bona ſua ab aliis approbari: dicitur enim Matth. 5. *Luceat lux veſtra coram hominibus*, & ideo appetitus gloriæ de ſe non nominat aliquid vitioſum: ſed appetitus inanis, vel vanæ gloriæ vitium importat, nam quodlibet vanum appetere vitioſum eſt; ſecundum illud Pſal. 4. *Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.*

Poteſt autem gloria dici vana tripliciter: uno modo ex parte rei, de qua quis gloriam quærit; puta cum quis quærit gloriam de eo, quod non eſt, vel de eo, quod non eſt gloria dignum, ſicut de aliqua re fragili, & caduca: alio modo ex parte ejus, a quo quis gloriam quærit, puta hominis, cujus judicium non eſt certum: tertio ex parte ipſius, qui gloriam appetit, qui videlicet appetitum gloriæ ſuæ non refert in debitum finem, puta ad honorem Dei, vel proximi ſalutem. 2. 2. *qu.* 132. *art.* 1. *in corp.*

QUÆR. 2. *An & quomodo poſſit homo laudabiliter ſuam quærere gloriam exemplo Dei?*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſicut Auguſtin. dicit ſuper illud Joan. 13. *Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & bene dicitis* (tract. 58. in Joan.) *Periculoſum eſt ſibi placere, cui cavendum eſt ſuperbire: ille autem qui ſuper omnia eſt, quantumcunque ſe laudet,*

non

Digitized by Google

non extollit ſe: nobis namque expedit eum noſ-ſe, non illi: nec eum quiſque cognoſcit, ſi non ſe judicet ipſe qui novit: unde patet quod Deus ſuam gloriam non quærit propter ſe, ſed propter nos: & ſimiliter etiam homo laudabiliter poteſt ad aliorum utilitatem ſuam gloriam appetere, ſecundum illud Matth. *Videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt*. 2. 2. *quæſt*. 132. *art*. 1. *ad* 1.

QUÆR. 3. *An & quomodo appetitus gloriæ nos excitare debet ad bona opera, juxta illud Tullii in lib. de Tuſculanis quæſt. Omnes ad ſtudia incenduntur gloria.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod gloria quæ habetur a Deo, non eſt gloria vana, ſed vera: & talis gloria bonis operibus in præmium repromittitur, de qua dicitur 2. ad Corinth. 10. *Qui gloriatur, in Domino glorietur: non enim qui ſe ipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat*. Provocantur etiam aliqui ad virtutum opera ex appetitu gloriæ humanæ, ſicut etiam ex appetitu aliorum terrenorum bonorum; non tamen eſt vere virtuoſus qui propter humanam gloriam opera virtutis operatur, ut Auguſtinus probat in 5. de Civit. c. 12. *ibid. ad* 2.

QUÆR. 4. *An & quomodo debeat homo ſollicitus eſſe de gloria, juxta illud Eccl*. 41. *Curam habe de bono nomine; & ad Rom*. 12. *Providentes bona, non ſolum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ad perfectionem hominis pertinet quod ipſe cognoſcat: ſed quod ipſe ab aliis cognoſcatur non pertinet ad ejus perfectionem: & ideo non eſt per ſe appetendum: poteſt tamen appeti inquantum eſt utile ad aliquid, vel ad hoc, quod Deus ab hominibus glorificetur; vel ad hoc quod homines proficiant ex bono quod in alio cognoſcunt; vel ex hoc quod ipſe homo ex bonis quæ in ſe cognoſcit per teſtimonium laudis alienæ, ſtudeat in eis perſeverare, & ad meliora proficere: & ſecundum hoc laudabile eſt quod curam habeat aliquis de bono nomine, & quod provideat bona coram Deo & hominibus; non tamen quod in hominum laude inaniter delectetur. *ibid. ad* 3.

QUÆR. 5. *An & quando inanis gloria ſit peccatum mortale, vel veniale: & reperiatur nedum in peccatoribus, ſed etiam in juſtis, juxta illud D. Chryſoſt. ſuper Matth. Cum vitia cætera locum habeant in ſervis Diaboli, inanis gloria locum etiam habet in ſervis Chriſti.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ex hoc aliquid peccatum eſt mortale, quod Charitati contrariatur: peccatum autem inanis gloriæ ſecundum ſe conſideratum non videtur contrariari Charitati quantum ad dilectionem Dei: poteſt contrariari Charitati dupliciter: uno modo ratione materiæ, de qua quis gloriatur; puta cum quis gloriatur de aliquo falſo, quod contrariatur Divinæ reverentiæ, ſecundum illud Ezech. 28. *Elevatum eſt cor tuum, & dixiſti, Deus ego ſum*: & 1. ad Corinth. 4. *Quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* vel etiam cum quis bonum temporale, de quo gloriatur, præfert Deo: quod prohibetur Hierem. 9. *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine ſua, nec dives in divitiis ſuis: ſed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire & noſſe me*; Aut etiam cum quis præfert teſtimonium hominum teſtimonio Dei: ſicut contra quoſdam dicitur Jo. 12. *Qui dilexerunt magis gloriam hominum, quam Dei*. Alio modo ex parte ipſius gloriantis, qui ad gloriam, tanquam ad ultimum finem, ad quem ſcil. ordinat etiam virtutis opera, & pro quo conſequendo non prætermittit etiam facere ea, quæ ſunt contra Deum, omnia refert: & ſic eſt peccatum mortale: unde Auguſtinus dicit in 5. de Civit. Dei, quod *hoc vitium*, ſcilicet amor humanæ laudis, *tam inimicum eſt piæ fidei, ſi major in corde ſit cupiditas gloriæ, quam Dei timor, vel amor, ut diceret Dominus, quomodo poteſtis credere, gloriam ab invicem expectantes, & gloriam, quæ a ſolo Deo eſt, non quærentes?*

Si autem amor humanæ gloriæ, quamvis ſit inanis, non tamen repugnet Charitati, neque quantum ad id, de quo eſt gloria, neque quantum ad intentionem gloriam quærentis, non eſt peccatum mortale, ſed veniale. 2. 2. *q*. 132. *art*. 3. *in corp. q*. 9. *de malo art*. 2.

QUÆR. 6. *An vana gloria ſit vitium capitale.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod de vitiis capitalibus dupliciter aliqui loquuntur: quidam enim ponunt ſuperbiam unum de vitiis capitalibus, & hi non ponunt inanem gloriam inter vitia capitalia; Gregorius autem in 31. moralium; ſuperbiam ponit reginam omnium vitiorum, & inanem gloriam, quæ immediate ab ipſa oritur, ponit vitium capitale; & rationabiliter: ſuperbia enim importat inordinatum appetitum excellentiæ; ex omni autem bono, quod quis appetit, quandam perfectionem, & excellentiam conſequitur: & ideo fines omnium vitiorum ordinantur in finem ſuperbiæ: & propter hoc videtur, quod habeat quandam generalem cauſali-

ſalitatem ſuper alia vitia, & non debeat computari inter ſpecialia vitiorum principia, quæ ſunt vitia capitalia: inter bona autem, per quæ excellentiam homo conſequitur, præcipue ad hoc operari videtur gloria, inquantum importat manifeſtationem bonitatis alicujus; nam bonum naturaliter amatur, & honoratur ab omnibus; & ideo ſicut per gloriam, quæ eſt apud Deum, conſequitur homo excellentiam in rebus Divinis; ita etiam per gloriam hominum conſequitur homo excellentiam in rebus humanis: & ideo propter propinquitatem ad excellentiam, quam homines maxime deſiderant, conſequens eſt, quod ſit multum appetibilis: & quia ex ejus inordinato appetitu multa vitia oriuntur; ideo inanis gloria eſt vitium capitale. 2. 2. *q.* 132. *a.* 4. *in corp. q. 9. de malo art. 3.*

QUÆR. 7. *An convenienter enumerentur filiæ inanis gloriæ, ſcilicet inobedientia, jactantia, hypocriſis, contentio, pertinacia, diſcordia, novitatum præſumptio.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod illa vitia, quæ de ſe nata ſunt ordinari ad finem alicujus vitii capitalis, dicuntur filiæ ejus: finis autem inanis gloriæ eſt manifeſtatio propriæ excellentiæ, ad quam poteſt homo tendere dupliciter: uno modo directe, ſive per verba; & ſic eſt *jactantia*: ſive per facta; & ſic ſi ſint habentia aliquam admirationem eſt *præſumptio novitatum*, quas homines ſolent magis admirari: ſi autem falſa; ſic eſt hypocriſis: alio autem modo nititur aliquis manifeſtare ſuam excellentiam indirecte oſtendendo ſe non eſſe alio minorem & hoc quadrupliciter: primo quidem quantum ad intellectum: ſic eſt *pertinacia*, per quam homo nimis innititur ſuæ ſententiæ, nolentes credere ſententiæ meliori: ſecundo quantum ad voluptatem: & ſic eſt *diſcordia*, dum non vult a propria voluntate diſcedere, ut aliis concordet; tertio quantum ad locutionem, & ſic eſt *contentio*, cum aliquis verbis clamoſe contra alium litigat: quarto quantum ad factum; & ſic eſt *inobedientia*, dum ſcilicet aliquis non vult exequi Superioris præceptum. 2. 2. *q.* 132. *a.* 5. *in corp. q. 9. de malo a. 3.*

QUÆR. 8. *An & quomodo vana gloria opponatur magnanimitati, juxta illud Tullii: cavenda eſt gloriæ cupiditas: eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet eſſe contentio.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod gloria eſt quidam effectus honoris, & laudis: ex hoc enim quod aliquis laudatur, vel quæcunque reverentia ei exhibetur, redditur clarus in notitia aliorum: & quia magnanimitas eſt honorum, conſequens eſt etiam ut ſit circa gloriam; ut ſcilicet ſicut aliquis moderate utitur honore, ita etiam moderate utitur honore, ita etiam moderate utatur gloria: & ideo inordinatus appetitus gloriæ directe magnanimitati opponitur. 2. 2. *q.* 132. *artic.* 2.

QUÆR. 9. *Quomodo ſit oppoſitum magnanimitati, quod aliquis inaniter glorietur in his quæ non ſunt, vel in rebus terrenis, & caducis, vel in hominum teſtimonio.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod hoc ipſum magnitudini animi repugnat, quod aliquis res modicas tantum appretietur, quod de eis glorietur: unde & in 4. Ethic. dicitur de magnanimo, quod *ei ſit honor parvus*: ſimiliter etiam alia quæ propter honorem quæruntur (puta potentatus, & divitiæ) parva reputantur ab eo. Similiter etiam magnitudini animi repugnat, quod aliquis de his quæ non ſunt glorietur: unde de magnanimo dicitur 4. Ethic. quod *magis curat veritatem, quam opinionem*. Similiter etiam magnitudini animi repugnat quod aliquis glorietur in teſtimonio laudis humanæ, quaſi hoc magnum aliquid æſtimet, unde de magnanimo dicitur 4. Ethic. quod *non eſt ei cura, ut laudetur, Ibid. ad* 1.

QUÆR. 10. *Quomodo magnanimitati opponatur contentio, quæ ex vana gloria provenit, juxta illud ad Philipp. 2. Nihil per contentionem, aut inanem gloriam; ubi dicit Gloſſa: erant aliqui inter eos diſſentientes, inquieti, inanis gloriæ cauſa contendentes.*

Reſp. D. Thomas, hoc ipſum magnitudini animi opponitur, quod aliquis contentionem intendat: nullus enim contendit niſi pro re quam æſtimat magnam: unde Philoſoph. dicit 4. Ethic. quod *magnanimus non eſt contentioſus, quia nihil æſtimat magnum. Ib. ad* 3.

QUÆR. 11. *An vana gloria tollat meritum operis virtuoſi, juxta illud Matth. 6. Attendite ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum qui in cælis eſt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod nullus peccando meretur vitam æternam: unde opus virtuoſum amittit vim merendi vitam æternam, ſi propter inanem gloriam fiat; etiam ſi illa inanis gloria non ſit peccatum mortale: ſed quando aliquis ſimpliciter amittit æternam mercedem propter inanem gloriam, & non ſolum quantum ad unum actum, tunc inanis gloria eſt peccatum mortale. 2. 2. *q.* 132. *a.* 3. *ad* 2.

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 12. *An vana gloria ſit peccatum maxime periculoſum, & nocivum juxta Gloſſam D. Auguſtini, ſuper illud 1. ad Theſſ. 2. Deo, qui probat corda noſtra: ubi dicit: quas vires nocendi habeat humanæ gloriæ amor, non ſentit niſi qui ei bellum indixerit: quia etſi cuiquam facile eſt laudem non cupere dum negatur, difficile tamen eſt ea non delectari cum offertur: Chryſoſt. etiam dicit Matth. 6. Quod inanis gloria occulte ingreditur, & omnia quæ intus ſunt, inſenſibiliter aufert.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod inanis gloria dicitur eſſe periculoſum peccatum, non tantum propter gravitatem ſui, ſed etiam propter hoc, quod eſt diſpoſitio ad gravia peccata; inquantum ſcilicet per inanem gloriam redditur homo præſumptuoſus, & nimis de ſeipſo confidens; & ſic etiam paulatim diſponit ad hoc quod homo privetur interioribus bonis. *2. 2. q. 3. art. 3. ad 3.*

QUÆR. 13. *Quomodo intelligatur illud D. Hieronymi: nihil eſt tam periculoſum quantum gloriæ cupiditas, & jactantiæ vitium, & animus de conſcientia virtutum tumens.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod illud dicitur eſſe periculoſum, quod de facili inducit aliquem ad pereundum: inanis autem gloria inducit de facili ad pereundum, inquantum facit ipſum de ſeipſo confidere: unde dicitur eſſe periculoſiſſimum peccatum, non tam propter gravitatem ſui, quam propter hoc quod eſt diſpoſitio ad gravius peccatum. *qu. 9. de malo art. 2. ad 4.*

QUÆR. 14. *An vana gloria ſit iniquitas maxima, ſicut aſſerit Job 31. dicens: Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clare, & lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo, quæ eſt iniquitas maxima: quod D. Gregorius exponit de inani gloria.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ratio illa procedit de inani gloria ſecundum quod homo de bonis ſuis gloriatur in ſeipſo, nullo modo ea referendo in Deum, vel actu, vel habitu, prout eſt peccatum mortale. *q. 9. de malo art. 2. ad 3.*

QUÆR. 15. *An levitas terrenæ cogitationis, quæ maxime ad inanem gloriam pertinet, ſit inevitabilis etiam ſummis Doctoribus.*

Reſp. D. Thomas, quod Matth. 10. ſuper illud, *Excutite pulverem de pedibus veſtris*, dicit Gloſſa: *Pulvis eſt levitas terrenæ cogitationis, a qua nec ſummi Doctores poſſunt eſſe immunes, dum intendunt curis ſubditorum. In eadem q. 9. de malo, quæ eſt unica de inani gloria, art. 2. in argum. 1. ſed contra.*

GRATIA.

QUÆR. 1. *Utrum gratia convenienter dividatur per gratiam gratum facientem, & gratiam gratis datam.*

RESp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut Apoſt. dicit ad Rom. 13. *Quæ a Deo ſunt, ordinata ſunt.* In hoc autem ordo rerum conſiſtit, quod quædam per alia in Deum reducuntur; ut Dionyſ. dicit in lib. cæleſt. Hierarch. Cum igitur gratia ad hoc ordinetur ut homo reducatur in Deum, ordine quodam hoc agitur; ut ſcilicet quidam per alios in Deum reducantur. Secundum hoc igitur duplex eſt gratia: una quidem, per quam ipſe homo Deo conjungitur, quæ vocatur gratia gratum faciens: alia vero, per quam unus homo cooperatur alteri ad hoc quod ad Deum reducatur: hujuſmodi autem donum vocatur gratia gratis data: quia ſupra facultatem naturæ, & ſupra meritum perſonæ homini conceditur; ſed quia non datur ad hoc ut homo ipſe per eam juſtificetur, ſed potius ut ad juſtificationem alterius cooperetur; ideo non vocatur gratum faciens: & de hac dicit Apoſt. 1. ad Corinth. 12. *Unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem*, ſcilicet aliorum. *1. 2. qu. 111. art. 1. in corp.*

QUÆR. 2. *An ſit duplex gratia, ſcilicet habitualis & actualis: & quomodo dicatur homo ſe præparare ad gratiam.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod gratia dicitur dupliciter: quandoque quidem ipſum habituale donum Dei: quandoque autem auxilium Dei moventis animam ad bonum. Primo igitur modo accipiendo gratiam, præexigitur ad gratiam aliqua gratiæ præparatio; quia nulla forma poteſt eſſe niſi in materia diſpoſita: ſed ſi loquamur de gratia ſecundum quod ſignificat auxilium Dei moventis ad bonum, ſic nulla præparatio requiritur ex parte hominis, quaſi præveniens divinum auxilium; ſed potius quæcunque præparatio in homine eſſe poteſt, eſt ex auxilio Dei moventis animam ad bonum. Et ſecundum hoc ipſe bonus motus liberi arbitrii, quo quis præparatur ad donum gratiæ ſuſcipiendum, eſt actus liberi arbitrii moti a Deo: & quantum ad hoc dicitur homo ſe præparare, ſecundum illud Prov. 16. *Hominis eſt præparare animum*: & eſt principaliter a Deo movente liberum arbitrium: & ſecundum hoc dicitur a Deo voluntas hominis præparari, & a Domino greſſus hominis dirigi. *Ibid. qu. 112. artic. 2. in corp.*

Digitized by Google

ſalitatem ſuper alia vitia, & non debeat computari inter ſpecialia vitiorum principia, quæ ſunt vitia capitalia: inter bona autem, per quæ excellentiam homo conſequitur, præcipue ad hoc operari videtur gloria, inquantum importat manifeſtationem bonitatis alicujus; nam bonum naturaliter amatur, & honoratur ab omnibus; & ideo ſicut per gloriam, quæ eſt apud Deum, conſequitur homo excellentiam in rebus Divinis; ita etiam per gloriam hominum conſequitur homo excellentiam in rebus humanis; & ideo propter propinquitatem ad excellentiam, quam homines maxime deſiderant, conſequens eſt, quod ſit multum appetibilis: & quia ex ejus inordinato appetitu multa vitia oriuntur; ideo inanis gloria eſt vitium capitale. 2. 2. *q.* 132. *a.* 4. *in corp. q.* 9. *de malo art.* 3.

QUÆR. 7. *An convenienter enumerentur filiæ inanis gloriæ, ſcilicet inobedientia, jactantia, hypocriſis, contentio, pertinacia, diſcordia, novitatum præſumptio.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod illa vitia, quæ de ſe nata ſunt ordinari ad finem alicujus vitii capitalis, dicuntur filiæ ejus: finis autem inanis gloriæ eſt manifeſtatio propriæ excellentiæ, ad quam poteſt homo tendere dupliciter: uno modo directe, ſive per verba; & ſic eſt *jactantia*: ſive per facta; & ſic ſi ſint habentia aliquam admirationem eſt *præſumptio novitatum*, quas homines ſolent magis admirari: ſi autem falſa; ſic eſt hypocriſis: alio autem modo nititur aliquis manifeſtare ſuam excellentiam indirecte oſtendendo ſe non eſſe alio minorem: & hoc quadrupliciter: primo quidem quantum ad intellectum: ſic eſt *pertinacia*, per quam homo nimis innititur ſuæ ſententiæ, nolentes credere ſententiæ meliori: ſecundo quantum ad voluptatem: & ſic eſt *diſcordia*, dum non vult a propria voluntate diſcedere, ut aliis concordet; tertio quantum ad locutionem, & ſic eſt *contentio*, cum aliquis verbis clamoſe contra alium litigat: quarto quantum ad factum; & ſic eſt *inobedientia*, dum ſcilicet aliquis non vult exequi Superioris præceptum. 2. 2. *q.* 132. *a.* 5. *in corp. q.* 9. *de malo a.* 3.

QUÆR. 8. *An & quomodo vana gloria opponatur magnanimitati, juxta illud Tullii: cavenda eſt gloriæ cupiditas: eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet eſſe contentio.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod gloria eſt quidam effectus honoris, & laudis: ex hoc enim quod aliquis laudatur, vel quæcunque reverentia ei exhibetur, redditur clarus in notitia aliorum: & quia magnanimitas eſt honorum, conſequens eſt etiam ut ſit circa gloriam; ut ſcilicet ſicut aliquis moderate utitur honore, ita etiam moderate utitur honore, ita etiam moderate utatur gloria: & ideo inordinatus appetitus gloriæ directe magnanimitati opponitur. 2. 2. *q.* 132. *artic.* 2.

QUÆR. 9. *Quomodo ſit oppoſitum magnanimitati, quod aliquis inaniter glorietur in his quæ non ſunt, vel in rebus terrenis, & caducis, vel in hominum teſtimonio.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod hoc ipſum magnitudini animi repugnat, quod aliquis res modicas tantum appretietur, quod de eis glorietur: unde & in 4. Ethic. dicitur de magnanimo, quod *ei ſit honor parvus*: ſimiliter etiam alia quæ propter honorem quæruntur (puta potentatus, & divitiæ) parva reputantur ab eo. Similiter etiam magnitudini animi repugnat, quod aliquis de his quæ non ſunt glorietur: unde de magnanimo dicitur 4. Ethic. quod *magis curat veritatem, quam opinionem*. Similiter etiam magnitudini animi repugnat quod aliquis glorietur in teſtimonio laudis humanæ, quaſi hoc magnum aliquid æſtimet, unde de magnanimo dicitur 4. Ethic. quod *non eſt ei cura, ut laudetur, Ibid. ad* 1.

QUÆR. 10. *Quomodo magnanimitati opponatur contentio, quæ ex vana gloria provenit, juxta illud ad Philipp.* 2. *Nihil per contentionem, aut inanem gloriam; ubi dicit Gloſſa: erant aliqui inter eos diſſentientes, inquieti, inanis gloriæ cauſa contendentes.*

Reſp. D. Thomas, hoc ipſum magnitudini animi opponitur, quod aliquis contentionem intendat: nullus enim contendit niſi pro re quam æſtimat magnam: unde Philoſoph. dicit 4. Ethic. quod *magnanimus non eſt contentioſus, quia nihil æſtimat magnum. Ib. ad* 3.

QUÆR. 11. *An vana gloria tollat meritum operis virtuoſi, juxta illud Matth.* 6. *Attendite ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum qui in cælis eſt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod nullus peccando meretur vitam æternam: unde opus virtuoſum amittit vim merendi vitam æternam, ſi propter inanem gloriam fiat; etiam ſi illa inanis gloria non ſit peccatum mortale: ſed quando aliquis ſimpliciter amittit æternam mercedem propter inanem gloriam, & non ſolum quantum ad unum actum, tunc inanis gloria eſt peccatum mortale. 2. 2. *q.* 132. *a.* 3. *ad* 2.

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 12. *An vana gloria ſit peccatum maxime periculoſum, & nocivum juxta Gloſſam D. Auguſtini, ſuper illud 1. ad Theſſ. 2. Deo, qui probat corda noſtra: ubi dicit: quas vires nocendi habeat humanæ gloriæ amor, non ſentit niſi qui ei bellum indixerit: quia etſi cuiquam facile eſt laudem non cupere dum negatur, difficile tamen eſt ea non delectari cum offertur: Chryſoſt. etiam dicit Matth. 6. Quod inanis gloria occulte ingreditur, & omnia quæ intus ſunt, inſenſibiliter aufert.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod inanis gloria dicitur eſſe periculoſum peccatum, non tantum propter gravitatem ſui, ſed etiam propter hoc, quod eſt diſpoſitio ad gravia peccata; inquantum ſcilicet per inanem gloriam redditur homo præſumptuoſus, & nimis de ſeipſo confidens; & ſic etiam paulatim diſponit ad hoc quod homo privetur interioribus bonis. *2. 2. q. 3. art. 3. ad 3.*

QUÆR. 13. *Quomodo intelligatur illud D. Hieronymi: nihil eſt tam periculoſum quantum gloriæ cupiditas, & jactantiæ vitium, & animus de conſcientia virtutum tumens.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod illud dicitur eſſe periculoſum, quod de facili inducit aliquem ad pereundum: inanis autem gloria inducit de facili ad pereundum, inquantum facit ipſum de ſeipſo confidere: unde dicitur eſſe periculoſiſſimum peccatum, non tam propter gravitatem ſui, quam propter hoc quod eſt diſpoſitio ad gravius peccatum. *qu. 9. de malo art. 2. ad 4.*

QUÆR. 14. *An vana gloria ſit iniquitas maxima, ſicut aſſerit Job 31. dicens: Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clare, & lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo, quæ eſt iniquitas maxima: quod D. Gregorius exponit de inani gloria.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ratio illa procedit de inani gloria ſecundum quod homo de bonis ſuis gloriatur in ſeipſo, nullo modo ea referendo in Deum, vel actu, vel habitu, prout eſt peccatum mortale. *q. 9. de malo art. 2. ad 3.*

QUÆR. 15. *An levitas terrenæ cogitationis, quæ maxime ad inanem gloriam pertinet, ſit inevitabilis etiam ſummis Doctoribus.*

Reſp. D. Thomas, quod Matth. 10. ſuper illud, *Excutite pulverem de pedibus veſtris*, dicit Gloſſa: *Pulvis eſt levitas terrenæ cogitationis, a qua nec ſummi Doctores poſſunt eſſe immunes, dum intendunt curis ſubditorum. In eadem q. 9. de malo, quæ eſt unica de inani gloria, art. 2. in argum. 1. ſed contra.*

G R A T I A.

QUÆR. 1. *Utrum gratia convenienter dividatur per gratiam gratum facientem, & gratiam gratis datam.*

RESP. D. Thomas, dicendum, quod ſicut Apoſt. dicit ad Rom. 13. *Quæ a Deo ſunt, ordinata ſunt*. In hoc autem ordo rerum conſiſtit, quod quædam per alia in Deum reducuntur; ut Dionyſ. dicit in lib. cæleſt. Hierarch. Cum igitur gratia ad hoc ordinetur ut homo reducatur in Deum, ordine quodam hoc agitur; ut ſcilicet quidam per alios in Deum reducantur. Secundum hoc igitur duplex eſt gratia: una quidem, per quam ipſe homo Deo conjungitur, quæ vocatur gratia gratum faciens: alia vero, per quam unus homo cooperatur alteri ad hoc quod ad Deum reducatur: hujuſmodi autem donum vocatur gratia gratis data: quia ſupra facultatem naturæ, & ſupra meritum perſonæ homini conceditur; ſed quia non datur ad hoc ut homo ipſe per eam juſtificetur, ſed potius ut ad juſtificationem alterius cooperetur; ideo non vocatur gratum faciens: & de hac dicit Apoſt. 1. ad Corinth. 12. *Unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem*, ſcilicet aliorum. *1. 2. qu. 111. art. 1. in corp.*

QUÆR. 2. *An ſit duplex gratia, ſcilicet habitualis & actualis: & quomodo dicatur homo ſe præparare ad gratiam.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod gratia dicitur dupliciter: quandoque quidem ipſum habituale donum Dei: quandoque autem auxilium Dei moventis animam ad bonum. Primo igitur modo accipiendo gratiam, præexigitur ad gratiam aliqua gratiæ præparatio; quia nulla forma poteſt eſſe niſi in materia diſpoſita: ſed ſi loquamur de gratia ſecundum quod ſignificat auxilium Dei moventis ad bonum, ſic nulla præparatio requiritur ex parte hominis, quaſi præveniens divinum auxilium; ſed potius quæcunque præparatio in homine eſſe poteſt, eſt ex auxilio Dei moventis animam ad bonum. Et ſecundum hoc ipſe bonus motus liberi arbitrii, quo quis præparatur ad donum gratiæ ſuſcipiendum, eſt actus liberi arbitrii moti a Deo: & quantum ad hoc dicitur homo ſe præparare, ſecundum illud Prov. 16. *Hominis eſt præparare animum*: & eſt principaliter a Deo movente liberum arbitrium: & ſecundum hoc dicitur a Deo voluntas hominis præparari, & a Domino greſſus hominis dirigi. *Ibid. qu. 112. artic. 2. in corp.*

QUÆR. 3. Quid poſſit minima gratia.

Reſp. D. Thomas, minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & mereri vitam. *3. p. q. 62. art. 6. ad 3.*

QUÆR. 4. An minima gratia poſſit reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare omne peccatum mortale.

Reſp. D. Thomas, minima gratia poteſt reſiſtere cuilibet concupiſcentiæ, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in tranſgreſſione mandatorum legis: minima enim charitas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri, & argenti. 3. *p. qu.* 70. *art.* 4. *in corp.*

QUÆR. 5. An Deus ſit paratus dare gratiam omnibus; ita ut ſoli homini ſit imputandum, ſi eam non recipiat.

Reſp. D. Thomas, conſiderandum eſt, quod licet aliquis per motum liberi arbitrii divinam gratiam nec promereri, nec acquirere poſſit; poteſt tamen ſeipſum impedire ne recipiat: dicitur enim de quibuſdam Job 21. *Dixerunt Deo: Recede a nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus*; Job 24. *Ipſi fuerunt rebelles lumini*. Et cum hoc ſit in poteſtate liberi arbitrii, impedire gratiæ receptionem, vel non impedire, non immerito in culpam imputatur ei, qui impedimentum præſtat gratiæ receptionis. Deus enim quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare: vult enim omnes homines ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, ut dicitur 1. ad Timoth. 2. ſed illi ſoli gratia privantur, qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant: ſicut Sole Mundum illuminante in culpam imputatur ei, qui oculos claudit; ſi ex hoc aliquod malum ſequatur; licet videre non poſſit, niſi lumine Solis præveniatur. 3. *cont. gent. cap.* 159.

QUÆR. 6. Utrum aliquis ſcire poſſit ſe eſſe in ſtatu gratiæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod tripliciter aliquid cognoſci poteſt: uno modo per revelationem; & hoc modo poteſt aliquis ſcire ſe habere gratiam: revelat enim Deus hoc aliquando aliquibus ex ſpeciali Privilegio, ut ſecuritatis gaudium etiam in hac vita in eis incipiat, & ut confidentius & fortius magnifica opera proſequantur, & mala præſentis vitæ ſuſtineant; ſicut Paulo dictum eſt 2. ad Corinth. 12. *Sufficit tibi gratia mea*. Alio modo homo cognoſcit aliquid per ſeipſum, & hoc certitudinaliter: Et ſic nullus poteſt ſcire ſe habere gratiam: certitudo enim non poteſt haberi de aliquo, niſi poſſit dijudicari per proprium principium; ſic enim certitudo habetur de concluſionibus demonſtrativis per indemonſtrabilia univerſalia principia: nullus autem poſſet ſcire ſe habere ſcientiam alicujus concluſionis, ſi principium ignoraret; Principium autem gratiæ, & objectum ejus eſt ipſe Deus, qui propter ſui excellentiam eſt nobis ignotus, ſecundum illud Job 36. *Ecce Deus magnus vincens ſcientiam noſtram*: Et ideo ejus præſentia in nobis, & abſentia per certitudinem cognoſci non poteſt, ſecundum illud Job 9. *Si venerit ad me, non videbo eum: ſi autem abierit, non intelligam*; Et ideo homo non poteſt per certitudinem dijudicare, utrum ipſe habeat gratiam, ſecundum illud 1. ad Corinth. 4. *Sed neque meipſum judico, qui autem judicat me, Dominus eſt*. Tertio modo cognoſcitur aliquid conjecturaliter per aliqua ſigna: & hoc modo aliquis cognoſcere poteſt ſe habere gratiam; inquantum ſcilicet percipit ſe delectari in Deo, & contemnere res mundanas, & inquantum homo non eſt conſcius ſibi alicujus peccati mortalis; ſecundum quem modum poteſt intelligi quod habetur Apoc. 2. *Vincenti dabo manna abſconditum, quod nemo novit, niſi qui accipit*; quia ſcilicet ille qui accipit, per quandam experientiam dulcedinis novit, quam non experitur ille qui non accipit: iſta tamen cognitio imperfecta eſt; Unde Apoſt. dicit 1. Corinth. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum*; quia, ut dicitur in Pſalmo 18. *Delicta quis intelligit? ab occultis &c.* 1. 2. *quæſt.* 112. *artic.* 5. *in corp.*

QUÆR. 7. An convenienter ab Apoſt. ad Corinth. 11. enumerentur novem gratiæ gratis datæ, his verbis: Alii per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ: alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum: alteri fides in eodem ſpiritu: alii gratia ſanitatum: alii operatio virtutum: alii prophetia: alii diſcretio ſpirituum: alii genera linguarum: alii interpretatio ſermonum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod gratia gratis data ordinatur ad hoc, quod homo alteri cooperetur ut reducatur ad Deum: homo autem ad hoc operari non poteſt interius movendo (hoc enim ſolius Dei eſt) ſed ſolum exterius, dicendo, vel perſuadendo. Et ideo gratia gratis data, illa ſub ſe continet, quibus homo indiget ad hoc, quod alterum inſtruat in rebus divinis, quæ ſunt ſupra rationem. Ad hoc autem tria requiruntur. Primo quidem quod homo ſit ſortitus plenitudinem cognitionis divinorum, ut ex hoc inſtruere alios poſſit. Secundo ut poſſit confirmare, vel probare ea, quæ dicit; alias non eſſet efficax ejus doctrina. Tertio ut ea quæ concipit, poſſit convenienter auditoribus proferre.

Quan-

Digitized by Google

Quantum igitur ad primum tria ſunt neceſſaria, ſicut etiam apparet in magiſterio humano; oportet enim ut ille qui debet alium inſtruere in aliqua ſcientia; primo quidem ut principia illius ſcientiæ ſint ei certiſſima; & quantum ad hoc ponitur fides, quæ eſt certitudo de rebus inviſibilibus, quæ ſupponuntur ut principia in catholica doctrina: Secundo oportet, quod Doctor recte ſe habeat circa principales concluſiones ſcientiæ; & ſic ponitur ſermo ſapientiæ, quæ eſt cognitio divinorum. Tertio oportet, ut etiam abundet exemplis, & cognitione effectuum, per quos interdum oportet manifeſtare cauſas, & quantum ad hoc ponitur ſermo ſcientiæ, quæ eſt cognitio rerum humanarum, quia inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Confirmatio autem in his, quæ ſubduntur rationi, eſt per argumenta: in his autem quæ ſunt ſupra rationem divinitus revelata, confirmatio eſt per ea, quæ ſunt divinæ virtutis propria; & hoc dupliciter. Uno quidem modo, ut doctor Sacræ Doctrinæ faciat quæ ſolus Deus facere poteſt in operibus miraculoſis, ſive ſint ad ſalutem corporum; & quantum ad hoc ponitur gratia ſanitatum; ſive ordinentur ad ſolam divinæ poteſtatis manifeſtationem, ſicut quod Sol ſtet, aut tenebreſcat, quod mare dividatur, & quantum ad hoc ponitur operatio virtutum. Secundo, ut poſſit manifeſtare ea quæ ſolius Dei eſt ſcire: Et hæc ſunt contingentia futura; & quantum ad hoc ponitur prophetia, & ita etiam occulta cordium; & quantum ad hoc ponitur diſcretio ſpirituum. Facultas autem pronuntiandi poteſt attendi, vel quantum ad Idioma, in quo aliquis poſſit intelligi; & ſecundum hoc ponuntur genera linguarum: vel quantum ad ſenſum eorum, quæ ſunt proferenda; & quantum ad hoc ponitur interpretatio ſermonum. 1. *q.* 111. *artic.* 4. *in corp.*

Alia, quæ de gratia dici poſſunt, vel pertinent ad Theologiam ſcholaſticam; & exponuntur in tractatibus de gratia habituali, & de auxiliis divinæ gratiæ: vel referuntur in variis hujus libri locis ob connexionem quam habent cum aliis materiis moralibus.

GRATIARUM ACTIO.

QUÆR. 1. *Utrum homo teneatur ad gratiarum actiones omni homini benefacienti, juxta illud 1. ad Theſſalon. ult. in omnibus gratias agentes.*

RESP. D. Thomas, dicendum, quod omnis effectus naturaliter ad ſuam cauſam convertitur; unde Dionyſ. dicit 3. *cap. de Divinis nominibus*, quod *Deus in ſe omnia convertit tanquam omnium cauſa*; ſemper enim oportet, quod effectus ordinetur ad finem agentis: manifeſtum eſt autem, quod benefactor inquantum hujuſmodi eſt cauſa beneficiati; & ideo naturalis ordo requirit, ut ille, qui ſuſcipit beneficium, per gratiarum recompenſationem convertatur ad benefactorem ſecundum modum utriuſque; & benefactori quidem inquantum hujuſmodi debetur honor, & reverentia, eo quod habet rationem principii; ſed per accidens debetur ei ſubventio, vel ſuſtentatio, ſi indigeat. 2. 2. *qu.* 106. *art.* 3. *in corp.*

QUÆR. 2. *An gratiarum actiones ſint habendæ benefactori beneficia danti, licet non det eo modo quo debet.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod boni animi eſt, ut magis attendatur ad bonum, quam ad malum; & ideo ſi aliquis beneficium dedit non eo modo, quo debuit, non ideo debet recipiens a gratiarum actione ceſſare: minus tamen, quam ſi debito modo præſtitiſſet, quia etiam beneficium minus eſt; quia, ut Seneca dicit in lib. de beneficiis, *multum celeritas facit, multum abſtulit mora*. 2. 2. *qu.* 106. *art.* 3. *ad* 2.

QUÆR. 3. *An debeatur gratiarum actio illi, qui in conferendo beneficio ad utilitatem ſuam attendit.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſicut Seneca dicit in ſexto de Beneficiis cap. 12. *Multum intereſt, utrum aliquis beneficium nobis det ſua cauſa, an noſtra, an ſua, & noſtra. Ille qui totus ad ſe ſpectat, & nobis prodeſt, quia aliter ſibi prodeſſe non poteſt, eo mihi loco habendus videtur, quo qui pecoribus pabulum proſpicit*; & mox cap. 13. *Si modo me in conſortium admiſit, ſi duos cogitavit, ingratus ſum non ſolum injuſtus, niſi gaudeo hoc illi profuiſſe, quod proderat mihi: ſummæ malignitatis eſt non vocare beneficium, niſi quod dantem aliquo incommodo afficit. In eodem art.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 4. *Utrum etiam ſervo ultra debitum facienti gratiæ ſint habendæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut Seneca dicit in 3. de Benefic. cap. 21. *Quandiu ſervus præſtat quod a ſervo exigi ſolet, miniſterium eſt: ubi pluſquam quod ſervo neceſſe eſt, beneficium eſt: ubi enim in affectum amici tranſit, deſinit vocari miniſterium*; & ideo etiam ſervis ultra debitum facientibus gratiæ ſunt habendæ. *Ibid. ad* 4.

QUÆR. 5. *An pauper teneatur, & poſſit recompenſare beneficium.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod etiam pauper ingratus non eſt, ſi faciat quod poſſit:

ſicut enim beneficium magis in affectu conſiſtit, quam in effectu; ita etiam recompenſatio magis in affectu conſiſtit; unde Seneca dicit in 2. de Beneficiis: *Qui grate beneficium accipit, primam ejus penſionem ſolvit: quod grate autem ad nos beneficia pervenerit, indicemus effuſis affectibus, quod non ipſo tantum audiente, ſed ubique teſtemur*. 2. 2. *qu*. 106. *art*. 2. *ad* 5.

QUÆR. 6. An poſſit, & debeat fieri recompenſatio beneficiorum hominibus in felicitate exiſtentibus.

Reſp. D. Thomas, quantumcunque in felicitate exiſtenti, poteſt recompenſatio beneficii fieri per exhibitionem reverentiæ, & honoris; unde Philoſophus dicit in 8. Ethic. quod *ſuperexcellenti quidem habet fieri honoris retributio; indigenti autem retributio lucri*: & Seneca dicit in 5. de Beneficiis: *Multa ſunt, per quæ quidquid debemus reddere & felicibus poſſumus, fidele conſilium, aſſidua converſatio, ſermo comis, & ſine adulatione jucundus*. 2. 2. *q*. 106. *art*. 3. *ad* 5.

QUÆR. 7. An ſit facienda beneficii compenſatio illi, qui mutatus eſt de virtute in vitium.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod dicit, in pejus mutatus eſt, debet tamen ſibi fieri recompenſatio ſecundum ſtatum ipſius, ut ſcilicet ad virtutem reducatur, ſi ſit poſſibile: ſi autem ſit inſanabilis propter malitiam, tunc alter eſt effectus, quam prius erat, & ideo non debetur ei recompenſatio beneficii ſicut prius; & tamen quantum fieri poteſt, ſalva honeſtate, memoria debet haberi præſtiti beneficii, ut patet ex Philoſ. in 9. Ethicor. 2. 2. *q*. 106. *art*. 3. *ad* 5.

QUÆR. 8. An recompenſatio fieri debeat, quando eſt nociva, vel inutilis ei, qui recompenſatur.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod recompenſatio beneficii, præcipue pendet ex affectu: & ideo eo modo debet recompenſatio fieri, quo magis ſit utilis. Si tamen poſtea per ejus incuriam in damnum ipſius vertatur, non imputatur recompenſanti; unde Seneca dicit in 6. Benefic. *Reddendum mihi eſt, non ſervandum cum reddidero, ac tuendum*. *Ibidem ad* 6.

QUÆR. 9. Utrum homo debeat ſtatim beneficium recompenſare, juxta illud Senecæ in 4. de Benefic. Qui feſtinat reddere, non animum habet grati hominis, ſed debitoris.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut in beneficio dando duo conſiderantur, ſcilicet affectus, & donum; ita etiam hæc duo conſiderantur in recompenſatione beneficii: & quantum quidem ad effectum, recompenſatio ſtatim fieri debet; unde Seneca dicit in 2. de Benefic. *Vis reddere beneficium? accipe benigne*. Quantum autem ad bonum, debet expectari tempus, quo recompenſatio ſit benefactori opportuna. Si autem non convenienti tempore ſtatim velit aliquis munus pro munere reddere, non videtur eſſe virtuoſa recompenſatio, ſed invita: ut enim Seneca dicit in 4. Benefic. *Qui nimis cito cupit ſolvere, invitus debet, & qui invitus debet, ingratus eſt*. 2. 2. *qu*. 106. *art*. 4.

QUÆR. 10. Utrum in gratiarum actione magis attendi debeat affectus benefactoris quam effectus, quandoquidem, ut Seneca dicit in 1. de Benef. Nonnunquam magis nos obligat, qui dedit parva magnifice, & qui exiguum tribuit, ſed libenter.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod recompenſatio beneficii poteſt ad tres virtutes pertinere; ſcilicet ad juſtitiam, ad gratiam, & ad amicitiam. Ad juſtitiam quidem pertinet, quando recompenſatio habet rationem debiti legalis; ſicut in mutuo, & aliis hujuſmodi: & in tali recompenſatio debet attendi ſecundum quantitatem dati. Ad amicitiam autem pertinet recompenſatio beneficii; & ſimiliter ad virtutem gratiæ, ſecundum quod habet rationem debiti moralis. Aliter tamen & aliter: nam in recompenſatione amicitiæ oportet reſpectum haberi ad amicitiæ cauſam; unde in amicitia utilis debet recompenſatio fieri ſecundum utilitatem, quam quis ex beneficio conſecutus eſt: In amicitia autem honeſti debet in recompenſatione haberi reſpectus ad electionem, ſive ad effectum dantis; quia hoc præcipue requiritur ad virtutem, ut dicitur in 8. Ethic. & ſimiliter quæ gratia reſpicit beneficium ſecundum quod eſt gratis impenſum, quod quidem pertinet ad affectum; ideo etiam gratiæ recompenſatio attendit magis affectum dantis, quam effectum. *In eadem q*. 106. *art*. 5.

QUÆR. 11. Utrum oporteat plus exhibere in recompenſatione, quam ſuſceptum fuerit in beneficio.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod recompenſatio gratiæ reſpicit beneficium ſecundum voluntatem benefacientis: in qua quidem præcipue hoc commendabile videtur, quod gratis beneficium contulit ad quod non tenebatur: & ideo qui beneficium accepit, ad hoc obligatur ex debito honeſtatis, ut ſimiliter aliquid gratis impendat: non autem videtur gratis aliquid impendere, niſi excedat quantitatem accepti beneficii; quia quandiu recompenſat minus, vel æquale, non videtur facere gratis, ſed reddere quod accepit: & ideo gratiæ recompenſatio ſemper tendit ut pro ſuo poſſe aliquid majus retribuat. *Ibid. art*. 6.

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 12. *An verum ſit, quod Philoſ. dicit 8. Ethic. parentibus nec etiam æqualis recompenſatio offerri poteſt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in recompenſatione beneficii magis eſt conſiderandus affectus quam effectus. Si ergo conſiderandus affectus beneficii quod filius a parentibus accepit, ſcilicet eſſe & vivere, nihil æquale filius recompenſare poteſt, ut Phil. dicit. Si autem attendamus ad ipſam voluntatem dantis, & retribuentis, poteſt filius aliquid majus patri retribuere, ut Seneca dicit in 3. de beneficiis: ſi tamen non poſſet, ſufficeret ad gratitudinem recompenſandi voluntas. *Ibid. ad* 1.

QUÆR. 13. *An & quomodo obligatio gratitudinis ſit interminabilis, juxta illud Phil. 5. Ethic. refamulari oportet ei qui gratiam fecit, & rurſum ipſum incipere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod debitum gratitudinis ex Charitate derivatur: quæ quanto plus ſolvitur, tanto magis debetur: ſecundum illud ad Rom. 13. *Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis*: & ideo non eſt inconveniens ſi obligatio gratitudinis interminabilis ſit. 2. 2. *q.* 107. *art.* 6.

G U L A.

QUÆR. 1. *In quo conſiſtat vitium Gulæ.*

RESP. D. Thomas, dicendum, quod vitium gulæ non conſiſtit in ſubſtantia cibi, ſed in concupiſcentia non regulata ratione: & ideo ſi aliquis excedat in quantitate cibi non propter concupiſcentias cibi, ſed æſtimans id ſibi neceſſarium eſſe, non pertinet hoc ad gulam, ſed ad aliquam imperitiam; ſed hoc ſolum pertinet ad gulam, quod aliquis propter concupiſcentiam cibi delectabilis ſcienter excedat menſuram in edendo. 2. 2. *qu.* 148. *art.* 1. *ad* 2.

QUÆR. 2. *An vera ſit ſententia D. Gregorii 30. Mor. dicentis: quia per eſum voluptas neceſſitati miſcetur, quid neceſſitas petat, & quid voluptas ſuppetat, ignoratur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod regula rationis hæc eſt, ut homo ſumat cibum ſecundum quod convenit ſuſtentationi naturæ, & bonæ habitudini hominis, & converſationi eorum cum quibus vivit, ut dicitur 3. Ethic. quando ergo ſecundum hanc regulam rationis appetit aliquis, & ſumit cibum, ſecundum neceſſitatem ſumit: quando vero ultra hoc excedit, tranſcendit regulam rationis a medio virtutis diſcedens, ut ſatisfaciat voluptati. Sed ſicut Phil. dicit in 2. Ethic. a medio virtutis quandoque quidem multum receditur, & iſtud de facili percipi poteſt: quandoque autem parum receditur, & iſtud eſt imperceptibile: unde parum habet de ratione peccati; & quantum ad hoc intelligendum eſt verbum Gregorii. *qu.* 14. *de malo art.* 1. *ad* 1.

QUÆR. 3. *Cur D. Auguſt. dicat* 10. *Confeſ. Quis eſt, Domine, qui aliquantulum extra metas neceſſitatis cibum non ſumat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod non quicunque ſumit cibum extra metas neceſſitatis, peccat vitio gulæ; poteſt enim contingere quod id quod credit ſibi eſſe neceſſarium ſit ſuperfluum: Et tunc concupiſcentia cibi non eſt immoderata, quia non recedit a regula rationis: Gula autem, ſicut dictum eſt, non importat primo & per ſe immoderatam cibi ſumptionem; ſed immoderatam concupiſcentiam ſumptionis ipſius: menſura autem ipſius ſumptionis cibi ſumitur ſecundum regulam naturæ corporalis unde; magis poteſt eſſe cognita ſecundum artem medicinæ, quam ſecundum rationem prudentiæ; ſecundum quam tamen poteſt dijudicare, utrum concupiſcentia ſit moderata vel immoderata, quamvis de facili nec hoc cognoſci poſſit, ubi non multum a ratione diſceditur; ſed hoc modo poteſt præcipue ex auxilio Dei. Et ideo Auguſtin. poſt verba inducta ſubdit: *Quiſquis eſt*, ſcilicet qui non ſumit cibum extra metas neceſſitatis, *magnus eſt, magnificet nomen tuum. Ibid. ad* 2.

QUÆR. 4. *Utrum alimenta ſumi debeant ſicut medicamenta, juxta illud D. Auguſtin.* 10. *Confeſſ. Hoc me docuiſti, ut quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam: & quomodo peccare poſſit infirmus etiam in ſumendis remediis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod alimenta conveniunt cum medicamentis in hoc quod utraque ſumuntur contra defectum naturæ corporalis. Sed poteſt in eis attendi differentia quantum ad duo. Primo quidem quia medicamenta ſumuntur ſecundum regulam artis medicinæ: unde in ſumptione medicamentorum, ſi ſit inordinatio, magis imputatur Medico danti quam infirmo ſumenti: Alimenta vero ut pluries ſumit homo proprio arbitrio: & ideo illi imputatur ad peccatum, ſi propter immoderatam concupiſcentiam delectationis ciborum ſuperflue cibum aſſumat. Secundo differunt, quia ſumptio medicamentorum non eſt delectabilis ſicut ſumptio alimentorum: ita & in ſumendis medicamentis non eſt peccatum ex inordinata concupiſcentia delectabilis ſicut eſt in ſumptione ciborum. Tamen ſi quis infirmus de aliquo delectabili medicamento ſume-

Digitized by Google

meret ultra debitum, contra conſilium Medici, propter concupiſcentiam delectabilis, ſimiliter peccaret vitio gulæ. *Ibid. ad* 5.

QUÆR. 5. *An gula ſit peccatum mortale ex ſuo genere: & quandonam ſit veniale tantum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quod cum quæritur de aliquo peccato in generali utrum ſit mortale, debet intelligi quæſtio utrum ſit mortale ex ſuo genere; quia in quolibet genere peccati mortalis, utputa homicidii, vel adulterii poteſt inveniri aliquis motus qui eſt peccatum veniale. Et ſimiliter in quolibet genere peccati venialis poteſt inveniri aliquis actus, qui eſt peccatum mortale; ſicut in genere verbi otioſi cum refertur ad finem peccati mortalis: ſpecies autem mortalis actus ſumitur ex objecto: unde ſi objectum peccati alicujus contrariatur charitati in qua vita ſpiritualis conſiſtit, neceſſe eſt quod illud peccatum ſit mortale ex ſuo genere, vel ex ſua ſpecie: ſicut blaſphemia ex ſuo genere contrariatur charitati quantum ad dilectionem Dei, & homicidium quantum ad dilectionem proximi: unde utrumque eſt peccatum mortale. Peccatum autem gulæ conſiſtit in concupiſcentia inordinata delectationis ciborum: ipſa autem ciborum delectatio ſecundum ſe conſiderata non contrariatur charitati, neque quantum ad dilectionem Dei, neque quantum ad dilectionem proximi; ſed ſecundum quod additur inordinatio poteſt quodammodo contrariari, & quodammodo non contrariari. Concupiſcentia enim hujus delectabilis poteſt eſſe inordinata dupliciter: modo ſic quod excludat ordinem finis ultimi; quod quidem contingit quando talem delectationem homo appetit ut finem ultimum, eo quod non eſt poſſibile unius hominis eſſe multos fines ultimos. Et talis inordinatio repugnat charitati quantum ad dilectionem Dei, qui diligi debet ut finis ultimus.

Alio modo concupiſcentia poteſt eſſe inordinata ſecundum ea quæ ſunt ad finem, ſalvato ordine finis ultimi; puta cum aliquis concupiſcit nimium cibum, vel potum; non tamen ſic concupiſcit, ut propter hoc conſequendum vellet tranſgredi divina præcepta: & talis inordinatio non repugnat charitati. Eſt autem de ratione gulæ inordinatio concupiſcentiæ: non tamen eſt de ratione ejus inordinatio tollens ordinem finis ultimi: & ideo gula ſecundum rationem ſuæ ſpeciei non habet quod ſit peccatum mortale: ſed poteſt quandoque eſſe peccatum veniale ſecundum jam dictos ſuos inordinationis modos. *qu.* 14. *de malo art.* 2. *in corp.* 2. 2. *qu.* 148. *art.* 2. *ad Rom.* 13. *lect.* 3. *ad Gal.* 3. *lect.* 5.

QUÆR. 6. *An convenienter quinque ſpecies gulæ diſtinguantur, juxta illud D. Gregorii* 30. *Moral. Quinque modis nos gulæ vitium tentat: aliquando namque indigentiæ tempera prævenit; aliquando lautiores cibos quærit; aliquando quæ ſumenda ſunt, præparari accuratius appetit; aliquando in ipſa quantitate ſumendi menſuram refectionis excedit; aliquando ipſo æſtu immenſi deſiderii aliquis peccat: quæ in hoc verſu continentur:*

Præpropere, laute, nimis, ardenter, ſtudioſe.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut dictum eſt, gula importat inordinatam concupiſcentiam edendi: in eſca autem duo conſiderantur, ſcilicet ipſe cibus, qui comeditur, & ejus comeſtio.

Poteſt ergo inordinatio concupiſcentiæ attendi dupliciter: uno quidem modo quantum ad ipſum cibum, qui ſumitur; & ſic quantum ad ſubſtantiam, vel ſpeciem quærit aliquis cibos lautos, ideſt pretioſos; quantum ad qualitatem, quærit cibos nimis accurate præparatos, ideſt ſtudioſe; quantum ad quantitatem excedit nimis edendo.

Alio autem modo attenditur inordinatio concupiſcentiæ, quantum ad ipſam ſumptionem cibi; vel quia prævenit debitum tempus comedendi, quod eſt præpropere; vel quia non ſervat modum debitum in edendo, quod eſt ardenter: Iſidorus vero comprehendit primum, & ſecundum ſub uno dicens, quod *Guloſus excedit in cibo ſecundum quid, quantum, quomodo, & quando.* 2. 2. *qu.* 148. *artic.* 4. *in corp. qu.* 14. *de malo artic.* 3. *in corpore.*

QUÆR. 7. *Utrum convenienter a D. Gregorio* 31. *Mor. aſſignentur quinque filiæ gulæ, ſcilicet inepta lætitia, ſcurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo mentis circa intelligentiam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod filiæ gulæ ſunt quinque, ſcilicet inepta lætitia, ſcurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo mentis circa intelligentiam. Dictum eſt enim quod gula proprie conſiſtit circa immoderatam delectationem, quæ eſt in cibis, & potibus: & ideo illa vitia inter filias gulæ computantur, quæ ex immoderata delectatione cibi & potus conſequuntur: quæ quidem poteſt accipi vel ex parte animæ, vel ex parte corporis.

Ex parte autem animæ quadrupliciter. Primo quidem quantum ad rationem, cujus acies hebetatur ex immoderatione cibi, & potus, & quantum ad hoc ponitur filia gulæ, hebetudo ſenſus circa intelligentiam, propter fumoſitates ciborum perturbantes caput:

put : ſicut e contrario abſtinentia confert ad ſapientiæ perceptionem, ſecundum illud Eccleſ. 2. *Cogitavi in corde meo abſtrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad ſapientiam*. Secundo quantum ad appetitum, qui multipliciter deordinatur per immoderantiam cibi, & potus, quaſi ſopito gubernaculo rationis: & quantum ad hoc ponitur inepta lætitia : quia omnes aliæ inordinatæ paſſiones ad lætitiam, & triſtitiam ordinantur, ut dicitur in 2. Eth. & hoc eſt, quod dicitur 2. Heſdræ 3. quod *vinum omnem mentem convertit in ſecuritatem, & jucunditatem*. Tertio quantum ad inordinatum verbum: & ſic ponitur multiloquium : quia, ut Gregorius dicit in Paſtorali ; *niſi Gulæ deditos immoderata loquacitas raperet, dives ille, qui epulatus quotidie ſplendide dicitur, in lingua gravius non arderet*. Quarto quantum ad inordinatum actum, & ſic ponitur ſcurrilitas, ideſt jocularitas quædam proveniens ex defectu rationis, quæ ſicut non poteſt cohibere verba, ita non poteſt cohibere exteriores geſtus; unde ad Epheſios 5. ſuper illud, *aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas*, dicit Gloſſa, quod *a ſtultis curialitas dicitur, ideſt jocularitas, quæ riſum movere ſolet;* quamvis poſſit utrumque horum referri ad verba; in quibus contingit peccare, vel ratione ſuperfluitatis, quod pertinet ad multiloquium; vel ratione inhoneſtatis, quod pertinet ad ſcurrilitatem.

Ex parte autem corporis ponitur immunditia, quæ poteſt attendi, ſive ſecundum inordinatam emiſſionem quarumcunque ſuperfluitatum; vel ſpecialiter quantum ad emiſſionem ſeminis: unde ſuper illud ad Epheſios 5. *Fornicatio autem, & omnis immunditia &c.* dicit Gloſſa, ideſt *incontinentia pertinens ad libidinem quocunque modo*. 2.2. *q*. 148. *art*. 6. *in corp*.

QUÆR. 8. *An gula ſit vitium capitale, ſicut ait D. Gregorius 31. moralium*.

Reſp. D. Thomas dicendum, quod vitium capitale dicitur, ex quo alia vitia oriuntur, ſecundum rationem cauſæ finalis, inquantum ſcilicet habet finem multum appetibilem : unde ex ejus appetitu homines provocantur multipliciter ad peccandum. Ex hoc autem aliquis finis redditur multum appetibilis, quod habet aliquam de conditionibus felicitatis, quæ eſt naturaliter appetibilis : pertinet autem ad rationem felicitatis delectatio: & ideo vitium gulæ, quod eſt circa delectationes tactus, quæ ſunt præcipuæ inter alias, convenienter ponitur inter vitia capitalia. 2. 2. *q*. 148. *art*. 5. *in corp*.

QUÆR. 9. *Cur objectum vitii gulæ ſit maxime delectabile*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ipſe cibus ordinatur quidem ad aliquid ſicut ad finem; ſed quia ille finis eſt maxime appetibilis, ſcilicet conſervatio vitæ, quæ ſine cibo conſervari non poteſt, inde etiam eſt quod ipſe cibus eſt maxime appetibilis: & ad hoc fere totus labor humanæ vitæ ordinatur, ſecundum illud Eccleſ. 6. *Omnis labor hominis in ore ejus*. Et tamen magis gula videtur eſſe circa delectationem cibi, quam circa cibos : propter quod, ut Aug. dicit in lib. de vera religione : quibus civilis corporis ſalus eſt, malunt veſci (in quo ſcilicet delectatio eſt) quam ſaturari: cum omnis finis illius voluptatis ſit non ſitire, atque eſurire. *Ibid. ad* 1.

QUÆR. 10. *An & quando vomitus ſit vitioſus, tanquam immunditia conſequens ex vitio gulæ, juxta illud Iſaiæ* 18. *Omnes menſæ repletæ ſunt vomitu, ſordiumque: vel contra ſit utilis, & de conſilio, juxta illud Eccl.* 31. *Si coactus fueris in edendo multum, ſurge e medio, & vome, & refrigerabit te*.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod licet utilis ſit vomitus poſt ſuperfluam comeſtionem, tamen vitioſum eſt quod aliquis huic neceſſitati ſe ſubdat per immoderationem cibi, vel potus; poteſt tamen abſque culpa vomitus procurari ex conſilio medicinæ, in remedium alicujus languoris. 2. 2. *q*. 148. *art*. 6. *ad* 2.

QUÆR. 11. *An peccant mortaliter illi, qui gula grave ſibi nocumentum inferunt, juxta illud Eccleſ.* 27. *In multis eſcis erit infirmitas, & propter crapulam multi obierunt*.

Reſp. D. Thomas, nocumentum proprii corporis non eſt proprium objectum gulæ, ſed conſequitur quandoque ad objectum præter intentionem : & tale nocumentum eſt præter intentionem gulæ. Si quis tamen ſcienter propter immoderatam concupiſcentiam cibi grave ſuo corpori nocumentum inferret, nimis comedendo, & nociva ſumendo, non excuſaretur a peccato mortali. *qu*. 14. *de malo art*. 2. *ad* 4.

QUÆR. 12. *Utrum nocere ſuo corpori ex immoderato cibo, vel potu, directe pertineat ad vitium gulæ : & utrum ex hoc augeatur iſtius vitii gravitas*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod guloſus non intendit ſuo corpori nocumentum inferre, ſed in cibo delectari: ſi autem nocumentum corporis ſequatur, hoc eſt per accidens: unde hoc directe pertinet ad gravitatem gulæ : cujus culpa tamen aggravatur, ſi quis corporale detrimentum incurrat propter immoderatam cibi ſumptionem. 2. 2. *qu*. 148. *art*. 3. *ad* 3.

Digitized by Google

QUÆR. 13. *Cui præcepto contrarietur vitium gulæ.*

Reſp. D. Thomas, prohibitio gulæ ſecundum quod eſt peccatum mortale, per reductionem contrariatur præcepto de ſanctificatione Sabbathi, per quam intelligitur ſpiritualis quies, quæ impeditur per immoderantiam gulæ. *qu.* 14. *de malo art.* 2. *ad* 13.

QUÆR. 14. *An gula ſit maximum peccatum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod gravitas alicujus peccati poteſt tripliciter conſiderari. Primo quidem, & principaliter ſecundum materiam, qua peccatur: & ſecundum hoc peccata, quæ ſunt circa res Divinas, ſunt maxima; unde ſecundum hoc, vitium gulæ non eſt maximum, eſt enim circa ea, quæ ad ſuſtentationem corporis ſpectant. Secundo autem ex parte peccantis: & ſecundum hoc peccatum gulæ magis alleviatur, quam aggravetur, tum propter neceſſitatem aſſumptionis ciborum; tum etiam propter difficultatem diſcernendi, & moderandi id, quod in talibus convenit. Tertio vero modo ex parte effectus conſequentis: & ſecundum hoc vitium gulæ habet quandam magnitudinem, inquantum ex ea occaſionantur diverſa peccata. 2. 2. *qu.* 148. *a.* 3. *in corp.*

QUÆR. 15. *An gula ſit peccatum graviſſimum cum graviſſime punitum fuerit: dicit enim D. Chryſ. hom.* 13. *in Matth. Adam intemperantia ventris expulit a paradiſo: diluvium quod fuit tempore Noe ipſa fecit, & pœnam Sodomorum, ſecundum illud Zach.* 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſaturitas panis &c.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod illæ pœnæ referuntur magis ad vitia, quæ ſunt conſecuta ex gula, vel ad gulæ radicem, quam ad ipſam gulam: nam prius homo expulſus eſt de paradiſo propter ſuperbiam, ex qua proceſſit ad actum gulæ, diluvium autem, & pœna Sodomorum ſunt inducta propter peccata luxuriæ procedentia ex gula occaſionaliter. 2. 2. *q.* 148. *art.* 3. *ad* 1.

QUÆR. 16. *Cur dicatur gula omnes obruere virtutes, juxta illud D. Gregorii* 30. *Mor. Dominante gulæ vitio omne quod homines fortiter egerunt, perdunt; & dum venter non reſtringitur, ſimul cunctæ virtutes obruuntur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, gula dicitur virtutes auferre, non tam propter ſe, quam etiam propter vitia, quæ ex ea oriuntur: dicit enim Gregor. in Paſtorali; *dum venter per ingluviem tenditur, virtutes animæ per luxuriam deſtruuntur. In eadem qu. a.* 2. *ad* 2. *qu.* 14. *de malo art.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 17. *Cur Eſau dicatur profanus ad Hebr.* 12. *Ne quis fornicator aut profanus, ut Eſau: ubi Gloſſa ait: quod Eſau fuit profanus, quia gaſtrimargus, ideſt guloſus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Eſau propter gulam dictus profanus eſt; quia in eo tanta fuit inordinatio concupiſcentiæ cibi, quod propter cibum primogenita vendidit: unde quodammodo videbatur delectationem cibi concupiſcere tanquam finem. *qu.* 14. *de malo art.* 2. *ad* 1.

QUÆR. 18. *Quomodo gula faciat hominem idololatrare, ſecundum illud Exodi* 32. *Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere: faciat etiam fornicari, juxta illud Oſeæ* 4. *Comedent, & non ſaturabuntur, fornicati ſunt, & non ceſſaverunt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod gula diſpoſitive inducit ad idololatriam, & luxuriam; non autem ita quod hæc duo ſint de ratione gulæ: unde non ſequitur, quod ſit peccatum mortale, quia etiam peccatum veniale poteſt diſponere ad mortale. *Ibid. ab* 6.

QUÆR. 19. *An gula ſit quædam idololatria, juxta illud Apoſtoli ad Rom. ult. ubi de quibuſdam dicitur, quod Domino Chriſto non ſerviunt, ſed ſuo ventri: & ad Philipp.* 4. *Multi ambulant, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod illi ſerviunt ventri ſuo tanquam Deo, qui in delectationibus ciborum ad ventrem pertinentium finem conſtituunt, qui in ſolo Deo eſt conſtituendus. *Ibid. ad* 12.

QUÆR. 20. *An luxus, ſuperbia & avaritia ſint effectus gulæ, juxta illud Pſalm. Qui percuſſit Ægyptum cum primogenitis eorum, ubi dicit Gloſſa: luxus, ſuperbia, avaritia, ſunt quæ primo generat venter.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod illa tria dicuntur eſſe effectus gulæ inquantum gula ad illa vitia diſponit. Sed ex hoc non ſequitur quod gula ſemper ſit peccatum mortale. *qu.* 14. *de malo art.* 2. *ad* 9.

QUÆR. 21. *Utrum intemperantia, cujus pars eſt gula, reddat hominem beſtialem, ut ait Philoſ. in* 3. *Ethic.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, Philoſ. non dicit quod intemperantia ſimpliciter faciat hominem beſtialem; ſed quod talibus delectationibus gaudere, & maxime eas diligere eſt beſtiale. Et hoc ideo quia hujuſmodi delectationes ſunt in quibus cum beſtiis communicamus. Aliæ enim delectationes ſunt propriæ hominum. Ille autem maxime has delectationes diligit, qui in eis finem conſtituit. *Ibid. ad* 11.

HÆ-

Digitized by Google

QUÆR. 1. *Utrum hæreſis ſit infidelitatis ſpecies.*

RESp. D. Thomas, dicendum, quod nomen hæreſis electionem importat: electio autem eſt eorum, quæ ſunt ad finem, præſuppoſito fine, in credendis autem voluntas aſſentit alicui vero tanquam proprio bono: unde quod eſt principale verum, habet rationem finis ultimi: quæ autem ſecundaria ſunt, habent rationem eorum, quæ ſunt ad finem: quia vero quicunque credit, alicujus dicto aſſentit, principaliter videtur eſſe, & quaſi finis in unaquaque credulitate ille, cujus dicto aſſentitur, quaſi autem ſecundaria ſunt ea, quæ quis tenendo vult alicui aſſentire. Sic ergo qui recte fidem Chriſtianam habet, ſua voluntate aſſentit Chriſto in his, quæ vere ad ejus doctrinam pertinent: a rectitudine ergo fidei Chriſtianæ dupliciter quis poteſt deviare: uno modo quia ipſe Chriſto non vult aſſentire; & ſic habet quaſi malam voluntatem circa ipſum finem, & hoc pertinet ad ſpeciem infidelitatis Paganorum, & Judæorum: alio modo per hoc, quod intendit quidem Chriſto aſſentire, ſed deficit in eligendo ea, quibus Chriſto aſſentiat, quia non eligit ea, quæ ſunt vere a Chriſto tradita, ſed ea, quæ ſibi propria mens ſuggerit: & ideo hæreſis eſt infidelitatis ſpecies, pertinens ad eos, qui fidem Chriſti profitentur, ſed ejus dogmata corrumpunt. 2. 2. *q.* 11. *a.* 1. *in corp.*

QUÆR. 2. *An & quomodo Hæreſis importet fidei perverſitatem; & unde aliquis dicatur hæreticus?*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod nomen hæreſis græcum eſt, & electionem importat, ſecundum Iſidor. Unde & hæretica diviſiva dicuntur: & quia in electione fit diviſio unius ab altero, electio pro hæreſi dicitur; ut patet 9. Metaph. textu 10. Diviſio autem contingit alicui parti per receſſum a toto; Prima autem Congregatio quæ eſt in hominibus, eſt per viam cognitionis, quia ex hac omnes aliæ oriuntur; Unde & hæreſis conſiſtit in ſingulati opinione, præter communem opinionem: unde & Philoſophi qui quaſdam poſitiones habebant præter communem ſententiam aliorum, ſectas, vel hæreſes proprias conſtituebant: ſed quia nullus nominatur ab eo quod ineſt ſibi imperfecte, ſed ſolum quando confirmatur in illo (ſicut non dicitur iracundus, cui ineſt paſſio iræ, ſed qui paſſibilis eſt de facili ab ea; neque qui habet diſpoſitionem dicitur ſanus) ideo neque hæreticus nominatur, niſi qui in ſingulari opinione firmam habet ſtabilitatem, unde etiam competit ei nomen hæreſis, ſecundum quod in electionem ſonat; quia quod per electionem fit, quaſi ex habitu firmato procedit: competit ei etiam nomen hæreſis, ſecundum quod latinum eſt ab hærendo dictum, quia ſuæ opinioni vehementer inhæret; Et quia Congregatio corporis myſtici per unitatem veræ fidei primo conſtituitur, ideo hæreticus ſecundum nos dicitur, qui a communi fide, quæ catholica dicitur, diſcedit; contrariæ opinioni vehementer inhærens per electionem. 4. *ſent. diſt.* 13. *q.* 2. *a.* 1. *q.* 1. *in corp.*

QUÆR. 3. *Utrum hæreſis ſit circa prava dogmata fidei oppoſita, juxta illud D. Auguſtini contra Manichæos: Qui in Eccleſia Chriſti morbidum aliquid parumque ſapiunt, ſi correpti ut ſanum rectumque ſapiant, reſiſtunt contumaciter; ſuaque peſtifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defendere perſiſtunt, hæretici ſunt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod de hæreſi nunc loquimur ſecundum quod importat corruptionem fidei Chriſtianæ: non autem ad corruptionem fidei Chriſtianæ pertinet, ſi aliquis habeat aliquam falſam opinionem in his, quæ non ſunt fidei, puta in Geometricalibus, vel in aliis hujuſmodi, quæ omnino ad fidem pertinere non poſſunt; ſed ſolum quando aliquis habet falſam opinionem circa ea, quæ ad fidem pertinent: ad quam aliquid pertinet dupliciter; uno modo directe, & principaliter, ſicut articuli fidei; alio modo indirecte, & ſecundario, ſicut ea, ex quibus ſequitur corruptio alicujus articuli; & circa utraque poteſt eſſe hæreſis eo modo quo & fides. 2. 2. *quæſt.* 11. *a.* 2. *in corp.* 2. *art.* 1. *ad* 6.

QUÆR. 4. *Quomodo hæreſis contingat in his, quæ explicite, vel implicite ſunt credenda de fide.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in fide ſunt aliqua ad quæ explicite cognoſcenda omnis homo tenetur; unde ſi in his aliquis errat, infidelis reputatur, & hæreticus ſi pertinaciam adjungat: ſi autem ſunt aliqua ad quæ explicite credenda homo non tenetur, non efficietur hæreticus in his errans; ut ſi aliquis ſimplex credat Jacob patrem fuiſſe Abrahæ, quod eſt contra veritatem ſcripturæ, quam fides profitetur, quouſque hoc ei innoteſcat, quod fides Eccleſiæ contrarium habet; quia non diſcedit, per ſe loquendo, a fide Eccleſiæ, niſi ille qui ſcit hoc, a quo recedit, de fide Eccleſiæ eſſe. Et quia quædam ſunt quæ in fide Eccleſiæ implicite continentur (ut concluſiones in principiis) ideo in

Digitized by Google

in his diverſæ opiniones ſuſtinentur, quouſque per Eccleſiam determinetur, quod aliquid eorum contra fidem Eccleſiæ eſt; quia ex eo ſequitur aliquid contrarium fidei directe. 4. *ſent. diſt.* 13. *q.* 2. *a.* 1. *ad* 6.

QUÆR. 5. *Quomodo intelligi debeat D. Hieron. ſuper cap. 5. ad Galat. dicens: Quicunque aliter ſcripturam intelligit, quam ſenſus Spiritus Sancti efflagitat, a quo ſcripta eſt, licet ab Eccleſia non receſſerit, tamen hæreticus appellari poteſt: & alibi dicit, quod ex verbis inordinate prolatis fit hæreſis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ille dicitur aliter exponere Sacram Scripturam, quam Spiritus Sanctus efflagitat, qui ad hoc expoſitionem Sacræ Scripturæ intorquet, quod contrariatur ei, quod eſt per Spiritum Sanctum revelatum: unde dicitur Ezech. 13. de falſis Prophetis, *qui perſeveraverunt confirmare ſermonem*, ſcilicet per falſas expoſitiones Scripturæ. Similiter etiam per verba quæ quis loquitur, ſuam fidem profitetur, eſt enim confeſſio actus fidei; unde Leo Papa in quadam Epiſtola ad Proterium Epiſcopum Alexandrinum dicit, quod inimici crucis Chriſti omnibus & verbis noſtris inſidiantur, & ſyllabis; ſi ullam illis, vel tenuem occaſionem demus, qua Neſtoriano ſenſui nos congruere mentiantur, 2. 2. *q.* 11. *a.* 3. *ad* 2.

QUÆR. 6. *Quomodo ſacri Doctores poſſint abſque vitio hæreſis diverſa ſentire, ſicut Hieronymus, & Auguſtinus circa ceſſationem legalium: & quomodo in determinandis rebus fidei ſtandum ſit judicio Summi Pontificis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut Auguſtinus dicit, & habetur in Decret. 24. c. 3. *dicit Apoſt. Si qui ſententiam ſuam quamvis falſam, atque perverſam nulla pertinaci animoſitate defendunt: quærunt autem ſollicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint, nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi*, quia ſcilicet non habent electionem contradicentem Eccleſiæ Doctrinæ. Sic ergo aliqui Doctores videntur diſſenſiſſe, vel circa ea, quorum nihil intereſt ad fidem, utrum ſic, vel aliter teneantur; vel etiam in quibuſdam ad fidem pertinentibus, quæ nondum erant per Eccleſiam determinata: poſtquam autem eſſent determinata authoritate univerſalis Eccleſiæ, ſi quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus cenſeretur.

Quæ quidem authoritas principaliter reſidet in Summo Pontifice: dicitur enim 24. quæſt. 1. *Quoties fides ventilatur, arbitror omnes fratres noſtros, & coepiſcopos nonniſi ad Petrum; ideſt, ad ſui nominis, & honoris authorem referre debere.* Contra cujus authoritatem nec Hieronymus, nec Auguſtinus, nec aliquis ſacrorum Doctorum ſuam ſententiam defendit: unde dicit Hieron. ad Damaſum Papam: *Hæc eſt fides, Papa Beatiſſime, quam in catholica didicimus Eccleſia, in qua ſi minus perite, aut parum caute forte aliquid poſitum eſt, emendari cupimus a te, qui Petri fidem, & ſedem tenes, ſi autem hæc noſtra confeſſio Apoſtolatus tui judicio comprobatur, quicunque me culpare voluerit, ſe imperitum, vel malevolum, vel etiam non catholicum comprobabit.* 2. 2. *q.* 11. *a.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 7. *Utrum hæretici ſint vitandi, juxta illud Apoſt. ad Titum 3. Hæreticum hominem poſt primam, & ſecundam correptionem devita; ſciens quia ſubverſus eſt qui hujuſmodi eſt; & cur excommunicentur, & morti tradantur: & quare ſtatim comprimi debent.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod circa hæreticos duo ſunt conſideranda; unum quidem ex parte ipſorum; aliud vero ex parte Eccleſiæ.

Ex parte quidem ipſorum eſt peccatum, per quod meruerunt non ſolum ab Eccleſia per excommunicationem ſeparari, ſed etiam per mortem a Mundo excludi: multo enim gravius eſt corrumpere fidem, per quam eſt animæ vita, quam falſare pecuniam, per quam temporali vitæ ſubvenitur; unde ſi falſarii pecuniæ, vel alii maleſactores ſtatim per ſæculares Principes juſte morti traduntur, multo magis hæretici, ſtatim ex quo de hæreſi convincuntur, poſſunt non ſolum excommunicari, ſed etiam juſte occidi.

Ex parte autem Eccleſiæ eſt miſericordia ad errantium converſionem: & ideo non ſtatim condemnat, ſed *poſt primam, & ſecundam correptionem*, ut Apoſtolus docet: poſtmodum vero ſi adhuc pertinax inveniatur, Eccleſia de ejus converſione non ſperans, aliorum ſaluti providet, eum ab Eccleſia ſeparando per excommunicationis ſententiam: & ulterius relinquit eum judicio ſæculari a Mundo exterminandum per mortem: dicit enim Hieronymus, & habetur 24. *q.* 3. *Reſecandæ ſunt putridæ carnes, & ſcabioſa ovis a caulis repellenda, ne tota Domus, Maſſa, Corpus, & Pecora ardeat, corrumpatur, putreſcat, intereant. Arrius in Alexandria una ſcintilla fuit, ſed quoniam non ſtatim oppreſſus eſt, totum Orbem ejus flamma populata eſt.* 2. 2. *q.* 11. *a.* 3. *in corp.*

QUÆR. 8. *Utrum hæretici quandoque celari poſſint; & utrum poſſint juſta occidi, etiamſi alios non corrumpant?*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod hæreſis eſt infectivum vitium; unde 2. Timoth. 2. dici-

Digitized by Google

dicitur, quod *multum proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum ut cancer ſerpit*; & ideo Eccleſia eos a conſortio fidelium excludit; & præcipue illos qui alios corrumpunt, ut ſimplices, qui de facili corrumpi poſſunt, ab eis ſint ſegregati non ſolum mente, ſed etiam corporaliter; unde per Eccleſiam incarcerantur, & expelluntur: ſi autem alios non corrumperent, poſſent etiam celari. Sed illi qui ſunt firmi in fide, poſſunt cum eis corpore converſari ut eos convertant; non tamen in divinis, quia excommunicati ſunt: ſed judicio ſæculari poſſunt licite occidi, & bonis ſuis ſpoliari, etſi alios non corrumpant; quia ſunt blaſphemi in Deum, & fidem falſam obſervant: unde magis poſſunt puniri iſti, quam illi qui ſunt rei criminis læſæ majeſtatis, & illi qui falſam monetam cudunt. 4. *ſent. d.* 13. *q.* 2. *a.* 3.

QUÆR. 9. *An debeant hæretici tolerari propter utilitatem, quam ex hæreſibus percipit Eccleſia, juxta illud Apoſtoli* 1. *ad Corinth.* 11. *Oportet hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod utilitas, quæ ex hæreſibus provenit, eſt præter intentionem hæreticorum; dum ſcilicet conſtantia fidelium comprobatur, ut Apoſtolus dicit; *& ut excutiamus pigritiam, Divinas Scripturas ſollicitius intuentes*, ſicut Auguſtinus dicit. Sed ex intentione eorum eſt corrumpere fidem, quod eſt maximi nocumenti, & ideo magis reſpiciendum eſt ad id, quod eſt per ſe de eorum intentione, ut excludantur, quam ad hoc, quod eſt præter eorum intentionem, ut ſuſtineantur. 2. 2. *q.* 11. *a.* 3. *ad* 2.

QUÆR. 10. *Utrum hæretici etiam relapſi ſint ab Eccleſia recipiendi, & priſtinis bonis reſtituendi, aut a morte liberandi, vel potius ſæculari judicio relinquendi, ſicut Decretalis, ad abolendam, dicit: Si aliqui poſt abjurationem erroris deprehenſi fuerint in abjuratam hæreſim recidiſſe, ſæculari judicio ſunt relinquendi.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Eccleſia ſecundum Domini inſtitutionem, charitatem ſuam extendit ad omnes, non ſolum amicos, verum etiam inimicos, & perſequentes, ſecundum illud Matthæi 5. *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos*: pertinet autem ad charitatem, ut aliquis bonum proximi & velit, & operetur; eſt autem duplex bonum: unum quidem ſpirituale, ſcilicet ſalus animæ, quod principaliter reſpicit charitas; hoc enim quilibet ex charitate debet aliis velle: unde quantum ad hoc hæretici revertentes quotieſcunque relapſi fuerint, ab Eccleſia recipiuntur ad pœnitentiam, per quam aperitur eis via ſalutis: aliud autem eſt bonum, quod ſecundario reſpicit charitas, ſcilicet bonum temporale, ſicut & vita corporalis, poſſeſſio mundana, & bona fama, & dignitas Eccleſiaſtica, ſive ſæcularis: hoc enim non tenemur ex charitate aliis velle, niſi in ordine ad ſalutem æternam, & eorum, & aliorum: unde ſi aliquid de hujuſmodi bonis exiſtens in uno impedire poſſit æternam ſalutem in multis, non oportet, quod ex charitate hujuſmodi bonum ei velimus, ſed potius ut velimus eum illo carere, tum quia ſalus æterna præferenda eſt bono temporali; tum quia bonum multorum præfertur bono unius: ſi autem hæretici revertentes, ſemper reciperentur, ut conſervarentur in vita, & aliis temporalibus bonis, poſſet in prejudicium ſalutis aliorum hoc eſſe, tum quia ſi relaberentur, alios inficerent; tum etiam quia ſi ſine pœna evaderent, alii ſecurius in hæreſim laberentur: dicitur enim *Eccleſ.* 8. *Etenim quia non cito profertur contra malos ſententia, abſque timore ullo filii hominum perpetrant mala*; & ideo Eccleſia quidem primo revertentes ab hæreſi non ſolum recipit ad pœnitentiam, ſed etiam conſervat eos in vita, & interdum reſtituit eos diſpenſative ad Eccleſiaſticas dignitates, quas prius habebant, ſi videantur vere converſi: & hoc pro bono pacis frequenter legitur eſſe factum.

Sed quando recepti iterum relabuntur, videtur eſſe ſignum inconſtantiæ eorum circa fidem, & ideo ulterius redeuntes, recipiuntur quidem ad pœnitentiam: non tamen ut liberentur a ſententia mortis. 2. 2. *qu.* 11. *a.* 4. *in corp.*

QUÆR. 11. *Quomodo intelligatur mandatum, quod Dominus dedit Matth.* 13. *Servis ſuis, ut ſinerent creſcere zizania, per quæ intelliguntur hæretici?*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut habetur in decretis 24. quæſt. 3. aliud eſt excommunicatio, & aliud eradicatio. Excommunicatur enim ad hoc aliquis, ut ait Apoſt. 1. ad Cor. 5. *Ut ſpiritus ejus ſalvus fiat in die Domini*: ſi tamen totaliter eradicentur per mortem hæretici, non eſt etiam contra mandatum Domini, quod eſt in eo caſu intelligendum, quando non poſſunt extirpari zizania ſine extirpatione tritici. 2.2. *quæſt.* 11. *art.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 12. *Quandonam hæretici redeuntes ad Eccleſiam ſint recipiendi, juxta illud Chriſti de ſe ipſo dicentis Joan.* 6. *Eum qui venit ad me, non ejiciam foras: Et quandonam priſtinis dignitatibus ſint reſtituendi?*

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, dicendum quod quandiu hujus vitæ ſtatus durat, homo non poteſt eſſe totaliter in peccato obſtinatus; hoc enim erit in damnatis poſt mortem: Et ideo quandiu in hac vita vivitur, cuilibet relinquitur locus pœnitentiæ, quilibet quantumcunque deliquerit, vel in fide, vel in moribus, eſt ab Eccleſia recipiendus ad pœnitentiam: Et contrarium dicere eſt hæreſis Novatianorum: ſed tamen non eſt neceſſarium quod ſemper ad dignitatem recipiantur, niſi cum aliquibus miſericorditer diſpenſaretur, præcipue propter bonum pacis, vel propter fructum alium qui inde ſperetur. *Quodl.* 19. *art.* 16. *in corp.*

QUÆR. 13. *Quandonam ſimplices pro hæreticis habentur, & ut tales condemnantur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod non condemnantur ſimplices pro hæreticis, quia neſciunt articulos, ſed quia pertinaciter defendunt ea, quæ ſunt contraria articulis: quod non facerent, niſi per hæreſim fidem corruptam haberent. 3. *ſent. d.* 25. *q.* 2. *a.* 1. *q.* 3. *ad* 1.

QUÆR. 14. *An cum hæreticis ſit communicandum, cum Apoſt. 2. ad Cor. 6. dicat; Exite de medio eorum, & ſeparamini: & loquitur de infidelibus, quod patet ex hoc quod præmiſerat, nolite ducere jugum cum infidelibus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod hæreticis communicandum non eſt duplici ratione: Una eſt ratione excommunicationis; nam cum ſint excommunicati, non eſt eis communicandum, ſicut nec cum aliis excommunicatis. Alia eſt ratione hæreſis; primo propter periculum, ne eorum converſatio alios corrumpat, ſecundum illud 1. ad Cor. 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia prava;* Secundo etiam, ne videamur eorum perverſæ doctrinæ aliquem aſſenſum præſtare: unde in 2. Canonica Joannis dicitur: *ſi quis venit ad vos, & hanc doctrinam non habet, nolite eum in domum inducere, nec Ave ei dixeritis; qui enim dicit ei Ave, communicat operibus ejus malignis;* ubi dicit Gloſſa: *ſecundum quod vox eſt inſtituta, communionem eſſe oſtendit cum illo: alioquin ſimulatio eſt, quæ in Chriſtianis eſſe non debet.* Tertio ne ex noſtra familiaritate aliis detur occaſio erroris: unde ibidem dicit alia Gloſſa: *Etſi vos forte decepti non eſtis, alii forſitan per talem veſtram familiaritatem poſſent decipi, qui crederent illos placere vobis, & ſic crederent illis;* unde alia Gloſſa dicit ibidem: *tanta Apoſtoli atque eorum diſcipuli in Religione cautela utebantur, ut nec verbi quidem communionem cum aliquo eorum, qui a veritate declinaverunt, habere paterentur.*

Hoc tamen intelligendum eſt, niſi cum aliquo loqueremur de ejus ſalute. *Quod.* 15. *in corp.*

QUÆR. 15. *Quando, & in quibus poſſunt fideles communicare cum hæreticis, aliiſque infidelibus.*

Reſpondetur infra *v. Infideles q.* 17.

QUÆR. 16. *Quiſnam hæreticus incurrat excommunicationem latæ ſententiæ.*

Reſp. D. Thomas, ſciendum eſt, quod hæreticus poteſt dici aliquis, vel quia ſimpliciter errat ex ignorantia, & hic non eſt excommunicatus; vel quia errat ex pertinacia, & alios nititur pervertere: & tunc incurrit in excommunicationem latæ ſententiæ. *lect.* 2. *ſuper c.* 2. *ad Galatas.*

QUÆR. 17. *Utrum hæreſis ſit maximum peccatum, cum in Epiſtola D. Clementis dicatur: primum locum in pœnis habent, qui aberrant a Deo.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod unumquodque dicitur malum, quia nocet; unde cum hæreſis plus noceat, quam aliquod aliud peccatum, quia ſubvertit fundamentum omnium bonorum, ſine quo nihil boni remanet: ideo hæreſis eſt genere ſuo maximum peccatorum. Quamvis ex accidenti aliquod peccatum poſſit eſſe gravius; ſicut ſi multum excreſceret contemptus Dei in aliquo, quod etiam ex genere ſuo eſſet veniale. Sed de eo quod eſt ſecundum accidens, non eſt curandum in arte, ut Phil. dicit in 5. Ethic. 4. *ſent. d.* 13. *q.* 2. *a.* 2.

QUÆR. 18. *Cur ſicut beſtialitas ponitur extra numerum humanorum malitiarum, ita hæreſis ponatur a Sanctis extra numerum peccatorum, quæ in fidelibus reperiuntur; & ideo non computetur inter vitia capitalia.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſicut ſecundum Phil. in 7. Ethic. beſtialitas ponitur extra numerum aliarum humanarum malitiarum, quia humanum modum tranſcendit; ita a Sanctis ponitur hæreſis extra numerum peccatorum, quæ in fidelibus inveniuntur, quaſi gravius eis: & ideo non computatur inter vitia capitalia, nec inter eorum filias; quia vitia capitalia, ſecundum Iſidor. in Gloſſa Deut. 7. ſignantur per ſeptem populos qui in terra promiſſionis non remanſerunt: tamen ſi ad aliquod ex ſeptem capitalibus reduci debeat, poterat ad ſuperbiam reduci. 4. *ſent. d.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 1.

QUÆR. 19. *An hæreſis ſit ſpecies peccati in Spiritum Sanctum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod hæreſis ſecundum quod pertinaciam importat, ſpecies eſt peccati in Spiritum Sanctum; quia eſt impu-

Digitized by Google

impugnatio veritatis agnitæ. 4. *d.* 13. *q.* 2. *ar.* 2. *ad* 5.

QUÆR. 20. *Quid addat hæreſis ſupra neſcientiam, ignorantiam, & errorem, & quomodo ex ſuperbia, vel etiam quandoque ex acedia oriatur.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod quatuor videntur ad defectum cognitionis pertinere, ſcilicet neſcientia, ignorantia, error, & hæreſis. Inter quæ neſcientia eſt communius, quia importat ſimplicem carentiam ſcientiæ; unde & in Angelis Dionyſ. quandam neſcientiam ponit, ut patet in 9. cap. Eccleſ. Hierarch. Ignorantia vero eſt quædam neſcientia eorum, quæ homo natus eſt ſcire, & debet. Error vero ſupra ignorantiam addit applicationem mentis ad contrarium veritatis; ad errorem enim pertinet approbare falſa pro veris. Sed hæreſis ſupra errorem addit aliquid: & eſt ex parte materiæ: quia eſt error eorum quæ ad fidem pertinent; & ex parte errantis, quia importat pertinaciam, quæ ſola facit hæreticum, quæ quidem pertinacia ex ſuperbia oritur, Magnæ enim ſuperbiæ eſt ut homo ſenſum ſuum præferat veritati divinitus revelatæ. Hæreſis er o ex ſimplici ignorantia proveniens ſi ſit peccatum, ex aliquo prædictorum vitiorum exoritur. Imputatur enim homini ad peccatum ſi non curat addiſcere ea quæ ſcire tenetur; videtur autem hoc ex acedia provenire, ad quam pertinet refugere ſpirituale bonum, in quantum eſt impeditivum boni corporalis. *qu.* 8. *de malo art.* 1. *ad* 7.

QUÆR. 21. *An finis hæreſis ſit commodum temporale, & maxime principatus, & gloria, ſicut dicit D. Auguſtin. in lib. de utilitate credendi, c.* 1.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod vitia habent ſpeciem ex fine proximo; ſed ex fine remoto habent genus & cauſam: ſicut cum aliquis mæchatur, ut furetur, eſt ibi quidem ſpecies mæchiæ ex proprio fine & objecto: ſed ex fine ultimo oſtenditur quod mæchia & ex furto oritur, & ſub eo continetur ſicut effectus ſub cauſa, vel ſicut ſpecies ſub genere: unde & ſimiliter in propoſito, finis proximus hæreſis eſt adhærere falſæ ſententiæ propriæ, & ex hoc ſpeciem habet: ſed ex fine remoto oſtenditur cauſa ejus, ſcilicet quod oritur ex ſuperbia, vel ex cupiditate. 2. 2. *q.* 11. *a.* 1. *ad* 2.

QUÆR. 22. *Cur ſicut boni homines dicuntur Angeli, ita hæretici dicantur dæmones* 1. *ad Timoth.* 4. *diſcedent quidam attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum.*

Reſp. D. Thomas, ſecundum Gloſſam dicit hic falſos doctores, dæmones, nec immerito. Sicut enim boni homines interdum dicuntur Angeli; ſic iſti propter excellentem malitiam dæmones dicuntur. Joan. 6. *Nonne ego duodecim vos elegi: & unus eſt ex vobis diabolus? in expoſ. ejuſdem cap. l.* 1.

QUÆR. 23. *Utrum hæretici poſſint licite, aut valide Sacramenta conferre.*

Reſp. *v. Sacramentum q.* 36.

Ex Decretis Summi Pontificis Alexandri VII. hæretici ſunt denunciandi, etiam non præmiſſa correctione fraterna; & etiamſi eos eſſe hæreticos probari non poſſit, ut diximus ſupra v. Denunciatio, ſub finem.

Idem Summ. Pontif. damnavit ſequentes propoſitiones, quæ ſunt tertia, quarta, & quadrageſimaquinta inter eas, quæ continentur in ipſius decretis.

3. *Sententia aſſerens Bullam Cœnæ ſolum prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, Anno* 1629. 18. *Julii in Conſiſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata eſt.*

4. *Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcumque Sæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.*

45. *Libri prohibiti donec expurgentur, poſſunt retineri, uſquedum adhibita diligentia corrigantur.*

HEBETUDO SENSUS.

QUÆR. 1. *An & quando hebetudo ſenſus ſit peccatum; & quomodo diſtinguatur a cæcitate mentis?*

RESp. D. Thomas, dicendum, quod hebes acuto opponitur: acutum autem dicitur aliquid ex hoc quod eſt penetrativum; unde & hebes dicitur aliquid ex hoc, quod eſt obtuſum, penetrare non valens. Senſus autem corporalis per quandam ſimilitudinem penetrare dicitur medium, inquantum ex aliqua diſtantia ſuum objectum percipit, vel inquantum poteſt quaſi penetrando minima, vel intima rei percipere. Unde in corporalibus dicitur aliquis eſſe acuti ſenſus, qui poteſt percipere ſenſibile aliquod ex remotis, vel videndo, vel audiendo, vel olfaciendo: & e contrario dicitur ſenſu hebetari qui non percipit niſi ex propinquo, & magna ſenſibilia. Ad ſimilitudinem autem corporalis ſenſus dicitur etiam circa intelligentiam eſſe aliquis ſenſus, qui eſt aliorum primorum & extremorum, ut dicitur in 9. Ethic. Sicut etiam ſenſus eſt cognoſcitivus ſenſibi-

ſibilium, quaſi quorumdam principiorum cognitionis; hic autem ſenſus, qui eſt circa intelligentiam, non percipit ſuum objectum per medium diſtantiæ corporalis, ſed per quædam alia media, ſicut cum per proprietatem rei percipit ejus eſſentiam, & per effectum percipit cauſam.

Ille ergo dicitur eſſe acuti ſenſus circa intelligentiam, qui ſtatim ad apprehenſionem proprietatis rei, vel etiam effectus, naturam rei comprehendit; & inquantum uſque ad minimas conditiones rei conſiderandas pertingit: ille autem dicitur hebes circa intelligentiam, qui ad cognoſcendam veritatem rei pertingere non poteſt, niſi per multa ei expoſita, & tunc etiam non poteſt pertingere ad perfecte conſiderandum omnia, quæ pertinent ad rei rationem: ſic ergo hebetudo ſenſus circa intelligentiam importat quandam debilitatem mentis circa conſiderationem ſpiritualium bonorum: cæcitas autem mentis importat omnimodam privationem cognitionis ipſorum. Et utrumque opponitur dono intellectus, per quod homo ſpiritualia bona apprehendendo cognoſcit, & ad eorum intima ſubtiliter penetrat. Habet autem hebetudo rationem peccati, ſicut & cæcitas mentis inquantum ſcilicet eſt voluntaria; ut patet in eo, qui affectus circa carnalia de ſpiritualibus ſubtiliter diſcutere faſtidit, vel negligit. 2. 2. *q.* 15. *a.* 2. *in corp.*

QUÆR. 2. *An & quomodo hebetudo ſenſus, & cæcitas mentis ex gula, & luxuria proveniant.*

Reſp. *v. Cæcitas mentis. q.* 2.

QUÆR. 3. *An exiſtentes in gratia poſſint pati hebetudinem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aliqui habentes gratiam gratum facientem poſſunt hebetudinem pati circa aliqua, quæ ſunt præter neceſſitatem ſalutis: ſed circa ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis ſufficienter inſtruuntur a Spiritu Sancto, ſecundum illud 1. Jo. 2. *Unctio ejus docet vos de omnibus*. 2. 2. *q.* 8. *art.* 4. *ad* 1.

HEREMITÆ.

QUÆR. Utrum vitæ Heremiticæ ſit annexum continentiæ votum.

RESp. D. Thomas, Heremitæ, quamvis obedientiam non promittant, tamen votum continentiæ habent annexum: & ex mora ſecundum determinatum tempus, eorum votum ſolemnizatur. 4. *ſent. d.* 27. *in expoſ. textus.*

HISTRIONATUS.

QUÆR. Utrum officium hiſtrionum ſit licitum: & utrum peccent qui eis ſubveniunt.

RESp. D. Thomas, dicendum, quod ludus eſt neceſſarius ad conſervationem humanæ vitæ: ad omnia autem quæ ſunt utilia conſervationi humanæ deputari poſſunt aliqua officia licita: & ideo etiam officium hiſtrionum, quod ordinatur ad ſolatium hominibus exhibendum, non eſt ſecundum ſe illicitum, nec ſunt in ſtatu peccati, dummodo moderate ludo utantur, ideſt non utendo aliquibus illicitis verbis vel factis ad ludum, & non adhibendo ludum negotiis, & temporibus indebitis: & quamvis in rebus humanis non utantur alio officio per comparationem ad alios homines, tamen per comparationem ad ſeipſos, & ad Deum alias habent ſerioſas, & virtuoſas operationes, puta dum orant, & ſuas paſſiones, & operationes componunt; & quandoque etiam pauperibus eleemoſynas largiuntur.

Unde illi, qui moderate illis ſubveniunt, non peccant, ſed juſte faciunt mercedem miniſterii eorum eis tribuendo: ſi qui autem ſuperflue ſua in tales conſumunt, vel etiam ſuſtentant illos hiſtriones, qui illicitis ludis utuntur, peccant, quaſi eos in peccato foventes: unde Auguſtinus dicit ſuper Joannem, quod *donare res ſuas hiſtrionibus vitium eſt immane*: niſi forte aliquis hiſtrio eſſet in extrema neceſſitate, in qua eſſet ei ſubveniendum; dicit enim Ambroſius in lib. de officiis: *paſce fame morientem: quiſquis enim paſcendo hominem ſervare poteris, ſi non paveris, occidiſti*, 2. 2. *q.* 168. *a.* 3. *ad* 3.

Plura Hiſtriones, eorumque officium concernentia videantur ſupra v. Choreæ & *infra v. Ludus, & v. Spectacula.*

HOMICIDIUM.

Vide infra *v. Occidere.*

HONOR.

QUÆR. 1. *Quid ſit honor: & quomodo in ſignis exterioribus conſiſtat.*

RESp. D. Thomas, dicendum, quod honor teſtificationem, quandam importat de excellentia alicujus: unde homines, qui volunt honorari, teſtimonium ſuæ excellentiæ quærunt; ut ex Philoſoph. patet in 1. & 8. Ethic. teſtimonium autem redditur vel coram Deo, vel coram hominibus: coram Deo quidem qui inſpector eſt cordium, teſtimonium conſcientiæ ſufficit: & ideo honor quoad

Deum

Digitized by Google

Deum poteſt conſiſtere in ſolo interiori motu cordis; dum ſcilicet aliquis recogitat vel Dei excellentiam, vel etiam alterius hominis coram Deo: ſed quoad homines aliquis non poteſt teſtimonium ferre, niſi per aliqua ſigna exteriora; vel verbis, puta cum aliquis ore pronunciat excellentiam alicujus; vel factis, ſicut inclinationibus, obviationibus, & aliis hujuſmodi: vel etiam exterioribus rebus, puta in munerum oblatione; aut imaginum inſtitutione, vel aliis hujuſmodi. Et ſecundum hoc honor in inſignis exterioribus & corporalibus conſiſtit. 2. 2. *q.* 103. *a.* 1. *in corp.*

QUÆR. 2. *An & quomodo Honor ſit præmium virtutis, ut dicit Philoſoph. in* 4. *Ethic.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod honor non eſt præmium virtutis, propter quod virtuoſi operantur; ſed accipiunt honorem ab hominibus loco præmii, quaſi a non habentibus ad dandum majus: verum autem præmium virtutis eſt ipſa beatitudo, propter quam virtuoſi operantur: ſi autem propter honorem operarentur, jam non eſſet virtus, ſed magis ambitio. 1. 2. *q.* 2. *art. ad* 1.

QUÆR. 3. *Cur honor non ſit ſufficiens præmium virtutis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod honor non eſt præmium virtutis quoad ipſum virtuoſum, ut ſcilicet hoc pro præmio expetere debeat: Sed præmio expetit beatitudinem, quæ eſt finis virtutis. Dicitur autem eſſe præmium virtutis ex parte aliorum, qui non habent aliquid majus quod virtuoſo retribuatur, quam honorem: qui ex hoc ipſo magnitudinem habet quod perhibet teſtimonium virtuti. Unde patet quod non eſt ſufficiens premium, ut dicitur in 4. Ethic. 2. 2. *qu.* 131. *a.* 1. *ad* 2.

QUÆR. 4. *Quomodo per appetitum honoris homines provocantur ad bona facienda, & mala vitanda, ſicut Philoſ. dicit* 3. *Ethic. quod fortiſſimi videntur eſſe, apud quos timidi ſunt inhonorati, fortes autem honorati.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut per appetitum honoris quando debito modo appetitur, aliqui provocantur ad bonum, & revocantur a malo; ita etiam ſi inordinate appetatur, poteſt eſſe homini occaſio multa mala faciendi: dum ſcilicet aliquis non curat qualitercunque honorem conſequi poſſit. Unde Saluſtius dicit in Catilinario, quod gloriam & honorem & imperium, bonus & ignavus æque ſibi exoptant. Sed ille, ſcilicet bonus, vera via utitur: huic, ſcilicet ignavo, quia bonæ artes deſunt, dolis atque fallaciis contendit. Et tamen illi qui ſolum propter honorem vel bona faciunt, vel mala vitant, non ſunt virtuoſi, ut patet per Philoſophum in 3. Ethicor. ubi dicit quod non ſunt vere fortes qui propter honorem fortia faciunt. 2. 2. *q.* 131. *a.* 1. *ad* 3.

QUÆR. 5. *Quandonam appetitus honoris ſit bonus, & laudabilis, vel contra malus; & vituperabilis.*

Reſp. *v. Ambitio, Fama, Magnanimitas.*

QUÆR. 6. *An & quare ſoli virtuti debeatur honor, & propterea habeat rationem honeſti, cum ſecundum Iſidorum honeſtas dicatur quaſi honoris ſtatus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod eorum, quæ honorantur præter virtutem, aliquid eſt virtute excellentius, ſcilicet Deus, & beatitudo: & hujuſmodi non ſunt ita nobis per experientiam nota, ſicut virtutes ſecundum quas quotidie operamur: & ideo virtus magis ſibi vindicat nomen honeſti; alia vero quæ ſunt infra virtutem honorantur, inquantum coadjuvant ad operationem virtutis; ſicut nobilitas, potentia, & divitiæ: ut enim Philoſ. dicit in 3. Ethic. *Hujuſmodi honorantur a quibuſdam, ſed ſecundum veritatem ſolus bonus eſt honorandus*; bonus autem eſt aliquis ſecundum virtutem: & ideo virtuti quidem debetur laus, ſecundum quod eſt appetibilis propter aliud; honor autem prout eſt appetibilis propter ſeipſam, & ſecundum hoc habet rationem honeſti. 2. 2. *q.* 145. *art.* 1. *ad* 2.

QUÆR. 7. *An & quare in rei veritate honor non debetur niſi virtuti, licet vulgus honorem deferat exteriori excellentiæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut Philoſ. dicit in 4. Ethic. *honor proprie & ſecundum veritatem non debetur niſi virtuti*: ſed quia exteriora bona inſtrumentaliter deſerviunt ad quoſdam actus virtutum, ex conſequenti etiam eorum excellentiæ honor aliquis exhibetur; & præcipue a vulgo, quod ſolum excellentiam exteriorem recognoſcit. 2. 2. *q.* 186. *a.* 7. *ad* 4.

QUÆR. 8. *An in præcepto honorandi parentes includatur quidquid illis debemus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Parentibus inquantum hujuſmodi debetur reverentiæ honor; ſed ſuſtentatio, & alia hujuſmodi debentur eis ratione alicujus accidentis, puta inquantum ſunt indigentes, vel ſervi, vel aliquid hujuſmodi: & quia quod eſt per ſe, prius eſt eo, quod eſt per accidens; inter prima etiam præcepta legis, quæ ſunt præcepta Decalogi, ſpecialiter præcipitur honoratio parentum; in quo ſicut in quodam principali intelligitur mandari ſuſtentatio, & quidquid aliud Parentibus debetur. 2. 2. *q.* 122. *art.* 5. *ad* 3. *q.* 101. *art.* 2. *in corp.* & *ad* 1.

QUÆR.

QUÆR. 9. An & quomodo præmium promiſſum illis, qui honorant Parentes, ſit conveniens.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod longævitas promittitur honorantibus Parentes, non ſolum quantum ad futuram vitam, ſed etiam quantum ad præſentem, ſecundum illud Apoſtoli 1. ad Timoth. 4. *Pietas ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* Et hoc rationabiliter: qui enim eſt gratus beneficio meretur ſecundum quandam congruentiam, ut ſibi beneficium conſervetur: propter ingratitudinem autem meretur aliquis beneficium perdere: beneficium autem vitæ corporalis poſt Deum a Parentibus habemus: & ideo ille, qui honorat Parentes, quaſi beneficio gratus, meretur vitæ conſervationem: qui autem non honorat Parentes tanquam ingratus meretur vita privari.

Quia tamen præſentia bona, vel mala non cadunt ſub merito, vel demerito niſi inquantum ordinantur ad futuram remunerationem: ideo quandoque ſecundum occultam rationem Divinorum judiciorum, quæ maxime futuram remunerationem reſpiciunt, aliqui, qui ſunt pii in Parentes, citius vita privantur: alii vero, qui ſunt impii in Parentes, diutius vivunt. 2. 2. *q.* 122. *a.* 6. *ad* 3.

QUÆR. 10. Qua ratione debeat exhiberi honor Prælatis etiam malis.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in Prælato duo poſſumus conſiderare, ſcilicet perſonam propriam, & dignitatem; ſecundum quam eſt quædam perſona publica: ſi ergo Prælatus ſit malus ratione perſonæ ſuæ, non eſt honorandus: quia cum honor ſit reverentia alicui exhibita in teſtimonium virtutis, falſum teſtimonium de eo proferret, ſi quis eum intuitu propriæ perſonæ honoraret, contra illud, quod dicitur Exodi 29. *Non loquaris contra proximum tuum falſum teſtimonium.*

Sed in quantum eſt perſona publica, ſic gerit typum, & locum non ſui ipſius, ſed alterius, ſcilicet Chriſti in Eccleſia, vel Reipublicæ ut Dominus in ſæcularibus dignitatibus: & ſic valor ejus non computatur ſecundum perſonam, ſed ſecundum eum, cujus loco præſidet: ſicut eſt de lapillo qui in computationibus ponitur loco centum marcarum, cum in ſe nihil valeat, ut dicitur Prov. 26. *Sicut qui mittit lapidem in acervum mercurii, ita qui tribuit inſipienti honorem*: mercurius enim dicebatur Deus ratiocinii & mercationis: Et ita eſt ei honor exhibendus non propter ſe, ſed propter eum, cujus locum obtinet: ſicut adoratio imaginis refertur ad prototypum, ut dicit Damaſcenus; unde & malus Prælatus idolo comparatur: Zach. 11. *O Paſtor, & idolum derelinquens gregem. Quodlibeto* 8. *qu.* 4. *art.* 2. *in corp.*

QUÆR. 11. An debeatur honor nedum bonis, ſed etiam malis, & præſertim Prælatis.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod cum honor non debeatur niſi rebus Divinis, non debetur proprie, & directe niſi habenti gratiam, & virtutem, quæ Divinos facit: ſed habet aliquis virtutem multipliciter; vel ſicut actu virtuoſus, & huic directe debetur, & proprie, ſecundum ſe honor; vel ſicut habens aptitudinem naturalem ad virtutem, & ſic cuilibet habenti imaginem Dei eſt exhibendus honor, niſi ſit confirmatus in malo, quia ligatus eſt in illo ordo ad virtutem; vel ſicut ordinatus ad inducendum virtutem, & ſic debetur omnibus Prælatis, qui ad hoc ordinati ſunt, ut alios dirigant in virtutem. 3. *ſent. d.* 9. *q.* 2. *a.* 3. *in corp.*

QUÆR. 12. An, & quomodo honor debeatur potius Prælato malo, quam bono ſubdito.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſubdito bono debetur ſecundum ſe major reverentia; ſed ratione Prælationis debetur major malo Prælato. Et eſt triplex ratio: primo quia Prælatus gerit vicem Dei; unde Deus in ipſo honoratur: ſecundo, quia ipſe eſt perſona publica; & honoratur in ipſo bonitas Eccleſiæ, vel Reipublicæ, quæ eſt major quam merita unius ſingularis perſonæ: tertio, quia Prælatio ſe habet ad virtutem ſicut cauſa efficiens in aliis virtutem: & dignius eſt alterius virtutis cauſam exiſtere, inquantum hujuſmodi, quam virtuoſum eſſe, ut dicit Philoſoph. 9. Ethic. *in eod. a.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 13. Utrum in exhibitione honoris locum habeat peccatum acceptionis perſonarum.

Reſp. ſupra *v. Acceptio perſonarum, q. ult.*

HORÆ CANONICÆ.

QUÆR. 1. An & quare miniſtri Eccleſiæ teneantur recitare Horas Canonicas; omnes vero alii in diebus feſtis teneantur intereſſe Divinis Officiis.

RESp. D. Thomas, dicendum, quod oratio cadit ſub præcepto & determinate, & indeterminate: determinate quidem ad aliquas orationes ex præcepto tenentur illi, qui ex officio ſunt medii inter Deum, & populum conſtituti, ſicut miniſtri Eccleſiæ, unde ex officio eis incumbit preces ad Deum in perſona totius Eccleſiæ fundere; & ideo ex ſtatuto Eccleſiæ tenentur ad horas Canoni-

noni-

Digitized by Google

nonicas dicendas; ſed indeterminate ad orationem quilibet tenetur ex hoc ipſo, quod tenetur ad bona ſpiritualia ſibi procuranda, quæ nonniſi divinitus dantur; unde alio modo procurari non poſſunt, niſi ut ab ipſo petantur; & etiam ex hoc ipſo, quod charitatis præcepto tenetur proximum ſicut ſeipſum diligere, tenetur ei in neceſſitate beneficus eſſe, non ſolum per corporales eleemoſynas, ſed etiam per ſpirituales, quarum una eſt oratio. Sed omnibus etiam qui Eccleſiæ miniſterio non funguntur, videtur ab Eccleſia determinatum tempus orandi ſtatutum eſſe; cum ex canonum ſtatuto teneantur diebus feſtis divinis officiis intereſſe, ut miniſtris pro populo orantibus ſuam intentionem conforment, 4. ſent. diſt. 15. qu. 4. art. 1. qu. 3.

QUÆR. 2. Quomodo ſe gerere debeat ille, qui eſt præbendatus in duabus Eccleſiis quando diverſum officium in eis celebratur.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſuppoſito, quod aliquis licite ſit præbendatus in duabus Eccleſiis, ſcilicet ex diſpenſatione, conſiderandum eſt, quod ille, qui in aliqua Eccleſia præbendam accepit, duobus obligatur; ſcilicet Deo, ut ei debitas laudes exolvat pro ejus beneficiis; & Eccleſiæ, de qua accipit ſumptus: ea vero, quæ ad Eccleſiam pertinent, ſubjacent diſpenſationi Prælatorum Eccleſiæ: & ideo hoc debitum, quod debet Eccleſiæ, debet exolvere, ſecundum quod ſtatutum eſt: vel per ſe ipſum, ſi ſit præbenda, quæ requirat reſidentiam: vel per Vicarium, ſi hoc ſufficiat ſecundum Eccleſiæ ſtatutum, ac conſuetudinem. Sed debitum, quod debet Deo, per ſe ipſum debet exolvere: non refert autem quantum ad Deum, quibus Pſalmis, & hymnis Deum laudet, ut puta utrum dicat in Veſperis *Dixit Dominus*, vel *Laudate pueri Dominum*, niſi quantum ad hoc, quod homo debet ſequi majorum traditiones: & quia laudes Deo debet quaſi unus homo, ſufficit, quod ſemel officium dicat ſecundum conſuetudinem alicujus Eccleſiarum, quarum eſt Clericus.

Sed de electione officii rationabiliter videtur, quod debeat dicere officium illius Eccleſiæ, in qua majorem gradum habet: puta ſi in una ſit Decanus, & in alia ſimplex Canonicus, debet dicere officium Eccleſiæ, in qua eſt Decanus: quod ſi in utraque Eccleſia fuerit ſimplex Canonicus, debet dicere officium dignioris Eccleſiæ, quamvis forte in minori Eccleſia habeat opulentiorem præbendam: quia temporalia nullius momenti ſunt ſpiritualibus comparata; ſi vero ambæ Eccleſiæ ſunt æqualis dignitatis, poteſt eligere quodcunque officium voluerit, ſi fuerit ab utraque Eccleſia abſens; ſi autem fuerit in aliqua earum præſens, debet ſe conformare illis, cum quibus converſatur. *Quodl.* 1. *art.* 13.

QUÆR. 3. Utrum illi, qui omiſit Divinum officium, ſit injungendum, quod iterato dicat.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in omni Divino officio eſt hoc commune, quod pertinet ad laudem Dei, & ad ſuffragium fidelium; ſed diſtinguitur unum officium ab alio, ſecundum diverſitatem temporum, & locorum: rationabiliter enim inſtitutum eſt, ut diverſimode Deus laudetur ſecundum congruentiam temporum, & locorum; & ideo ſicut in officiis Divinis exolvendis obſervanda eſt congruitas loci, ita etiam congruitas temporis: quæ quidem obſervari non poſſet, ſi oporteret injungere omittenti, quod horas diceret, quas omiſit: forte enim in Completorio diceret *Jam lucis orto ſydere*: & in tempore Paſchali diceret officium Dominicæ paſſionis, quod eſſet abſurdum; & ideo non videtur eſſe injungendum ei, qui omiſit divinum officium, quod horas eaſdem repetat, ſed aliquid ad divinam laudem pertinens; puta dicat ſeptem Pſalmos, vel unum pſalterium, vel aliquid amplius, ſecundum quantitatem delicti. *Quodlib.* 3. *art.* 29.

QUÆR. 4. An liceat de ſero dicere matutinum ſequentis diei, vel prævenire tempus in aliis etiam horis.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod conſideranda eſt intentio ejus, qui prævenit tempus in matutinis dicendis, vel in quibuſcunque horis Canonicis: ſi enim hoc facit propter laſciviam, ut ſcilicet quietius ſomnolentiæ, & voluptati vacet, non eſt abſque peccato: ſi vero hoc faciat propter neceſſitatem licitarum, & honeſtarum occupationum, puta ſi Clericus, aut Magiſter debet videre lectiones ſuas de nocte, vel propter aliquid aliud hujuſmodi, licite poteſt de ſero dicere matutinas, & in aliis horis Canonicis tempus prævenire; ſicut etiam hoc in ſolemnibus Eccleſiis fit, quia melius eſt Deo utrumque reddere, ſcilicet & debitas laudes, & alia honeſta officia, quam quod per unum aliud impediatur. *Quodlib.* 5. *art.* 28. *in corp.*

QUÆR. 5. Quandonam incipiat dies quantum ad officium Eccleſiaſticum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quantum ad contractus, & alia hujuſmodi, dies incipit a media nocte; ſed quantum ad Eccleſiaſticum officium, & ſolemnitatum celebritates incipit dies a veſperis: unde ſi aliquis poſt dictas veſperas, & completorium dicat matutinas, jam hoc pertinet ad diem ſequentem. *ibid. ad* 1.

Digitized by Google

QUÆR. 6. An Clericus beneficiatus in ſcholis exiſtens teneatur dicere Officium mortuorum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Clericus ex hoc ipſo quod eſt Clericus, & præcipue in ſacris Ordinibus conſtitutus, tenetur dicere horas Canonicas: videntur enim tales ſpecialiter eſſe aſſumpti ad laudem Divinam, ſecundum illud Iſaiæ 42. *Omnem, qui invocat nomen meum, in laudem meam creavi illum:* ſed inquantum eſt Clericus beneficiatus in hac Eccleſia tenetur dicere Officium ſecundum modum illius Eccleſiæ.

Eſt ergo conſiderandum, quod Officium mortuorum quandoque in Eccleſia dicitur, ſicut ordinarie pertinens ad Eccleſiæ Officium, ſicut in tota Eccleſia in die animarum dicitur Officium pro mortuis; & in qualibet Eccleſia eſt aliqua ſuper hoc ſpecialis conſuetudo, puta ut dicatur ordinarie Officium mortuorum ſemel in ſeptimana, vel qualitercunque aliter ſecundum certum tempus; & ad hujuſmodi Officium mortuorum tenetur Clericus beneficiatus in aliqua Eccleſia etiam in ſcholis exiſtens, & per hoc ſatisfacit mortuis quorum recipit bona: aliquando vero dicitur Officium mortuorum in Eccleſia extraordinarie propter aliquam cauſam ſpecialiter emergentem, puta ad preces alicujus perſonæ, vel propter aliquid hujuſmodi; & ad hujuſmodi non tenetur Clericus exiſtens in ſcholis. *Quodlib. 6. artic. 8. in corp.*

QUÆR. 7. Utrum ille qui vadit ad Eccleſiam propter diſtributiones, alias non iturus, peccet.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ad evidentiam hujus quæſtionis notandum eſt, quod aliquis actus dicitur eſſe ſpiritualis dupliciter: uno modo ex parte principii, quando ſcilicet actus competit alicui perſonæ propter aliquid ſpirituale quod in ipſo eſt; ſicut Epiſcopo conſecrare Baſilicas, & Diacono legere Evangelium; & in talibus actibus committitur ſimonia, ſi aliquis intendat ſuum actum vendere; alio modo eſt aliquis actus ſpiritualis non ex parte principii, ſed ex parte finis tantum, ſicut docere liberales artes, quarum veritas ſpiritualis eſt: ſed hujuſmodi doctrina non competit alicui propter aliquod ſpirituale officium; cum etiam Gentilibus liceat hujuſmodi artes docere, & in his actibus committitur ſimonia, ſi vendatur finis, qui ſpiritualis eſt, ſcilicet ipſa veritas, non autem ſi aliquis ſuam operam locet. Celebrare ergo divinum officium in Eccleſia, eſt actus ſpiritualis primo modo: competit enim alicui ex hoc, quod eſt Clericus; & ideo ſimoniam committit qui hujuſmodi actum vendere intendit: in qualibet enim venditione pretium accipitur quaſi finis. Et ideo in prædicto caſu diſtinguendum eſt: Si enim hujuſmodi diſtributiones recipit, quaſi finem ſui operis principaliter intentum, ſimoniam committit, & ita mortaliter peccat: ſi autem habet principalem finem Deum in tali actu; ad hujuſmodi autem diſtributiones reſpicit ſecundario, non quaſi in finem, ſed ſicut in id, quod eſt neceſſarium ad ſuam ſuſtentationem, conſtat, quod non vendit actum ſpiritualem, & ita ſimoniam non committit, nec peccat: ſic enim acceptio diſtributionum non erit cauſa, quare ad Eccleſiam vadat; ſed proprie hujuſmodi determinatio, quare nunc vadat, & non alia vice. *Quodlib. 8. art. 11. in corp. Quodlibeto 4. art. 23. 4. ſent. diſt. 25. qu. 3. art. 2. qu. 1. ad 4. lect. 5. cap. 9. primæ ad Corinthios.*

QUÆR. 8. Quænam attentio requiratur, & ſufficiat ad horas Canonicas.

Reſponſio videatur infra *v. Orat.*

Horæ pomeridianæ, in quibus poteſt recitari matutinum pro ſequenti die, ut in ordine Officii impreſſo Romæ ex commiſſione Sacræ Rituum Congregationis diligentiſſime reviſo, privilegioque Summi Pontificis conſignato.

A prima die Januarii uſque ad 12. bora 2. cum quadrante.

A 13. Januarii uſque ad 18. Februarii bora 2. cum dimidia.

A 19. Februarii uſque ad 5. Martii, bora 2. cum tribus quadrantibus.

A 6. Martii uſque ad 26. bora 3.

A 27. Martii uſque ad 20. Aprilis, bora 3. cum quadrante.

A 21. Aprilis uſque ad 15. Maji, bora 3. cum dimidia.

A 16. Maji uſque ad 31. Julii, bora 3. cum tribus quadrantibus.

A 1. Auguſti uſque ad 15. Septembris, bora 3. cum quadrante.

A 16. Septembris uſque ad 20. Octobris bora 3.

A 21. Octobris uſque ad 31. bora 2. cum tribus quadrantibus.

A 1. Novembris uſque ad 30. bora 2. cum quadrante.

A 1. Decembris uſque ad 31. bora 2. cum dimidia.

Inter 45. propoſitiones damnatas a Summo Pontifice Alexandro VII. tres ſequentes habentur.

33. Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas antea Beneficiatus de fructibus ſui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium Paſchale ſatisfacit præcepto.

35. Uno Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto, pro die præſenti, & craſtino.

HU-

Digitized by Google

HUMILITAS.

QUÆR. 1. In quo conſiſtat Humilitatis Virtus.

RESp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut Iſidor. dicit in lib. Etymolog. *Humilis dicitur quaſi humi acclivis*, ideſt, *imis inhærens*; quod quidem contingit dupliciter: uno modo ex principio extrinſeco, puta cum aliquis ab alio dejicitur; & ſic humilitas eſt pœna: alio modo a principio intrinſeco; & hoc poteſt fieri quandoque quidem bene, puta cum aliquis conſiderans ſuum defectum, tenet ſe in infimis ſecundum ſuum modum ſicut Abraham dixit ad Dominum Geneſ. 18. *Loquar ad Dominum meum cum ſim pulvis, & cinis*; & hoc modo humilitas ponitur virtus; quandoque autem poteſt fieri male, puta cum homo honorem ſuum non intelligens, comparat ſe jumentis inſipientibus, & ſimilis fit illis. 2. 2. *q.* 161. *art.* 1. *ad* 1.

QUÆR. 2. Quænam ſit falſa humilitas, de qua dicitur Eccleſiaſtæ 19. Eſt qui nequiter ſe humiliat; & utrum vera humilitas præſertim in interiori conſiſtat.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut dictum eſt, humilitas, ſecundum quod eſt virtus, in ſui ratione importat quandam laudabilem dejectionem in ima: hoc autem quandoque fit ſolum ſecundum ſigna exteriora ſecundum fictionem; unde hæc eſt falſa humilitas, de qua Auguſtinus dicit in quadam epiſtola, quod eſt magna ſuperbia, quia ſcilicet videtur tendere ad excellentiam gloriæ: quandoque autem fit ſecundum interiorem motum animæ; & ſecundum hoc humilitas, quæ proprie ponitur virtus, non conſiſtit in exterioribus, ſed principaliter in interiori electione mentis, ut patet per Philoſ. in lib. 2. Ethicor. *ibidem ad* 2.

QUÆR. 3. An convenienter D. Benedictus in ſua Regula diſtinguat duodecim gradus humilitatis, quorum Primus eſt, corde, & corpore ſuper humilitatem oſtendere defixis in terram aſpectibus. Secundus, ut pauca verba, & rationabilia loquatur aliquis, non clamoſa voce. Tertius, ut non ſit facilis, aut promptus ad riſum. Quartus, taciturnitas uſque ad interrogationem. Quintus, tenere quod habet communis Monaſterii regula. Sextus, credere, & pronuntiare ſe omnibus viliorem. Septimus, ad omnia indignum, & inutilem ſe confiteri, & credere. Octavus, confeſſio peccatorum. Nonus, per obedientiam in duris, & aſperis patientiam amplecti. Decimus, ut cum obedientia ſe ſubdat majori. Undecimus, ut voluntatem propriam non delectetur implere. Duodecimus, ut Deum timeat, & memor ſit omnium quæ præcipit.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod humilitas eſſentialiter in appetitu conſiſtit, ſecundum quod aliquis refrænat impetum animi ſui ne inordinate tendat in magna; ſed regulam habet in cognitione, ut ſcilicet aliquis non ſe exiſtimet ſupra id eſſe quod eſt; & utriuſque principium, & radix eſt reverentia, quam quis habet ad Deum: ex interiori autem diſpoſitione humilitatis procedunt quædam exteriora ſigna in verbis, & factis, & geſtibus, quibus id, quod interius latet, manifeſtatur; ſicut & cæteris virtutibus accidit, nam *ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei ſenſatus*, ut dicitur Eccleſ. 19.

Et ideo in prædictis gradibus humilitatis ponitur aliquid, quod pertinet ad humilitatis radicem, ſcilicet duodecimus gradus, qui eſt, *ut homo Deum timeat, & memor ſit omnium, quæ præcipit*: ponitur etiam aliquid pertinens ad appetitum, ne ſcilicet in propriam excellentiam inordinate tendat: quod quidem fit tripliciter: Uno modo, *ut homo non ſequatur propriam voluntatem*, quod pertinet ad undecimum gradum: alio modo, *ut regulet eam ſecundum ſuperioris arbitrium*, quod pertinet ad gradum decimum: tertio modo, *ut ab hoc non deſiſtat propter dura, & aſpera, quæ occurrunt*; & hoc pertinet ad nonum.

Ponuntur etiam quædam pertinentia ad æſtimationem hominis recognoſcentis ſuum defectum & hoc tripliciter: Uno quidem modo per hoc *quod proprios defectus recognoſcat, & confiteatur*; quod pertinet ad octavum gradum: ſecundo, *ut ex conſideratione ſui defectus aliquis inſufficientem ſe æſtimet ad majora*; quod pertinet ad ſeptimum: tertio ut *quantum ad hoc alios ſibi præferat*; quod pertinet ad ſextum.

Ponuntur etiam quædam quæ pertinent ad exteriora ſigna: quorum unum eſt in factis; *ut ſcilicet homo non recedat in ſuis operibus a via communi*, quod pertinet ad quintum: alia duo ſunt in verbis; ſcilicet, *ut homo non præveniat tempus loquendi*; quod pertinet ad quartum; *nec excedat modum in loquendo*; quod pertinet ad ſecundum: alia vero conſiſtunt in exterioribus geſtibus, puta *in reprimendo extollentiam oculorum*; quod pertinet ad primum: & *in cohibendo exterius riſum, & alia inepta lætitiæ ſigna*; quod pertinet ad tertium. 2. 2. *quæſt.* 161. *art.* 6. *in corp.*

QUÆR. 4. Quomodo ſub ſexto, & ſeptimo ex prædictis gradibus humilitatis contineantur illi ſeptem, quos D. Anſelmus enumerat

Digitized by Google

in lib. de ſimilitud. quorum primus eſt, contemptibilem, ſe eſſe cognoſcere: ſecundus de hoc dolere: tertius, hoc confiteri: quartus, hoc perſuadere, ut ſcilicet hoc velit credi: quintus, ut patienter ſuſtineat hoc dici: ſextus, ut patiatur contemptibiliter ſe tractari: ſeptimus, ut hoc amet.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod omnes gradus quos Anſelmus ponit, reducuntur ad opinionem, & manifeſtationem, & voluntatem propriæ abjectionis: nam primus gradus pertinet ad cognitionem proprii defectus. Sed quia vituperabile eſſet ſi quis proprium defectum amaret, hoc per ſecundum gradum excluditur; ſed ad manifeſtationem ſui defectus pertinet tertius & quartus gradus, ut ſcilicet aliquis non ſolum ſimpliciter ſuum defectum enunciet; ſed etiam perſuadeat. Alii autem tres gradus pertinent ad appetitum, qui excellentiam exteriorem non quærit; ſed exteriorem abjectionem æquanimiter patitur, ſive in verbis, ſive in factis; quia ſicut Gregor. dicit in regiſtro, *non grande eſt iis nos eſſe humiles a quibus honoramur, quia & hoc ſæculares quilibet faciunt; ſed illis maxime humiles eſſe debemus, a quibus aliqua patimur*; & hoc pertinet ad quintum & ſextum gradum: vel etiam deſideranter exteriorem abjectionem amplectitur, quod pertinet ad ſeptimum gradum: & ſic omnes iſti gradus continentur ſub ſexto, & ſeptimo ſuperius enumeratis. 2. 2. *qu.* 161. *art.* 6. *ad* 3.

QUÆR. 5. *Cur Gloſſa Matth. 3. enumerat tres tantum humilitatis gradus, dicens: Perfecta humilitas tres habet gradus: primus eſt ſubdere ſe majori, & non præferre ſe æquali, quod eſt ſufficiens: ſecundus eſt ſubdere æquali, nec præferre ſe minori, & hoc dicitur abundans: tertius gradus eſt, ſubeſſe minori, in quo eſt omnis juſtitia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod illi tres gradus accipiuntur non ex parte ipſius rei (ideſt ſecundum naturam humilitatis) ſed per comparationem ad gradus hominum, qui ſunt vel majores, vel minores, vel æquales. *Ib. d. ad* 4.

QUÆR. 6. *An & quomodo duodecim illis gradibus humilitatis opponantur totidem gradus ſuperbiæ.*

Reſp. *v. Superbia.*

QUÆR. 7. *Cur non pertineat ad humilitatem, ſed potius ad ingratitudinem; quod aliquis bona ſibi a Deo conceſſa contemnat.*

Reſp. ſupra *v. Acedia, q.* 4.

QUÆR. 8. *An & quomodo homo poſſit, & debeat ſe omnibus per humilitatem ſubjicere, juxta illud ad Phil.* 2. *In humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in homine duo poſſunt conſiderari, ſcilicet id, quod eſt Dei; & id, quod eſt hominis: hominis autem eſt quidquid pertinet ad defectum: ſed Dei eſt quidquid pertinet ad ſalutem, & perfectionem: humilitas autem, ſicut dictum eſt, proprie reſpicit reverentiam, qua homo Deo ſubjicitur: & ideo quilibet homo ſecundum id, quod ſuum eſt, debet ſe cuilibet proximo ſubjicere quantum ad id, quod eſt Dei in ipſo: non autem hoc requirit humilitas, ut aliquis id, quod eſt Dei in ſeipſo ſubjiciat ei, quod apparet eſſe Dei in altero: nam illi, qui dona Dei participant, cognoſcunt ea ſe habere, ſecundum illud 1. ad Corinth. 2. *ut ſciamus quæ a Deo donata ſunt nobis*: & ideo abſque præjudicio humilitatis poſſunt dona, quæ ipſi acceperunt, præferre Dei donis, quæ aliis apparent collata, ſicut Apoſtolus ad Epheſ. 2. dicit: *aliis generationibus non eſt agnitum filiis hominum, ſicut nunc revelatum eſt Sanctis Apoſtolis ejus.*

Similiter etiam non hoc requirit humilitas, ut aliquis id, quod eſt ſuum in ſe ipſo ſubjiciat ei, quod eſt hominis in proximo; alioquin oporteret, ut quilibet reputaret ſe magis peccatorem quolibet alio; cum tamen Apoſtolus abſque præjudicio humilitatis dicat ad Galat. 2. *Nos natura Judæi, & non ex gentibus peccatores.*

Poteſt tamen aliquis reputare aliquid boni eſſe in proximo, quod ipſe non habet; vel aliquid mali in ſe eſſe, quod in alio non eſt: ex quo ſe poteſt ei ſubjicere per humilitatem. 2. 2. *quæſt.* 161. *art.* 3. *in corp.*

QUÆR. 9. *Quomodo adimpleri poſſit illud Apoſtoli ad Philip. 2. In humilitate ſuperiores invicem arbitrantes.*

Reſp. Div. Thomas; ſicut pertinet ad ſuperbiam quod homo ſe extollat ſupra ſe, ita ad humilitatem quod homo ſe ſubjiciat ſecundum ſuam menſuram. Sed quomodo ſuperior poterit hoc implere? aut enim non cognoſcit ſe eſſe ſuperiorem, & virtutem ſuam, & ſic non eſt virtuoſus, quia non eſt prudens; aut ſcit, & ſic non poteſt alium exiſtimare ſuperiorem ſe. Reſpondeo, dicendum eſt, quod nullus eſt ſic bonus, quin in eo ſit aliquis defectus; & nullus eſt ſic malus, quin habeat aliquid boni: unde non oportet, quod eum præponat ſibi ſimpliciter, ſed quantum ad hoc dicat in mente ſua, ſic: forte in me eſt aliquis defectus, qui non eſt in illo. Et hoc oſtendit Auguſt. in lib. de Virginitate, quomodo virgo præfe-

rat

Digitized by Google

rat ſibi conjugatam, quia forte ferventior. Sed detur quod quantum ad omnia ſit ille bonus, & ille malus; nihilominus tu & ille geritis duplicem perſonam, ſcilicet tui, & Chriſti. Si ergo illum non præponas ratione ſuæ perſonæ, præponas ratione imaginis divinæ, ad Rom. 12. *Honorem invicem prævenientes. ad Philipp.* 2. *lect.* 1.

QUÆR. 10. *Quomodo debemus propter Deum nos omnibus per humilitatem ſubjicere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod non debemus ſolum Deum revereri in ſeipſo, ſed etiam id quod eſt ejus debemus revereri in quolibet: & ideo per humilitatem debemus nos ſubjicere omnibus proximis propter Deum, ſecundum illud 1. Petri 2. *ſubjecti eſtote omni creaturæ propter Deum*. Latriam tamen ſoli Deo exhibere debemus. 2. 2. *q.* 161. *art.* 3. *ad* 1.

QUÆR. 11. *Quomodo poſſit aliquis ſe omnibus inferiorem æſtimare, cum hoc videatur falſum; & D. Auguſt. dicat in lib. de natura & gratia: humilitas collocanda eſt in parte veritatis, non in parte falſitatis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſi nos præferamus id quod eſt Dei in proximo, ei quod eſt proprium in nobis, non poſſumus incurrere falſitatem: unde ſuper illud Philip. 2. *Superiores ſibi invicem arbitrantes*, dicit Gloſſa: non hoc ita debemus æſtimare, ut nos æſtimare fingamus: ſed vere æſtimemus poſſe eſſe aliquid occultum in alio, quo nobis ſuperior ſit, etiamſi bonum noſtrum, quo illi videmur ſuperiores eſſe, non ſit occultum. *Ibid. ad* 2.

QUÆR 12. *Utrum humilitas exigat quod aliquis de ſe confiteatur peccata, quæ non fecit, juxta illud D. Gregor. Bonarum mentium eſt ibi culpam agnoſcere, ubi culpa non eſt: & quomodo vere humilis reputat ſe deteriorem omnibus aliis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod agnoſcere culpam ubi non eſt, poteſt eſſe dupliciter: uno modo, ut intelligatur quantum ad ſubſtantiam actus; & ſic non eſt verum; non enim ad bonam mentem pertinet, ſed ad errantem, ut ſe actum aliquem commiſiſſe cognoſcat, quem non commiſit: alio modo quantum ad conditionem actus, & ſic verum eſt quod Gregorius dicit: quia juſtus in actu qui de ſe bonus videtur, formidat ne aliquis defectus ex parte ſua fuerit; & ſic dicitur Job 9. *Verebar omnia opera mea*: & ideo ad bonam mentem etiam pertinet, ut hanc formidinem, quam corde tenet, lingua accuſet.

Juſtus igitur, qui eſt vere humilis, non reputat ſe deteriorem quantum ad perpetrationem actus, qui ſit pejor ex genere; ſed timet ne in his quæ bene agere videtur, per ſuperbiam gravius delinquat. 4. *ſent. diſt.* 21. *qu.* 2. *art.* 3. *ad* 1. & 2.

QUÆR. 13. *Quomodo per humilitatem debet aliquis ita ſe ſubjicere aliis; ut hoc non vergat in eorum detrimentum, juxta illud D. Auguſtini in ſua regula: nedum nimium ſervatur humilitas, regendi frangatur authoritas.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod humilitas, ſicut & cæteræ virtutes, præcipue interius in anima conſiſtit: & ideo poteſt homo ſecundum interiorem actum animæ alteri ſe ſubjicere ſine hoc, quod occaſionem habeat alicujus, quod pertineat ad detrimentum ſuæ ſalutis, & hoc eſt, quod Auguſtinus dicit in Regula: *Timore coram Deo Prælatus ſubſtratus ſit pedibus veſtris.*

Sed in exterioribus humilitatis actibus, ſicut & in actibus cæterarum virtutum, eſt debita moderatio adhibenda, ne poſſint vergere in detrimentum alterius; ſi autem aliquis, quod debet, faciat; & alii ex hoc occaſionem ſumant peccandi, non imputatur humiliter agenti, quia ille non ſcandalizat, quamvis alter ſcandalizetur. 2. 2. *qu.* 161. *art.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 14. *An tendere in altiora repugnet humilitati.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod tendere in aliqua majora ex propriarum virium confidentia humilitati contrariatur: ſed quod aliquis ex confidentia Divini auxilii in majora tendat, hoc non eſt contra humilitatem, præſertim cum ex hoc aliquis magis apud Deum exaltetur, quod ei ſe magis per humilitatem ſubjicit: unde Auguſtinus dicit in lib. de pœnitentia: *Aliud eſt levare ſe ad Deum; aliud eſt levare ſe contra Deum: qui ante illum ſe projicit, ab illo erigitur; qui adverſus illum ſe erigit, ab illo projicitur.* 2. 2. *q.* 162. *art.* 2. *ad* 6.

QUÆR. 15. *Quomodo humilitas, & magnanimitas non ſint contrariæ, licet in contraria tendere videantur.*

Reſp. *v. Magnanimitas.*

QUÆR. 16. *Quomodo ad humilitatem pertineat refrænare præſumptionem ſpei, & cur D. Auguſtinus eam attribuit dono timoris, quo homo Deum reveretur: & utrum conveniat cum fortitudine, & magnanimitate.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in fortitudine invenitur eadem ratio refrænandi audaciam, & firmandi animum contra timorem: utriuſque enim ratio eſt ex hoc quod homo bonum rationis debet periculis mortis præferre; ſed in refrænando præſumptionem

nem ſpei, quod pertinet ad humilitatem, & in firmando animum contra deſperationem, quod pertinet ad magnanimitatem, eſt alia & alia ratio: nam ratio firmandi animum contra deſperationem eſt adeptio proprii boni; ne ſcilicet deſperando homo ſe indignum reddat bono quod ſibi competebat: ſed in reprimendo præſumptionem ſpei, ratio præcipua ſumitur ex reverentia divina, ex qua contingit ut homo non plus ſibi attribuat quam ſibi competat ſecundum gradum quem eſt a Deo ſortitus: unde humilitas præcipue videtur importare ſubjectionem hominis ad Deum. Et propter hoc Auguſtin. in lib. de ſerm. Domini in monte, humilitatem quam intelligit per paupertatem ſpiritus, attribuit dono timoris, quo homo Deum reveretur, & inde eſt quod fortitudo aliter ſe habet ad audaciam, quam humilitas ad ſpem: nam fortitudo plus utitur audacia quam eam reprimat: unde ſuperabundantia eſt ei ſimilior quam defectus: humiliatus autem plus reprimit ſpem & fiduciam de ſeipſo, quam utatur: unde magis opponitur ei abundantia, quam defectus. 2. 2. *quæſt.* 111. *artic.* 2. *ad* 3.

QUÆR. 17. ***Utrum humilitas ſit potiſſima virtutum.***

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod bonum humanæ virtutis in ordine rationis conſiſtit: qui quidem principaliter attenditur reſpectu finis: unde virtutes Theologicæ, quæ habent ultimum finem pro objecto, ſunt potiſſimæ: ſecundario autem attenditur prout ſecundum rationem finis ordinantur ea quæ ſunt ad finem. Et hæc quidem ordinatio eſſentialiter conſiſtit in ipſa ratione ordinante: participative autem in ipſo appetitu per rationem ordinato. Quam quidem ordinationem univerſaliter facit juſtitia præſertim legalis: ordinationi autem facit hominem bene ſubjectum humilitas in univerſali, quantum ad omnia: quælibet autem alia virtus, quantum ad aliquam materiam ſpecialem. Et ideo poſt virtutes Theologicas, & virtutes intellectuales, quæ reſpiciunt ipſam rationem, & poſt juſtitiam præſertim legalem, potior eſt cæteris humilitas. 2. 2. *quæſt.* 161. *artic.* 5. *in corp.*

QUÆR. 18. ***An & quomodo virtus humilitatis juſtitiæ virtutem ſuperet, ſicut ait D. Chryſoſtomus exponens illud quod dicitur Lucæ 18. de Phariſæo, & Publicano: quod ſi mixta delictis humilitas tam facile currit, ut juſtitiam ſuperbiæ conjunctam tranſeat: ſi juſtitiæ conjunxeris eam, quo non ibit? aſſiſtet ipſi tribunali divino in medio Angelorum.***

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod humilitas juſtitiæ non præfertur, ſed juſtitiæ cui ſuperbia conjungitur quæ jam deſinit eſſe virtus: ſicut e contrario peccatum per humilitatem remittitur. Nam de Publicano dicitur Luc. 18. Quod merito humilitatis deſcendit juſtificatus in domum ſuam. Unde Chryſoſt. dicit: *Geminas bigas mihi accommodes; alteram quidem ſuperbiæ & juſtitiæ; alteram vero peccati & humilitatis; & videbis peccatum prævertens juſtitiam non propriis, ſed humilitatis vincere viribus; aliud vero videbis devictum non fragilitate juſtitiæ, ſed mole & tumore ſuperbiæ. Ibidem ad* 1.

QUÆR. 19. ***Cur humilitas eſt propinquiſſima virtutibus Theologicis: & utrum ſimpliciter virginitatem excedat, ſicut ait D. Bernardus ſuper Evang. miſſus eſt, quod plus placuit Deo humilitas Mariæ, quam ipſius virginitas.***

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod humilitas videtur virtutibus Theologicis propinquiſſima eſſe; quia per eam homo ſe ex reverentia Deo ſubjicit, & per conſequens aliis propter Deum: & ideo ſimpliciter loquendo virginitatem humilitas excedit. 4. *d.* 33. *q.* 3. *art.* 3. *ad* 6.

QUÆR. 20. ***An & quomodo humilitas ſit fundamentum omnium virtutum, ſecundum illud D. Auguſtini in lib. de verbis Domini ſerm. 10. Cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis.***

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſicut ordinata virtutum congregatio per quandam ſimilitudinem ædificio comparatur; ita etiam illud, quod eſt primum in acquiſitione virtutum, fundamento comparatur, quod primum in ædificio jacitur: Virtutes autem vere infunduntur a Deo; unde primum in acquiſitione virtutum poteſt accipi dupliciter: uno modo per modum removentis prohibens, & ſic humilitas primum locum tenet; inquantum ſcilicet expellit ſuperbiam, cui Deus reſiſtit; & præbet hominem ſubditum, & paratum ad ſuſcipiendum influxum divinæ gratiæ, inquantum evacuat inflationem ſuperbiæ: unde dicitur Jacobi 4. quod *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*: & ſecundum hoc humilitas dicitur ſpiritualis ædificii fundamentum.

Alio modo eſt aliquid primum in virtutibus directe, per quod ſcilicet jam ad Deum acceditur: primus autem acceſſus ad Deum eſt per fidem, ſecundum illud Hebræorum 11. *Accedentem ad Deum oportet credere*: & ſecundum hoc fides ponitur fundamentum nobiliori modo quam humilitas. 2. 2. *q.* 161. *art.* 5. *ad.* 2.

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 21. *An & quomodo humilitas ſit firmamentum omnium aliarum virtutum, juxta illud D. Gregorii: Qui cæteras virtutes ſine humilitate congregat, quaſi paleas in ventum portat*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod humilitas firmat omnes virtutes indirecte, removendo quæ bonis virtutum operibus inſidiantur ut pereant. *q.* 5. *de virtut. art.* 1. *ad* 13.

QUÆR. 22. *Quare, ut Proverb.* 11. *dicitur: Ubi humilitas, ibi ſapientia*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod humilitas, & ſapientia inveniuntur in eodem homine, inquantum humilitas ad ſapientiam diſponit: quia qui humilis eſt, ſubjicit ſe ſapientibus ad diſcendum, & non innititur ſenſui proprio. *qu.* 8. *de malo art.* 3. *ad* 8.

QUÆR. 23. *Cur, ut ait D. Bernardus in libro de duodecim gradibus humilitatis, Perfectio humilitatis eſt cognitio veritatis*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod cognitio veritatis ſe habet ad humilitatem antecedenter; quia dum aliquis veritatem conſiderat, ſe ultra ſuam menſuram non effert. *Ibidem ad* 9.

QUÆR. 24. *Cur humilitati promittitur exaltatio Lucæ* 14. *Qui ſe humiliat, exaltabitur*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod contemnenti terrena promittuntur cæleſtia; ſicut contemnentibus divitias terrenas promittuntur cæleſtes theſauri, ſecundum illud Matth. 6. *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra: ſed theſaurizate vobis theſauros in cælo*. Et ſimiliter contemnentibus mundi gaudia, promittuntur conſolationes cæleſtes, ſecundum ilud Matth. 5. *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*. Et eodem modo humilitati promittitur ſpiritualis exaltatio: non quia ſola ipſa mereatur, ſed quia ejus eſt proprium contemnere ſublimitatem terrenam. Unde Auguſtinus dicit in lib. de pœnitentia: *ne putes eum, qui ſe humiliat, ſemper jacere, cum dictum ſit exaltabitur: & ne opineris ejus exaltationem in oculis hominum per ſublimitates fieri corporalis*. 2. 2. *q.* 161. *art.* 5. *ad* 3.

QUÆR. 25. *Quid mirabilius reputet humilis animus; & cur Angelus incipit a laude Virginis*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod animo humili nihil eſt mirabilius quam auditus ſuæ excellentiæ: admiratio autem maxime attentionem facit: & ideo Angelus volens mentem Virginis attentam reddere ad auditum tanti myſterii, ab ejus laude incipit. 3. *p. quæſt.* 30. *art.* 4. *ad* 1.

QUÆR. 26. *Cur Chriſtus Dominus nobis humilitatem præ cæteris virtutibus commendavit Matth.* 11. *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde: & Divus Gregorius dicit in Paſtorali, quod argumentum redemptionis noſtræ inventa eſt humilitas Dei*.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ideo Chriſtus præcipue nobis humilitatem commendavit, quia per hoc maxime removetur impedimentum humanæ ſalutis, quæ conſiſtit in hoc, quod homo ad cæleſtia, & ſpiritualia tendat, a quibus homo impeditur, dum in terrenis magnificari ſtudet: & ideo Dominus ut impedimentum ſalutis auferret, exteriorem celſitudinem contemnendam monſtravit per humilitatis exempla: & ſic humilitas eſt quaſi quædam diſpoſitio ad liberum acceſſum hominis in ſpiritualia, & divina bona. 2. 2. *quæſt.* 161. *art.* 5. *ad* 4.

QUÆR. 27. *An fuerit conveniens, quod propter humilitatem demonſtrandam Chriſtus mortem crucis pati voluerit, juxta illud Apoſt. ad Philip.* 2. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem: & quomodo dignitas perſonæ contribuat ad humilitatis excellentiam*.

Reſp. Div. Thomas, non inconvenienter dicitur, quod propter humilitatem demonſtrandam Chriſtus mortem crucis voluit pati: & revera quidem humilitas in Deum non cadit; quia virtus humilitatis in hoc conſiſtit, ut aliquis intra ſuos terminos ſe contineat, ad ea quæ ſupra ſe ſunt non ſe extendens, ſed Superiori ſe ſubjiciat: unde patet quod Deo humilitas convenire non poteſt, qui ſuperiorem non habet, ſed ipſe ſuper omnia exiſtit: ſi autem aliquis vel æquali, vel inferiori ſe ex humilitate aliquando ſubjiciat, hoc eſt quia ſecundum aliquid eum qui ſimpliciter æqualis vel inferior eſt, ſuperiorem arbitratur.

Quamvis igitur Chriſto ſecundùm divinam naturam humilitatis virtus non competat, competit tamen ſibi ſecundum naturam humanam; & ejus humilitas ex ejus Divinitate laudabilior redditur; dignitas enim perſonæ adjicit ad laudem humilitatis, puta quando pro aliqua neceſſitate expedit aliquem magnum aliqua infima pati. Nulla autem tanta dignitas eſſe poteſt hominis, quam quod ſit Deus: Unde hominis Dei humilitas maxime laudabilis invenitur, dum abjecta ſuſtinuit quæ pro ſalute hominum ipſum pati expediebat. Erant enim homines propter ſuperbiam, mundanæ gloriæ amatores. Ut igitur hominum animos ab amore mundanæ gloriæ in amorem divinæ gloriæ tranſmutaret, voluit mortem ſuſtinere, non qualemcunque, ſed abjectiſſimam: ſunt enim quidam qui etſi mortem non timeant, abhorrent tamen mortem abjectam, ad quam etiam contemnendam

Digitized by Google

Dominus homines animavit ſuo exemplo. 4. *contra Gentes*, *cap.* 55.

QUÆR. 28. *An fuerit expediens, quod Chriſtus nos ad humilitatem provocaret, non ſolum per ſua verba, ſed etiam per exempla.*

Reſp. D. Thomas, licet homines ad humilitatem informari potuerint divinis ſermonibus inſtructi; tamen ad agendum magis provocant facta, quam verba; & tanto efficacius facta movent, quanto certior opinio habetur de eo, qui hujuſmodi operatur. Unde licet aliorum hominum multa humilitatis exempla invenirentur; tamen expedientiſſimum fuit, ut adhuc hominis Dei provocarentur exemplo, quem conſtat errare non potuiſſe; & cujus humilitas tanto eſt mirabilior, quanto majeſtas ſublimior. *Ibidem ad* 18.

QUÆR. 29. *Utrum ſola virtus humilitatis proprie in Scriptura Sacra prædicetur.*

Reſp. D. Thomas, quod Origenes exponens illud Luc. 1. *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*, dicit, *proprie in Scripturis una de virtutibus humilitas prædicatur*: ait quippe Salvator, *diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde*. 2. 2. *qu.* 161. *art.* 1. *in arg. ſed contra*.

QUÆR. 30. *Utrum humilitas ſit tota Chriſtiana diſciplina.*

Reſp. D. Thomas, Auguſtin. dicit in libro de Virginitate: *Humilitas pene tota diſciplina Chriſtiana eſt*. 2. 2. *quæſt.* 161. *artic.* 2. *in* 2. *arg.*

HYPOCRISIS.

QUÆR. 1. *Utrum hypocryſis ſit idem quod ſimulatio, ſicut D. Iſidorus dicit in lib. Etymol. quod hypocrita græco ſermone, in latino ſimulator interpretatur, qui cum intus malus ſit, ut bonum ſe palam oſtendit: hypo enim falſum, criſis judicium interpretatur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut Iſidorus dicit ibidem: *nomen hypocritæ tractum eſt a ſpecie eorum, qui in ſpectaculis contecta facie incedunt, diſtinguentes vultum vario colore, ut ad perſonæ, quam ſimulant, colorem perveniat, modo in ſpecie viri, modo in ſpecie feminæ, ut in ludis populum fallant*, unde Auguſt. dicit in lib. de ſerm. Domini in monte, quod *ſicut hypocritæ ſimulatores aliarum perſonarum agant partes illius, quod non ſunt (non enim qui agit partes Agamemnonis, vere ipſe eſt, ſed ſimulat eum) ſic in Eccleſiis, & in omni vita humana, qui ſe vult videri quod non eſt, hypocrita eſt, ſimulat enim ſe juſtum, non exhibet*. Sic igitur dicendum eſt, quod hypocriſis ſimulatio eſt: non autem omnis ſimulatio, ſed ſolum illa, qua quis ſimulat perſonam alterius; ſicut cum peccator ſimulat perſonam juſti. 2. 2. *qu.* 111. *art.* 2. *in corp.*

QUÆR. 2. *An & quomodo hypocriſis conſiſtat nedum in ſimulatione boni operis, ſed etiam bonæ intentionis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod opus exterius naturaliter ſignificat intentionem: quando ergo aliquis per bona opera, quæ facit ex ſuo genere ad Dei ſervitium pertinentia, non quærit Deo placere, ſed hominibus, ſimulat rectam intentionem, quam non habet: unde Greg. dicit 31. Moral. quod *hypocritæ per cauſas Dei deſerviunt intentioni ſæculi: quia per ipſa quoque quæ ſe agere ſancta oſtendunt, non converſionem quærunt hominum, ſed auras favorum*: Et ita ſimulant mendaciter intentionem rectam, quam non habent; quamvis non ſimulant aliquod rectum opus, quod non habent. 2. 2. *q.* 111. *art.* 2. *ad* 1.

QUÆR. 3. *An & quando licet aliquis peccet contra ſtatutum perfectionis quem profitetur, ut Religionis, vel Clericatus, non propterea ſit hypocrita, ſicut D. Gregor. ait* 31. *Moral. Sunt nonnulli qui & ſanctitatis habitum tenent, & perfectionis meritum exequi non valent; hoc nequaquam credendum eſt in hypocritarum numerum currere; quia aliud eſt infirmitate, aliud malitia peccare.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod habitus ſanctitatis (puta Religionis, vel Clericatus) ſignificat ſtatum quo quis obligatur ad opera perfectionis. Et ideo cum quis habitum ſanctitatis aſſumit, intendens ſe ad ſtatum perfectionis transferre, ſi per infirmitatem deficiat, non eſt ſimulator, vel hypocrita: quia non tenetur manifeſtare ſuum peccatum ſanctitatis habitum deponendo. Si autem ad hoc ſanctitatis habitum aſſumeret, ut ſe juſtum oſtenderet, eſſet hypocrita & ſimulator. 2. 2. *q.* 111. *art.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 4. *An ſine hypocriſi poſſit occultari peccatum, cum ſecundum D. Hieronym. ſecunda poſt naufragium tabula ſit peccatum abſcondere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aliud eſt peccatum occultum non propalare, quod diſcretionis eſt; & ſecunda tabula dicitur: & aliud virtutem oſtentare cum aliquis peccato ſubjacet, quod hypocriſis eſt. 4. *ſent. diſt.* 16. *q.* 4. *art.* 1. *ad* 1.

QUÆR. 5. *Quomodo abſque hypocriſi poſſit aliquis proximorum ſcandalum vitare, & famam propriam cuſtodire.*

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod peccatum occultare ſufficit ad vitandum ſcandalum: ſed peccatum ſub ſpecie virtutis palliare, hypocriſis eſt & malum ſemper; nec per hoc quis famam conſervat, ſed furatur. *Ibidem ad* 2.

QUÆR. 6. *Cur hypocriſis impediat affectum pœnitentiæ magis quam alia peccata etiam graviora.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod opera pœnitentiæ exteriora præcipue nata ſunt Sanctitatem oſtendere; & ideo eis utitur Hypocriſis intentionem pœnitentiæ rectæ excludens, & propter hoc directius impedit pœnitentiæ effectum, quam alia vitia, etiam graviora. 4. *ſent. diſt.* 16. *q.* 4. *a.* 1. *quæſtiunc.* 4. *in corp.*

QUÆR. 7. *Cur hypocriſis magis impediat pœnitentiæ fructum, quam vana gloria.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod inanis gloria ſurgit quandoque ex bonis operibus etiam recta intentione factis; ſed hypocriſis ſemper intentionem factorum pervertit, & ideo magis impedit pœnitentiæ fructum. *Ibidem ad* 2.

QUÆR. 8. *An & quomodo hypocriſis abutatur actibus omnium aliarum virtutum, & præſertim orationis, jejunii, & eleemoſynæ.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod non eſt inconveniens, quod aliquod ſpeciale peccatum, vel ſpecialis virtus, utatur actibus aliarum virtutum, vel vitiorum materialiter; ſicut magnanimitas utitur omnibus aliis actibus virtutum, ut in eis magna operetur, ut dicitur in 4. Ethicor. & ſimiliter cum hypocriſis ſit quædam ſpecies jactantiæ, quia non jactat quodlibet, ſed ſanctitatem, utitur omnibus actibus, quæ ſanctitatem oſtendere poſſunt; & præcipue illis, in quibus magis Sanctitas oſtenditur, ſicut eſt oratio, jejunium, & eleemoſyna. 4. *ſent. diſt.* 16. *q.* 4. *art.* 1. *q.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 9. *An & quomodo finis hypocritæ ſit acquiſitio lucri, vel gloriæ juxta Gloſſ. ſuper illud Job 27. Quæ eſt ſpes hypocritæ, ſi avare rapiat &c. Hypocrita, qui latine dicitur ſimulator; avarus raptor eſt; qui dum inique agens deſiderat de Sanctitate venerari, laudem vitæ rapit alienæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod lucrum, vel gloria eſt finis remotus ſimulatoris, ſicut & mendacis: unde ex hoc fine ſpeciem non ſortitur, ſed ex fine proximo, qui eſt oſtendere ſe alium quam ſit. Unde quandoque contingit, quod aliquis fingit de ſe magna, nullius alterius gratia, ſed ſola libidine ſimulandi, ſicut Philoſ. dicit in 4. Ethic. 2. 2. *q.* 111. *a.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 10. *An hypocriſis ſit peccatum eodem modo quo mendacium.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod hypocriſis habet eandem rationem peccati ſicut & mendacium: mendacium autem non ſemper eſt peccatum mortale; ſed quando eſt pernicioſum; & ſimiliter hypocriſis non ſemper eſt peccatum mortale, ſed quando eſt pernicioſa cadens in nocumentum alterius perſonæ; dum propter creditam ſanctitatem alium defraudat re quam habet, vel habere debet; aut in nocumentum fidei, & Eccleſiæ, dum propter ſanctitatem creditam de ipſo, ei contra fidem, & Eccleſiam creditur. 4. *ſent. d.* 16. *q.* 4. *a.* 1. *q.* 3. *in corp.*

QUÆR. 11. *Quomodo intelligi debeat D. Hieron. dicens: In comparatione duorum malorum, levius eſt aperte peccare, quam ſanctitatem ſimulare.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod verbum Hieronymi intelligendum eſt ſecundum quid, & non ſimpliciter; quia quantum ad unam circumſtantiam unum peccatum poteſt eſſe gravius illo, quod eſt gravius ſimpliciter. Vel dicendum, quod etiam aperte peccare non ſemper eſt mortale, ſed quandoque veniale. 4. *d.* 16. *q.* 4. *a.* 1. *q.* 3. *ad* 2.

QUÆR. 12. *In quo ſenſu verificetur illud Job 13. In conſpectum ejus non veniet omnis hypocrita.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod loquitur de hypocrita, qui totum bonum quod agit, ad oſtentationem ordinat. Vel dicendum quod loquitur quantum ad hoc, quod opera bona ex hypocriſi facta, ad conſpectum Dei non perducunt. *Ibid. ad* 4.

QUÆR. 13. *Utrum hypocriſis ſit ſemper mortale peccatum, ut dicatur Job 36. Simulatores, & callidi provocant iram Dei: & ſuper illud Job 1. Sicut autem Domino placuit, dicit Gloſſa, ſimulata æquitas non eſt æquitas, ſed duplex peccatum: & ſuper illud Thren. 4. Major effecta eſt iniquitas populi mei peccato Sodomorum: dicit Gloſſa: ſcelera animæ planguntur, quæ in hypocriſim labitur, cujus major eſt iniquitas peccato Sodomorum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in hypocriſi duo ſunt, ſcilicet defectus Sanctitatis, & ſimulatio ipſius: ſi ergo hypocrita dicatur ille, cujus intentio fertur ad utrumque, ut ſcilicet aliquis non curet Sanctitatem habere, ſed ſolum Sanctus apparere, ſicut conſuevit accipi in Sacra Scriptura, ſic manifeſtum eſt, quod eſt peccatum mortale; nullus enim totaliter privatur Sanctitate, niſi per peccatum mortale: ſi autem dicatur hypocrita, qui intendit ſimulare Sanctitatem,

a qua

Digitized by Google

a qua deficit per peccatum mortale, tunc quamvis ſit in peccato mortali, ex quo privatur Sanctitate; non tamen ſemper ipſa ſimulatio eſt ei peccatum mortale, ſed quandoque veniale.

Quod diſcernendum eſt ex fine, qui ſi repugnat Charitati Dei, vel proximi, erit peccatum mortale: puta cum ſimulat Sanctitatem, ut falſam doctrinam diſſeminet, vel ut adipiſcatur Eccleſiaſticam dignitatem indignus, vel quæcunque alia temporalia bona, in quibus finem conſtituit; ſi vero finis intentus non repugnet Charitati, erit peccatum veniale; puta cum aliquis in ipſa fictione delectatur; de quo dicitur 4. Ethic. quod *magis videtur vanus, quam malus*. Eadem enim eſt ratio de mendacio, & ſimulatione. Contingit tamen quandoque quod aliquis ſimulat perfectionem Sanctitatis, quæ non eſt de neceſſitate ſalutis, & talis ſimulatio nec ſemper eſt peccatum mortale, nec ſemper cum peccato mortali. Et per hoc patet reſponſio ad objecta. 2. 2. *q.* 111. *a.* 4.

JACTANTIA.

QUÆR. 1. *Quid ſit jactantia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod jactantia proprie importare videtur, quod homo verbis ſe extollat; illa enim, quæ vult homo longe jactare, in altum elevat: tunc autem proprie aliquis ſe extollit, quando de ſe ſupra ſe aliquid dicit: quod quidem contingit dupliciter.

Quandoque enim aliquis loquitur de ſe non quidem ſupra id, quod in ſe eſt, ſed ſupra id, quod de eo homines opinantur, quod Apoſtolus refugiens dicit ſecundæ ad Corinthios 12. *Parco ne quis exiſtimet me ſupra id, quod videt in me, aut audit aliquid ex me.* Alio modo aliquis per verba ſe extollit loquens de ſe ſupra id, quod in ſe eſt ſecundum rei veritatem: & quia magis eſt aliquid judicandum ſecundum quod in ſe eſt, quam ſecundum quod eſt in opinione aliorum, inde eſt, quod magis proprie dicitur jactantia quando aliquis effert ſe ſupra id, quod in ipſo eſt, quam quando effert ſe ſupra id, quod eſt in opinione aliorum: quamvis utroque modo jactantia dici poſſit. 2. 2. *q.* 112. *a.* 1. *in corp.*

QUÆR. 2. *An & quando jactantia ſit peccatum mortale, vel veniale tantum.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod peccatum mortale eſt, quod Charitati contrariatur: dupliciter ergo jactantia conſiderari poteſt.

Uno modo ſecundum ſe, prout eſt mendacium quoddam: & ſic quandoque eſt peccatum mortale, qandoque veniale; mortale quidem quando aliquis jactanter de ſe profert: quod eſt contra gloriam Dei, ſicut ex perſona Regis Tiri dicitur Ezech. 28. *Elevatum eſt cor tuum, & dixiſti, Deus ego ſum*; vel etiam contra Charitatem proximi, ſicut cum quis jactando ſeipſum, prorumpit in contumelias aliorum, ſicut habetur Lucæ 18. de Phariſæo, qui dicebat, *Non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, injuſti, adulteri, velut etiam hic Publicanus*: quandoque vero eſt peccatum veniale, quando ſcilicet aliquis de ſe talia jactat, quæ neque ſunt contra Deum, neque contra proximum.

Alio modo poteſt conſiderari ſecundum ſuam cauſam, ſcilicet ſuperbiam vel appetitum lucri, aut inanis gloriæ, & ſive ſi procedat ex ſuperbia, vel inani gloria, quæ ſit peccatum mortale, etiam jactantia erit peccatum mortale: alioquin erit peccatum veniale.

Sed quandoque aliquis prorumpit in jactantiam propter appetitum lucri, & de hoc videtur jam pertinere ad proximi deceptionem, & damnum: & ideo talis jactantia magis eſt peccatum mortale; unde & Philoſophus dicit in 4. Ethic. quod *turpior eſt, qui jactat cauſa lucri, quam qui ſe jactat cauſa gloriæ, vel honoris*: non tamen ſemper eſt peccatum mortale, quia poteſt eſſe tale lucrum, ex quo alius non damnificatur. 2. 2. *q.* 113. *art. in corp.*

QUÆR. 3. *Quandonam Jactantia importet mendacium perniciosum; vel reducatur ad mendacium jocoſum, aut officioſum.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod non ſemper jactantia importat mendacium perniciosum, ſed ſolum quando eſt contra charitatem Dei, aut proximi, aut ſecundum ſe aut ſecundum ſuam cauſam: quod autem aliquis jactet quaſi ex hoc ipſo delectatus, eſt quoddam vanum ut Philoſ. dicit: unde reducitur ad mendacium jocoſum, niſi forte hoc divinæ dilectioni præferret, ut propter hoc Dei præcepta contemneret: ſic enim eſſet contra charitatem Dei, in quo ſolo mens noſtra debet quieſcere, ſicut in ultimo fine. Videtur autem ad mendacium officioſum pertinere, cum aliquis ad hoc ſe jactat, ut gloriam vel lucrum acquirat, dummodo hoc ſit ſine damno aliorum: quia hoc jam pertineret ad mendacium perniciosum. 1. 2. *q.* 112. *a.* 2. *ad* 3.

QUÆR. 4. *An & quomodo jactantia opponatur veritati, & humilitati.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod jactantia ſecundum quod dicit quandam exteriorem

Digitized by Google

rem oſtenſionem per verba, vel geſtus ejus quod intus non habetur, eſt oppoſita veritati: ſed ſecundum quod jactantia dicit quandam excellentiam, qua animus hominis ſeipſum extollit interius de eo quod non habet, opponitur humilitati, & eſt ſpecies ſuperbiæ. 2. *ſent. d.* 42. *q.* 2. *a.* 2. *ad* 3.

QUÆR. 5. *Cur jactantia ponatur inter ſpecies ſuperbiæ, & filias vanæ gloriæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod jactantiæ peccatum conſiderari poteſt: uno modo ſecundum ſpeciem actus: & ſic opponitur veritati, ut dictum eſt: alio modo ſecundum cauſam ſuam, ex qua etſi non ſemper, tamen frequentius accidit, & ſic procedit quidem ex ſuperbia, ſicut ex cauſa interius motiva & impellente: ex hoc enim quod aliquis interius per arrogantiam ſupra ſeipſum elevatur, ſequitur plerumque quod exterius majora quædam de ſe jactet; licet quandoque non ex arrogantia, ſed ex quadam vanitate aliquis ad jactantiam procedat, & in hoc delectetur, quia talis eſt ſecundum habitum; Et ideo arrogantia per quam aliquis ſupra ſeipſum extollitur, eſt ſpecies ſuperbiæ: non tamen eſt idem jactantiæ, ſed ut frequentius, ejus cauſa: & propter hoc Gregor. jactantiam ponit inter ſuperbiæ ſpecies. Tendit autem jactator plerumque ad hoc quod gloriam conſequatur per ſuam jactantiam: & ideo ſecundum Gregor. ex inani gloria oritur, ſecundum rationem finis. 2. 2. *q.* 112. *a.* 1. *ad* 2.

QUÆR. 6. *Quomodo etiam divitiæ ſint cauſa jactantiæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod opulentia etiam jactantiam cauſat dupliciter: uno modo occaſionaliter, inquantum de divitiis aliquis ſuperbit: unde & ſignanter Proverb. 8. Opes dicuntur ſuperbæ; alio modo per modum finis: quia ut dicitur in 4. Ethic. aliqui ſeipſos jactant non ſolum propter gloriam, ſed etiam propter lucrum, qui de ſeipſis fingunt ea ex quibus lucrari poſſunt: puta, quod ſint medici, vel ſapientes, vel divini. *Ib. ad* 3.

QUÆR. 7. *Quale peccatum ſit jactantia ex hoc quod ſicut dicitur Prov.* 28. *Qui ſe jactat, & dilatat, jurgia concitat.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ille qui jactat ſe ad hoc quod jurgia concitet, peccat mortaliter. Sed quandoque contingit quod jactantia eſt cauſa jurgiorum non per ſe, ſed per accidens: unde ex hoc jactantia non eſt peccatum mortale. 2. 2. *q.* 111. *art.* 2. *ad* 1.

QUÆR. 8. *An vitare jactantiam ſit valde perfectorum.*

Reſp. D. Thomas, dicit Gregorius, quod *valde eſt perfectorum, ſic ex oſtenſo opere authoris gloriam quærere, ut de illata laude, privata neſciant exultatione gaudere. Ibidem in argumento: Sed contra.*

IDOLOLATRIA.

QUÆR. 1. *Utrum idololatria, quæ idem eſt ac latria Idolis exhibita, ſit ſuperſtitionis ſpecies.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ad ſuperſtitionem pertinet excedere debitum modum divini cultus: quod quidem præcipue fit quando divinus cultus exhibetur cui non debet exhiberi: debet autem exhiberi ſoli ſummo Deo increato; & ideo cuicunque creaturæ divinus cultus exhibeatur, ſuperſtitioſum eſt. Sicut autem per ſenſibilia ſigna ſenſibilibus creaturis exhibebatur cultus divinus; puta per ſacrificia, ludos, & alia hujuſmodi: ita etiam exhibebatur creaturæ repreſentatæ per aliquam ſenſibilem formam, ſeu figuram, quæ idolum dicitur. 2. 2. *q.* 49. *a.* 1. 3. *contra Gentes, c.* 120.

QUÆR. 2. *Utrum idololatria ſit graviſſimum omnium peccatorum, ſecundum quod Levitici* 15. *Occaſione immunditiæ mulieris patientis fluxum ſanguinis, dicit Gloſſa; Omne peccatum eſt immunditia animæ, ſed idololatria maxime.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod gravitas alicujus peccati poteſt attendi dupliciter: uno modo ex parte ipſius peccati; & ſic peccatum idololatriæ graviſſimum eſt: ſicut enim in terrena Republica graviſſimum eſſe videtur, quod aliquis honorem regium alteri impendat quam vero Regi, quia quantum in ſe eſt, totum Reipublicæ perturbat ordinem; ita in peccatis, quæ contra Deum committuntur (quæ tamen ſunt maxima) graviſſimum eſſe videtur, quod aliquis honorem Divinum creaturæ impendat; quia quantum eſt in ſe facit alium Deum in Mundo, minuens principatum Divinum.

Alio modo poteſt attendi gravitas peccati ex parte ipſius peccantis, ſicut dicitur gravius eſſe peccatum ejus, qui peccat ſcienter, quam ejus qui peccat ignoranter; & ſecundum hoc nihil prohibet gravius peccare hæreticos, qui ſcienter corrumpunt fidem quam acceperunt, quam idololatras ignoranter peccantes: ſimiliter etiam aliqua alia peccata poſſunt eſſe majora propter majorem contemptum peccantis. 2. 2. *q.* 49. *a.* 3. *in corp. q.* 2. *de malo, a.* 10. *in corp.*

QUÆR. 3. *Cur Apoſtolus* 1. *ad Cor.* 13. *loquens de peccatis, a quibus liberati erant, ſpecialiter mentionem facit idololatriæ.*

Reſp.

Reſp. Div. Thomas, ſpecialiter facit mentionem de peccato idololatriæ propter tria. Primo quidem, quia hoc eſt peccatum graviſſimum introducere alium Deum, ſicut graviſſime peccaret contra Regem, qui alium Regem in regnum introduceret: Unde dicitur Job 31. *Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clare, & oſculatus ſum manum meam,* (ſcilicet quaſi cultor Solis, & Lunæ) *quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum*. Secundo quia a peccato idololatriæ omnia alia peccata oriebantur, ſecundum illud Sapient. 14. *Nefandorum idolorum cultura omnis mali cauſa eſt*. Tertio, quia hoc peccatum apud Gentiles commune erat, & non reputabatur: unde in Pſalm. 95. dicitur, *omnes dii gentium dæmonia*. 1. *ad Corinth.* 12. *lect.* 1.

QUÆR. 4. *An pœna idololatriæ debita ſit permiſſio peccatorum contra naturam, ſicut dicitur ad Rom.* 1.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quia de ratione pœnæ eſt quod ſit contra voluntatem, peccatum per quod illud punitur, oportet eſſe magis manifeſtum, ut ex hoc homo ſibi ipſi & aliis deteſtabilis reddatur: non autem oportet quod ſit gravius; & ſecundum hoc, peccatum quod eſt contra naturam, minus eſt peccatum quam idololatriæ; ſed quia eſt manifeſtius, ponitur quaſi conveniens pœna peccati idololatriæ; ut ſcilicet ſicut homo per idololatriam pervertit ordinem Divini honoris, ita per peccatum contra naturam, propriæ naturæ confuſibilem perverſitatem patiatur. 2. 2. *q.* 94. *a.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 5. *An & quomodo idololatria, & Sodomia, aliaque peccata contra naturam ſimul cœperunt, & creverunt in Mundo*.

Reſp. *v. Peccatum contra naturam*, & *v. Sodomia*.

QUÆR. 6. *An & quomodo cauſa Idololatriæ diſpoſitiva ſit ex parte hominum, conſummativa vero ex parte Dæmonum*.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod idololatriæ eſt duplex cauſa: una quidem diſpoſitiva, & hæc fuit ex parte hominum; & hoc tripliciter: primo quidem ex inordinatione affectus, prout ſcilicet homines aliquem hominem, vel nimis amantes, vel nimis venerantes honorem Divinum ei impenderunt; & hæc cauſa aſſignatur Sapientiæ 14. *Acerbo luctu dolens pater cito ſibi rapti filii fecit imaginem, & illum, qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, tunc tanquam Deum colere cœpit*: & ibidem etiam ſubditur, quod homines *aut affectui, aut Regibus deſervientes, incommunicabile nomen* (ſcilicet Divinitatis) *lignis, & lapidibus impoſuerunt*: ſecundo propter hoc quod homo naturaliter de repræſentatione delectatur, ut Philoſophus dicit in poetica ſua: & ideo homines rudes a principio videntes per diligentiam artificum imagines hominum expreſſive factas, Divinitatis cultum eis impenderunt; unde dicitur Sapientiæ 13. *Si quis artifex faber de ſylva lignum rectum ſecuerit, & per ſcientiam ſuæ artis figuret illud, & aſſimilet imagini hominis, de ſubſtantia ſua, & filiis, & nuptiis, votum faciens inquirit*: tertio propter ignorantiam veri Dei, cujus excellentiam homines non conſiderantes quibuſdam creaturis propter pulcritudinem, ſeu virtutem Divinitatis cultum exhibuerunt; unde dicitur Sap. 13. *Neque operibus attendentes agnoverunt quis artifex eſſet; ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aerem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, aut Lunam, rectores orbis terrarum Deos putaverunt*. Alia autem cauſa idololatriæ fuit conſummativa ex parte Dæmonum, qui ſe colendos hominibus errantibus exhibuerunt, in idolis dando reſponſa, & aliqua, quæ videbantur hominibus mirabilia, faciendo: unde & in Pſalm. 95. dicitur: *Omnes dii gentium Dæmonia*. 2. 2. *q.* 94. *a.* 4. *in corp.* 3. *contra Gentes c.* 120.

QUÆR. 7. *In quo ſenſu, ſicut dicitur Sapient.* 14. *infandorum Idolorum cultura omnis mali cauſa eſt, & initium, & finis*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod dicitur idololatria eſſe cauſa, initium, & finis omnis peccati; quia non eſt aliquod genus peccati, ad quod interdum idololatria non perducat; vel expreſſe inducendo per modum cauſæ, vel occaſionem præbendo per modum initii; vel per modum finis, inquantum peccata aliqua aſſumebantur in cultum idolorum, ſicut occiſiones hominum, & mutilationes membrorum, & alia hujuſmodi. 2. 2. *ad* 1. 2. *ſent. diſt.* 42. *q.* 2. *a.* 3. *ad* 7.

In Decreto Sacræ Congregationis pro Miſſionariis Chinæ approbato a S. Pontifice Innocentio X. (*ut notavimus ſupra v. Fides ſub finem*) *inter alia dubia habentur ſequentia cum ſuis reſolutionibus*.

Sexto. In populis ac Civitatibus illius Regni mos eſt imponendi quaſdam diſtributiones, quæ a populis vicinis exiguntur, ut in Paſcha novi anni, in ſacrificiis, & Dæmoniorum ſuorum Idololatriis, invitationibus, conviviis in eorum templis præparatis, ſimulque in feſtivitatibus, aliiſque indifferentibus, pro populi lætitiæ demonſtrationibus, expenduntur. Quæritur: Utrum Chriſtianis, ac miniſtris eorum, a quibus etiam tanquam a populis vicinis poſtulant, licitum ſit (pro nunc ſaltem) pro hujuſmodi rebus contribuere: ne ſi Chri-

Digitized by Google

ſi Chriſtiani ad hoc non contribuerint, tumultus aliquis contra Chriſtianos inter gentiles fiat.

Cenſuerunt, Poſſe Chriſtianos Chinenſes pecunias contribuere; dummodo per hujuſmodi contributiones non intendant ad actus idololatricos, & ſuperſtitioſos concurrere, ſuppoſita cauſa quæ narratur in dubio; præſertim præmiſſa, ſi commode fieri poteſt, proteſtatione, quod impoſita tributa præſtant in ordine tantum ad populi lætitiam, & ad actus indifferentes, vel ſaltem cultui religionis Chriſtianæ non repugnantes.

Septimo. In omnibus illius civitatibus, & villis templa cuidam idolo, Chimhoam dicto, erecta, ac dicata, reperiuntur, quod Chinenſes fingunt eſſe protectorem, regentem, & cuſtodem civitatis. Stabilitaque regni lege ordinatur, ut omnes gubernatores civitatum, & villarum (quos Mandarinos vocant) quando regiminis poſſeſſionem aſſumunt, & anni decurſu bis in menſe ſub pœna privationis a beneficio, templa adeant prædicta, ibique ante dicti idoli altare proſtrati, genibus flexis, capiteque ad terram uſque inclinato idolum illud adorent, ac venerentur; eidem candelas, ornamenta, flores, carnem, vinumque in ſacrificium offerant; & cum ſui regiminis poſſeſſiones accipiunt, ante prædictum idolum jurent de recte adminiſtrando; & ſi contra fecerint, ſe ſubmittunt ſupplicio ab idolo infligendo; ſimulque ab eo petunt modum, & normam bene gubernandi & alia hujuſmodi. Quæritur utrum, attenta iſtius gentis fragilitate tolerari poſſit (pro nunc) quod tales gubernatores Chriſtiani deferant quandam crucem, quam occulte inter altaris idoli flores, vel in manibus reponant propriis, & facere intentione non ad idolum, ſed ad Crucem directa, omnes illas genuflexiones, reverentias, & adorationes ante altare illud exterius, & tantum ficte, omnem cultum interius, & in corde ad crucem dirigendo: quia ſi hujuſmodi gubernatores cogantur ad hoc non faciendum, potius apoſtatabunt a fide, quam relinquant officium regiminis.

Cenſuerunt, Nullatenus licere Chriſtianis hujuſmodi actus publicos cultus, aut reverentiæ tribuere idolo, prætextu, vel intentione crucis, quam vel manu geſtant, vel in altari inter flores abſcondunt.

Octavo. In prædicto regno habent Chinenſes quendam Magiſtrum in Philoſophia Morali litteratum, qui olim deceſſit a vita, vocatum, kum-fu-cu, qui ob doctrinam regularum, & documentorum adeo in toto regno acceptus eſt, ut tam Reges, quam omnes alii cujuſcunque conditionis, & gradus ſint, ſibi proponant imitandum, & ſequendum ſaltem quoad ſpeculativam, & tanquam ſanctum venerantur, & laudant; in omnique civitate, & villa prædicto Magiſtro templa ſunt erecta. Gubernatores vero bis in anno tenentur in ejus templo ſolemne ſacrificium offerre, ſacerdotis ipſimet gerentes officium; & ſine ſolemnitate anni decurſu bis in menſe; concurruntque cum illo aliqui ex litteratis pro adminiſtratione eorum, quæ in tali ſacrificio offerunt, quæ quidem ſunt ſus unus integer mortuus, capra una integra, candelæ, vinum, flores, odoreſve. Item litterati omnes, quando accipiunt gradum, debent ingredi templum iſtius Magiſtri, & facere genuflexiones, & offerre ante ejus Altare ex candelis, & odoribus. Totus iſte cultus, Sacrificium, & reverentia ſecundum omnium illarum gentium formalem intentionem, dirigitur in gratiarum actionem pro bonæ ipſis relictæ doctrinæ documentis; atque ut ab eo impetrent ex ipſius meritis optimi ingenii felicitatem, ſapientiæ, & intellectus. Quæritur utrum Chriſtiani, qui gubernatores ſunt, vel fuerunt, a litteratis vocati, & coacti poſſint præfatum templum ingredi, facere tale ſacrificium, vel aſſiſtere ejuſmodi ſacrificio, vel facere genuflexiones ante altare illud, vel accipere aliquid de idololothytis, & oblationibus illis; maxime quia putant illi infideles quod quicunque manducaverit ex talibus idololothytis, habebit progreſſum magnum in ſuis litteris, & gradibus: & ſi portantes crucem in manibus poſſint licite hoc facere, eo modo quo ſuperiori dubitatione dictum eſt, quia ſi hoc illis prohiberetur, erit tumultus in populo, miniſtri Evangelii in exilium mittentur, & converſio animarum impedietur, & extinguetur.

Cenſuerunt, Non licere, nec poſſe aliquo prætextu contento in dubio Chriſtianis permitti.

Nono. Inviolabilis obſervantiæ mos eſt apud Chinenſes tanquam doctrina a ſupradicto Magiſtro kum-fu-cu tradita, quod in omnibus Chinæ populis templa conſtructa habeant avis & progenitoribus ſuis defunctis dicata, & in unoquoque eorum, omnes qui ejuſmodi familiæ ſunt, bis in anno congregentur, ut præfatis ſuis progenitoribus ſolemnia ſacrificia faciant, magno ceremoniarum apparatu, & in altari multis candelis, floribus, & odoribus adornato, imaginem ſive effigiem parentis, vel avi defuncti collocant: in quo ſacrificio invenitur, & qui facit Sacerdotis Officium, & miniſtri illius, offe-

Digitized by Google

offeruntque carnes, vinum, candelas, odoramenta, capita caprarum, &c. Hoc autem ſacrificium ex communi gentium illarum intentione dirigitur, ut præfatis eorum progenitoribus gratias reddant, honorem, & reverentiam exhibeant, ob beneficia ab iis accepta, & illa, quæ ab eis accipere ſperant: unde ante altare proſtrati, deprecationes multas faciunt, poſtulantes ſanitatem, longam vitam, abundantiam fructuum, filiorum multiplicationem, proſperitatem magnam, & ut ab omnibus adverſitatibus liberentur: quod quidem ſacrificium in domibus ſuis, & in ſepulchris mortuorum etiam fit, minore tamen cum ſolemnitate. Quæritur utrum Chriſtiani ficte, & exterius tantum, ut ſupra dictum eſt, poſſint aſſiſtere hujuſmodi ſacrificio, vel exercere aliquod miniſterium in illo cum infidelibus commixti, ſive in Templo, ſive in domo, vel ſepulchro, publice, vel privatim: vel quonam modo hoc poterit permitti Chriſtianis illis, ne ſi omnino prohibeantur hoc facere, fidem perdant, vel, ut melius dicam, avertant ſe ab actibus exterioribus Chriſtianorum.

Cenſuerunt, Chriſtianis Chinenſibus nullatenus licere, ficte, vel exterius aſſiſtere ſacrificiis, in honorem progenitorum, neque eorum deprecationibus, aut quibuſcunque ritibus ſuperſtitioſis gentilium erga ipſos: multo minus licere circa præfata miniſterium aliquod exercere.

Decimo. Chinenſes Chriſtiani aſſeverant quod in oblationibus ſupradictis ſolummodo intendunt progenitoribus ſuis defunctis illam exhibere reverentiam, & illa offerre ac ſi iiſdem viventibus exhiberentur; & in memoriam tantum, ac reverentiam progenituræ, & generationis, ac ſi illi exiſterent, eadem illi præſentarent, ut illis oblatis veſcerentur, vel ſuſtentarentur, offerunt abſque alia intentione, vel rogativarum ſpe, cum ſciant illos mortuos eſſe, eorumque animas in inferno ſepultas. Quæritur, utrum ſi hæc inter Chriſtianos tantummodo fierent, abſque alio gentilium conſortio, in Templo, domibus, vel ſepulchris, ponendo, & collocando aliquam crucem in altari præfatorum defunctorum, dirigendo ad illam ſuam intentionem; ita tamen quod progenitorum imagini nihil tribuant niſi honorem, & reverentiam filialem, quam (ſi vivi extitiſſent) illis comeſtibilibus, & odoriferis rebus exhiberent, ut ſic populo ſatisfaciant: unde hoc eſt quod quæritur: utrum pro tunc ut inconvenientia vitentur, tolerari poſſit.

Cenſuerunt, conſequenter ad ea, quæ ſuperius dicta fuerunt, præmiſſa non poſſe ſalvari; ſive per appoſitionem crucis, ſive propter abſentiam gentilium; ſive per intentionem actus de ſe illicitos, & ſuperſtitioſos ad cultum veri Dei dirigentem.

Decimo tertio. Quæritur utrum Catechumenis paratis jam ad Baptiſmum ſuſcipiendum debeant miniſtri declarare, & aperte, & in ſingulari dicere, eſſe illicita ſacrificia, & omnia ſupradicta; quamvis ex hoc ſequantur inconvenientia, ſcilicet deſiſtere a ſusceptione Baptiſmatis, perſecutiones, mors, vel exilium miniſtrorum Evangelicorum.

Cenſuerunt, Miniſtros Evangelicos teneri docere ſacrificia omnia, præterquam ſoli Deo, eſſe illicita; cultum Dæmonum, & Idolorum eſſe relinquendum, & quæcunque hujuſmodi cultum concernunt eſſe falſa, & chriſtianæ fidei repugnantia: ad ſingularia vero deſcendendum, prout in catechumenis ingenii promptitudo, aut ruditas exigit, aliiſque circumſtantiis, conſuetudinibus, ac periculis perſpectis.

JEJUNIUM.

QUÆR. 1. An jejunium ſit actus virtutis, & quos effectus habeat.

RESP. D. Thomas, dicendum, quod ex hoc aliquis actus eſt virtuoſus, quod per rationem ordinatur ad aliquod bonum honeſtum; hoc autem convenit jejunio: aſſumitur enim jejunium principaliter ad tria. Primo quidem ad concupiſcentias carnis reprimendas: unde Apoſtol. dicit 2. ad Corinth. 6. *In jejuniis, in caſtitate*; quia per jejunia caſtitas conſervatur: ut enim Hieron. dicit, *ſine Cerere, & Baccho friget Venus*, ideſt, per abſtinentiam cibi, & potus repeſcit luxuria. Secundo, aſſumitur ad hoc quod mens liberius elevetur ad ſublimia contemplanda: unde dicitur Daniel. 10. quod poſt jejunium trium hebdomadarum, revelationem accepit a Deo. Tertio ad ſatisfaciendum pro peccatis: unde dicitur Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & fletu, & planctu*: Et hoc eſt quod Auguſtin. dicit in quodam ſermone de Oratione, & Jejunio: *Jejunium purgat mentem, ſublevat ſenſum, carnem ſpiritui ſubjicit, cor facit contritum & humiliatum, concupiſcentiæ nebulas diſpergit, libidinum ardores extinguit, caſtitatis verum lumen accendit*; unde patet, quod jejunium eſt actus virtutis. 2. 2. *q.* 147. *a.* 1. *in corp.*

QUÆR. 2. Quomodo Chriſtus Dominus, exemplo ſuo, jejunium nobis commendavit.

Reſp. D. Thomas dicendum, quod Chryſoſt. dicit

Digitized by Google

dicit ſuper Matthæum: *Ut diſcas quam magnum bonum eſt jejunium, & quale ſcutum eſt adverſus Diabolum; & quoniam poſt Baptiſmum non laſciviæ, ſed jejunio intendere oportet, & ipſe jejunavit; non eo indigens, ſed nos inſtruens*. 3. p. q. 40. a. 2. ad 2.

QUÆR. 3. Quomodo intelligi debeat illud Chriſti ad Apoſtolos Marci 9. Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione, & jejunio.

Reſp. D. Thomas, Beda ait: *Dum docet Dominus Apoſtolos, quomodo Dæmon nequiſſimus debeat expelli, omnes inſtituit ad vitam; ut ſcilicet noverimus graviora quæque, vel immundorum ſpirituum, vel hominum tentamenta, jejuniis, & orationibus eſſe ſuperanda; iram quoque Domini cum in ultionem ſcelerum noſtrorum fuerit accenſa, hoc remedio ſingulari poſſe placari. Jejunium autem generale eſt non ſolum ab eſcis, ſed & a cunctis illecebris abſtinere carnalibus; imo ab omnibus ſe vitiorum paſſionibus continere: Sic & oratio generalis non ſolum in verbis eſt, quibus divinam Clementiam invocamus, verum etiam in omnibus, quæ in obſequium noſtri conditoris fidei devotione gerimus; teſte Apoſtol. qui ait: Sine intermiſſione orate.*

Hieronym. autem dicit: *Stultitia, quæ ad luxuriam carnis pertinet, jejunio ſanatur; ita & ignavia oratione depellitur. Medicina cujuſque vulneris adhibenda eſt ei: non ſanat oculum, quod calcaneo adhibetur: jejunio paſſiones corporis, & oratione peſtes ſanandæ ſunt mentis. In Catena Aurea in expoſitione illius loci.*

QUÆR. 4. An jejunium bene diffiniatur a D. Iſidoro, parſimonia victus, abſtinentiaque ciborum.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod jejunium dupliciter dicitur; ſcilicet jejunium naturæ, & jejunium Eccleſiæ; a primo jejunio dicitur aliquis quolibet die jejunus antequam cibum ſumat: a ſecundo autem dicitur jejunans, quaſi ordinatam ab Eccleſia propter peccatorum ſatisfactionem abſtinentiam ſervans. In ſatisfactionem autem peccatorum non ſolum oportet, quod ab illis homo abſtineat, quæ lex virtutis prohibet, ſed etiam ab illis, quibus, ſalva virtute, uti poſſemus; quia *qui illicita commiſit, oportet etiam a licitis abſtinere*, ut Auguſtinus dicit. Unde jejunium ab Eccleſia inſtitutum præſupponit abſtinentiam illam, quæ ad virtutem exigitur, & addit abſtinentiam quandam ab illis, quæ medium virtutis non corrumpunt. Et ideo Iſidorus hæc duo in prædicta definitione jejunii comprehendit, ſcilicet abſtinentiam ab illis, quæ virtutem corrumpunt in hoc quod dicit, *parſimonia victus*; & ab illis, quibus ſalva virtute alias uti liceret in hoc quod dicit, *abſtinentiaque ciborum*, 4. *ſent. diſt.* 15. *quæſt.* 3. *artic.* 1. *quæſt.* 1. *in corp.*

QUÆR. 5. An & quomodo jejunium cadat ſub præcepto legis naturæ, & Eccleſiæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut ad ſæculares Principes pertinet præcepta legalia juris naturalis determinativa tradere de his, quæ pertinent ad utilitatem communem in temporalibus rebus; ita etiam ad Prælatos Eccleſiaſticos pertinet ea ſtatutis præcipere, quæ ad utilitatem communem fidelium pertinent in ſpiritualibus bonis.

Jejunium autem utile eſt ad deletionem, & cohibitionem culpæ, & ad elevationem mentis in ſpiritualia: unuſquiſque autem ex naturali ratione tenetur tantum jejuniis uti, quantum ſibi neceſſarium eſt ad prædicta: & ideo jejunium in communi cadit ſub præcepto legis naturæ; ſed determinatio temporis, & modi jejunandi ſecundum convenientiam, & utilitatem populi Chriſtiani cadit ſub præcepto juris poſitivi, quod eſt a Prælatis Eccleſiæ inſtitutum; & hoc eſt jejunium Eccleſiæ: aliud vero jejunium naturæ. 2. 2. *q.* 147. *a.* 3. *in corp.* 4. *ſent. diſt.* 15. *q.* 3. *a.* 1. *q.* 4. *in corp.*

QUÆR. 6. Cur jejunium quandoque diſpliceat Deo, juxta illud Iſaiæ 58. Quare jejunavimus, & non aſpexiſti.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod contingit, quod aliquis actus qui ex genere ſuo eſt virtuoſus, ex aliquibus circunſtantiis adjunctis redditur vitioſus; unde ibidem dicitur: *Ecce in jejuniis veſtris invenitur voluntas veſtra*, & paulo poſt ſubditur: *Ad lites, & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impie*; quod exponens Gregorius in Paſtorali, dicit: *Voluntas ad lætitiam pertinet, pugnus ad iram: incaſſum ergo per abſtinentiam caro atteritur, ſi inordinatis motibus dimiſſa mens, vitiis diſſipatur*; & Auguſt. in ſerm. de Oratione, & jejunio dicit, quod *jejunium verboſitatem non amat, divitias, ſuperfluitatem judicat, ſuperbiam ſpernit, humilitatem commendat, præſtat homini ſeipſum intelligere quod eſt infirmum, & fragile*. 2. 2. *qu.* 147. *art.* 1. *ad* 1.

QUÆR. 7. An jejunia ab Eccleſia inſtituta, ſint contra libertatem populi Chriſtiani, vel potius contra ſervitutem peccati.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod jejunia, quæ ſunt in præcepto, ſint in Conciliis Epiſcoporum ſtatuta, & conſuetudine univerſalis Eccleſiæ roborata.

Nec ſunt contra libertatem populi fidelis, ſed magis ſunt utilia ad impediendum ſervitutem peccati, quæ repugnat libertati ſpirituali, de

Digitized by Google

qua dicitur ad Galatas 5. *Vos enim fratres in libertatem vocati eſtis ; tantum ne libertatem detis in occaſionem carnis* . 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 8. *Utrum omnes ad jejunia Eccleſiæ teneantur :*

Reſp. D. Thomas , dicendum, quod ſtatuta communia proponuntur, ſecundum quod multitudini conveniunt : & ideo legislator in eis ſtatuendis oſtendit id, quod communiter, & in pluribus accidit: ſi quid autem ex ſpeciali cauſa in aliquo inveniatur, quod obſervantiæ ſtatuti repugnet, non intendit talem legislator ad ſtatuti obſervantiam obligare . In quo tamen eſt diſcretio adhibenda ; nam ſi cauſa ſit evidens, per ſe ipſum licite poteſt homo ſtatuti obſervantiam prætermittere; præſertim conſuetudine interveniente , vel ſi non poſſet de facili recurſus ad Superiorem haberi: ſi vero cauſa ſit dubia , debet aliquis ad Superiorem recurrere, qui habet poteſtatem in talibus diſpenſandi : & hoc eſt obſervandum in jejuniis ab Eccleſia inſtitutis , ad quæ omnes communiter obligantur , niſi in eis fuerit aliquod ſpeciale impedimentum. 2.2. *q.* 148. *a.* 4. *in corp.*

QUÆR. 9. *An pueri teneantur ad jejunia & an ſit conveniens , ut in eis ſe exerceant.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in pueris maxime eſt evidens cauſa non jejunandi, tum propter debilitatem naturæ, ex quo provenit , quod indigent frequenti cibo, & non multo ſimul ſumpto; tum etiam quia indigent multo nutrimento propter neceſſitatem augmenti, quod fit de reſiduo alimenti; & ideo quamdiu ſunt in ſtatu augmenti , quod eſt, ut in pluribus, uſque ad finem tertii ſeptennii , non tenentur ad Eccleſiaſtica jejunia obſervanda.

Conveniens tamen eſt , ut etiam in hoc tempore, ſe ad jejunandum exerceant plus , vel minus ſecundum modum ſuæ ætatis . Quandoque tamen magna tribulatione imminente in ſignum pœnitentiæ arctioris, etiam pueris jejunia indicuntur, ſicut etiam de jumentis dicitur Jonæ 3. *Homines , & jumenta non guſtent quidquam , nec aquam bibant*. 2.2. *q.* 147. *a.* 4. *ad* 2. 4. *ſent. d.* 15. *q.* 3. *a.* 2. *q.* 3. *in corp.*

QUÆR. 10. *Cur pueri non arctantur ad omnia Eccleſiæ jejunia, niſi in finem tertii ſeptennarii, ideſt, poſt vigeſimum primum annum expletum, & utrum ſint eis commenſuranda jejunia ſecundum quod ad illum terminum appropinquant*.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod pueri indigent multo cibo, eo quod cibus in eis non ſolum exigitur ad actum nutritivæ, ſed etiam ad actum augmentativæ virtutis; quia de reſiduo nutrimenti fit augmentum ; & quia virtus naturæ in eis nondum convaluit, non poſſunt ſimul multum de cibo aſſumere, quia naturalis virtus illud convertere non poſſet, & indigent frequenti cibi ſumptione: & propter hoc eis non competit jejunium , dum ſunt in augmento: Tempus autem augmenti ſecundum Philoſophum , eſt uſque ad finem tertii ſeptennii , ut in pluribus; quia res naturales non currunt ſemper eodem modo , ſed ut frequenter; & ideo ante hoc tempus non arctantur pueri ad omnia jejunia Eccleſiæ ſervanda. Sed quia quanto ad terminum prædictum appropinquant , tanto virtus naturæ magis roboratur , & augmentum tardius procedit (cum in primis quinque annis perveniat puer ad medietatem totius augmenti, ut Philoſophus dicit) ideo ſecundum quod magis appropinquant ad prædictum terminum, ſunt eis jejunia magis commenſuranda . 4. *ſent. diſt.* 15. *q.* 3. *a.* 2. *q.* 3.

QUÆR. 11. *An peregrini, & operarii teneantur ad jejunia*.

Reſp. D. Thomas , dicendum, quod circa peregrinos, & operarios diſtinguendum videtur; quia ſi peregrinatio, & operis labor commode differri poſſit , aut diminui abſque detrimento corporalis ſalutis , & exterioris ſtatus, qui requiritur ad conſervationem corporalis, vel ſpiritualis vitæ, non ſunt propter hoc Eccleſiæ jejunia prætermittenda : ſi autem immineat neceſſitas ſtatim peregrinandi, & magnas dietas faciendi ; vel etiam multum laborandi , vel propter conſervationem vitæ corporalis, vel propter aliquid neceſſarium ad vitam ſpiritualem ; & ſimul cum hoc non poſſint Eccleſiæ jejunia obſervari, non obligatur homo ad jejunandum ; quia non videtur fuiſſe intentio Eccleſiæ ſtatuentis jejunia, ut per hoc impediret alias pias, & magis neceſſarias cauſas.

Videtur tamen in talibus recurrendum ad Superioris diſpenſationem, niſi forte ubi eſt ita conſuetum: quia ex hoc quod Prælati diſſimulant, videntur annuere . 2. 2. *qu.* 147. *a.* 4. *ad* 4.

QUÆR. 12. *An & quando peregrinatio , quæ non eſt niſi de conſilio, præferri poſſit jejunio, quod eſt de præcepto ; & utrum illi ſoli ſint diſpenſandi , qui ſimul cum jejunio itinerari non poſſunt*.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſi ſit talis peregrinatio, quæ poſſit ſine incommodo differri , debet peregrinationem differre , ſi ſimul cum ea jejunare non poteſt ; ſi autem peregrinatio commode differri non poteſt

Digitized by Google

teſt (vel quia tempus jejunii hominem in via præoccupat ; vel quia dies feſtus alicui imminet, ad quem ex devotione homo pergere cupit, vel quia mora in pœnitentia periculum habet vel ſpirituale, vel corporale) poteſt cum diſpenſatione ſui Superioris omnia prædicta penſantis peregrinarii, & jejunium ſolvere. Hoc tamen intelligitur de his, qui labore itineris adeo affliguntur, quod ſimul cum jejunio itinerari non poſſunt. Nec obſtat quod præceptum debet præponi conſilio; quia intentio præceptum hujuſmodi dantis non eſt alias pias, & magis neceſſarias cauſas excludere: ſecus autem eſt de præceptis legis naturæ, quæ hoc prohibent, quod ſecundum ſe, ſemper malum eſt. 4. *ſent. diſt.* 15. *qu.* 3. *art.* 2. *qu.* 4. *ad* 1.

QUÆR. 13. *Utrum operarii, ſive pauperes, ſive aliunde divites excuſentur a jejunio, vel poſſint illud ſolvere ex diſpenſatione ſui Sacerdotis: & utrum peccent illi, qui nolunt eos conducere, niſi ſub conditione, quod non jejunent.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod de operariis diſtinguendum videtur: quia ſi jejunando poſſunt competenter victum pro perſona ſua habere, & pro familia cujus cura eis incumbit (ſive alias divites ſunt: ſive quia de eo quod minori labore fit, qui ſimul ſecum jejunium compatiatur, lucrari ſufficientia poſſunt) a jejunio non excuſantur: Si autem alias non poſſunt tantum laborare, quod victum ſufficientem acquirant, niſi jejunium frangendo, poſſunt ſecundum diſpenſationem Sacerdotis ſui jejunium ſolvere, & laborare. Ex quo patet, quod intentio majoris lucri non neceſſarii eos a peccato non excuſat, ſi jejunium frangant: nec iterum illi a peccato immunes ſunt, qui operarios conducere nolunt, niſi tali pacto ut jejunium ſolvant; niſi forte ſit cauſa neceſſaria, quæ feſtinationem operis, pro quo laboratur, expoſcat. 4. *ſent. diſt.* 15. *qu.* 3. *art.* 2. *qu.* 4. *ad* 3.

QUÆR. 14. *An pauperes teneantur jejunare.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod pauperes, qui poſſunt ſufficienter habere quod eis ſufficiat ad unam comeſtionem, non excuſantur propter paupertatem a jejuniis Eccleſiæ; a quibus tamen excuſari videntur illi, qui fruſtatim eleemoſynas mendicant, qui non poſſunt ſimul habere, quod eis ad victum ſufficiat. 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 4. *ad* 4.

QUÆR. 15. *In quo caſu paupertas excuſet a jejunio.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod paupertas non ſemper excuſat a jejunio, ſed in illo caſu quando ſimul habere non poteſt tantum hora comeſtionis, quod ad victum totius diei ſufficiat; ſicut frequenter egenis contingit, qui fruſtatim eleemoſynam quærunt; etiam quando ex præcedenti inedia tantum debilitati ſunt, quod jejunium ſufferre non poſſunt, 4. *ſent. diſt.* 15. *quæſt.* 3. *artic.* 2. *quæſtiunc.* 4. *ad* 2.

QUÆR. 16. *An & quando peccent mortaliter illi, qui Eccleſiæ jejunia non obſervant.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod præcepta, quæ per modum communis ſtatuti proponuntur: non eodem modo obligant omnes, ſed ſecundum quod requiritur ad finem, quem legiſlator intendit, cujus authoritatem ſi aliquis tranſgrediendo ſtatutum contemnat; vel hoc modo tranſgrediatur, quod impediatur finis, quem intendit, peccat mortaliter talis tranſgreſſor: ſi autem ex aliqua rationabili cauſa quis ſtatutum non ſervet, præcipue in caſu, in quo etiam ſi legiſlator adeſſet, non decerneret eſſe ſervandum, talis tranſgreſſio non conſtituit peccatum mortale: & inde eſt, quod non omnes, qui non ſervant jejunia Eccleſiæ, peccant mortaliter. 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 3. *ad* 2.

QUÆR. 17. *An quicunque aliquem diem ab Eccleſia inſtitutum jejunare omittit, peccet mortaliter.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod præcepta juris poſitivi magis obligant ex intentione legiſlatoris, quam ex ipſis verbis: Et ideo tranſgreſſor talis præcepti magis eſt reputandus, qui obviat intentioni legiſlatoris, quam qui deviat in aliquo a legis ordinatione: Intentioni autem legiſlatoris obviat, qui ex contemptu, vel ſine aliqua rationabili cauſa ordinationem non ſervat: ſi autem in aliquo caſu non ſervat, in quo probabiliter credi poteſt, ſi legiſlator adeſſet, eum obligare non velle, talis non eſt reputandus præcepti tranſgreſſor: Et ideo non eſt neceſſarium quod quicunque aliquem diem ab Eccleſia inſtitutum jejunare omittit, mortaliter peccet: Poteſt enim hoc aliquando omnino ſine peccato contingere; aliquando ſine mortali cum veniali; aliquando etiam cum mortali; & hoc ſecundum diverſas occaſiones, quibus homo inducitur ad jejunium frangendum. 4. *ſent. d.* 15. *quæſt.* 3. *art.* 1. *quæſt.* 4. *ad* 3.

QUÆR. 18. *An convenienter determinentur tempora Jejuniorum Eccleſiæ: & quænam ſit ratio jejunii quadrageſimalis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod jejunium ad duo ordinatur; ſcilicet ad deletionem culpæ, & ad elevationem mentis in ſuperna: & ideo illis temporibus ſpecialiter fuerunt jejunia indicenda, in quibus oportebat homi-

homines a peccato purgari, & mentem fidelium elevari in Deum per devotionem: quæ quidem præcipue imminent ante Paſchalem ſolemnitatem, in qua & culpæ per Baptiſmum relaxantur, qui ſolemniter in vigilia Paſchæ celebratur, quando recolitur Dominica ſepultura, quia *per Baptiſmum conſepelimur Chriſto in mortem*, ut dicitur ad Rom. 6. In feſto autem Paſchæ oportet maxime mentem hominis per devotionem elevari ad æternitatis gloriam, quam Chriſtus reſurgendo inchoavit: & ideo immediate ante ſolemnitatem Paſchalem Eccleſia ſtatuit eſſe jejunandum.

Et eadem ratione in vigiliis præcipuarum feſtivitatum, in quibus præparari nos oportet ad feſta futura devote celebranda.

Similiter etiam conſuetudo Eccleſiaſtica habet, ut in ſingulis quartis anni ſacri Ordines conferantur: ad quorum ſuſceptionem oportet per jejunium præparari, & eos qui ordinantur, & illos qui ordinandi ſunt, & etiam totum populum, pro cujus utilitate ordinantur: unde & legitur Lucæ 6. Quod Dominus ante diſcipulorum electionem exivit in montem orare: quod exponens Ambroſius dicit, *quid te facere convenit, cum vis aliquod officium pietatis adoriri, quando Chriſtus miſſurus Apoſtolos prius oravit?*

Ratio etiam numeri quantum ad quadrageſimale jejunium eſt triplex ſecundum Gregorium. Primo quidem quia virtus Decalogi per libros quatuor Sancti Evangelii impletur, denarius autem quater ductus in quadragenarium ſurgit: vel quia in hoc mortali corpore ex quatuor elementis ſubſiſtimus; per cujus voluptates præceptis Dominicis contraimus, quæ per Decalogum ſunt accepta: unde dignum eſt, ut eandem carnem quaterdecies affligamus: vel quia ſicut in lege offerri jubebantur decimæ rerum, ita offerre contendimus Deo decimas dierum; dum enim per trecentos, & ſexaginta dies annus ducitur, nos autem per triginta ſex dies affligimur, qui ſunt jejunabiles in ſex ſeptimanis Quadrageſimæ, quaſi anni noſtri Deo decimas damus. Secundum Auguſtinum autem additur quarta ratio, nam creator eſt Trinitas Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, creaturæ vero inviſibili debetur ternarius numerus; diligere enim jubemur Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente: creaturæ vero viſibili debetur quaternarius propter calidum, & frigidum, humidum, & ſiccum: & ſic ergo per denarium ſignificantur omnes res, qui ſi ducatur per quaternarium, qui competit corpori, per quod adminiſtratio geritur, quadrageſimum numerum conficit.

Singula vero jejunia quatuor temporum tribus diebus continentur propter numerum menſium, qui competit cuilibet tempori, vel propter numerum ſacrorum ordinum, qui in his temporibus conferuntur. 2. 2. *q.* 147. *art.* 5. 4. *ſent. d.* 15. *qu.* 3. *art.* 3.

QUÆR. 19. *An requiratur ad jejunium, quod homo ſemel tantum comedat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod jejunium ab Eccleſia inſtituitur ad concupiſcentiam refrænandam, ita tamen quod natura ſalvetur: ad hoc autem ſufficere videtur unica comeſtio, per quam homo poteſt & naturæ ſatisfacere, & tamen concupiſcentiæ aliquid detrahit, diminuendo comeſtionum vices: & ideo Eccleſiæ moderatione ſtatutum eſt, ut ſemel in die a jejunantibus comedatur. 2. 2. *quæſt.* 147. *artic.* 6. *in corp.* 4. *ſent. diſt.* 15. *qu.* 3. *art. quæſt.* 1. *in corp.*

A tempore D. Thomæ introducta eſt conſuetudo in diebus jejunii præter refectionem ſumendi refectiunculam, quæ vulgo dicitur collatio.

QUÆR. 20. *An ſumptio electuariorum, vel aliorum medicinalium ſolvat jejunium.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod electuaria etiam ſi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter aſſumuntur ad nutrimentum, ſed ad digeſtionem ciborum, unde non ſolvunt jejunium, ſicut nec aliarum medicinarum aſſumptio; niſi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate aſſumat per modum cibi. 2. 2. *q.* 147. *art.* 6. *ad* 3.

QUÆR. 21. *An & quando ſumendo electuaria perditur meritum jejunii, vel etiam peccatum mortale committitur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quidam Doctores dicunt, quod ſi electuaria comedantur ad delectationem, ſolvunt jejunium; ſi autem cauſa medicinæ ſumantur, non ſolvitur jejunium: ſed ſtatutum poſitivæ legis non attendit intentionem obſervantis, ſed ipſum actum, eo quod modus virtutis non cadit in præcepto, ſed eſt finis præcepti: ſed ex interiore poteſt aliquis mereri, vel demereri: & ideo dicendum quod electuaria etſi aliquo modo nutriant, non tamen hic eſt principalis uſus eorum; unde nec loco manducationis ſumi conſueverunt: & ideo talis ſumptio jejunium Eccleſiæ non ſolvit: & quamvis homo poſſit (totaliter, vel in parte) ex hoc meritum jejunii perdere, vel etiam mortaliter peccare, ſi ſit immoderata libido: non tamen eſt tranſgreſſor præcepti Eccleſiæ, niſi in fraudem ſumeret, aut ſi eis quaſi aliis cibis uteretur ad famem extinguendam. 4. *ſent. diſt.* 15. *qu.* 3. *art.* 4. *qu.* 1. *in corp.*

QUÆR. 22. *An ſumptio alicujus potus extra comeſtionem ſolvat jejunium.*

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quamvis aliquis potus aliquo modo nutriat, tamen de ſe non ordinatur ad nutriendum, ſed magis ad diſpoſitionem bonam eorum, quæ nutriunt: ut ſcilicet per membra deducantur, & in ſtomaco non comburantur: unde ſumptio potus manducatio non dicitur: & ideo ille, qui potat extra horam unicæ comeſtionis, non dicitur bis manducare: & propter hoc nec ſtatutum Eccleſiæ frangit, niſi fraudem faciat, quia legem violat, qui in fraudem legis aliquid facit. 4. *ſent. d.* 15. *quæſt.* 3. *artic.* 4. *quæſtiunc.* 1. *ad* 1.

QUÆR. 23. *An poſſit aliquis pluries bibere tempore jejunii.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod duplex eſt jejunium: unum quidem naturæ quod requiritur ad Euchariſtiæ ſumptionem: & hoc ſolvitur per quemlibet potum etiam aquæ, per quem etiam non licet Euchariſtiam ſumere: eſt autem aliud jejunium jejunantis, & iſtud non ſolvitur, niſi per ea, quæ Eccleſia interdicere intendit inſtituendo jejunium: non autem intendit Eccleſia interdicere abſtinentiam potus, qui magis ſumitur ad alterationem corporis, & digeſtionem ciborum aſſumptorum, quam ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat: & ideo licet pluries jejunantibus bibere. Si autem quis immoderate potu utatur, poteſt peccare, & meritum jejunii perdere: ſicut etiam ſi immoderate cibum in una comeſtione ſumat. 2. 2. *quæſt.* 147. *art* 6. *ad* 3.

QUÆR. 25. *Utrum aquæ potus ſolvat jejunium.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aqua etſi ſolvat jejunium naturæ, quia aliquo modo nutrit, non tamen ſolvit jejunium Eccleſiæ: quia Eccleſia non attendit in ſtatuendo id, quod quocunque modo nutrire poteſt, ſed id, quod principaliter ad nutriendum ordinatum eſt. 4. *ſent. diſt.* 15. *qu.* 3. *art.* 4. *quæſtiunc.* 1. *ad* 2.

QUÆR. 25. *An debuerit determinari quantitas cibi ſumendi in jejunio.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quantitas cibi non potuit eadem omnibus taxari, propter diverſas corporum complexiones, ex quibus contingit, quod unus majori, alter minori cibo indiget: ſed ut plurimum omnes poſſunt naturæ ſatisfacere per unicam comeſtionem. 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 6. *ad* 1.

QUÆR. 26. *An convenienter jejunantibus interdicatur abſtinentia a carnibus, & ovis, & lacticiniis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod jejunium ab Eccleſia eſt inſtitutum ad reprimendas concupiſcentias carnis, quæ quidem ſunt delectabilium ſecundum tactum, quæ conſiſtunt in cibis, & venereis: & ideo illos cibos Eccleſia jejunantibus interdixit, qui & in comedendo maxime habent delectationem; & iterum maxime hominem ad venerea provocant: hujuſmodi autem ſunt carnes animalium in terram naſcentium, & reſpirantium, & quæ ex eis procedunt, ſicut lacticinia ex greſſilibus, & ova ex avibus: quia enim hujuſmodi magis conformantur humano corpori, plus delectant, & magis conferunt ad humani corporis nutrimentum; & ſic ex eorum comeſtione plus ſuperfluit, ut vertatur in materiam ſeminis, cujus multiplicatio eſt maximum incitamentum luxuriæ: & ideo ab his cibis, præcipue jejunantibus ſtatuit eſſe abſtinendum. 2. 2. *qu.* 147. *artic.* 8. *in corp.* 4. *ſent. diſt.* 15. *q.* 3. *art.* 4. *quæſtiunc.* 2. *in corp.*

QUÆR. 27. *In quibus jejuniis nedum carnes, ſed etiam ova, & lacticinia prohibeantur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ova, & lacticinia jejunantibus interdicuntur, inquantum ſunt ex animalibus exorta carnes habentibus; unde principalius interdicuntur carnes, quam ova, vel lacticinia: ſimiliter etiam inter alia jejunia ſolemnius eſt quadrageſimale jejunium; tum quia obſervatur ad imitationem Chriſti; tum etiam quia per ipſum diſponimur ad redemptionis noſtræ myſteria devote celebranda: & ideo in quolibet jejunio interdicitur eſus carnium.

In jejunio autem quadrageſimali interdicuntur univerſaliter etiam ova, & lacticinia. Circa quorum abſtinentiam in aliis jejuniis diverſæ conſuetudines exiſtunt apud diverſos: quas quiſque obſervare debet ſecundum morem eorum, inter quos conſervatur, unde Hieronymus dicit de jejuniis loquens, *unaquæque provincia abundet in ſuo ſenſu, & præcepta majorum leges Apoſtolicas arbitretur.* 2. 2. *qu.* 147. *art.* 8. *ad* 3.

QUÆR. 28. *Quare Eccleſia prohibuit jejunantibus uſum carnis potius quam vini, vel leguminum.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ad actum generationis tria concurrunt; ſcilicet calor, ſpiritus, & humor: ad calorem quidem maxime cooperatur vinum, & alia calefacientia corpus: ad ſpiritum autem videntur cooperari inflativa: ſed ad humorem maxime cooperatur uſus carnium, ex quibus multum de alimento generatur: alteratio autem caloris, & multiplicatio ſpirituum cito tranſit; ſed ſubſtantia humoris diu manet: & ideo magis interdicitur jejunantibus uſus carnium, quam vini, vel leguminum, quæ ſunt inflativa. 2. 2. *qu.* 147. *art.* 8. *ad* 2.

Digitized by Google

QUÆR. 29. An ideo vinum, & legumina permittantur jejunantibus potius quam caro, quia minus contribuunt ad concupiſcentiam, & quia aliunde vinum juvat ad digeſtionem.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod vinum concupiſcentiam incitat inflammando per modum alterantis: & quia tales alterationes non diu manent; ideo potus vini non adeo efficaciter operatur ad concupiſcentiæ fomentum, ſicut eſus carnium, quo præcipue materia concupiſcentiæ miniſtratur, & calor naturalis confortatur radicitus magis: & ex alia parte ſubtractio vini nimis debilitaret naturam propter digeſtionis impedimentum. Et ſimiliter dicendum de inflatione leguminum, quod eſt accidentalis cauſa concupiſcentiam provocans, & cito tranſit. 4. *ſent. d.* 15. *quæſt:* 13. *art.* 4. *q.* 2. *ad* 1.

QUÆR. 30. Quare in jejunio Eccleſia non prohibet piſces ſicut carnes, licet aliqui piſces ita delectabiliter comedantur ſicut quædam animalium carnes.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Eccleſia jejunium inſtituens intendit ad id, quod communius accidit: eſus autem carnium eſt magis delectabilis communiter, quam eſus piſcium; quamvis in quibuſdam aliter ſe habeat: & ideo Eccleſia magis jejunantibus prohibet eſum carnium, quam eſum piſcium. 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 8. *ad* 2.

QUÆR. 31. Cur non fuit tanta neceſſitas prohibendi piſces quam carnes in diebus jejunii.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod piſces frigidiores ſunt naturaliter quam carnes, nec alimentum ita conveniens corpori præſtant, ſicut aliæ carnes: unde non fuit tanta neceſſitas prohibendi piſces, ſicut carnes. 4. *ſent. d.* 15. *qu.* 3. *art.* 4. *qu.* 2. *ad* 3.

QUÆR. 32. Utrum odor ciborum ſolvat jejunium.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod odor non nutrit, ut patet per Philoſophum in lib. de ſenſu, & ſenſato; Sed aliquo modo confortat: unde non ſolvit, neque jejunium naturæ, neque jejunium Eccleſiæ. 4. *ſent. d.* 15. *quæſt.* 3. *art.* 4. *qu.* 1. *ad* 4.

QUÆR. 33. Utrum hora nona convenienter taxetur ad comedendum in diebus jejunii, juxta Concilium Cabilonenſe relatum cap. Solent diſt. 1. de Confecr. in Decretis ubi dicitur: in Quadrageſima nullatenus credendi ſunt jejunare, qui ante manducaverint, quam veſpertinum celebretur officium, quod quadrageſimali tempore poſt nonam dicitur.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut dictum eſt, jejunium ordinatur ad deletionem, & cohibitionem culpæ: unde oportet, quod aliquid addat ſupra communem conſuetudinem, ita tamen quod per hoc non multum natura gravetur.

Eſt autem debita, & communis conſuetudo comedendi hominibus circa horam ſextam, tum quia videtur eſſe completa digeſtio, nocturno tempore naturali calore interius revocato propter frigus noctis circumſtans, & diffuſo humore per membra, cooperante ad hoc calore diei uſque ad ſummum Solis aſcenſum: tum etiam quia tunc præcipue natura corporis humani indiget juvari contra exteriorem aeris calorem, ne humores interius adurantur: & ideo ut jejunans aliquam afflictionem ſentiat pro culpæ ſatisfactione, conveniens hora comedendi taxatur jejunantibus circa horam nonam.

Convenit etiam iſta hora myſterio Paſſionis Chriſti, quæ completa fuit hora nona, quando inclinato capite tradidit ſpiritum: jejunantes enim, dum ſuam carnem affligunt, Paſſioni Chriſti conformantur, ſecundum illud ad *Galatas* 5. *qui autem Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* 2. 2. *qu.* 147. *art.* 7. *in corp.*

QUÆR. 34. Quomodo judicanda ſit illa hora nona.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ad jejunium requiritur hora determinata non ſecundum ſubtilem examinationem, ſed ſecundum groſſam æſtimationem; ſufficit enim, quod ſit circa horam nonam; & hoc de facili quilibet cognoſcere poteſt. 2. 2. *qu.* 146. *art.* 7. *ad* 1.

QUÆR. 35. Utrum peccet ille, qui in die jejunii anticipiat horam comeſtionis.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ille jejunium ſolvit, qui Eccleſiæ determinationem non ſervat: unde cum Eccleſia inſtituerit certum tempus comedendi jejunantibus, qui nimis notabiliter anticipat, jejunium ſolvit; non enim Eccleſia arctare intendit ad ſubtilem temporis inſpectionem; nec oportet aſtrolabium accipere ad horam comeſtionis cognoſcendam: unde ſufficit ſi circa horam illam, quam Eccleſia inſtituit, jejunans ſumat cibum, etiamſi aliquantulum propter aliquam neceſſitatem anticipet. 4. *ſent. d.* 15. *quæſt.* 3. *art.* 4. *quæſtiunc.* 3. *in corp.*

QUÆR. 36. Quid agendum ſit, quando aliquis ante horam nonam magnum patitur gravamen.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod modicum augmentum, vel etiam modicus defectus non multum poteſt nocere: non eſt autem magnum temporis ſpatium, quod eſt ab hora ſexta; in qua communiter homines comedere conſueverunt, uſque ad horam nonam, quæ jejunantibus determinatur: & ideo talis taxatio temporis non multum poteſt alicui nocere,

Digitized by Google

re; cujuſcunque conditionis exiſtat. Vel ſi forte propter infirmitatem, vel ætatem, aut aliquid hujuſmodi, hoc eis in gravamen cederet, eſſet cum eis in jejunio diſpenſandum; vel ut aliquantulum præveniret horam. 2. 2. *quæſt.* 147. *art.* 7. *ad* 3.

Nunc ex communi Eccleſiæ conſuetudine refectio tempore jejunii ſumitur circa horam ſextam, ſive meridiem, quæ hora ſuo etiam modo correſpondet Paſſioni Chriſti: quia hora ſexta, vel quaſi ſexta, ſive tertia deſinente in ſextam, quod idem eſt ac circa meridiem, paſſus eſt Chriſtus: ut docent Theologi in tractatu de incarnatione.

QUÆR. 37. *Utrum jejunium ſolvatur nedum per anticipationem horæ, ſed etiam per alios defectus qui hoc verſu continentur.*

Præpropere, laute, nimis, ardenter, ſtudioſe. Ubi Præpropere, ſignificat anticipare tempus comeſtionis; Laute, pretioſos cibos quærere; Nimis, in quantitate cibi excedere; Ardenter, cum aviditate comedere; & Studioſe, exquiſito modo cibaria præparare.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ea in quibus non poteſt accipi certa menſura, non cadunt ſub determinatione legislatoris. Et ideo quia non poteſt accipi certa menſura in quantitate cibi, vel aliis conditionibus numeratis, ſicut in tempore accipi poteſt, ideo conditiones aliæ non cadunt ſub determinatione præcepti Eccleſiæ: & ideo quamvis per inordinationem circa illas circunſtantias peccet, & meritum jejunii amittat, (vel in toto, vel in parte) non tamen Eccleſiæ ſtatutum tranſgreditur: & ideo jejunium non ſolvit. *Ibidem art.* 4. *q.* 3. *ad* 2.

QUÆR. 38. *An convenienter inſtitutum ſit jejunium poſt feſtum Pentecoſtes.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſicut dicit Leo Papa, ſerm. 1. de jejunio Pentec. *poſt Sanctæ lætitiæ dies, quos in honorem Domini reſurgentis, & in cælum aſcendentis, exigimus, & poſt acceptum Spiritus Sancti donum, ſalubriter, & neceſſario conſuetudo jejunii ordinata eſt: ut ſi quid forte inter ipſa feſtivitatis gaudia negligens libertas, & licentia immoderata præſumpſit, hoc religioſæ abſtinentiæ cenſura caſtiget.* Tamen etiam eſt jejunium exultationis, quod illis qui Spiritum Sanctum acceperunt, competit: cum gaudio enim ſpirituali etiam afflictio corporalis ſe compatitur: unde non fit genuflexio, & alleluja cantatur, quod in aliis jejuniis non obſervatur. 4. *ſent. d.* 15. *qu.* 3. *art.* 3. *q.* 1. *ad* 5.

QUÆR. 39. *An ſit conveniens jejunare tempore Paſchali: & quandonam jejunium in die Dominica, vel in feſto ſit illicitum.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod jejunium quantum eſt de ſe nullo tempore eſt prohibitum: unde ſicut dicit Iſidorus, *Sancti Patres in deſerto tempore Paſchali jejunabant, excepto die Dominicæ reſurrectionis*, in quo non videtur conveniens jejunare: eo quod tota Eccleſia lætitiæ feſtum agit: unde non eſt conveniens quod aliquis illo die operibus afflictionis intendat, quia *turpis eſt omnis pars, quæ ſuo toti non congruit*, ut dicit Auguſt. in lib. Confeſſ. ſed per accidens poteſt eſſe jejunium alicujus in die feſto illlicitum, ſi adeo pertinaciter jejunium teneret, quod non crederet per devotionem feſti utilitatem jejunii compenſari poſſe. 4. *ſent. d.* 15. *qu.* 3. *art.* 3. *qu.* 2. *in corp.*

QUÆR. 40. *An ſit jejunandum tempore Paſchali, & diebus Dominicis: & utrum peccaret, qui tunc jejunaret.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod jejunium exultationis ex inſtinctu Spiritus Sancti procedit, qui eſt ſpiritus libertatis: & ideo hoc jejunium ſub præcepto cadere non debet: Jejunia vero quæ præcepto Eccleſiæ inſtituuntur, ſunt magis jejunia afflictionis, quæ non conveniunt in diebus lætitiæ: propter quod non eſt jejunium ab Eccleſia inſtitutum in toto Paſchali tempore, nec etiam in diebus Dominicis.

In quibus ſi quis jejunaret contra conſuetudinem populi Chriſtiani, quæ ut Auguſtinus dicit, *eſt pro lege habenda*; vel etiam ex aliquo errore ſicut Manichæi jejunant, quaſi neceſſarium tale jejunium arbitrantes, non eſſet a peccato immunis; quamvis ipſum jejunium ſecundum ſe conſideratum, omni tempore ſit laudabile, ſecundum quod Hieronymus dicit ad Lucinum, *utinam omni tempore jejunare poſſemus*. 2. 2. *qu.* 147. *art.* 5. *ad* 3.

QUÆR. 41. *An jejunium ſit actus ſatisfactorius, & cur enumeretur inter ſuffragia mortuorum.*

Reſp. v. *Satisfactio*, & v. *Suffragium*.

Inter 45. *Propoſitiones ab Alex. VII. damnatas, habentur quatuor ſequentes.*

29. *In die jejunii, qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.*

30. *Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii; nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio.*

31. *Excuſantur abſolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunque iter agant; etiamſi iter neceſſarium non ſit; & etiamſi iter unius diei conficiant.*

32. *Non eſt evidens, quod conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in quadrageſima obliget.*

Digitized by Google

Contra iſtas propoſitiones afferri poteſt doctrina noſtri ſancti Doctoris tradita in reſponſionibus ad quaeſt. 11. 12. 13. 14. 15. 26. *&* 27.

IGNORANTIA.

QUÆR. 1. *An quando ignorantia eſt invincibilis, nullum ſit peccatum, nec in intellectu, nec in voluntate.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſi defectus apprehenſivæ virtutis nullo modo ſubjaceret voluntati, non eſſet peccatum, nec in voluntate, nec in apprehenſiva virtute; ſicut patet in his qui habent ignorantiam invincibilem. 1. 2. *q.* 74. *art.* 1. *ad* 2.

QUÆR. 2. *Quænam homo ſcire teneatur: & quaenam ignorantia ſit invincibilis; & utrum ſit evidens, quod nulla ignorantia invincibilis eſt peccatum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ignorantia in hoc a neſcentia differt, quod neſcientia dicit ſimplicem ſcientiæ negationem; unde cuicunque deeſt aliquarum rerum ſcientia, poteſt dici neſcire illas, ſecundum quem modum Dionyſ. in Angelis neſcientiam ponit 7. cap. Cæl. Hierarch. Ignorantia vero importat ſcientiæ privationem, dum ſcilicet alicui deeſt ſcientia eorum, quæ aptus natus eſt ſcire. Horum autem quædam aliquis ſcire tenetur, illa ſcilicet, ſine quorum ſcientia non poteſt debitum actum recte exercere: unde omnes tenentur ſcire communiter ea, quæ ſunt fidei, & univerſalia juris præcepta; ſinguli autem ea quæ ad eorum ſtatum, vel officium ſpectant: quædam vero ſunt, quæ etſi aliquis natus eſt ſcire, non tamen ea ſcire tenetur, ſicut theoremata Geometriæ, & contingentia particularia, niſi in caſu.

Manifeſtum eſt autem, quod quicunque negligit habere, vel facere id, quod tenetur habere, vel facere, peccat peccato omiſſionis: unde propter negligentiam ignorantia eorum, quæ aliquis ſcire tenetur, eſt peccatum. Non autem imputatur homini ad negligentiam, ſi neſciat ea quæ ſcire non poteſt: unde horum ignorantia invincibilis dicitur, quia ſtudio ſuperari non poteſt: & propter hoc talis ignorantia cum non ſit voluntaria, eo quod non eſt in poteſtate noſtra eam repellere, non eſt peccatum. Ex quo patet, quod nulla ignorantia invincibilis eſt peccatum. Ignorantia autem vincibilis eſt peccatum ſi ſit eorum quæ aliquis ſcire tenetur, non autem ſi ſit eorum, quæ quis ſcire non tenetur. *par.* 1. *qu.* 79. *art.* 2. *in corp. q.* 3. *de malo art.* 7. *in corp.*

QUÆR. 3. *An ignorantia cauſans, concomitans, vel conſequens a peccato excuſet; & utrum ſi ignorantia ſit omnino involuntaria, omnino etiam excuſet a peccato.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ignorantia de ſe habet, quod faciat actum quem cauſat, involuntarium eſſe: ignorantia autem dicitur cauſare actum, quem ſcientia oppoſita prohibebat; & ita talis actus, ſi ſcientia adeſſet, eſſet contrarius voluntati, quod importat nomen involuntarii: ſi vero ſcientia, qua per ignorantiam privatur, non prohiberet actum propter inclinationem voluntatis in ipſum, ignorantia hujus ſcientiæ non facit hominem involuntarium, ſed non videntem, ut dicitur in 3. Ethicor. & talis ignorantia, quæ non eſt cauſa actus peccati, quia non cauſat involuntarium, non excuſat a peccato: & eadem ratio eſt de quacunque ignorantia non cauſante, ſed conſequente, vel concomitante actum peccati: ſed ignorantia, quæ eſt cauſa actus, quia cauſat involuntarium, de ſe habet, quod excuſet a peccato, eo quod voluntarium eſt de ratione peccati; ſed quod aliquando non totaliter excuſet a peccato, poteſt contingere ex duobus.

Uno modo ex parte rei ignoratæ; intantum enim ignorantia excuſat a peccato, inquantum ignoratur aliquid eſſe peccatum: poteſt autem contingere, quod aliquis ignoret quidem aliquam circumſtantiam peccati, quam ſi ſciret, retraheretur a peccando, ſive illa circumſtantia faciat ad rationem peccati, ſive non; & tamen adhuc remanet in eis ſcientiæ aliquid, per quod cognoſcit illud eſſe actum peccati; puta ſi aliquis percutiens aliquem, ſciat quidem ipſum eſſe hominem, quod ſufficit ad rationem peccati, non tamen ſcit eum eſſe Patrem, quod eſt circumſtantia conſtituens novam ſpeciem peccati; vel forte neſcit, quod ille ſe defendens repercutiat eum, quod ſi ſciret, non percuteret, quod non pertinet ad rationem peccati; unde licet talis propter ignorantiam peccet, non tamen totaliter excuſatur a peccato, quia adhuc remanet ei cognitio peccati: alio modo poteſt hoc contingere ex parte ipſius ignorantiæ; quia ſcilicet ipſa ignorantia eſt voluntaria, vel directe ſicut cum aliquis ſtudioſe vult neſcire aliqua, ut liberius peccet; vel indirecte, ſicut cum aliquis propter laborem, vel propter alias occupationes negligit addiſcere id, per quod a peccato retraheretur; talis enim negligentia facit ignorantiam ipſam eſſe voluntarium, & peccatum, dummodo ſit eorum, quæ quis ſcire tenetur, & poteſt; & ideo talis ignorantia non totaliter excuſat a peccato.

Si vero ſit talis ignorantia, quæ omnino ſit

in-

involuntaria, ſive quia eſt invincibilis, ſive quia eſt ejus, quod quis ſcire non tenetur, talis ignorantia omnino excuſat a peccato. *p. 2. qu. 76. art. 3. in corp. qu. 3. de malo, art. 8. in corp. qu. 17. de veritate art. 4. ad 4.*

QUÆR. 4. Quomodo ignorantia cauſet involuntarium: & tripliciter ſe habeat ad actus humanos, ſcilicet antecedenter, concomitanter, & conſequenter.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ignorantia habet cauſare involuntarium ea ratione, qua privat cognitione, quæ præexigitur ad voluntarium: non tamen quælibet ignorantia hujuſmodi cognitione privat: & ideo ſciendum, quod ignorantia tripliciter ſe habet ad actum voluntatis; uno modo concomitanter; alio modo conſequenter; tertio modo antecedenter.

Concomitanter quidem quando ignorantia eſt de eo, quod agitur; tamen etiam ſi ſciretur, nihilominus ageretur: tunc enim ignorantia non inducit ad volendum ut hoc fiat, ſed accedit ſimul eſſe aliquid factum, &, ignoratum, ſicut cum aliquis vellet quidem occidere hoſtem, ſed ignorans occidit eum, putans occidere cervum; & talis ignorantia non facit involuntarium, ut Philoſophus dicit, quia non cauſat aliquid, quod ſit repugnans voluntati, ſed facit non voluntarium, quia non poteſt eſſe actu volitum, quod ignoratum eſt.

Conſequenter autem ſe habet ignorantia ad voluntatem inquantum ipſa ignorantia eſt voluntaria, & hoc contingit dupliciter: uno modo quia actus voluntatis fertur in ignorantiam, ſicut aliquis ignorare vult, vel ut excuſationem peccati habeat, vel ut non retrahatur a peccando, ſecundum illud Job 21. *Scientiam viarum tuarum nolumus*; & hæc dicitur ignorantia affectata; alio modo dicitur ignorantia voluntaria ejus, quod quis poteſt ſcire, & debet: ſic enim non agere, & non velle voluntarium dicitur, hoc igitur modo dicitur ignorantia, ſive cum aliquis actu non conſiderat, quod conſiderare poteſt, & debet, quæ eſt ignorantia malæ electionis, vel ex paſſione, vel ex habitu proveniens; ſive cum aliquis notitiam, quam debet habere, non curat acquirere, & ſecundum hunc modum ignorantia univerſalium juris, quæ quis ſcire tenetur, voluntaria dicitur, quaſi per negligentiam proveniens: cum autem ipſa ignorantia ſit voluntaria aliquo iſtorum modorum, non poteſt cauſare ſimpliciter involuntarium; cauſat tamen ſecundum quid involuntarium, inquantum præcedit motum voluntatis ad aliquid agendum, qui non eſſet, ſcientia præſente.

Antecedenter autem ſe habet ad voluntatem ignorantia, quando non eſt voluntaria, & tamen eſt cauſa volendi, quod alias non vellet; ſicut cum aliquis homo ignorat aliquam circumſtantiam actus, quam non tenebatur ſcire, & ex hoc aliquid agit, quod non faceret, ſi ſciret; puta cum aliquis diligentia adhibita neſciens aliquem tranſire per viam, projicit ſagittam, qua interficit tranſeuntem: & talis ignorantia cauſat involuntarium ſimpliciter. *p. qu. 6. artic. 8. in corp. in utroque ſcripto ſuper ſent. lib. 2. diſt. 22. qu. 2.*

QUÆR. 5. An & quando peccet ille, qui facit aliquid contra conſtitutionem Papæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ignorantia, quæ eſt cauſa actus, cauſat involuntarium; unde ſemper excuſat, niſi ipſa ignorantia ſit peccatum: eſt autem ignorantia peccatum, quando ignorat quis, quæ poteſt ſcire, & tenetur: conſtitutionem autem Papæ omnes ſuo modo ſcire tenentur: ſi ergo aliquis neſciat per negligentiam, non excuſatur a culpa, ſi contra conſtitutionem agat: ſi vero aliquis habeat ſufficiens impedimentum, propter quod ſcire non potuerit, puta ſi fuit in carcere, vel in terris extraneis, ad quas conſtitutio non pervenit, vel propter aliquid ſimile: talis ignorantia excuſat, ut non peccet contra conſtitutionem Papæ agens. *Quodlib. 1. art. 19.*

QUÆR. 6. Quomodo intelligatur illud D. Auguſtini in lib. de libero arbitrio: Non tibi imputatur ad culpam, ſi invitus ignores, ſed ſi ſcire neglexeris.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ignorantia, quæ eſt omnino involuntaria, non eſt peccatum; & hoc eſt, quod Auguſtinus dicit: *Non tibi imputatur ad culpam, ſi invitus ignores*; per hoc autem quod addit, *ſed ſi ſcire neglexeris*, dat intelligere, quod ignorantia habet, quod ſit peccatum ex negligentia præcedente, quæ nihil eſt aliud, quam non applicare animum ad ſciendum ea, quæ quis debet ſcire. *qu. 3. de malo, art. 7. ad 7.*

QUÆR. 7. Quomodo intelligatur D. Ambroſius ſuper illud ad Rom. 2. An ignoras, quod benignitas Dei &c. dicens: Graviſſime peccas, ſi ignoras.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod verbum illud Ambroſii ſic ſolet exponi: *Graviſſime peccas, ſi ignoras*, ideſt periculoſiſſime, *quia dum neſcis te peccare, remedium non quæris*; vel loquitur de ignorantia affectata, qua aliquis ignorare vult, ne a peccato retrahatur: vel loquitur de ignorantia receptorum beneficiorum: quia quod aliquis nec etiam cognoſcere ſtudeat percepta beneficia, eſt ſummus ingratitudinis gradus: vel loquitur de igno-

Digitized by Google

rantia infidelitatis, quæ in ſe quidem eſt graviſſimum peccatum; licet etiam peccatum ex tali ignorantia commiſſum diminuatur, ſecundum illud Apoſtoli 1. ad Timoth. 1. *Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate mea. quæſt. 3. de malo, art.* 8. *ad* 1. 4. *ſent. diſt. 9. art. 3. qu. 2. ad* 1.

QUÆR. 8. *An & quomodo ignorantia alicujus circunſtantiæ, vel etiam juris, aut facti excuſet eos, qui accedunt ad Euchariſtiam.*

Reſp. ſupra *v. Communio, qu.* 58. *&* 59.

An detur, vel dari poſſit invincibilis ignorantia juris naturalis, vel Divini, colligi poteſt ex his, quæ referemus infra de Infidelitate negativa v. Infidelitas, & de Jure, ac lege naturali v. Jus, & Juſtitia, & v. Lex.

ILLEGITIMUS.

QUÆR. 1. *Quinam ſint filii illegitimi.*

RESp. D. Thomas, dicendum, quod quadruplex eſt ſtatus filiorum; quidam enim ſunt naturales & legitimi, ſicut qui naſcuntur ex legitimo Matrimonio; quidam naturales & non legitimi, ut filii qui naſcuntur ex ſimplici fornicatione; quidam legitimi, & non naturales, ſicut filii adoptivi; quidam nec legitimi, nec naturales, ſicut ſpurii nati de adulterio, vel de ſtupro; tales enim naſcuntur & contra legem poſitivam, & expreſſe contra legem naturæ, 4. *ſent. diſt.* 41. *a.* 3. *qu.* 1. *in corp.*

QUÆR. 2. *An ignorantia excuſet parentes ab illicito coitu, & filios, ne ſint illegitimi.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ignorantia excuſat illicitum coitum a peccato, niſi ſit affectata unde illi, qui conveniunt bona fide in facie Eccleſiæ, quamvis ſit impedimentum, dum tamen ignorant, non peccant, nec filii ſunt illegitimi: ſi autem ſciunt, quamvis Eccleſia ſuſtineat, quæ ignorat impedimentum, non excuſantur a peccato, nec filii ab illegitimitate: ſi autem neſciant, & in occulto contrahant, non excuſantur, quia talis ignorantia videtur affectata. 4. *ſent. d.* 41. *art.* 3. *qu.* 1. *ad* 2.

QUÆR. 3. *An filii illegitimi debeant ex hoc aliquod damnum reportare: & quomodo teneantur parentes eis providere.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod aliquis dicitur damnum incurrere dupliciter: uno modo ex hoc, quod ei ſubtrahatur, quod erat ei debitum; & ſic filius illegitimus nullum damnum incurrit: alio modo per hoc, quod ei aliquid non eſt debitum, quod alias poterat ei eſſe debitum; & ſic filius illegitimus damnum incurrit duplex: unum, quia non admittitur ad actus legitimos, ſicut ad officia, vel dignitates, quæ requirunt quandam honeſtatem in illis, qui hæc exercent: aliud damnum incurrunt, quod non ſuccedunt in hæreditate paterna.

Sed tamen naturales filii ſuccedere poſſunt in ſexta parte tantum: ſpurii autem in nulla parte, quamvis ex jure naturali parentes eis in neceſſariis providere teneantur: unde pertinet ad ſollicitudinem Epiſcopi, ut utrumque parentem cogat ad hoc, quod eis provideant. 4. *ſent. diſt.* 41. *artic.* 3. *quæſt.* 2. *in corp.*

QUÆR. 5. *An filius illegitimus poſſit legitimari, & quot ſint modi eos legitimandi.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod filius illegitimus poteſt legitimari, non ut fiat de legitimo coitu natus, quia coitus ille tranſivit, & nunquam poteſt fieri legitimus ex quo ſemel fuit illegitimus: ſed dicitur legitimari, inquantum damna, quæ filius illegitimus incurrit, ſubtrahuntur per legis authoritatem.

Et ſunt ſex modi legitimandi: duo ſecundum canones, ſcilicet cum quis ducit in uxorem illam, ex qua filium legitimum generavit, etſi non fuit adulterium; & per ſpecialem indulgentiam, & diſpenſationem Domini Papæ; quatuor autem alii modi ſunt ſecundum leges: primus eſt, ſi pater filium naturalem curiæ Imperatori offert, ex hoc enim ipſo legitimatur propter curiæ honeſtatem: ſecundus, ſi pater teſtamento nominet eum legitimum hæredem, & filius poſtmodum teſtamentum Imperatorii offerat: tertius eſt, ſi nullus ſit filius legitimus, & ipſemet filius ſeipſum Principi offerat: quartus eſt, ſi pater in publico inſtrumento, vel cum trium teſtium ſubſcriptione eum legitimum nominet, nec adjiciat naturalem. 4. *ſent. d.* 41. *art.* 3. *quæſtiunc.* 3. *in corp.*

QUÆR. 5. *An filius poſſit illegitimari, ſicut poteſt hæreditate privari.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod alicui poteſt ſine injuſtitia gratia fieri; ſed non poteſt aliquis damnificari, niſi pro culpa: & ideo magis poteſt illegitimus fieri legitimus, quam e converſo: etſi enim aliquando legitimus privetur hæreditate pro culpa; non tamen dicitur illegitimus filius, quia generationem legitimam habuit.

Digitized by Google

QUÆR. 1. *Quare in Eccleſia inſtitutæ ſunt imagines.*

Resp. D. Thomas, dicendum, quod Apoſtoli multa tradiderunt, quæ ſcripta non ſunt in canone, inter quæ unum eſt de uſu imaginum: unde Damaſcenus dicit, quod *Lucas depinxit imaginem Chriſti, & Virginis: & Chriſtus ſuam imaginem Abagaro Regi direxit*, ut dicitur in Eccleſiaſtica hiſtoria lib. 1. cap. 15.

Fuit autem triplex ratio inſtitutionis imaginum in Eccleſia: primo ad inſtructionem rudium, qui eis quaſi quibuſdam libris edocentur: ſecundo, ut incarnationis myſterium, & Sanctorum exempla magis in memoria eſſent, dum quotidie oculis repræſentantur; tertio ad excitandum Devotionis affectum, qui ex viſis efficacius movetur, quam ex auditis. *3. ſent. d. 9. q. 1. artic. 2. q. 2. ad 3.*

QUÆR. 2. *Utrum imaginibus Sanctorum exhiberi debeat cultus latriæ.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod neque in veteris legis tabernaculo, ſeu templo, neque etiam nunc imagines in Eccleſia inſtituuntur, ut in eis cultus latriæ exhibeatur; ſed ad quandam ſignificationem, ut per hujuſmodi imagines mentibus hominum imprimatur, & confirmetur fides de excellentia Angelorum, & Sanctorum. 2. 2. *q. 94. a. 2. ad 1.*

QUÆR. 3. *An & quomodo imago Chriſti ſit adoranda.*

Reſp. *v. Adoratio q.* 8.

IMMUNITAS A PECCATO.

QUÆR. An quis ſcire poſſit ſe eſſe immunem a peccato: & quænam ſint conjecturæ de ſtatu gratiæ.

Resp. D. Thomas, dicendum, quod homo ſit omnino a peccato immunis, per certitudinem ſciri non poteſt, 1. Corinth. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.*

Poteſt tamen de hoc haberi aliqua conjectura, præcipue per quatuor ſigna, ſicut Bernardus dicit; primo, cum quis devote verba Dei audit, quia *qui eſt ex Deo, verba Dei audit*, Joannis 8. ſecundo, cum quis ſe promptum ad bene operandum invenit, quia *probatio dilectionis exhibitio eſt operis*, ut dicit Gregorius: tertio, cum quis a peccatis abſtinendi in futurum propoſitum habet: quarto, cum de præteritis dolet, quia in his vera pœnitentia ſecundum Gregorium conſiſtit. *4. ſent. diſt. 9. art. 3. q. 2. in corp. ad Cor. 4. lect. 1.*

Videatur etiam ſupra *v. Gratia q. 6.*

IMPOENITENTIA.

QUÆR. 1. *An impœnitentia ſit ſpeciale peccatum.*

Resp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut perſeverantia dicitur dupliciter; uno modo prout eſt virtus ſpecialis; & dicit propoſitum perſeverandi in bono incepto, uſque ad finem; & alio modo prout eſt circumſtantia aliarum virtutum, & dicit actualem durationem in actibus virtutum uſque ad mortem, ita etiam & impœnitentia ſecundum quod dicit propoſitum non pœnitendi, eſt ſpecies peccati in Spiritum Sanctum; ſecundum autem quod dicit permanentiam in peccato uſque ad mortem negando peccati pœnitentiam, ſic eſt accidens, vel circunſtantia aliorum peccatorum. *2. ſent. diſt. 43. a. 3. ad 3.*

QUÆR. 2. *Quomodo illud Joannis, non pro eo dico, ut quis oret, intelligatur de peccato ad mortem, ſive de peccato in Spiritum Sanctum, quod eſt impœnitentia.*

Reſp. D. Thomas, ſi peccatum ad mortem intelligatur peccatum in Spiritum Sanctum, prout peccatum in Spiritum Sanctum requirit finalem impœnitentiam; ſecundum unam opinionem ſic intelligendum eſt, ut nullus pro talibus oret: quia qui uſque ad mortem in peccato mortali perdurat, poſtmodum orationibus non juvatur: ſi autem ſumatur pro peccato in Spiritum Sanctum ſecundum aliam opinionem, prout requirit finalem impœnitentiam, ſic intelligendum eſt, ut non oret pro eo quis, ideſt quicunque, quia talium converſio quaſi miraculoſa eſt: unde ſicut pro faciendis miraculis non quilibet orat, ſed magni, & ſancti viri; ita nec pro talium converſione. Tamen ſecundum formam verborum non prohibetur oratio pro eo fieri, ſed oſtenditur quod præceptum de orando pro proximis fidelibus non ſe extendit ad tales peccatores; quia propter ſui peccati enormitatem hoc merentur, ut a fidelibus relinquantur, ſicut Ethnici, & Publicani. *2. d. 43. in exp. text.*

Digitized by Google

QUÆRITUR, Utrum imprudentia ſit peccatum mortale, per quod tollitur theſaurus gratiæ, juxta illud Prov. 21. Theſaurus deſiderabilis, & oleum in habitaculo, & homo imprudens diſſipabit illud.

RESP. D. Thomas, dicendum, quod imprudentia dupliciter accipi poteſt: uno modo privative: alio modo contrarie. Negative autem non proprie dicitur, ita ſcilicet quod proprie importet ſolam carentiam prudentiæ quæ poteſt eſſe fine peccato. Privative quidem imprudentia dicitur inquantum aliquis caret prudentia, quam quis natus eſt & debet habere: & ſecundum hoc imprudentia eſt peccatum ratione negligentiæ, qua quis non adhibet ſtudium ad prudentiam habendam. Contrarie vero accipitur imprudentia ſecundum quod ratio contrario modo movetur, vel agit prudentiæ; puta ſi recta ratio prudentiæ agit conſiliando, imprudens conſilium ſpernit; & ſic de aliis, quæ in actu prudentiæ conſideranda ſunt: & hoc modo imprudentia eſt peccatum ſecundum rationem propriam prudentiæ: non enim poteſt hoc contingere, quod homo contra prudentiam agat, niſi divertens a regulis, quibus ratio prudentiæ rectificatur: unde ſi hoc contingat per averſionem a regulis Divinis, eſt peccatum mortale; puta cum quis quaſi contemnens, & repudians divina documenta, præcipitanter agit: ſi vero præter eas agat abſque contemptu, & abſque detrimento eorum, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, eſt peccatum veniale. 1. 2. *q.* 63. *a.* 1. *in expoſ.*

IMPUGNATIO.

QUÆR. 1. An quis peccet impugnando veritatem licet in rebus non neceſſariis ad ſalutem.

RESP. D. Thomas, in aliis etiam (non neceſſariis ad ſalutem) peccaret quis, ſi voluntarie ſecundum intellectum verum impugnaret, & falſo adhæreret. 1. *ſent. diſt.* 48. *a.* 4. *ad* 1.

QUÆR. 2. Utrum impugnatio veritatis agnitæ ſit peccatum in Spiritum Sanctum.

Reſp. *v. Peccatum.*

INCANTATIO.

Vide infra *v. Superſtitio.*

INCESTUS.

QUÆR. 1. Quid ſit inceſtus; & utrum importet violationem fœderis naturalis.

RESP. D. Thomas, inceſtus qui eſt conſanguinearum, vel affinium abuſus, ab incendio nomen habens, vel a privatione caſtitatis quaſi antonomaſtice, qui caſtitatem violat in illis, qui maximo fœdere conjunguntur, addit ſpecialem deformitatem, ſcilicet naturalis fœderis violationem. 4. *ſent. d.* 4. *q.* 1. *a.* 4. *q.* 1.

QUÆR. 2. An inceſtus ſit determinata ſpecies luxuriæ: & quibus de cauſis ſit prohibitus.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ibi neceſſe eſt inveniri determinatam ſpeciem luxuriæ, ubi invenitur aliquid repugnans uſui debito venereorum: in uſu autem conſanguinearum, vel affinium invenitur aliquid incongruum commixtioni venereæ, triplici ratione.

Primo quidem, quia naturaliter homo debet quandam honorificentiam parentibus, & per conſequens aliis conſanguineis, qui ex eiſdem parentibus de propinquo originem trahunt, intantum quod apud antiquos, ut Maximus Valerius refert, non erat fas filium ſimul cum Patre balneari, ne ſe invicem nudos conſpicerent: manifeſtum eſt autem, quod in actibus venereis maxime conſiſtit quædam turpitudo honorificentiæ contraria; unde de his homines verecundantur: & ideo incongruum eſt, quod commixtio venerea fiat talium perſonarum ad invicem: & hæc cauſa videtur exprimi *Levit.* 18. ubi dicitur, *Mater tua eſt, non revelabis turpitudinem ejus.* Et idem poſtea dicitur in aliis.

Secunda ratio eſt, quia perſonas ſanguine conjunctas neceſſe eſt ad invicem ſimul converſari: unde ſi homines non arcentur a commixtione venerea, nimia opportunitas daretur hominibus venereæ commixtionis, & ſic animi hominum nimis emolleſcerent per luxuriam: & ideo in veteri lege illæ perſonæ ſpecialiter videntur prohibitæ eſſe, quas neceſſe eſt ſimul commorari.

Tertia ratio eſt, quia per hoc impediretur multiplicatio amicorum: dum enim homo uxorem extraneam accipit, junguntur ibi quadam ſpeciali amicitia omnes conſanguinei uxoris, ac ſi eſſent conſanguinei ſui: unde Auguſt. dicit 15. de Civ. Dei; *habita eſt ratio rectiſſima charitatis, ut homines, quibus eſſet utilis, atque honeſta concordia, diverſarum neceſſitudinum vinculis necterentur, nec unus in una multas haberet, ſed ſingulæ ſpargerentur in ſingulos.*

Addit

Addit autem Ariſtoteles quartam rationem in 2. Polit. quia cum naturaliter homo conſanguineam diligat, ſi adderetur amor, qui eſt ex commixtione venerea, fieret nimius ardor amoris, & maximum libidinis incentivum, quod charitati repugnat: unde manifeſtum eſt, quod inceſtus eſt determinata luxuriæ ſpecies. 2. 2. *q.* 154. *a.* 9. *in corp. q.* 15. *de malo, a.* 3. *in corp.*

QUÆR. 3. *An ſit eadem indecentia in commixtione cum affinibus, ac cum ipſis conſanguineis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod perſona affinis conjungitur alicui propter perſonam conſanguinitate conjunctam: & ideo, quia unum eſt propter alterum, ejuſdem rationis inconvenientiam facit conſanguinitas, & affinitas. 2. 2. *q.* 154. *a.* 9. *ad* 2.

QUÆR. 4. *Quare ipſa etiam bruta abhorrent commixtionem inter parentes, & filios, quæ eſt inceſtus in primo gradu: & quænam ſit indecentia in aliis gradibus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in commixtione perſonarum conjunctarum aliquid eſt quod eſt ſecundum ſe indecens, & repugnans naturali rationi; ſicut quod commixtio fiat inter parentes, & filios quorum eſt per ſe, & immediata cognatio: nam filii naturaliter honorem debent parentibus: unde Philoſ. dicit in 9. de animalibus: quod quidam equus, quia deceptus fuit ut matri commiſceretur, ſeipſum præcipitavit, quaſi præ horrore, eo quod etiam animalibus aliquibus ineſt naturalis reverentia ad parentes.

Aliæ vero perſonæ, quæ non conjunguntur ſecundum ſeipſas, ſed per ordinem ad parentem, non habent ita ex ſeipſis indecentiam: ſed variatur circa hoc decentia, vel indecentia ſecundum conſuetudinem, & legem humanam, vel Divinam: quia uſus venereorum quia ordinatur ad bonum commune, ſubjacet legi: & ideo Auguſtin. dicit 15. de Civitat. Dei: *Commixtio ſororum, & fratrum quanto fuit antiquior compellente neceſſitate, tanto poſtea facta eſt damnabilior, Religione prohibente. Ibidem ad* 3. & 4. *ad Hannib. diſt.* 40. *a.* 1. *ad* 1.

INCONSIDERATIO.

QUÆR. 1. *Utrum inconſideratio ſit peccatum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod conſideratio importat actum intellectus veritatem rei intuentis: ſicut autem inquiſitio pertinet ad rationem, ita judicium pertinet ad intellectum: unde & in ſpeculativis demonſtrativa ſcientia dicitur judicativa, inquantum per reſolutionem in prima principia intelligibilia de veritate inquiſitorum judicatur: & ideo conſideratio maxime pertinet ad judicium: unde & defectus recti judicii ad vitium inconſiderationis pertinet, prout ſcilicet aliquis in recte judicando deficit ex hoc quod contemnit, vel negligit attendere ea, ex quibus rectum judicium procedit: unde manifeſtum eſt, quod inconſideratio eſt peccatum. 2. 2. *q.* 53. *a.* 4. *in corp.*

QUÆR. 2. *Utrum inconſideratio ſit filia luxuriæ.* Reſp. *v. Luxuria.*

INCONSTANTIA.

QUÆR. 1. *Quid ſit inconſtantia: & quomodo ſub imprudentia continеatur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod inconſtantia importat receſſum quendam a bono propoſito diffinito: hujuſmodi autem receſſus principium quidem habet a vi appetitiva; non enim aliquis recedit a priori bono propoſito, niſi propter aliud quod ſibi inordinate placet: ſed iſte receſſus non conſummatur niſi per defectum rationis; quæ fallitur in hoc, quod repudiat id quod bene acceptaverat. Et quia, cum poſſit reſiſtere impulſui paſſionum, ſi non reſiſtat, hoc eſt ex debilitate ipſius, quæ non tenet ſe firmiter in bono propoſito concepto; ideo inconſtantia quantum ad ſui conſummationem pertinet ad defectum rationis. Sicut autem omnis rectitudo rationis practicæ pertinet aliqualiter ad prudentiam, ita omnis defectus ejuſdem pertinet ad imprudentiam: & ideo inconſtantia ſecundum ſui conſummationem ad imprudentiam pertinet: & ſicut præcipitatio eſt ex defectu circa actum conſilii, & inconſideratio circa actum judicii, ita inconſtantia circa actum præcepti: ex hoc enim dicitur aliquis eſſe inconſtans, quod ratio deficit in præcipiendo ea quæ ſunt conſiliata & judicata. 2. 2. *q.* 53. *a.* 5. *in corp.*

QUÆR. 2. *Quomodo inconſtantia oriatur ex invidia, & ira, juxta illud Jacobi* 3. *Ubi zelus, & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus pravum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod invidia, & ira, quæ eſt contentionis principium, faciunt inconſtantiam ex parte appetitivæ virtutis, ex qua eſt principium inconſtantiæ, ut dictum eſt *in eodem a.* 5. *ad* 5.

QUÆR. 3. *Cur inconſtantia magis cauſetur a luxuria, quam ab invidia, aut ira.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod invidia, & ira cauſant inconſtantiam, pertrahendo rationem ad aliud; ſed luxuria cauſat

incon-

Digitized by Google

inconſtantiam, totaliter extinguendo judicium: unde Philoſophus dicit in 7. Ethic. c. 6. quod *incontinens iræ audit quidem rationem, ſed non perfecte: incontinens autem concupiſcentiæ totaliter eam non audit*. 2. 2. q. 53. a. 6. ad 1.

INCONTINENTIA.

QUÆR. 1. Quomodo incontinentia cauſetur ex parte animæ, vel corporis.

RESP. D. Thomas, dicendum, quod unumquodque attribuitur magis ei, quod eſt cauſa per ſe, quam ei quod ſolam occaſionem præſtat: id autem, quod eſt ex parte corporis, ſolam occaſionem præſtat incontinentiæ; ex diſpoſitione enim corporis poteſt contingere, quod inſurgant paſſiones vehementes in appetitu ſenſitivo, qui eſt virtus corporis organici, ſed hujuſcemodi paſſiones quantumcunque vehementes non ſunt ſufficiens cauſa incontinentiæ, ſed occaſio ſola, eo quod durante uſu rationis, ſemper homo poteſt paſſionibus reſiſtere: ſi vero paſſiones adeo inſurgant, quod totaliter auferant uſum rationis, ſicut accidit in his, qui propter vehementiam paſſionum amentiam incurrunt, non remanebit ratio continentiæ, neque incontinentiæ; quia non ſalvatur in eis, judicium rationis, quod continens ſervat, & incontinens deſerit. Et ſic relinquitur, quod per ſe cauſa incontinentiæ ſit ex parte animæ, quæ ratione paſſionibus non reſiſtit: quod quidem fit duobus modis, ut Philoſophus dicit in 7. Ethic. uno modo quando anima paſſionibus cedit, antequam ratio conſilietur, quæ quidem vocatur irrefrænata incontinentia, vel prævolatio; alio modo quando non permanet homo in his, quæ conſiliata ſunt, eo quod debiliter eſt firmatus in eo, quod ratio judicavit: unde & hæc incontinentia vocatur debilitas. Et ſic patet, quod incontinentia principaliter ad animam pertinet. 2. 2. q. 156. a. 1. in corp.

QUÆR. 2. An & quando incontinentia ſit peccatum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod incontinentia poteſt attendi circa aliquid tripliciter: uno modo proprie, & ſic incontinentia attenditur circa concupiſcentias delectationum tactus, ſicut & intemperantia, & hoc modo incontinentia eſt peccatum ex duplici ratione uno modo ex eo quod incontinens recedit ab eo quod eſt ſecundum rationem: alio modo ex eo quod ſe immergit quibuſdam turpibus delectationibus: & ideo Philoſophus dicit in 9. Ethic quod *incontinentia vituperatur non ſolum ut peccatum*, quod ſcilicet eſt per receſſum a ratione, *ſed ſicut malitia quædam*, inquantum pravas concupiſcentias ſequitur.

Alio modo incontinentia attendit circa aliquid, proprie quidem inquantum homo recedit ab eo, quod eſt ſecundum rationem; ſed non ſimpliciter puta cum aliquis non ſervat modum rationis in concupiſcentia honoris, divitiarum, & aliorum hujuſmodi, quæ ſecundum ſe videntur eſſe bona, circa quæ non eſt incontinentia ſimpliciter, ſed ſecundum quid: & ſic incontinentia eſt peccatum non ex eo quod aliquis ingerat ſe pravis concupiſcentiis, ſed ex eo quod non ſervat modum debitum rationis, etiam in concupiſcentia rerum per ſe appetendarum.

Tertio modo incontinentia dicitur eſſe circa aliquid non proprie, ſed ſecundum ſimilitudinem: puta circa concupiſcentias eorum quibus non poteſt quis male uti; puta circa concupiſcentias virtutum, circa quas poteſt aliquis dici incontinens eſſe per ſimilitudinem: quia ſicut ille, qui eſt incontinens, totaliter ducitur per concupiſcentiam malam, ita aliquis totaliter per concupiſcentiam ducitur bonam; quæ eſt ſecundum rationem; & talis incontinentia non eſt peccatum, ſed pertinet ad perfectionem virtutis. 2. 2. q. 156. art. 2. in corp.

QUÆR. 3. Quomodo in homine incontinente videatur judicium rationis.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod in eo, qui eſt incontinens, vincitur judicium rationis non quidem ex neceſſitate, quod auferret rationem peccati; ſed ex negligentia quadam hominis non firmiter intendentis ad reſiſtendum paſſioni per judicium rationis quod habet. *In eodem a. 2. ad 2.*

QUÆR. 4. Cur, ſicut ait Philoſ. 7. Ethic. mulieres non dicuntur neque continentes, neque incontinentes.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſecundum corpus habet quandam debilem complexionem, fit, ut in pluribus, quod & etiam debiliter inhæreat quibuſcunque inhæret; etſi raro in aliquibus aliter accidat, ſecundum illud Proverb. ult. *Mulierem fortem, quis inveniet?* & quia id quod eſt parvum, vel debile, reputatur quaſi nullum: inde eſt quod Philoſophus loquitur de mulieribus quaſi non habentibus judicium rationis firmum; quamvis in aliquibus mulieribus contrarium accidat: & propter hoc dicit quod mulieres non dicimus continentes: quia non ducuntur quaſi habentes ſolidam rationem, ſed ducuntur quaſi de facili ſequentes paſſiones. *In eadem q. 156. a. 1. ad 1.*

QUÆR. 5. Cur, ſicut dicit Philoſophus 6. Ethic. maxi-

Digitized by Google

maxime acuti, ideſt cholerici, & melancholici ſunt incontinentes: & quid dicendum de phlegmaticis.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ex impetu paſſionis contingit, quod aliquis ſtatim paſſionem ſequatur ante conſilium rationis: impetus autem paſſionis provenire ſolet, vel ex velocitate, ſicut in cholericis; vel ex vehementia, ſicut in melancholicis, qui propter terreſtrem complexionem vehementiſſime inflammantur; ſicut e contrario contingit quod aliquis non perſiſtat in eo quod conſiliatum eſt, ex eo quod debiliter inhæret propter mollitiem complexionis, ut de mulieribus dictum eſt: quod etiam videtur in phlegmaticis contingere propter eandem cauſam ſicut in mulieribus: hæc autem accidunt inquantum ex complexione corporis datur aliqua incontinentiæ occaſio, non autem cauſa ſufficiens, ut dictum eſt. *Ibid. ad* 2.

QUÆR. 6. An incontinens plus peccet quam intemperatus: & cur, ut ait Philoſ. in 7. Ethic. Intemperatus non eſt pœnitivus, immanet enim electioni: incontinens autem omnis eſt pœnitivus.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod peccatum ſecundum Auguſtinum præcipue in voluntate conſiſtit: *voluntas eſt enim qua peccatur, & recte vivitur:* & ideo ubi eſt major inclinatio voluntatis ad peccatum, ibi eſt gravius peccatum; in eo autem, qui eſt intemperatus, voluntas inclinatur ad peccandum ex propria electione, quæ procedit ex habitu per conſuetudinem acquiſito; in eo autem, qui eſt incontinens voluntas inclinatur ad peccandum ex aliqua paſſione: & quia paſſio cito tranſit, habitus autem eſt qualitas difficile mobilis, inde eſt, quod incontinens ſtatim pœnitet tranſeunte paſſione, quod non accidit in intemperato, quinimo gaudet ſe peccaſſe, eo quod operatio peccati eſt ſibi facta connaturalis ſecundum habitum: unde his dicitur Proverb. 2. quod *lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis*: unde patet, quod intemperatus eſt multo pejor, quam incontinens, ut etiam Philoſophus dicit in 7. Ethic. 2. 2. *quæſtiunc.* 156. *art.* 3. *in corp.*

QUÆR. 7. Utrum incontinens magis peccet, quam intemperatus, ex eo quod, ut Philoſophus dicit 7. Ethic. incontinens ſciens quam prava ſunt quæ concupiſcit, nihilominus agit propter paſſionem; intemperatus autem judicat ea quæ concupiſcit eſſe bona.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ignorantia intellectus, quandoque quidem præcedit inclinationem appetitus, & cauſat eam: & ſic quanto eſt major ignorantia, tanto magis peccatum diminuit, vel totaliter excuſat, inquantum cauſat involuntarium. Alio modo e converſo ignorantia rationis ſequitur inclinationem appetitus: talis ignorantia quanto eſt major, tanto peccatum eſt gravius; quia oſtenditur inclinatio appetitus eſſe major: ignorantia autem tam incontinentis quam intemperati provenit ex eo, quod appetitus eſt in aliquid inclinatus, ſive per paſſionem, ſicut in incontinente, ſive per habitum, ſicut in intemperato: major autem ignorantia cauſatur ex hoc in intemperato quam in incontinente: Et uno quidem modo quantum ad durationem: quia in incontinente durat illa ignorantia ſolum paſſione durante: ſicut acceſſio febris tertianæ durat durante commotione humoris: ignorantia autem intemperati durat aſſidue propter permanentiam habitus; unde aſſimilatur phthiſi, vel cuicunque morbo continuo: ut Philoſ. dicit in 7. Ethic. Alio autem modo eſt major ignorantia intemperati, quantum ad id quod ignoratur: nam ignorantia incontinentis attenditur quantum ad aliquod particulare eligibile; prout ſcilicet æſtimat hoc nunc eſſe eligendum: ſed intemperatus habet ignorantiam circa ipſum finem, inquantum ſcilicet judicat hoc eſſe bonum ut irrefrænate concupiſcentias ſequatur: unde Philoſ. dicit in 7. Ethic. quod *incontinens eſt melior intemperato: quia ſalvatur in eo optimum principium*, ſcilicet recta æſtimatio de fine. 2. 2. *q.* 156. *a.* 3. *ad* 1.

QUÆR. 8. An ſit difficilius ſanare incontinentem, quam intemperatum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ad ſanationem incontinentiæ non ſufficit ſola cognitio, ſed requiritur interius auxilium gratiæ concupiſcentiam mitigantis, & adhibetur etiam exterius remedium admonitionis & correptionis, ex quibus aliquis incipit concupiſcentiis reſiſtere; ex quo concupiſcentia debilitatur. Et iiſdem etiam modis poteſt ſanari intemperatus. Sed difficilior eſt ejus ſanatio propter duo: quorum primum eſt ex parte rationis quæ corrupta eſt circa æſtimationem ultimi finis; quæ ſe habet ſicut principium in demonſtrativis; difficilius autem reducitur ad veritatem ille qui errat circa principium: & ſimilitér in operativis, ille qui errat circa fidem; aliud autem eſt ex parte inclinationis appetitus, quæ in intemperato eſt ex habitu, qui difficile tollitur; inclinatio autem incontinentis eſt ex paſſione, quæ facilius reprimi poteſt. *Ibid. ad* 2.

QUÆR. 9. An ſit major libido in incontinente, quam in intemperato.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod libido

do voluntatis, quæ auget peccatum, major eſt in intemperato, quam in incontinente: ſed libido concupiſcentiæ appetitus ſenſitivi quandoque major eſt in incontinente: quia incontinens non peccat niſi ex gravi concupiſcentia; ſed intemperatus etiam ex levi concupiſcentia peccat, & quandoque eam prævenit: & ideo Philoſ. dicit in 7. Ethic. quod *magis intemperatum vituperamus quia non concupiſcens, vel quiete* (ideſt remiſſe) *concupiſcens perſequitur delectationes; quid enim faceret, ſi adeſſet concupiſcentia juvenilis? Ibid. ad* 3.

QUÆR. 10. *An & quare incontinens iræ ſit minus malum, quam incontinens concupiſcentiæ, juxta illud Philoſ. in 7. Ethic. minus turpis eſt incontinentia iræ quam incontinentia concupiſcentiæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod peccatum incontinentiæ poteſt conſiderari dupliciter: uno modo ex parte paſſionis, ex qua ratio ſuperatur, & ſic incontinentia concupiſcentiæ turpior eſt, quam incontinentia iræ, quia motus concupiſcentiæ habet majorem inordinationem, quam motus iræ, & hoc propter quatuor, quæ Philoſophus tangit in 7. Ethic. primo quidem quia motus iræ participat aliqualiter rationem, inquantum ſcilicet iratus tendit ad vindicandum injuriam ſibi factam, quod aliqualiter ratio dictat; ſed non perfecte, quia non intendit debitum modum vindictæ, ſed motus concupiſcentiæ totaliter eſt ſecundum ſenſum, & nullo modo ſecundum rationem. Secundo quia motus iræ magis conſequitur corporis complexionem, propter velocitatem motus choleræ, quæ tendit ad iram; unde magis eſt in promptu, quod ille, qui eſt ſecundum complexionem corporis diſpoſitus ad iraſcendum, iraſcatur, quam quod ille qui eſt diſpoſitus ad concupiſcendum, concupiſcat: unde etiam frequentius ex iracundis naſcuntur iracundi, quam ex concupiſcentibus concupiſcentes: quod autem provenit ex naturali corporis diſpoſitione, reputatur magis venia dignum. Tertio, quia ira quærit manifeſte operari: ſed concupiſcentia quærit latebras, & doloſe ſubintrat. Quarto, quia concupiſcens delectabiliter operatur; ſed iratus quaſi quadam triſtitia præcedente coactus; Alio modo poteſt conſiderari peccatum incontinentiæ, quantum ad malum in quod quis incidit a ratione diſcedens: & ſic incontinentia iræ eſt ut plurimum gravior, quia ducit in ea quæ pertinent ad proximi nocumentum. 2. 2. *qu.* 156. *art.* 4. *in corp.* 3. *ſent. diſt.* 26. *q.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 25. *de verit. art.* 2.

QUÆR. 11. *An ſicut Heraclitus dixit, difficilius ſit pugnare contra concupiſcentiam quam contra iram: & ex hoc incontinentia ſit magis condonabilis, juxta illud Philoſophi 7. Ethic. non enim ſi quis a fortibus, & ſuperexcellentibus delectationibus vincitur, vel triſtitiis, eſt admirabile ſed condonabile.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod difficilius eſt aſſidue pugnare contra delectationem quam contra iram; quia concupiſcentia eſt magis continua; ſed ad horam difficilius eſt reſiſtere iræ propter ejus impetum. 2. 2. *q.* 156. *a.* 4. *ad* 1.

QUÆR. 12. *In quo ſenſu dixit Ariſtot. 7. Eth. quod iratus aliqualiter audit rationem, non autem concupiſcens, ſive incontinens.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod concupiſcentia dicitur eſſe ſine ratione: non quia totaliter auferat judicium rationis, ſed quia in nullo procedit ſecundum judicium rationis, & ex hoc eſt turpior. *Ib. ad* 2.

INDEVOTIO.

QUÆR. Quæ indevotio circa communionem ſit mortalis, & quænam venialis.

Reſp. ſupra *v. Communio*, *q.* 57.

INDULGENTIÆ.

QUÆR. 1. *Quomodo in Eccleſia ſit Theſaurus meritorum Chriſti, & Sanctorum, ut poſſit largiri Indulgentias: & quid requiratur ad eas lucrandas.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod opus unius poteſt eſſe ſatisfactorium pro alio, ad quem per intentionem facientis refertur: Chriſtus autem pro Eccleſia ſua ſanguinem ſuum fudit, & multa alia & fecit, & ſuſtinuit, quorum æſtimatio eſt infiniti valoris, propter dignitatem perſonæ: unde dicitur Sapientiæ 8. quod *infinitus eſt* (in illa) *Theſaurus hominibus*: Similiter etiam & omnes alii Sancti intentionem habuerunt in his, quæ paſſi ſunt, & fecerunt propter Deum, ut hoc eſſet ad utilitatem non ſolum ſui, ſed etiam totius Eccleſiæ: totus ergo iſte theſaurus eſt in diſpenſatione ejus, qui præeſt generali Eccleſiæ: unde Petro Dominus Claves regni Cælorum commiſit Matthæi 16. Quando ergo utilitas, vel neceſſitas ipſius Eccleſiæ hoc expoſcit, poteſt ille, qui præeſt Eccleſiæ, de iſta infinitate theſauri communicare alicui, qui per Charitatem ſit membrum Eccleſiæ, inquantum ſibi viſum fuerit opportunum, vel uſque ad totalem remiſſionem pœnarum, vel uſque ad aliquam

Digitized by Google

certam quantitatem; ita ſcilicet quod paſſio Chriſti, & aliorum Sanctorum ei imputetur, ac ſi ipſe paſſus eſſet, quantum ſufficeret ad remiſſionem ſui peccati; ſicut contingit cum unus pro alio ſatisfacit.

Ad hoc ergo quod indulgentia alicui valeat tria requiruntur: primo cauſa pertinens ad honorem Dei, vel ad neceſſitatem, aut utilitatem Eccleſiæ: ſecundo authoritas in eo, qui facit; Papa enim poteſt principaliter; alii vero inquantum poteſtatem ab eo accipiunt, vel ordinariam, vel commiſſam, ſeu delegatam: tertio requiritur, ut ſit in ſtatu Charitatis ille, qui indulgentiam percipere vult, & hæc tria deſignantur in littera Papali pro Cruce ſignatis; nam cauſa conveniens deſignatur in hoc, quod præmittitur, *de ſubſidio terræ Sanctæ*; authoritas vero in hoc, quod fit mentio *de authoritate Apoſtolorum Petri, & Pauli, & ipſius Papæ;* Charitas autem recipientis in hoc, quod dicitur, *omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis*; non dicit & ſatisfacientibus; quia indulgentia non excuſat a contritione, & confeſſione, ſed cedit in locum ſatisfactionis. *quodlib.* 2. *art.* 16. *in corp. opuſc.* 7. *cap.* 6.

QUÆR. 2. *Utrum Indulgentiæ valeant ad remiſſionem pœnæ tam ſecundum judicium Dei, quam ſecundum forum Eccleſiæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ab omnibus conceditur indulgentias aliquid valere; quia impium eſſet dicere quod Eccleſia aliquid vane faceret. Sed quidam dicunt quod non valent ad abſolvendum a reatu pœnæ, quam quis in Purgatorio ſecundum judicium Dei meretur; ſed valent ad abſolutionem ab obligatione, qua Sacerdos obligavit pœnitentem ad pœnam aliquam; vel ad quam etiam ordinatur ex Canonum ſtatutis. Sed hæc opinio non videtur vera; primo, quia eſt expreſſe contra privilegium Petro datum, ut quod in terra remitteret, & in cælo remitteretur: unde remiſſio quæ fit quantum ad forum Eccleſiæ, valet etiam quantum ad forum Dei: & præterea Eccleſia hujuſmodi indulgentias largiens, ſeu dans, magis damnificaret quam adjuvaret; quia remitteret ad graviores pœnas, ſcilicet purgatorii, abſolvendo a pœnitentiis injunctis.

Et ideo aliter dicendum quod valent & quantum ad forum Eccleſiæ, & quantum ad judicium Dei, ad remiſſionem pœnæ reſiduæ poſt contritionem, & abſolutionem, & confeſſionem, ſive ſit injuncta, ſive non. Ratio autem quare valere poſſunt, eſt unitas corporis myſtici, in qua multi operibus pœnitentiæ ſupererogaverunt ad menſuram debitorum ſuorum: & multæ etiam tribulationes injuſte ſuſtinuerunt patienter, per quas multitudo pœnarum poterat expiari ſi eis deleretur, quorum meritorum tanta eſt copia quod omnem pœnam debitam nunc viventibus excedunt: & præcipuæ propter meritum Chriſti, quod etſi in Sacramentis operatur, non tamen efficacia ejus in Sacramentis includitur, ſed ſua infinitate efficaciam Sacramentorum excedit. Unus autem pro alio ſatisfacere poteſt: Sancti autem in quibus ſuperabundantia operum ſatisfactionis invenitur, non determinate pro iſto, qui remiſſione indiget, hujuſmodi opera fecerunt (alias abſque omni indulgentia remiſſionem conſequeretur) ſed communiter pro tota Eccleſia: ſicut Apoſtolus dicit ſe *implere ea, quæ deſunt Paſſioni Chriſti in corpore ſuo pro Eccleſia*, ad quam ſcribit. Et ſic prædicta merita ſunt communia totius Eccleſiæ: ea autem, quæ ſunt communia multitudinis alicujus, diſtribuuntur ſingulis de multitudine ſecundum arbitrium ejus, qui multitudini præeſt: unde ſicut aliquis conſequeretur remiſſionem pœnæ, ſi alius pro eo ſatisfeciſſet, ita ſi ei ſatisfactio alterius per eum, qui poteſt, diſtribuatur. 4. *ſent. diſt.* 20. *artic.* 3. *qu.* 1. *in corp.*

QUÆR. 3. *An Indulgentiæ ſuppleant pro ſatisfactione tam ut eſt medicinalis, quam ut eſt pœnalis: & utrum poſt indulgentias ſit neceſſarius ſatisfactionis labor.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſatisfactio & eſt punitiva, inquantum eſt actus vindicativæ juſtitiæ, & eſt etiam medicativa, inquantum eſt quoddam Sacramentale: Indulgentia ergo non ſupplet locum ſatisfactionis inquantum eſt medicativa, quia adhuc remanent pronitates ad peccandum derelictæ ex priori peccato, ad quas ſanandas neceſſarius eſt labor ſatisfactionis; & ideo Cruce ſignatis dum veniunt, conſulendum eſt, ut non prætermittant ſatisfactionis opera, inquantum ſunt præſervativa a peccatis futuris, licet reatus pœnæ ſit totaliter ſolutus: nec ad hoc requiritur aliquis labor, quia ſufficit labor Paſſionis Chriſti. Morientibus autem non eſt neceſſaria hujuſmodi præſervatio, ſed ſolum liberatio a reatu pœnæ. *Quodlib.* 2. *art.* 16. *ad* 3.

QUÆR. 4. *Quomodo per Indulgentias detur remedium ad vitanda peccata: & quare conſulendum eſt illis, qui eas lucrantur, ut propterea ab operibus pœnitentiæ non deſiſtant.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod majus remedium præbetur contra peccata vitanda ex gratia, quam ex aſſuetudine noſtrorum operum; & quia ex effectu quem accipiens in-

Digitized by Google

indulgentiam, concipit ad cauſam, pro qua indulgentia datur, ad gratiam diſponitur, ideo etiam per indulgentias remedium ad peccata vitanda datur; & ita non eſt in deſtructionem indulgentias dare, niſi inordinate dentur. Tamen conſulendum eſt eis, qui indulgentiam conſequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ injunctis abſtineant, ut etiam ex his remedium conſequantur, quamvis a debito pœnæ eſſent immunes; & præcipue quia quandoque ſunt plurium debitores, quam credant. 4. *ſent. d.* 20 *a.* 3. *q.* 1. *ad* 4.

QUÆR. 5. *Utrum Indulgentiæ tantum valeant, quantum ſonant, ſive prædicantur: & quænam ad hoc conditiones requirantur; Et utrum ex hoc fiat injuria vel miſericordiæ Dei, vel ipſius juſtitiæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod circa hoc eſt multiplex opinio.

Quidam enim dicunt, quod hujuſmodi Indulgentiæ non tantum valent, quantum prædicantur; ſed unicuique tantum valent, quantum fides, & devotio ſua exigit; ſed dicunt, quod Eccleſia ad hoc ita pronunciat, ut quadam pia fraude homines ad benefaciendum alliciat, ſicut mater, quæ promittens filio pomum, ipſum ad ambulandum provocat: ſed hoc videtur valde periculoſum dicere; ſicut enim dicit Auguſtinus in Epiſt. ad Hieronym. *Si in Sacra Scriptura deprehenditur aliquid falſitatis, jam robur authoritatis Sacræ Scripturæ perit*; & ſimiliter ſi in prædicatione Eccleſiæ aliqua falſitas deprehenderetur, non eſſent documenta Eccleſiæ alicujus authoritatis ad roborandum fidem.

Et ideo alii dixerunt, quod valent tantum, quantum pronunciantur ſecundum juſtam æſtimationem, non tamen dantis, qui minus forte æſtimat quod dat; aut ſecundum æſtimationem recipientis, qui nimis parum æſtimare poſſet, quod datur; ſed ſecundum æſtimationem, quæ juſta eſt ſecundum judicium bonorum penſata conditione perſonæ, & utilitate, & neceſſitate Eccleſiæ; quia uno tempore Eccleſia plus indiget, quam alio. Sed hæc etiam opinio non poteſt ſtare, ut videtur: primo, quia ſecundum hoc indulgentiæ non valerent ad remiſſionem, ſed magis ad commutationem quandam; & præterea prædicatio Eccleſiæ a mendacio non excuſaretur, cum quandoque indulgentia prædicetur longe major, quam juſta æſtimatio poſſit requirere, omnibus prædictis conditionibus penſatis; ſicut quando Papa dat Indulgentiam, quod qui vadit ad unam Eccleſiam, habeat ſeptem annos de indulgentia; cujuſmodi etiam indulgentiæ a B. Gregorio in ſtationibus Romæ inſtitutæ ſunt.

Et ideo alii dicunt, quod quantitas remiſſionis in indulgentiis non eſt menſuranda ſecundum devotionem tantum ſuſcipientis, ut prima opinio dicebat: neque ſecundum quantitatem ejus, quod datur, ſicut dicebat ſecunda; ſed ſecundum cauſam, pro indulgentia datur, ex qua reputatur dignus, ut talem indulgentiam conſequatur; unde ſecundum quod accepit ad cauſam illam, ſecundum hoc conſequitur remiſſionem indulgentiæ vel in toto, vel in parte. Sed hoc iterum non poteſt ſalvare conſuetudinem Eccleſiæ, quæ interdum majorem pro eadem cauſa, interdum minorem indulgentiam ponit. Sicut rebus eodem modo ſe habentibus quandoque datur unus annus viſitantibus Eccleſiam unam, quandoque quadraginta dies, prout gratiam Papa facere voluerit indulgentiam conſtituens: unde quantitas remiſſionis non eſt menſuranda ex cauſa, quæ facit indulgentia dignum.

Et ideo aliter dicendum, quod quantitas effectus conſequitur quantitatem ſuæ cauſæ; cauſa autem remiſſionis pœnæ in indulgentiis non eſt niſi abundantia meritorum Eccleſiæ, quæ ſe habet ſufficienter ad totam pœnam expiandam; non autem cauſa remiſſionis effectiva eſt vel devotio, aut labor, aut datum recipientis, aut cauſa pro qua fit indulgentia: unde non oportet ad aliquod horum proportionare quantitatem remiſſionis, ſed ad merita Eccleſiæ, quæ ſemper ſuperabundant; & ideo ſecundum quod applicantur ad iſtum, ſecundum hoc remiſſionem conſequitur.

Ad hoc autem quod applicentur iſti, requiritur authoritas diſpenſandi hujuſmodi theſaurum; & unio ejus, cui diſpenſatur ad eum, qui merebatur, quod eſt per Charitatem; & ratio diſpenſationis ſecundum quod ſalvetur intentio illorum, qui opera meritoria fecerunt: fecerunt enim ad honorem Dei, & ad utilitatem Eccleſiæ in generali: unde quæcunque cauſa adſit, quæ in utilitatem Eccleſiæ vergat, & honorem Dei, ſufficiens eſt ratio indulgentias elargiendi.

Et ideo ſecundum alios dicendum, quod indulgentiæ ſimpliciter tantum valent, quantum prædicantur, dummodo ex parte dantis ſit authoritas, ex parte recipientis charitas, & ex parte cauſæ pietas, quæ comprehendit honorem Dei, & proximi utilitatem.

Nec in hoc nimis fit magnum forum de miſericordia Dei, ut quidam dicunt; nec juſtitiæ Divinæ derogatur: quia nihil de pœna dimittitur, ſed unius pœna alteri computatur. 4. *ſent. d.* 20. *a.* 3. *q.* 2. *in corp.*

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 6. Utrum alia opera ſatisfactoria ſint magis meritoria, & magis æſtimari debeant, quam Indulgentiæ.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quamvis indulgentiæ multum valeant ad remiſſionem pœnæ, tamen alia opera ſatisfactionis ſunt magis meritoria reſpectu præmii eſſentialis: quod in infinitum melius eſt, quam dimiſſio pœnæ temporalis. 4. *ſent. d.* 20. *art.* 3. *q.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 7. An quando dantur Indulgentiæ ſub hac forma (qui dat auxilium ad aliquam fabricam erigendam, tertiam partem remiſſionis peccatorum conſequatur) tunc vere conſequatur plenam abſolutionem ab omni peccatorum pœna, qui dat unum denarium primo, deinde alium, & tertio alium &c.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod quando datur indulgentia indeterminate (qui dat auxilium ad fabricam Eccleſiæ) intelligitur tale auxilium, quod ſit conveniens ei, qui auxilium dat, & ſecundum hoc plus vel minus de indulgentia conſequitur: unde etiam aliquis pauper dans unum denarium conſequitur totam indulgentiam; non autem dives, quem non decet ad opus tam pium, & fructuoſum ita parum dare: ſicut non diceretur Rex alicui homini auxilium facere, ſi ei obolum daret. 4. *ſent. d.* 20. *art.* 3. *qu.* 2. *ad* 3.

QUÆR. 8. An quando datur Indulgentia ſub hac forma (qui vadit ad aliquam Eccleſiam, ſeptem annos remiſſionis conſequatur) illi, qui habent domum prope Eccleſiam, tantum conſequantur, quantum illi, qui a remotis partibus veniunt: & utrum illi, qui pluries ad illam Eccleſiam vadunt, pluries etiam indulgentiam illam conſequantur.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ille, qui eſt vicinus Eccleſiæ, & etiam Sacerdotes, & Clerici conſequuntur tantam indulgentiam, ſicut illi, qui venirent a mille diætis: quia remiſſio non proportionatur labori, ſed meritis, quæ diſpenſantur: ſed ille qui plus laboraret, plus de merito acquireret. Sed hoc intelligendum quando indiſtincte indulgentia datur: quandoque enim diſtinguitur, ſicut Papa in generalibus abſolutionibus, illis qui tranſeunt mare, dat quinque annos: aliis qui tranſeunt montes, tres: aliis unum. Nec tamen quotieſcunque vadit infra tempus Indulgentiæ, toties eam conſequitur. Quando autem ad determinatum tempus datur, ut cum dicitur: *Quicumque vadit ad Eccleſiam talem uſque ad tale tempus, habeat tantum de indulgentia*, intelligitur ſemel tantum; ſed ſi in aliqua Eccleſia ſit indulgentia perennis ſicut in Eccleſia D. Petri, *quadraginta dierum*, tunc quoties vadit aliquis, toties indulgentiam conſequitur. 4. *ſent. diſt.* 20. *art.* 3. *qu.* 2. *ad* 4.

QUÆR. 9. An Indulgentiæ poſſint dari pro temporali ſubſidio.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod temporalia ad ſpiritualia ordinantur; quia propter ſpiritualia temporalibus uti debemus: & ideo pro temporalibus ſimpliciter non poteſt fieri indulgentia, ſed pro temporalibus ordinatis ad ſpiritualia; ſicut eſt repreſſio inimicorum Eccleſiæ, qui pacem Eccleſiæ perturbant; vel ſicut conſtructio Eccleſiarum, & pontium, & aliarum eleemoſynarum collatio: & per hoc patet, quod non fit ibi ſimonia, quia non datur ſpirituale pro temporali, ſed pro ſpirituali. 4. *ſent. d.* 20. *art.* 3. *qu.* 3. *in corp.*

QUÆR. 10. Utrum Indulgentiæ poſſint conferri pro ſubſidio pure ſpirituali: & utrum qui orat pro Rege Franciæ habeat decem dies indulgentiarum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod etiam pro pure ſpiritualibus poteſt fieri Indulgentia: & fit quandoque: ſicut quicunque orat pro Rege Franciæ habet decem dies de Indulgentia a Papa Innocentio IV. & ſimiliter Crucem prædicantibus datur quandoque eadem indulgentia, quæ Crucem accipientibus. 4. *ſent. diſt.* 20. *art.* 3. *qu.* 3. *ad* 2.

QUÆR. 11. An omnes Superiores alicujus Congregationis poſſint conferre Indulgentias: & utrum illæ communicationes, ſive applicationes bonorum operum, quas faciunt ad benefactores, aut alios, poſſint, proprie loquendo, indulgentiæ nuncupari.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod indulgentiæ effectum habent, ſecundum quod opera ſatisfactoria unius alteri computantur, non ſolum ex vi Charitatis, ſed ex intentione operantis aliquo modo directa ad ipſum: ſed intentio alterius poteſt ad alterum dirigi tripliciter; aut in ſpeciali, aut in generali; aut in ſingulari: in ſingulari quidem, ſicut cum quis pro alio ſatisfacit determinate; & ſic quilibet poteſt alteri ſua opera communicare: in ſpeciali autem, ſicut cum quis orat pro Congregatione ſua, & familiaribus, & benefactoribus, & ad hoc ordinat etiam ſua opera ſatisfactoria; & ſic ille, qui Congregationi præeſt, poteſt opera illa alii communicare, applicando intentionem illorum, qui ſunt de Congregatione ſua, ad hunc determinate; ſed in generali, ſicut cum quis opera ſua ordinat ad bonum Eccleſiæ in generali; & ſic ille qui præeſt Eccleſiæ generaliter, poteſt opera illa communicare, applicando intentionem ſuam ad hunc, vel ad illum: & quia homo eſt pars Congregationis, & Congregatio eſt pars Eccleſiæ; ideo in intentione privati boni includitur intentio boni Congregationis, & boni totius Eccleſiæ: & ideo

ideo ille, qui præeſt Eccleſiæ, poteſt communicare ea, quæ ſunt congregationis, & hujus hominis; & ille qui præeſt congregationi ea, quæ ſunt hujus hominis, ſed non convertitur.

Sed neque prima communicatio, neque ſecunda indulgentia dicitur, ſed ſolum tertia, propter duo: primo, quia per illas communicationes quamvis homo ſolvatur a reatu pœnæ quantum ad Deum, tamen non ſolvitur a debito faciendi ſatisfactionem injunctam; ad quam obligatus eſt ex præcepto Eccleſiæ; ſed per tertiam communicationem homo etiam ab hoc debito abſolvitur: ſecundo, quia in una perſona, vel in una congregatione non eſt indeficientia meritorum, ut ſibi in omnibus aliis valere poſſit, unde iſte non abſolvitur a pœna debita pro toto, niſi tantum determinate pro eo fiat, quantum debebatur: ſed in Eccleſia tota eſt indeficientia meritorum præcipue propter meritum Chriſti; & ideo ſolus ille, qui præficitur Eccleſiæ, poteſt indulgentiam elargiri.

Sed cum Eccleſia ſit congregatio fidelium, congregatio autem hominum ſit duplex, ſcilicet Oeconomica, ut illi, qui ſunt de una familia, & Politica, ſicut illi, qui ſunt de uno populo; Eccleſia ſimilatur congregationi politicæ, quia ipſe populus Eccleſia dicitur; ſed Conventus diverſi, vel Parochiæ in una Diœceſi ſimilantur congregationi diverſis familiis, vel in diverſis officiis, & ideo ſolus Epiſcopus proprie Prælatus Eccleſiæ dicitur; & ideo ipſe ſolus quaſi ſponſus annulum Eccleſiæ recipit; & ideo ſolus ipſe habet plenam poteſtatem in diſpenſatione Sacramentorum, & juriſdictionem in foro cauſarum, quaſi perſona publica; alii autem ſecundum quod ab eo eis committitur.

Sed Sacerdotes, qui plebibus præficiuntur, non ſunt ſimpliciter Prælati, ſed quaſi coadjutores: unde in conſecratione Sacerdotum Epiſcopus dicit: *quanto fragiliores ſumus, tanto magis his auxiliis indigemus*, & propter hoc etiam non omnia Sacramenta diſpenſant: unde Sacerdotes Parochiales, vel Abbates, aut alii hujuſmodi Prælati, non poſſunt hujuſmodi indulgentias dare. 4. *ſent. d.* 20. *art.* 4. *qu.* 3. *in corp. opuſc.* 20. *lib.* 3. *cap.* 20.

QUÆR. 12. *An Diaconus, & alii non Sacerdotes poſſint conferre indulgentias.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod poteſtas concedendi indulgentias ſequitur juriſdictionem: & quia Diaconi, & alii non Sacerdotes poſſunt habere juriſdictionem vel commiſſam, ſicut Legati, vel ordinariam ſicut Electi: ideo poſſunt indulgentias concedere etiam non Sacerdotes, quamvis non poſſint abſolvere in foro pœnitentiæ, quod eſt ordinis. 4. *ſent. diſt.* 20. *artic.* 4. *quæſt.* 2. *in corp.*

QUÆR. 13. *An Epiſcopus poſſit conferre indulgentias.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod Papa habet plenitudinem Pontificalis poteſtatis quaſi Rex in regno; ſed Epiſcopi aſſumuntur in partem ſollicitudinis quaſi judices ſingulis civitatibus præpoſiti; propter quod etiam ſolum eos in ſuis litteris Fratres vocat, reliquos autem omnes vocat filios: & ideo poteſtas faciendi indulgentias plene reſidet in Papa, quia poteſt facere, quod vult, cauſa tamen exiſtente legitima; ſed in Epiſcopis eſt taxata ſecundum ordinationem Papæ: & ideo poſſunt dare ſecundum quod eis taxatum eſt, & non amplius. 4. *ſent. diſt.* 20. *art.* 4. *qu.* 3. *in corp.*

QUÆR. 14. *An tantum valeant indulgentiæ, ſi conferantur ab eo, qui eſt peccator, quam ſi conferrentur ab eo, qui eſt ſanctiſſimus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod elargiri indulgentias pertinet ad juriſdictionem: ſed per peccatum homo non amittit juriſdictionem: & ideo indulgentiæ æque valent ſi fiant ab eo, qui eſt in peccato mortali, ſicut ſi fierent ab eo, qui eſt ſanctiſſimus; cum non remittat pœnam ex vi ſuorum meritorum, ſed ex vi meritorum reconditorum in thelauris Eccleſiæ. 4. *ſent. d.* 20. *art.* 4. *q.* 4. *in corp.*

QUÆR. 15. *Utrum indulgentiæ valeant exiſtenti in peccato mortali; & quomodo illi communicatio bonorum valere poſſit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quidam dicunt indulgentias valere etiam exiſtentibus in peccato mortali, non quidem ad dimiſſionem pœnæ; quia nulli poteſt dimitti pœna, niſi cui jam dimiſſa eſt culpa; qui enim non eſt conſecutus operationem Dei in remiſſione culpæ, non poteſt conſequi remiſſionem pœnæ a miniſtro Eccleſiæ, neque in indulgentiis, neque in foro pœnitentiali: valet tamen ei ad acquirendum gratiam. Sed hoc non videtur verum; quia quamvis merita illa, quæ per indulgentiam communicantur, poſſent valere ad merendum gratiam, non tamen propter hoc diſpenſantur, ſed determinate ad remiſſionem pœnæ: & ideo non valent exiſtentibus in mortali: & ideo in omnibus indulgentiis fit mentio de vere contritis, & confeſſis.

Si autem fieret communicatio per hunc modum, *facio te participem meritorum totius Eccleſiæ, vel unius congregationis, vel unius ſpecialis perſonæ*, ſic poſſet valere ad merendum aliquid illi, qui eſt in peccato mortali, ut prædicta opinio dicit. 4. *ſent. d.* 20. *art.* 5. 1. *in corp.*

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 16. *An indulgentiæ valeant tum ſæcularibus, tum religioſis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod tam ſæcularibus, quam Religioſis valent indulgentiæ, dummodo ſint in Charitate, & ſervent ea, quæ pro indulgentiis indicuntur: non enim religioſi ſunt minus adjuvabiles meritis aliorum, quam ſæculares: 4. *ſent. d.* 20. *art.* 5. *quæſt.* 2. *in corp.*

QUÆR. 17. *An Religioſi debeant potius ſuas regulas ſervare, quam indulgentias exquirere: & utrum indulgentiæ ipſis valeant pro pœnis in capitulo injunctis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod propter indulgentias non debet diſſolvi regularis obſervantia: quia Religioſi magis merentur religionem ſuam ſervando, quam indulgentias exquirendo: quamvis minus quantum ad dimiſſionem pœnæ; quod eſt minus bonum. Nec iterum per indulgentias dimittuntur pœnæ injunctæ in capitulo: quia in capitulo agitur forum quaſi judiciale magis, quam pœnitentiale (unde etiam non Sacerdotes capitulum tenent) ſed abſolvitur a pœna injuncta, vel debita pro peccato in foro pœnitentiali. 4. *ſent. d.* 20. *art.* 5. *quæſtiunc.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 18. *An non obſervans ea, quæ præcipiuntur in litteris Papæ, conſequatur indulgentias.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod non exiſtente conditione non conſequitur illud, quod ſub conditione datur: unde cum indulgentia detur ſub hac conditione, quod aliquis aliquid faciat, vel det, ſi illud non exerceat, indulgentiam non conſequitur. 4. *ſent. d.* 20. *art.* 5. *qu.* 3. *in corp.*

QUÆR. 19. *An unus pro alio poſſit indulgentias lucrari.*

Reſp. D. Thomas; dicendum quod opus proprium poteſt quis applicare per intentionem cuicunque voluerit; & ideo poteſt pro quocunque vult ſatisfacere: ſed indulgentia non poteſt applicari ad aliquem, niſi ex intentione ejus, qui dat indulgentiam; & ideo cum ipſe applicet ad facientem, vel dantem (hic autem illud non poteſt) ille qui hoc facit, ad alterum hanc intentionem transferre non poteſt. Si tamen ſic fieret indulgentia; *ille, qui facit, vel pro quo hoc fit habeat tantam indulgentiam;* valeret ei, pro quo fit: nec tunc iſte, qui facit hoc opus, daret alteri indulgentiam, ſed ille, qui indulgentiam ſub tali facit. 4. *ſent. d.* 20. *art.* 5. *quæſtiunc.* 3. *ad* 1.

QUÆR. 20. *An & quomodo indulgentiæ valeant ei qui eas confert.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod indulgentia debet ex aliqua cauſa dari, ad hoc quod aliquis per indulgentiam ad aliquem actum provocetur, qui in utilitatem Eccleſiæ, & in honorem Dei vergat: Prælatus autem, cui cura Eccleſiæ utilitatis procurandæ, & honoris divini propagandi eſt commiſſa, non habet cauſam, ut ſeipſum ad hoc provocet: & ideo non poteſt præbere indulgentiam ſibi tantum; ſed poteſt uti indulgentia, quam pro aliis facit, quia pro aliis ſubeſt cauſa faciendi. 4. *ſent. d.* 20. *art.* 5. *quæſt.* 4. *in corp. & ad* 1.

QUÆR. 21. *An cruce ſignatus, qui moritur, antequam iter arripiat, habeat plenam indulgentiam peccatorum.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſi ſecundum formam Papalis litteræ indulgentia concedatur accipientibus Crucem in ſubſidium terræ Sanctæ, Cruce ſignatus ſtatim habet indulgentiam, etiam ſi decedat antequam iter arripiat; quia ſic cauſa indulgentiæ erit non iter, ſed votum itineris: ſi autem in forma litteræ contineatur, quod, indulgentia detur his qui tranſierint ultra mare, ille, qui decedit antequam tranſeat, non habet indulgentiam; quia non habet indulgentiæ cauſam. *Quodl.* 2. *art.* 6. *in corp.*

QUÆR. 22. *Utrum indulgentiæ ſe extendant ad remiſſionem culpæ, vel ſolummodo pœnæ: & quandonam plenaria indulgentia obtineatur.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod per authoritatem ſolus Deus culpam remittit: ſed miniſterio etiam Sacerdos, inquantum exhibet Sacramentum remiſſionis peccati, puta in Baptiſmo, vel Pœnitentia; & tamen indulgentia non ſe extendit ad remiſſionem culpæ, quia non eſt Sacramentalis, unde non ſequitur ordinem, ſed juriſdictionem; poteſt enim & non Sacerdos indulgentiam concedere, ſi ſit ei commiſſum: & ideo pœna totaliter remittitur, ſi cauſa ſubſit; non autem ſi cauſa deſit. *Quodlib.* 2. *quæſt.* 8. *artic.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 23. *Cur licet culpa non poſſit remitti, niſi totaliter, pœna tamen remitti poteſt partialiter, & totaliter.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod verbum Sacerdotis dicentis, *abſolvo te ab omnibus peccatis tuis*, non refertur ad pœnam, ſed ad culpam, cujus abſolutioni miniſterium impendit: non poteſt autem aliquis abſolvi ab una culpa, quin abſolvatur ab omnibus: pœna vero poteſt totaliter dimitti, vel particulariter: particulariter quidem in abſolutione Sacramentali pœna dimittitur: totaliter vero in ſpeciali gratia indulgentiæ ſicut etiam Dominus dicit Joan. 8. mulieri

Digitized by Google

adulteræ: *non te condemnabo; vade, & amplius noli peccare. Ibid. ad* 4.

QUÆR. 24. *An & quomodo indulgentiæ prodeſſe poſſint animabus in purgatorio exiſtentibus.*

Reſp. D. Thomas, quod indulgentia dupliciter alicui prodeſſe poteſt: uno modo principaliter; alio modo ſecundario. Principaliter quidem prodeſt ei qui indulgentiam accipit: ſcilicet qui facit hoc pro quo indulgentia datur, ut qui viſitat limina alicujus Sancti: unde cum mortui non poſſint aliquid facere eorum, pro quibus indulgentiæ dantur, eis indulgentiæ directe valere non poſſunt. Secundario autem & indirecte proſunt ei, pro quo aliquis facit illud quod eſt indulgentiæ cauſa; quod quandoque contingere poteſt, quandoque autem non poteſt, ſecundum diverſam indulgentiæ formam. Si enim ſit talis indulgentiæ forma, *quicunque facit hoc, vel illud, habebit tantum de indulgentia*, ille qui hoc facit non poteſt fructum indulgentiæ in alium tranſferre: quia ejus non eſt applicare ad aliquid intentionem Eccleſiæ, per quam communicantur communia ſuffragia, ex quibus indulgentiæ valent. Si autem indulgentia ſub hac forma fiat, *quicunque fecerit hoc, vel illud, ipſe vel pater ejus, vel quicunque ei adjunctus in purgatorio detentus; tantum de indulgentia habebit*, talis indulgentia non ſolum vivo, ſed etiam mortuo proderit: non enim eſt aliqua ratio quare Eccleſia poſſit transferre merita communia, quibus indulgentiæ innituntur, in vivos, & non in mortuos.

Nec tamen ſequitur quod Prælatus Eccleſiæ poſſit pro ſuo arbitrio animas a purgatorio liberare: quia ad hoc quod indulgentiæ valeant, requiritur cauſa conveniens indulgentias concedendi, ut ſupra dictum eſt. 4. *d*. 45. *qu*. 2. *art*. 3. *qu*. 2.

QUÆR. 25. *An & quare remiſſio pœnæ, quæ fit in Sacramento pœnitentiæ, non dependeat ab hominis arbitrio, bene tamen illa quæ fit per indulgentias: & utrum licet ille qui largitur indulgentias, peccare poſſit, qui tamen facit quod præſcribitur, plenariam indulgentiam conſequatur: ita ut ſi ſtatim moreretur, in cælum evolaret.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod clavis eſt duplex: ſcilicet ordinis, & juriſdictionis: clavis ordinis Sacramentale quoddam eſt, & quia Sacramentorum effectus non ſunt determinati ab homine, ſed a Deo, ideo non poteſt taxare Sacerdos quantum per clavem ordinis in foro Confeſſionis de pœna debita dimittatur: ſed tantum dimittitur, quantum Deus ordinavit: Sed clavis juriſdictionis non eſt quid Sacramentale, & effectus ejus arbitrio hominis ſubjacet: & hujus clavis effectus eſt remiſſio quæ eſt per indulgentias; cum non pertineat ad diſpenſationem Sacramentorum talis remiſſio, ſed ad diſpenſationem bonorum communium Eccleſiæ; & ideo etiam Legati non Sacerdotes indulgentias concedere poſſunt; unde in arbitrio dantis indulgentiam eſt taxare quantum per indulgentiam de pœna remittatur: ſi tamen inordinate remittat, ita quod homines quaſi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ revocentur, peccat faciens tales indulgentias; nihilominus quis plenam indulgentiam conſequitur. 4. *ſent. diſt*. 20. *qu*. 1. *art*. 3. *qu*. 2. *ad* 1.

Inter 72. propoſitiones Baii damnatas a Summo Pontifice Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. (ut dicemus v. Infidelitas) ſequens eſt 56.

Per paſſiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur noſtra delicta, ſed per communionem charitatis nobis eorum paſſiones impertiuntur, ut digni ſimus, qui pretio Sanguinis Chriſti a pœnis pro peccatis debitis liberemur.

INFIDELITAS.

QUÆR. 1. *An infidelitas ſit peccatum etiam illis, qui nihil audierunt de fide.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod infidelitas dupliciter accipi poteſt: uno modo ſecundum puram negationem, ut dicitur infidelis ex hoc ſolo, quod non habet fidem; alio modo poteſt intelligi infidelitas ſecundum contrarietatem ad fidem, quia ſcilicet aliquis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit, ſecundum illud Iſaiæ 53. *Quis credidit auditui noſtro?* & in hoc proprie perficitur ratio infidelitatis, & ſecundum hoc infidelitas eſt peccatum. Si autem accipiatur ſecundum negationem puram, ſicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, ſed magis pœnæ, quia talis ignorantia Divinorum ex peccato primi Parentis conſecuta eſt.

Qui autem ſic ſunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quæ ſine fide remitti non poſſunt: non autem damnantur propter infidelitatis peccatum; unde Dominus dicit Joannis 15. *Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent*; quod exponens Auguſtinus dicit, quod *loquitur de illo peccato, quo non crediderunt in Chriſtum*. 2. 2. *qu*. 10. *art*. 1. *in corp. art*. 6. *in corp. qu*. 34. *art*. 2. *ad* 2.

QUÆR. 2. *Utrum infidelitas intantum ſit peccatum, inquantum eſt voluntaria.*

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod infidelitas non eſt peccatum in intellectu exiſtens, niſi ſecundum quod actus intellectus eſt imperatus a voluntate: ſic enim & fides in eo eſt; quia ſecundum Auguſtinum, *credere non poteſt homo niſi volens*: ſimiliter etiam niſi homo voluntarie omittat quod facere deberet, in infidelitatem non incideret; quia ſi quod in ſe eſt faceret, Deus revelaret ipſi quod credere deberet. 2. *ſent. d.* 39. *qu.* 1. *art.* 2. *ad* 4.

QUÆR. 3. *An infidelitas perficiatur in contemptu: & ideo ipſius cauſa ſit in voluntate.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod contemptus voluntatis cauſat diſſenſum intellectus, in quo perficitur ratio infidelitatis; unde cauſa infidelitatis eſt in voluntate; ſed ipſa infidelitas eſt in intellectu. 2. 2. *qu.* 10. *art.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 4. *An nutriti in ſylvis, qui nihil de fide audierunt, excuſentur a peccato infidelitatis: & utrum ſi facerent quod in ſe eſt, Deus eis provideret de neceſſariis ad ſalutem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſecundum ſententiam Domini, quæ habetur Joannis 17. illi, qui loquentem Dominum per ſe, vel per ejus diſcipulos non audierunt, excuſationem habent de peccato infidelitatis: non tamen beneficium Dei conſequentur, ut ſcilicet juſtificentur ab aliis peccatis, vel quæ naſcendo contraxerunt, vel male vivendo addiderunt, & pro his merito damnantur.

Si qui tamen eorum feciſſent, quod in ſe eſt, Dominus eis ſecundum ſuam miſericordiam providiſſent, mittendo eis Prædicatorem fidei, ſicut Petrum Cornelio Actorum 10., & Paulum Macedonibus Act. 16. ſed tamen hoc ipſum quod aliqui faciunt, quod in ſe eſt, convertendo ſe ſcilicet ad Deum, ex Deo eſt movente corda ipſorum ad bonum, Threnor. 5. *Converte nos Domine ad te, & convertemur*. Act. Rom. 10. *lect.* 3.

QUÆR. 5. *An ſit certiſſimum, quod ſi infideles ſequerentur ductum luminis naturalis, Deus ipſe eos de fide inſtrueret, vel ad eos fidei Prædicatorem mitteret.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod non ſequitur inconveniens poſito quod quilibet teneatur aliquid explicite credere, ſi in ſylvis, vel inter bruta animalia nutriatur. Hoc enim ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de neceſſariis ad ſalutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis taliter nutritus ductum naturalis rationis ſequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certiſſime eſt tenendum, quod ei Deus vel per internam inſpirationem revelaret ea, quæ ſunt ad credendum neceſſaria; vel aliquem fidei prædicatorem ad ipſum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium Act. 10. *quæſt.* 14. *de verit. artic.* 11. *ad* 1. 3. *ſent. de* 25. *quæſt.* 2. *art.* 1. *qu.* 1. *ad* 1. & 2. *art.* 2. *qu.* 2.

QUÆR. 6. *Utrum omnes infidelium actiones ſint peccata.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod peccatum mortale tollit gratiam gratum facientem, non autem totaliter corrumpit bonum naturæ: unde cum infidelitas ſit quoddam peccatum mortale, infideles quidem gratia carent, remanet tamen in eis aliquod bonum naturæ: unde manifeſtum eſt, quod infideles non poſſunt operari opera bona, quæ ſunt ex gratia, ſcilicet opera meritoria; tamen bona opera, ad quæ ſufficit bonum naturæ, aliqualiter operari poſſunt: unde non oportet, quod in omni ſuo opere peccent. Sed quandocunque aliquod opus operantur ex infidelitate, tunc peccant. Sicut enim habens fidem poteſt aliquod peccatum committere in actu, quem non refert ad fidei finem, vel venialiter, vel etiam mortaliter peccando: ita enim infidelis poteſt aliquem actum bonum facere in eo quod non refert ad finem infidelitatis. 2. 2. *qu.* 10. *art.* 4. *in corp.*

QUÆR. 7. *An & quando actiones infidelium licet priventur charitate, poſſint tamen eſſe bonæ ex ſuo genere.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod actus alicujus charitate carentis poteſt eſſe duplex: unus quidem ſecundum hoc quod charitate caret, utpote cum facit aliquid in ordine ad id per quod caret charitate: & talis actus ſemper eſt malus: ſicut Auguſtinus dicit 4. contra Julianum, quod actus infidelis inquantum eſt infidelis, ſemper eſt peccatum, etiamſi nudum operiat, vel quidquid aliud hujuſmodi faciat, ordinans ad finem ſuæ infidelitatis: alius autem poteſt eſſe actus charitate carentis non ſecundum quod charitate caret, ſed ſecundum quod habet aliquod aliud donum Dei, vel fidem, vel ſpem, vel etiam naturale bonum, quod non totum per peccatum tollitur: & ſecundum hoc ſine charitate poteſt quidem eſſe aliquis actus bonus ex ſuo genere, non tamen perfecte bonus, quia deeſt debita ordinatio ad ultimum finem. 2. 2. *qu.* 23. *art.* 7. *ad* 1.

QUÆR. 8. *In quo ſenſu, ſuper illud Apoſtoli ad Rom.* 14. *omne autem quod non eſt ex fide peccatum eſt, Gloſſa dicat: omnis vita infidelium peccatum eſt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod cum dicitur,

Digitized by Google

citur, omnis vita infidelium peccatum eſt, non eſt intelligendum hoc modo, quod omnis actus eorum peccatum ſit: ſed quia ſemper cum peccato vivunt: quia infidelitas tale eſt peccatum, quo retento nullum aliorum dimittitur. Vel dicendum quod intelligitur de illis actibus, ad quos ex ſua infidelitate impelluntur: ut eſt adorare idola, & abſtinere a cibis prohibitis in lege, quaſi non ſit eis licitum veſci: & hoc videtur intendere Apoſtolus. 3. *ſent. d. 41. qu. 1. art. 2. ad 1. in expoſ. ejuſdem cap. 14. ad Rom. lect. 3.*

QUÆR. 9. An & quando cum infidelibus ſit diſputandum.

Reſp. ſupra *v. diſputatio.*

QUÆR. 10. An & quinam infideles compellendi ſint ad fidem.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod infidelium quidam ſunt qui nunquam ſuſceperunt fidem ſicut Gentiles, & Judæi: & tales nullo modo ſunt ad fidem compellendi, ut ipſi credant, quia credere voluntatis eſt; ſunt tamen compellendi a fidelibus, ſi adſit facultas, ut fidem non impediant, vel blaſphemiis, vel malis perſuaſionibus, vel etiam apertis perſecutionibus: & propter hoc fideles Chriſti frequenter contra infideles bellum movent, non quidem ut eos ad credendum cogant, quia ſi etiam eos viciſſent, & captivos haberent, in eorum libertate relinquerent, an credere vellent; ſed propter hoc ut eos compellant, ne fidem Chriſti impediant.

Alii vero ſunt infideles, qui quandoque fidem ſuſceperunt, & eam profitentur, ſicut hæretici, & quandoque apoſtatæ: & tales ſunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant, quod promiſerunt, & teneant, quod ſemel ſuſceperunt. 2. 2. *qu.* 10. *art.* 8. *in corp.*

QUÆR. 11. Qaomodo intelligatur præceptum patrisfamilias Matth. 12. qui ſervis dicentibus vis imus, & colligimus ea? Reſpondit, non ne forte colligentes zizania eradicetis ſimul cum eis triticum: ubi dicit Chryſoſt. hæc dicit Dominus, prohibens occiſiones fieri: nec enim oportet interficere hæreticos: quia ſi eos occideritis, neceſſe eſt multos Sanctorum ſimul ſubverti.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod per illam authoritatem quidam intellexerunt eſſe prohibitam non quidem excommunicationem hæreticorum, ſed eorum occiſionem; ut patet per authoritatem Chryſoſt. inductam: Et Auguſt. ad Vincentium de ſe dicit: *hæc primitus mea ſententia erat neminem ad unitatem Chriſti eſſe cogendum, verbo eſſe agendum, diſputatione pugnandum; ſed hæc opinio mea non contradicentium verbis, ſed demonſtrantium ſuperatur exemplis: legum enim terror ita profuit ut multi dicant: gratias Domino, qui vincula noſtra dirupit.* Quod ergo Dominus dicit: *ſinite utraque creſcere uſque ad meſſem*, qualiter intelligendum ſit, apparet ex eo quod ſubditur: *ne forte colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum*; ubi ſatis oſtendit, ſicut Auguſt. dicit contra epiſt. Parmeniani, *cum metus iſte non ſubeſt (id eſt quando ita cujuſque crimen notum eſt omnibus, & execrabile apparet ut nullos prorſus, vel non tales habeat defenſores per quos poſſit ſchiſma contingere) non dormiat ſeveritas diſciplinæ. ibid. ad* 1.

QUÆR. 12. Quomodo intelligatur Decretalis diſt. 45. dicens: de Judæis præcipit ſancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Judæi, ſi nullo modo acceperunt fidem, nullo modo ſunt cogendi ad fidem: ſi autem acceperunt fidem, oportet ut fidem neceſſitate cogantur retinere ſicut eodem capitulo dicitur. *Ibidem ad* 2.

QUÆR. 13. An licet fidem recipere ſit voluntatis, eam tamen retinere ſit neceſſitatis.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſicut vovere eſt voluntatis, reddere autem neceſſitatis; ita accipere fidem eſt voluntatis, ſed tenere eam acceptam eſt neceſſitatis: Et ideo hæretici ſunt compellendi ut fidem teneant: dicit enim Auguſt. ad Bonifacium Comitem: *ubi eſt quod iſti clamare conſueverunt, liberum eſſe credere, vel non credere: cui vim Chriſtus intulit? agnoſcant in Paulo prius cogentem Chriſtum; & poſtea docentem. Ibid. ad 3.*

QUÆR. 14. An & quando debeamus velle, quod infideles occidantur.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut in eadem epiſtola Auguſt. dicit: *nullus noſtrum vult aliquem hæreticum perire. Sed aliter non meruit habere pacem domus David, niſi Abſalon filius ejus in bello, quod contra Patrem gerebat, fuiſſet extinctus. Sic Eccleſia Catholica, ſi aliquorum perditione cæteros colligit, dolorem materni ſanat cordis tantorum liberatione populorum. Ibid. ad 4.*

QUÆR. 15. Utrum pueri Judæorum, aliorumque infidelium ſint invitis parentibus baptizandi.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod maximam habet authoritatem Eccleſiæ conſuetudo, quæ ſemper eſt in omnibus æmulanda; quia & ipſa doctrina catholicorum Doctorum ab Eccleſia authoritatem habet: unde magis ſtandum eſt authoritati Eccleſiæ, quam authoritati vel Auguſtini, vel Hieronymi, vel cujuſcunque Doctoris: Hoc autem Eccleſiæ uſus

nun-

Digitized by Google

nunquam habuit, quod Judæorum filii invitis parentibus baptizarentur; quamvis fuerint retroactis temporibus multi catholici Principes potentiſſimi, ut Conſtantinus, & Theodoſius, quibus familiares fuerunt ſanctiſſimi Epiſcopi, ut Sylveſter Conſtantino, & Ambroſius Theodoſio; qui nullo modo prætermiſiſſent ab eis impetrare, ſi hoc eſſet conſonum rationi.

Et ideo periculoſum videtur hanc aſſertionem de novo inducere, ut præter conſuetudinem in Eccleſia hactenus obſervatam, invitis parentibus Judæorum filii baptizentur. Et hujus ratio eſt duplex. Una quidem propter periculum fidei: ſi enim pueri nondum rationis uſum habentes, Baptiſmum ſuſciperent, poſtmodum cum ad perfectam ætatem venirent, de facili poſſent a parentibus induci ut relinquerent quod ignorantes ſuſceperunt: quod vergeret in fidei detrimentum. Alia vero ratio eſt, quia repugnat juſtitiæ naturali: filius enim naturaliter eſt aliquid patris: & primo quidem a parentibus non diſtinguitur ſecundum corpus, quandiu in matris utero continetur: poſtmodum vero poſtquam ab utero egreditur antequam uſum liberi arbitrii habeat, continetur ſub parentum cura ſicut ſub quodam ſpirituali utero: quandiu enim uſum rationis non habet puer, non differt ab animali irrationali; unde ſicut bos, vel equus eſt alicujus ut utatur eo cum voluerit, ſecundum jus civile, ſicut proprio inſtrumento; ita de jure naturali eſt quod filius antequam habeat uſum rationis, ſit ſub cura patris; unde contra juſtitiam naturalem eſſet, ſi puer antequam habeat uſum rationis, a cura parentum ſubtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur invitis parentibus.

Poſtquam autem incipit habere uſum liberi arbitrii, jam incipit eſſe ſuus; & poteſt quantum ad ea quæ ſunt juris divini, vel naturalis, ſibi ipſi providere: & tunc eſt inducendus ad fidem, non coactione, ſed perſuaſione; & poteſt etiam invitis parentibus conſentire fidei, & baptizari; non autem antequam habeat uſum rationis: unde de pueris antiquorum Patrum dicitur quod *ſalvati ſunt in fide parentum*: per quod datur intelligi, quod ad parentes pertinet providere filiis de ſua ſalute, præcipue antequam habeant uſum rationis. 2. 2. *qu.* 10. *art.* 12. 3. *p. qu.* 68. *art.* 10. *quodl.* 2. *art.* 7.

QUÆR. 16. *An non ſint baptizandi hujuſmodi parvuli ne fiat injuria eorum parentibus, tollendo eis jus patriæ poteſtatis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod nemini facienda eſt injuria: fieret autem Judæis injuria, ſi eorum filii baptizarentur eis invitis; quia amitterent jus patriæ poteſtatis in filios jam fideles: ergo eis invitis non ſunt baptizandi. 2. 2. *qu.* 10. *art.* 12. *in arg. Sed contra. Quodlib.* 2. *art.* 2.

QUÆR. 17. *An cum infidelibus poſſit communicari, vel potius eorum conſortium vitari debeat, juxta illud Deut. 7. Non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis eorum, neque ſociabis cum eis connubia; & ſuper illud Lev. 15. Mulier, quæ redeunte menſe &c. dicit Gloſſa: Sic oportet ab idololatria abſtinere, ut nec idololatras, nec eorum diſcipulos contingamus, nec cum eis communionem habeamus.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod communio alicujus perſonæ interdicitur fidelibus dupliciter: uno modo in pœnam illius, cui communio fidelium ſubtrahitur: alio modo ad cautelam eorum, quibus interdicitur, ne aliis communicent & utraque cauſa ex verbis Apoſtoli accipi poteſt primæ ad Corinth. 5. Nam poſtquam ſententiam excommunicationis protulit, ſubdit pro ratione, *neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit*; & poſtea rationem ſubdit ex parte pœnæ per judicium Eccleſiæ illatæ cum dicit, *nonne de his, qui intus ſunt, vos judicatis?* Primo ergo modo non interdicit Eccleſia fidelibus communionem infidelium, qui nullo modo fidem Chriſtianam ſuſceperunt, ſcilicet Paganorum, vel Judæorum; quia non habent de eis judicare ſpirituali judicio, ſed temporali, in caſu, cum inter Chriſtianos commorantes aliquam culpam committunt, & per fideles temporaliter puniuntur. Sed iſto modo, ſcilicet in pœna, interdicit Eccleſia fidelibus communionem illorum infidelium, qui a fide ſuſcepta deviant vel corrumpendo fidem, ſicut hæretici, vel etiam totaliter a fide recedendo, ſicut Apoſtatæ; in utroſque enim horum excommunicationis ſententiam profert Eccleſia.

Sed quantum ad ſecundum modum videtur eſſe diſtinguendum ſecundum diverſas conditiones perſonarum, & negotiorum; ſi enim aliqui fuerint firmi in fide, ita quod ex communione cum eorum infidelibus converſio infidelium magis ſperari poſſit, quam fidelium a fide averſio, non ſunt prohibendi infidelibus communicare, qui fidem non ſuſceperunt, ſcilicet Paganis, vel Judæis, & maxime ſi neceſſitas urgeat: ſi autem ſint ſimplices, & infirmi in fide, de quorum ſubverſione probabiliter timeri poſſit, prohibendi ſunt ab infidelium communione, & præcipue ne magnam familiaritatem cum eis habeant, vel abſque neceſſitate eis communicent. 2. 2. *q.* 10. *art.* 9. *in corp.*

Digitized by Google

QUÆR. 18. *An liceat Dominis fidelibus habere ſervos infideles*.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod magis eſt probabile, quod ſervus, qui regitur imperio Domini, convertatur ad fidem Domini fidelis, quam e converſo: & ideo non eſt prohibitum, quin fideles habeant ſervos infideles: ſi tamen Domino periculum immineret ex communione talis ſervi, deberet eum a ſe abjicere, ſecundum illud mandatum Domini Matthæi 18. *Si pes tuus ſcandalizaverit te, abſcinde eum, & projice abs te*. 2. 2. *qu*. 10. *art*. 9. *ad* 3.

QUÆR. 19. *Utrum Infideles poſſint habere prælationem, ſeu dominium ſupra fideles*.

Reſp. ſupra *v. Dominium*.

QUÆR. 10. *Cur licet Eccleſia non permittat dominium ſuper fideles, permittit tamen quod fideles eis miniſterium exhibeant; & quod Chriſtiani colant terras Judæorum*.

Reſp. D. Thomas, quod ſervi ſubjiciuntur dominis ſuis ad totam vitam, & ſubditi præfectis ad omnia negotia: ſed miniſtri artificum ſubduntur eis ad aliqua ſpecialia opera: unde periculoſius eſt, quod infideles accipiant Dominium, vel prælationem ſuper fideles, quam quod accipiant ab eis miniſterium in aliquo artificio: & ideo permittit Eccleſia quod Chriſtiani poſſint colere terras Judæorum, quia per hoc non habent neceſſe converſari cum eis. Salomon etiam expetiit a Rege Tyri magiſtros operum ad ligna cædenda, ut habetur 3. Regum 6. & tamen ſi ex tali communicatione, vel convictu ſubverſio fidelium timeretur, eſſet penitus interdicendum. *ibid. ad* 3.

QUÆR. 21. *An & quando Infidelium ritus ſint tolerandi, juxta quod dicitur in Decretis diſt*. 45. *cap. Qui ſincera, dicit Gregorius de Judæis: omnes feſtivitates ſuas ſicut hactenus ipſi, & Patres eorum per longa colentes tempora, tenuerunt, liberam habeant obſervandi, celebrandique licentiam*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod humanum regimen derivatur a Divino regimine, & ipſum debet imitari: Deus autem quamvis ſit omnipotens, & ſumme bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in univerſo, quæ prohibere poſſet, ne eis ſublatis, majora bona tollerentur, vel etiam pejora mala ſequerentur: ſic ergo & in regimine humano illi qui præſunt, recte aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala pejora incurrantur: ſicut Auguſtinus dicit in lib. de ordine: *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus*; ſic ergo quamvis infideles in ſuis ritibus peccent, tolerari poſſunt, vel propter aliquod bonum, quod ex eis provenit; vel propter aliquod malum, quod vitatur.

Ex hoc autem quod Judæi ritus ſuos obſervant, in quibus olim præfiguratur veritas fidei, quam tenemus, hoc bonum provenit, quod teſtimonium fidei noſtræ habemus ab hoſtibus, & quaſi in figura nobis repræſentat quod credimus: & ideo in ſuis ritibus tolerantur. Aliorum vero infidelium ritus, qui nihil veritatis, aut utilitatis afferunt, non ſunt aliqualiter tolerandi, niſi forte ad aliquod malum vitandum; ſcilicet ad vitandum ſcandalum, vel diſſidium, quod ex hoc poſſet provenire; vel impedimentum ſalutis eorum, qui paulatim ſic tolerati convertuntur ad fidem: propter hoc enim etiam hæreticorum & paganorum ritus aliquando Eccleſia toleravit, quando erat magna infidelium multitudo. 2. 2. *q*. 10. *art*. 11. *in corp*.

QUÆR. 22. *An Prælati Eccleſiarum habeant poteſtatem ſuper infideles*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Prælati Eccleſiarum accipiunt ſpiritualem poteſtatem ſuper eos tantum, qui ſe fidei ſubdiderunt, ſecundum illud 2. Corinth. 10. *In promptu habentes ulciſci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit veſtra obedientia*: directe tamen Prælati Eccleſiarum habent poteſtatem ſuper eos, qui foris ſunt, inquantum propter eorum culpam prohibent fideles, ne illis communicent. 1. *ad Corinth*. 5. *lect*. 3.

QUÆR. 23. *An liceat auferre res infidelium: cum de ipſis dicat D. Auguſtinus in epiſt. ad Vincentium Donatiſtam: Res falſo appellatis veſtras, quas nec juſte poſſidetis, & ſecundum leges terrenorum Regum amittere juſſi eſtis*.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod intantum aliqui infideles res ſuas injuſte poſſident, inquantum eas ſecundum leges terrenorum Principum amittere juſſi ſunt: & ideo ab eis poſſunt per violentiam ſubtrahi, non privata authoritate, ſed publica. 2. 2. *qu*. 66. *art*. 8. *ad* 2.

QUÆR. 24. *An puer poſſit ſequi Patrem fidelem, vel matrem infidelem: & utrum dum eſt adhuc parvulus dari debeat huic aut illi*.

Reſp. Div. Thomas dicendum, quod proles aut pervenit ad perfectam ætatem, & tunc poterit libere ſequi Patrem fidelem, vel matrem infidelem; vel eſt in minori ætate conſtitutus, & tunc debet dari fideli, non obſtante quod indiget matris obſequio ad educationem. 4. *ſent. d*. 39. *art*. 4. *ad* 4.

QUÆR. 25. *An filius manens in infidelitate, Patre converſo, perdat jus hæreditatis*.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod filius qui remanet in infidelitate, Patre converſo, amit-

amittit jus paternæ hæreditatis: & tamen ſi poſtea convertitur, redditur ei ſua hæreditas; etiam ſi alius in poſſeſſionem ejus intravit. 4. *ſent. d.* 39. *art.* 5. *in* 5. *argum.*

QUÆR. 26. *An convenienter aſſignentur tres infidelitatis ſpecies, ſcilicet paganiſmus, judaiſmus, & hæreſis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quælibet virtus conſiſtit in hoc, quod attingit regulam aliquam cognitionis, vel operationis humanæ: attingere autem regulam eſt uno modo circa unam materiam, ſed a regula deviare contingit multipliciter: & ideo uni virtuti multa vitia opponuntur; diverſitas autem vitiorum, quæ unicuique virtuti opponuntur, poteſt conſiderari dupliciter: Uno modo ſecundum diverſam habitudinem ad virtutem, & ſecundum hoc determinatæ ſunt quædam ſpecies vitiorum, quæ opponuntur virtuti; ſicut virtuti morali opponitur unum vitium ſecundum exceſſum ad virtutem, & aliud vitium ſecundum defectum a virtute: alio modo poteſt conſiderari diverſitas vitiorum oppoſitorum uni virtuti ſecundum corruptionem diverſorum, quæ ad virtutem requiruntur, ſecundum hoc uni virtuti, puta temperantiæ, vel fortitudini, opponuntur infinita vitia, ſecundum quod infinitis modis contingit diverſas circunſtantias virtutis corrumpi, ut a rectitudine virtutis recedatur: unde & Pythagorici malum poſuerunt infinitum.

Sic ergo dicendum, quod ſi infidelitas attendatur ſecundum comparationem ad fidem, diverſæ ſunt infidelitatis ſpecies, & numero determinatæ; cum enim peccatum infidelitatis conſiſtat in renitendo fidei, hoc poteſt contingere dupliciter: quia aut renititur fidei nondum ſusceptæ, & talis infidelitas eſt Paganorum, ſive Gentilium; aut renititur fidei Chriſtianæ ſuſceptæ, vel in figura, & ſic eſt infidelitas Judæorum; vel in ipſa manifeſtatione veritatis, & ſic eſt infidelitas hæreticorum: unde in generali poſſunt aſſignari tres prædictæ ſpecies infidelitatis.

Si diſtinguantur vero infidelitatis ſpecies ſecundum errores in diverſis, quæ ad fidem pertinent, tunc non ſunt determinatæ infidelitatis ſpecies: poſſunt enim errores in infinitum multiplicari, ut patet per Auguſtinum in lib. de hæreſibus 2. 2. *q.* 10. *art.* 5. *in corp.*

QUÆR. 27. *An infidelitas ſit maximum peccatorum, ſicut D. Auguſtinus exponens illud Joan.* 15. *Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent, dicit: Magnum quidem quoddam peccatum ſub generali nomine vult intelligi: hoc enim eſt peccatum (ſcilicet infidelitatis) quo tenentur cuncta peccata.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod omne peccatum formaliter conſiſtit in averſione a Deo: unde tanto aliquod peccatum eſt gravius, quanto per ipſum homo magis a Deo ſeparatur: per infidelitatem autem maxime homo ab eo elongatur; quia nec veram Dei cognitionem habet: per falſam autem cognitionem ipſius non propinquat ei, ſed magis ab eo elongatur. Nec poteſt eſſe, quod quantum ad quid Deum cognoſcat, qui falſam opinionem de eo habet; quia id, quod ipſe opinatur, non eſt Deus: unde manifeſtum eſt, quod peccatum infidelitatis eſt majus omnibus peccatis, quæ contingunt in perverſitatem morum. Secus autem eſt de peccatis, quæ opponuntur aliis virtutibus Theologicis. 2. 2. *q.* 10. *art.* 3. *in corp. ad Heb.* 10. *lect.* 3.

QUÆR. 28. *Utrum infidelitas hæreticorum ſit pejor quam infidelitas Judæorum, vel etiam Paganorum, cum de illis dicatur* 2. *Petri* 2. *Melius erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quam poſt cognitionem retrorſum reverti.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in infidelitate duo poſſunt conſiderari: quorum unum eſt comparatio ejus ad fidem; & ex hac parte aliquis gravius contra fidem peccat, qui fidei renititur ſuſceptæ, quam qui renititur fidei nondum ſuſceptæ; ſicut gravius peccat qui non implet quod promiſit, quam ſi non impleat quod nunquam promiſit: & ſecundum hoc hæretici, qui profitentur fidem Evangelii, & ei renituntur eam corrumpentes, gravius peccant, quam Judæi, qui fidem Evangelii nunquam ſuſceperunt: ſed quia ſuſceperunt ejus figuram in veteri lege, quam male interpretantes corrumpunt; ideo etiam eorum infidelitas eſt gravius peccatum, quam infidelitas Gentilium, qui nullo modo fidem Evangelii ſuſceperunt.

Aliud quod in infidelitate conſideratur, eſt corruptio eorum, quæ ad fidem pertinent: & ſecundum hoc, cum in pluribus errent Gentiles quam Judæi, & Judæi quam Hæretici, gravior eſt infidelitas Gentilium quam Judæorum, & Judæorum quam Hæreticorum niſi forte quorundam, puta Manichæorum, qui etiam circa credibilia plus errant quam Gentiles.

Harum tamen duarum gravitatum prima præponderat ſecundæ quantum ad rationem culpæ: quia infidelitas habet rationem culpæ magis ex hoc, quod renititur fidei, quam ex hoc, quod non habet ea quæ ſunt fidei; hoc enim videtur magis ad rationem pœnæ pertinere. Unde, ſimpliciter loquendo, infidelitas hæreticorum eſt peſſima. 2. 2. *qu.* 10. *art.* 6. *in corp.*

QUÆR.

QUÆR. 29. Quis in eadem peccati ſpecie gravius peccet, fidelis, aut infidelis.

Reſpondetur *v. Peccatum.*

QUÆR. 30. Utrum infidelitas maxime opponatur charitati.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod fides, & ſpes ſunt præambula ad charitatem: unde infidelitas, quæ opponitur fidei, & deſperatio, quæ opponitur ſpei, maxime opponuntur charitati, quia radicitus eam evellunt. *q. 2. de malo, a. 10. ad 2.*

QUÆR. 31. Utrum infidelitas ſit ultimum peccatum, ad quod homo perduci poſſit per alia peccata.

Reſp. D. Thomas, ſicut fides eſt prima virtutum, ita infidelitas eſt ultimum peccatorum, ad quod homo quandoque per alia peccata perducitur: unde ſuper illud Pſalm. 139. *Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea* dicit Gloſſa, quod *coacervatione vitiorum ſubrepit diffidentia*, & Apoſtolus dicit 1. ad Timotheum 1. quod *quidam repellentes conſcientiam bonam, circa fidem naufragaverunt. 2. 2. q. 162. a. 7. ad 3.*

QUÆR. 32. An & quomodo pro infidelibus orare liceat.

Reſp. ſupra *v. Excommunicatio q. 2.*

Juxta doctrinam noſtri Sancti Doctoris, Summi Pontifices Pius V. in Conſtitut. Anni 1567. Kalend. Octob. Gregorius XIII. Anni. 1579. Kalend. Februar. & Urbanus VIII. in Conſtitutione lata Anno 1642. pridie nonas Martii, & more ſolito publicata, damnarunt 72. propoſitiones Baii; inter quas habentur duæ ſequentes.

24. Omnia opera infidelium ſunt peccata: & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.

64. Infidelitas pure negativa in his, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.

Decretum Sacræ Congregationis pro Miſſionariis Chinenſibus approbatum ab Innocentio X. (ut diximus v. Fides, ſub finem) continet decimam ſextam dubitationem cum ſua reſolutione, his verbis:

Quæritur 16. Si in illo Regno (ſcilicet Chinæ) licebit Chriſtianis orare, & ſacrificium facere Domino Deo noſtro pro ſuis defunctis, qui in ſua infidelitate ab hac vita diſcedunt.

Cenſuerunt, Si vero in infidelitate decedunt, omnino non licere.

Eccleſiæ praxis eſt probibere, ne parvuli Judæorum, aut aliorum Infidelium, invitis parentibus, baptizentur: ſed tamen ſi baptizati fuerint, ſubtrahuntur a cura parentum, & traduntur Catholicis educandi: unde cum ab aliquibus annis in hac Urbe Avenionenſi parvula quædam Judæorum, inſciis ejus parentibus, baptizata fuiſſet juſſit Sacra Congregatio, ut ſepareretur a parentibus, & educaretur in magno Monaſterio Monialium Viſitationis; & ſimul per Concionatores populum admonere fecit, quod ſi quis deinceps ita baptizare attentaret, præter grave mortale peccatum quod committeret; ſubjiceretur pœnis arbitrio Superiorum infligendis.

INFIRMITAS ANIMÆ.

Videatur infra *v. Paſſio.*

INGRATITUDO.

QUÆR. 1. Quid ſit ingratitudo, an ſit ſpeciale peccatum, & quinam ſint gradus ipſius.

Reſpondet D. Thomas, dicendum, quod omne vitium ex defectu virtutis nominatur, quod magis virtuti opponitur, ſicut illiberalitas magis opponitur liberalitati, quam prodigalitas: poteſt autem virtuti gratitudinis aliquod vitium opponi per exceſſum, puta ſi recompenſatio beneficii fiat, vel pro quibus non debet, vel citius quam debet; ſed magis opponitur gratitudini vitium, quod eſt per defectum, quia virtus gratitudinis in aliquid amplius tendit: & ideo proprie ingratitudo nominatur ex gratitudinis defectu.

Omnis autem defectus, ſeu privatio ſpeciem ſortitur ſecundum habitum oppoſitum; differunt enim cæcitas, & ſurditas ſecundum differentiam viſus, & auditus: unde ſicut gratitudo, vel gratia eſt una ſpecialis virtus, ita etiam ingratitudo eſt unum ſpeciale peccatum.

Habet tamen diverſos gradus ſecundum ordinem eorum, quæ ad gratitudinem requiruntur, in qua primum eſt, quod homo acceptum beneficium recognoſcat; ſecundum eſt, quod laudet, & gratias agat; tertium eſt, quod retribuat pro loco, & tempore ſecundum ſuam facultatem: ſed quod eſt ultimum in generatione, eſt primum in reſolutione; ideo primus ingratitudinis gradus eſt, ut homo beneficium non retribuat; ſecundus eſt, ut diſſimulet, quaſi non demonſtrans ſe beneficium accepiſſe; tertium, & graviſſimum eſt, quod non recognoſcat ſive per oblivionem, ſive quocunque alio modo: & quia in affirmatione oppoſita intelligitur negatio, ideo ad primum ingratitudinis gradum pertinet, quod aliquis retribuat mala pro bonis; ad ſecundum, quod beneficium vituperet; ad tertium quod beneficium quaſi maleficium reputet. *2. 2. q. 107. a. 2. in corp. 4. ſent. d. 22. q. 1. a. 2. q. 1. in corp.*

QUÆR. 2. An ingratitudo ſemper ſit peccatum mortale, vel ſaltem veniale.

Reſp.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ingratus dicitur aliquis dupliciter: uno modo per ſolam omiſſionem, puta quia non recognoſcit, vel non laudat, vel non retribuit vices pro beneficio accepto; & hoc non ſemper eſt peccatum mortale: quia debitum gratitudinis eſt, ut homo etiam aliquid liberaliter tribuat, ad quod non tenetur; & ideo ſi illud prætermittit, non peccat mortaliter.

Eſt tamen peccatum veniale; quia hoc provenit ex negligentia quadam, aut ex aliqua indiſpoſitione hominis ad virtutem. Poteſt tamen contingere, quod etiam talis ingratitudo ſit mortale peccatum, vel propter interiorem contemptum; vel etiam propter conditionem ejus, quod ſubtrahitur, quod ex neceſſitate debetur beneficio ſive ſimpliciter, ſive in aliquo neceſſitatis caſu.

Alio modo dicitur aliquis ingratus, quia non ſolum prætermittit implere gratitudinis debitum, ſed etiam contrarium agit: & hoc etiam ſecundum conditionem ejus, quod agitur, quandoque eſt peccatum mortale, quandoque veniale. Sciendum tamen, quod ingratitudo, quæ provenit ex peccato mortali, habet perfectam ingratitudinis rationem; illa vero, quæ provenit ex peccato veniali, imperfectam. 2. 2. *quæſt.* 107. *artic.* 3. *in corp.*

QUÆR. 3. *Utrum homo venialiter peccans ſit ingratus Deo.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod per peccatum veniale non eſt aliquis ingratus Deo ſecundum perfectam ingratitudinis rationem; habet tamen aliquid ingratitudinis inquantum peccatum veniale tollit aliquem actum virtutis, per quam homo Deo obſequitur. 2. 2. *q.* 107. *a.* 3. *ad* 1.

QUÆR. 4. *In quo ſenſu Seneca dicit in* 2. *de Beneficiis: Hæc beneficii inter duos lex eſt, alter ſtatim oblíviſci debet dati, alter accepti nunquam.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod idem Seneca dicit in 7. de Beneficiis: *Errat ſi quis exiſtimat, cum dicimus, eum qui beneficium dedit oblivíſci oportere, excutere nos illi memoriam rei præſertim honeſtiſſimæ; Cum ergo dicimus*, meminiſſe non debet, *hoc volumus intelligi prædicare non debet, nec jactare. Ibid. ad* 3.

QUÆR. 5. *Quomodo, ſicut Seneca dicit in* 2. *de Beneficiis cap.* 9. *Interdum & ipſe qui juvatur, fallendus eſt, ut habeat, nec a quo acceperit ſciat: cum tamen ex hoc detur ingratitudinis occaſio.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ille qui ignorat beneficium, non eſt ingratus, ſi beneficium non recompenſet; dummodo ſit paratus recompenſare ſi noſſet: eſt laudabile quandoque ut ille cui providetur, beneficium ignoret, tum propter inanis gloriæ vitationem, ſicut Beatus Nicolaus aurum furtim in donum projiciens, vitare voluit humanum favorem; tum etiam quia in hoc ipſo amplius beneficium facit, quod conſulit verecundiæ ejus qui beneficium accipit. 2. 2. *q.* 107. *a.* 3. *ad* 4.

QUÆR. 6. *Utrum ingratis ſubtrahenda ſint beneficia, ut tollatur eis ſpes quidquam amplius recipiendi, ſecundum quod Sapient.* 16. *dicitur: Ingrati ſpes tanquam Hybernalis glacies tabeſcet.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod circa ingratum, duo conſideranda ſunt: primo quid eſt, quod ipſe dignus ſit pati; & ſic certum eſt, quod meretur beneficii ſubtractionem: alio modo conſiderandum eſt, quid oporteat beneficum facere: primo namque non debet eſſe facilis ad ingratitudinem judicandum, *quia frequenter aliquis*, ut Seneca dicit, *qui non reddidit, gratus eſt; quia forte non occurrit ei facultas, aut debita opportunitas reddendi*: ſecundo debet tendere ad hoc, quod de ingrato gratum faciat, quod ſi non poteſt primo beneficio ſatisfacere, forte faciet ſecundo. Si vero ex beneficiis multiplicatis ingratitudinem augeat, & pejor fiat, debet a beneficiorum exhibitione ceſſare. 2. 2. *q.* 107. *art.* 4. *in corp.*

QUÆR. 7. *An peccata dimiſſa redeant per ingratitudinem, quæ ſpecialiter eſt ſecundum quatuor genera peccatorum, ſcilicet ſecundum odium fraternum, apoſtaſiam a fide, contemptum Confeſſionis, & dolorem de pœnitentia habita, ſecundum quod quidam metrice dixerunt.*

Fratres odit, apoſtata ſit, ſpernitque fateri,
Pœnituiſſe piget. Priſtina culpa redit.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod peccata dimiſſa per pœnitentiam, redire dicuntur inquantum reatus eorum ratione ingratitudinis virtualiter continetur in peccato ſequenti: ingratitudo autem poteſt committi dupliciter: Uno modo ex eo, quod aliquid fit contra beneficium; & hoc modo per omne peccatum mortale, quo Deum offendit, redditur homo ingratus Deo, qui peccata remiſit; & ſic per quodlibet peccatum mortale ſequens redeunt peccata prius dimiſſa, ratione ingratitudinis.

Alio modo committitur ingratitudo non ſolum faciendo contra ipſum beneficium, ſed etiam faciendo contra formam beneficii præſtiti: quæ quidem forma, ſi attenditur ex parte benefactoris eſt remiſſio debitorum: unde contra hanc formam facit, qui fratri petenti veniam non remittit, ſed odium tenet,

Si

Digitized by Google

Si autem attendatur ex parte pœnitentis, qui recipit hoc beneficium, invenitur ex parte ejus duplex motus liberi arbitrii: quorum primus eſt motus liberi arbitrii in Deum, qui eſt actus fidei formatæ; & contra hoc facit homo apoſtatando a fide: ſecundus autem eſt motus liberi arbitrii in peccatum, qui eſt actus pœnitentiæ, ad quem primo pertinet, quod homo deteſtetur peccata præterita; & contra hoc facit ille, qui dolet ſe pœnituiſſe: ſecundo pertinet ad actum pœnitentiæ, ut pœnitens proponat ſe ſubjicere clavibus Eccleſiæ per confeſſionem ſecundum illud Pſal. 31. *Dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei*; & contra hoc facit ille, qui contemnit confiteri ſecundum quod propoſuerat. Et ideo dicitur, quod ſpecialiter ingratitudo horum peccatorum, facit redire peccata prius dimiſſa. 3. *q.* 88. *a.* 2. *in corp.* 4. *ſent. diſt.* 22. *q.* 1. *art.* 1. *in corp. art.* 3. *q.* 2. *in corp.* 4. *ad Hannib. diſt.* 22. *a.* 1.

QUÆR. 8. *An peccata venialia, & peccatum originale redeant per ingratitudinem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod etiam peccata venialia, & ipſum originale redeunt modo prædicto, ſicut & peccata mortalia, inquantum contemnitur Dei beneficium, quo hæc peccata ſunt remiſſa. Non tamen per peccatum veniale aliquis incurrit ingratitudinem: quia homo peccando venialiter non facit contra Deum, ſed præter ipſum; & ideo per peccata venialia nullo modo peccata dimiſſa redeunt. 3. *p. q.* 88. *a.* 2. *ad* 2. 4. *ſent. d.* 22. *q.* 1. *a.* 3. *q.* 1. & 2. *in corp.*

QUÆR. 9. *Quomodo peccata remiſſa redeant quantum ad ingratitudinem in eo, qui recidivat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aliquod poteſt redire dupliciter: vel in ſe, & ſic peccata dimiſſa nullo modo redeunt quantum ad maculam, & per conſequens nec quantum ad reatum; vel in ſuo effectu, & hoc modo peccata dimiſſa redeunt inquantum ex dimiſſis peccatis aliquid in ſequentibus relinquitur; ex hoc enim, quod homo Deum per peccatum offendit, poſt remiſſionem præcedentium peccatorum, quandam deformitatem ingratitudinis actus ſequentis peccati acquirit; & ideo dicitur communiter, quod redeunt quantum ad ingratitudinem. 4. *ſent. diſt.* 22. *q.* 1. *a.* 1. *in fine corporis.* 3. *p. q.* 88. *art.* 1.

QUÆR. 10. *Quomodo intelligatur venerabilis Beda ſuper illud Lucæ* 11. *Revertar in domum meam unde exivi: dicens: Timendus eſt iſte verſiculus non exponendus, ne culpa, quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam non vacantes opprimat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in illis verbis non intendit dicere Beda, quod culpa prius dimiſſa hominem opprimat per reditum reatus præteriti, ſed per iterationem actus. 3. *p. q.* 88. *a.* 1. *ad* 2.

QUÆR. 11. *An per ingratitudinem peccati ſequentis redeat tantus reatus, quantus fuerat peccatorum prius dimiſſorum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quidam dixerunt, quod ex peccato ſequenti propter ingratitudinem conſurgit tantus reatus, quantus fuit reatus peccatorum prius dimiſſorum ſuper reatum proprium hujus peccati. Sed hoc non eſt neceſſarium: quia reatus præcedentium peccatorum non redit per peccatum ſequens inquantum ſequebatur ex actibus præteritorum peccatorum, ſed inquantum conſequitur actum ſequentis peccati; & ideo oportet, quod quantitas reatus redeuntis ſit ſecundum gravitatem peccati ſubſequentis.

Poteſt autem contingere, quod gravitas peccati ſubſequentis adæquetur gravitati omnium peccatorum præcedentium. Sed hoc non ſemper eſt neceſſe, ſive loquamur de gravitate ejus, quam habet ex ſua ſpecie (cum quandoque peccatum ſequens ſit fornicatio ſimplex, peccata vero præterita fuerunt adulteria, vel homicidia, ſeu ſacrilegia) ſive etiam loquamur de gravitate, quam habet ex ingratitudine annexa: non enim oportet, quod quantitas ingratitudinis ſit abſolute æqualis quantitati beneficii ſuſcepti, cujus quantitas attenditur ſecundum quantitatem peccatorum prius dimiſſorum; contingit enim, quod contra idem beneficium unus eſt multum ingratus, vel ſecundum intenſionem contemptus beneficii, vel ſecundum gravitatem culpæ contra benefactorem commiſſæ; alius autem parum, vel quia minus contemnit, vel quia minus contra benefactorem agit; ſed proportionaliter quantitas ingratitudinis adæquatur quantitati beneficii; ſuppoſito enim æquali contemptu beneficii, vel offenſæ benefactoris, tanto erit gravior ingratitudo, quanto beneficium fuit majus.

Unde manifeſtum eſt, quod non eſt neceſſe, quod propter ingratitudinem ſemper per peccatum ſequens redeat tantus reatus, quantus fuit præcedentium peccatorum: ſed neceſſe eſt, quod proportionaliter quanto peccata prius dimiſſa fuerunt plura, & majora, tanto redeat major reatus per qualecumque ſequens mortale peccatum. 3. *p. q.* 88. *a.* 3. *in corp.* 4. *ſent. d.* 22. *q.* 1. *a.* 2. *q.* 3. *in corp.*

QUÆR. 12. *An & quando ingratitudo ſit ſpeciale peccatum, vel ſolummodo circumſtantia.*

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ingratitudo peccantis quandoque eſt ſpeciale peccatum, quandoque autem non, ſed eſt circumſtantia generaliter conſequens omne peccatum mortale, quod contra Deum committitur; peccatum enim ſpeciem recipit ex intentione peccantis; unde, ut Philoſophus dicit in 5. Ethic. *Ille, qui mœchatur, ut furetur, magis eſt fur, quam mœchus.*

Si igitur aliquis peccator in contemptum Dei, & ſuſcepti beneficii aliquod peccatum committat, illud peccatum trahitur ad ſpeciem ingratitudinis; & hoc modo ingratitudo peccantis eſt ſpeciale peccatum: ſi vero aliquis intendens aliquod peccatum committere, puta homicidium, aut adulterium, non retrahatur ad hoc, propter hoc quod pertinet contemptum Dei, ingratitudo non erit ſpeciale peccatum, ſed trahetur ad ſpeciem alterius peccati, ſicut circumſtantia quædam: ut autem Auguſtinus dicit in lib. de natura & gratia, *non omne peccatum eſt ex contemptu; & tamen in omni peccato Deus contemnitur in ſuis præceptis.* Unde manifeſtum eſt, quod ingratitudo peccantis quandoque eſt ſpeciale peccatum, ſed non ſemper. 3. *p. q.* 88. *a.* 4. *in corp.* 2. 2. *q.* 107. *a.* 2. *ad* 1. 4. *ſent. diſt.* 22. *q.* 1. *a.* 3. *q.* 3.

QUÆR. 13. *Quiſnam ſit magis ingratus, an peccans poſt innocentiam, an peccans poſt pœnitentiam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod beneficium aliquod poteſt penſari dupliciter; uno modo ex quantitate ipſius beneficii, & ſecundum hoc innocentia eſt majus Dei beneficium, quam pœnitentia, quæ dicitur ſecunda tabula poſt naufragium: alio modo poteſt penſari beneficium ex parte recipientis, qui minus eſt dignus; & ſic magis ſit ſibi gratia, unde & ipſe magis eſt ingratus, ſi contemnat: & hoc modo beneficium remiſſionis culpæ eſt majus inquantum præſtatur totaliter indigno: & ideo ex hoc ſequitur major ingratitudo. 3. *p. q.* 88. *a.* 2. *ad* 3. 4. *ſent. d.* 22. *q.* 1. *a.* 2. *q.* 2. *in corp.*

QUÆR. 14. *Ad quam ſuperbiæ ſpeciem pertineat ingratitudo.*

Reſp. *v. Superbia.*

QUÆR. 15. *An & quomodo teneatur recidivans ingratitudine ſuam confiteri.*

Reſp. *v. Recidivans.*

QUÆR. 1. *An ſit de neceſſitate charitatis, quod inimici diligantur, juxta præceptum Chriſti Matth. 5. Diligite inimicos veſtros; ubi dicit Gloſſa, non ſufficit non odiſſe, ſed quod contra naturam eſt, præcipimur diligere.*

RESP. D. Thomas, dicendum, quod dilectio inimicorum tripliciter poteſt conſiderari: uno modo ut inimici diligantur, inquantum ſunt inimici, & hoc eſt perverſum, & charitati repugnans, quia hoc eſt diligere malum alterius, alio modo poteſt accipi dilectio inimicorum quantum ad naturam, ſcilicet in univerſali, & ſic dilectio inimicorum eſt de neceſſitate charitatis, ut ſcilicet aliquis diligens Deum, & proximum ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos ſuos non excludat: tertio poteſt conſiderari dilectio inimicorum in ſpeciali, ut ſcilicet aliquis in ſpeciali moveatur motu dilectionis ad inimicum, & iſtud non eſt de neceſſitate charitatis abſolute, quia nec etiam moveri motu dilectionis in ſpeciali ad quoslibet homines ſingulariter eſt de neceſſitate charitatis, quia hoc eſt impoſſibile.

Et tamen de neceſſitate charitatis ſecundum præparationem animi, ſcilicet quod homo habeat animum paratum ad hoc, quod in ſingulari inimicum diligeret, ſi neceſſitas occurreret, ſed quod abſque articulo neceſſitatis homo etiam hoc actu impleat, ut diligat inimicum propter Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis: cum enim ex charitate diligatur proximus propter Deum, quanto aliquis magis diligit Deum, tanto etiam magis ad proximum dilectionem extendit nulla inimicitia impediente, ſicut ſi aliquis multum diligeret aliquem hominem, amore ipſius filios amaret etiam inimicos ſibi. 1. 2. *q.* 25. *a.* 8. *in corp.* 3. *ſent. d.* 30. 3. *ad Hannib. a.* 1. *quæſt.* 1. *a.* 1. *qu.* 2. *de virtut. art.* 8.

QUÆR. 2. *An & quando ſit de neceſſitate ſalutis, vel de perfectione, quod aliquis ſigna, & effectus dilectionis exhibeat inimicis, juxta Gloſſam ſuper illud Matth. 5. Benefacite his qui oderunt vos, dicentem: benefacere inimicis, & orare pro eis eſt cumulus perfectionis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod effectus, & ſigna charitatis ex interiori dilectione procedunt, & ei proportionantur; dilectio autem interior ad inimicum in communi quidem eſt de neceſſitate præcepti abſolute; in ſpeciali autem eſt non abſolute, ſed ſecun-

cun-

Digitized by Google

cundum præparationem animi: ſic ergo dicendum eſt de effectu, & ſigno dilectionis exterius exhibendo: ſunt enim quædam ſigna, vel beneficia dilectionis, quæ exhibentur proximis in communi, puta cum aliquis orat pro omnibus fidelibus, vel pro toto populo, aut cum aliquod beneficium impendit aliquis toti communitati; & talia beneficia, vel dilectionis ſigna inimicis exhibere eſt de neceſſitate præcepti: ſi enim non exhiberentur inimicis, hoc pertineret ad livorem vindictæ contra id, quod dicitur Levitici 19. *Non quæres ultionem, & non eris memor injuriæ civium tuorum.*

Alia vero ſunt beneficia, vel dilectionis ſigna, quæ quis exhibet particulariter aliquibus perſonis: & talia beneficia, vel dilectionis ſigna inimicis exhibere non eſt de neceſſitate ſalutis, niſi ſecundum præparationem animi, ut ſcilicet ſubveniatur eis in articulo neceſſitatis, ſecundum illud Proverbiorum vigeſimoquinto: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitit, da illi potum.*

Sed quod præter articulum neceſſitatis hujuſmodi beneficia aliquis inimicis exhibeat, pertinet ad perfectionem charitatis, per quam aliquis non ſolum cavet vinci a malo, quod neceſſitatis eſt, ſed etiam vult in bono vincere malum, quod eſt perfectionis; dum ſcilicet non ſolum cavet propter injuriam ſibi illatam trahi ad odium, ſed etiam propter ſua beneficia intendit inimicum pertrahere ad ſuum amorem. 2. 2. *qu.* 25. *art.* 9. *in corp.* 3. *ſent. d.* 30. *quæſt.* 1. *art.* 2. *q.* 2. *de Virt. art.* 8.

QUÆR. 3. *An poſſimus ſalva charitate inimicis deſiderare malum, & etiam inferre.*

Reſp. ſup. *v. Deſiderare malum.*

QUÆR. 4. *Quomodo poſſimus, vel debeamus inimicis optare bona, vel mala.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod affectus dilectionis eſt duplex; primus innocentiæ, ſecundus beneficentiæ: primo affectu tenemur diligere omnes inimicos, ne optemus eis mala, inquantum mala ſunt (ideſt, per ſe) ſed mala, inquantum eis expedientia, vel Eccleſiæ, vel Reipublicæ fore credimus, per accidens optare poſſumus: ſecundus duplex eſt: quia unus eſt principalis quem charitas primo & per ſe elicit, ut optare dilecto bona ſpiritualia, ſcilicet gratiam & gloriam: alter quem ſecundario per accidens elicit, & ideo nec ſemper; quia non ſemper expedit dilecto; ut optare ei bona temporalia: Primo modo tenemur affectu diligere inimicos: ſecundo modo non; ſed minus ſecundo modo debemus diligere inimicos Eccleſiæ quam perſonæ, nam illis optare proſperitatem temporalem imperfectionis eſt potius quam perfectioni, niſi per accidens; inquantum ſcilicet beneficiis attrahi ſperantur ad Eccleſiæ devotionem; inimicis autem perſonæ optare bona temporalia perfectionis eſt, niſi per accidens, inquantum putantur eis vel aliis fore nociva. 3. *ad Hannib. diſt.* 30. *q. unica a.* 1. *in corp.*

QUÆR. 5. *An & quomodo teneamur inimicis benefacere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut in affectu, ita in effectu ab eo procedente diſtinguendum eſt: nam ad effectum innocentiæ omnes tenentur, ut inimicis mala non inferant, niſi forte per accidens, propter bonum perſonæ vel Reipublicæ: quoad effectum beneficentiæ diſtinguendum eſt: quia tenemur eis benefacere beneficio ſpirituali neceſſario ad ſalutem, & pro eis orare, non in ſpeciali, ſed in communi; ſcilicet non excludendo eos ab orationibus noſtris communibus. Temporali autem beneficio non tenemur, niſi in caſu neceſſitatis: Et tunc magis eſt opus juſtitiæ quam amicitiæ: Extra caſum vero neceſſitatis in ſtatu opportunitatis non tenemur.

Circa hoc tamen ſecundum aliquos, eſt diſtinguendum: quia aut eſt inimicus Eccleſiæ, aut perſonæ: inimico perſonæ benefacere perfectionis eſt, niſi per accidens, inquantum ipſum beneficium vel ipſi vel alteri occaſionaliter nocivum eſt: *Utilius enim*, ut ait Auguſtin. *eſurienti panis ſubtrahitur, ſi de cibo ſecurus juſtitiam negligat, quam eſurienti panis frangitur, ut injuriæ ſeductus acquieſcat.* Inimico vero Eccleſiæ beneficium ſubtrahere perfectius eſt, niſi per accidens; inquantum ipſum beneficium Eccleſiæ fore ſperatur utile, ut quando per beneficia ſperatur reconciliandus Eccleſiæ. *Ibid. a.* 2. *in corp.* 3. *ſent. diſt.* 30. *a.* 2.

QUÆR. 6. *Utrum oſtendere inimicis ſigna benevolentiæ ſit perfectionis; ſed optare ipſis gratiam, & gloriam ſit neceſſitatis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod diligere inimicos quantum ad oſtenſionem ſignorum benevolentiæ, hoc perfectionis eſt, & ad hoc non omnes tenentur: ſed quod homo inimico ſuo optet gratiam Dei, & vitam æternam (quod ſpecialiter charitas reſpicit) hoc neceſſitatis eſt. 3. *ſent. d.* 30. *q.* 1. *a.* 1. *ad* 1.

QUÆR. 7. *An & quando ſit peccatum vindictæ, ſi aliquis inimico deneget ſigna familiaritatis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod negare homini ſigna familiaritatis, quando neceſſitas expeteret, eſſet vindicta; vel etiam quando veniam peteret, vel quando ſe ille

qui

Digitized by Google

qui hoſtis habetur, ad familiaritatem ingereret, ſi habeatur præſumptio quod non ſimulate, vel irriſorie facit: quia tunc diligit, & inter amicos deputandus eſt: ſed quod aliquis ultro ſe ad familiaritatem inimico ingerat, hoc perfectionis eſt. 3. *ſent. diſt.* 30. *q.* 1. *a.* 2. *ad* 5. 3. *ad Hannib. d.* 30. *a.* 2. *ad* 3.

QUÆR. 8. *Quænam rationes inducant ad dilectionem inimicorum.*

Reſp. D. Thomas, multæ rationes inducunt.

Prima eſt propriæ dignitatis conſervatio: diverſæ enim dignitates diverſa ſigna habent: nullus autem propriæ dignitatis ſigna dimittere debet: inter omnes autem dignitates major eſt quod quis ſit filius Dei: Hujus autem dignitatis ſignum eſt, ſi diligis inimicum: Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros, ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cælis eſt*; Si enim diligis amicum, non eſt hoc ſignum filiationis divinæ, nam Publicani & Ethnici hoc faciunt, ut dicitur Matth. 5.

Secunda eſt victoriæ acquiſitio: omnes enim hoc naturaliter deſiderant: oportet ergo, quod vel trahas eum, qui te offendit ad dilectionem bonitate tua, & tunc vincis; vel quod alius trahat te ad odium, & tunc perdis, ad Rom. 12. *Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum*.

Tertia eſt multiplicis utilitatis conſecutio: Acquirit enim ex hoc amicos, ad Rom. 12. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ipſius*; Auguſtinus: *Nulla major provocatio ad amorem, quam prævenire amando*; nullus enim eſt ita durus, qui etſi dilectionem nolit impendere, nolit tamen rependere; quia, ut dicitur Eccl. 6. *Amico fideli nulla comparatio*. Prov. 16. *Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem*.

Quarta eſt, quia ex hoc preces tuæ facilius exaudiuntur. Unde ſuper illud Jerem. 15. *Si ſteterint Moyſes, & Samuel coram me*, dicit Gregorius, *quod fecit potius de iſtis mentionem, quia rogaverunt pro inimicis*. Similiter Chriſtus ait, Lucæ 23. *Pater dimitte illis*; item Beatus Stephanus orando pro inimicis magnam utilitatem fecit Eccleſiæ, quia Paulum convertit.

Quinta eſt peccati evaſio, quam maxime deſiderare debemus; aliquando enim peccamus, nec Deum quærimus: & Deus trahit nos ad ſe vel infirmitate, vel aliquo hujuſmodi. Oſeæ 6. *Sepiam viam tuam ſpinis*. Sic fuit tractus B. Paulus, Pſal. 118. *Erravi ſicut ovis quæ periit, quære ſervum tuum Domine*: Cantic. 2. *Trahe me poſt te, curremus, &c.* Hoc autem conſequimur, ſi inimicum ad nos trahimus primo remittentes; quia, ut dicitur Lucæ 6. *Eadem menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis*; & ibidem 37. *Dimittite, & dimittemini*. Et Matth. 5. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*. Nulla eſt enim major miſericordia, quam offendenti dimittere. *Opuſc.* 4. *de decem præceptis, cap.* 8.

QUÆR. 9. *An ſit magis meritorium diligere amicum, quam inimicum.*

Reſp. *v. Charitas. q.* 28.

INJUSTITIA.

QUÆR. 1. *An facere injuſtum ſit peccatum mortale ex ſuo genere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod peccatum mortale eſt, quod contrariatur charitati, per quam eſt animæ vita: omne autem nocumentum alteri illatum ex ſe Charitati repugnat, quæ movet ad volendum bonum alterius: & ideo cum injuſtitia ſemper conſiſtat in nocumento alterius, manifeſtum eſt, quod facere injuſtum ex genere ſuo eſt peccatum mortale. 2. 2. *q.* 59. *a.* 4. *in corp.*

QUÆR. 3. *Utrum injuſtitia excuſetur a peccato mortali ex parvitate materiæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ille, qui in parvis facit injuſtitiam, deficit a perfecta ratione ejus, quod eſt injuſtum facere, inquantum poteſt reputari non eſſe omnino contra voluntatem ejus, qui hoc patitur; puta ſi auferat aliquis alicui unum pomum, vel aliquid tale, de quo probabile eſt, quod ille inde non lædatur, nec ei diſpliceat: & ideo non peccat mortaliter. 2. 2. *queſt.* 59. *art.* 4. *ad* 2.

INOBEDIENTIA.

QUÆR. Utrum inobedientia ſit peccatum mortale.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod peccatum mortale eſt, quod contrariatur Charitati, per quam eſt ſpiritualis vita: Charitate autem diligitur Deus, & proximus; exigit autem Charitas Dei, ut ejus mandatis obediatur; & ideo inobedientem eſſe Divinis præceptis eſt peccatum mortale, quaſi Divinæ dilectioni contrarium: in præceptis autem divinis continetur quod etiam Superioribus obediatur; & ideo etiam inobedientia, qua quis inobediens eſt præceptis Superiorum, eſt peccatum mortale quaſi divinæ dilectioni contraria, ſecundum illud ad Romanos 13. *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordi-*

Digitized by Google

dinationis reſiſtit. Contrariatur inſuper dilectioni proximi, inquantum Superiori proximo ſubtrahit obedientiam, quam ei debet. 2. 2. *q.* 105. *a.* 1. *in corp.*

QUÆR. 2. *Utrum omne peccatum tam veniale, quam mortale ſit inobedientia.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod peccatum veniale non eſt inobedientia, quia non eſt contra præceptum, ſed præter præceptum.

Nec etiam omne peccatum mortale eſt inobedientia proprie, & per ſe loquendo, ſed ſolum tunc quando aliquis præceptum contemnit: quia ex fine morales actus ſpeciem habent: cum autem facit aliquid contra præceptum non propter præcepti contemptum, ſed propter aliquid aliud, eſt inobedientia materialiter tantum, ſed pertinet formaliter ad aliam ſpeciem peccati. 2. 2. *quæſt.* 105. *art.* 1. *ad* 1.

QUÆR. 3. *An ſubditus excuſetur a peccato inobedientiæ, ſi tot ei præcepta imponantur, ut ea implere non poſſit.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod nullus obligatur ad impoſſibile, & ideo ſi tot præcepta Prælatus aliquis ingerat, ſeu injungat, quod ſubditus ea implere non poſſit, excuſatur a peccato; & ideo Prælati abſtinere debent a multitudine præceptorum. 2. 2. *q.*105. *art.* 1. *ad* 3.

QUÆR. 4. *Unde ſumatur differentia gravitatis in peccato inobedientiæ.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod non omnis inobedientia eſt æquale peccatum: poteſt enim una inobedientia eſſe gravior altera dupliciter.

Uno modo ex parte præcipientis: quamvis enim omnem curam homo apponere debeat ad hoc, quod cuilibet Superiori obediat, tamen magis eſt debitum, quod homo obediat ſuperiori, quam inferiori poteſtati: cujus ſignum eſt quod præceptum inferioris prætermittitur, ſi ſit præcepto Superioris contrarium; unde conſequens eſt, quod quanto Superior eſt ille, qui præcipit, tanto ei inobedientem eſſe ſit gravius: & ſic inobedientem eſſe Deo gravius, quam inobedientem eſſe homini.

Secundo ex parte præceptorum: non enim præcipiens æqualiter vult impleri omnia, quæ mandat; magis enim unuſquiſque præcipiens vult finem, quam id, quod eſt fini propinquum: & ideo tanto eſt inobedientia gravior, quanto præceptum, quod quis prærerit, magis eſt de intentione illius, qui præcipit: & in præceptis quidem Dei manifeſtum eſt, quod quanto præceptum datur de meliori, tanto eſt ejus inobedientia gravior, quia cum voluntas Dei per ſe feratur ad bonum, quanto aliquid eſt melius, tanto Deus vult illud magis impleri; unde qui inobediens eſt præcepto de dilectione Dei, gravius peccat, quam qui inobediens eſt præcepto de dilectione proximi: voluntas autem hominis non ſemper magis fertur in melius; & ideo ubi obligamur ex ſolo hominis præcepto, non eſt gravius peccatum ex eo, quod majus bonum præteritur, ſed ex eo, quod præteritur illud, quod eſt magis de intentione præcipientis.

Sic ergo oportet ſecundum diverſos inobedientiæ gradus diverſis peccatorum gradibus comparare. Nam inobedientia, qua contemnitur Dei præceptum ex ipſa ratione inobedientiæ gravius eſt peccatum, quam peccatum, quo peccatur in hominem, ſi ſecerneretur inobedientia Dei; & hoc ideo quia qui contra proximum peccat, etiam contra præcepta Dei agit; ſi tamen in aliquo potiori præceptum Dei contemneret, adhuc peccatum gravius eſſet: inobedientia autem, qua contemnitur præceptum hominis, levior eſt peccato, quo contemnitur ipſe præcipiens, quia ex reverentia præcipientis procedere debet reverentia præcepti: & ſimiliter peccatum, quod directe pertinet ad contemptum Dei, ſicut blaſphemia, vel aliquid hujuſmodi, gravius eſt, etiam ſemota per intellectum inobedientia a peccato, quam eſſet illud peccatum, in quo contemnitur ſolum Dei præceptum. 2. 2. *q.* 105. *a.* 2. *in corp.*

QUÆR. 5. *Utrum omnis inobedientia ſit peccatum in Spiritum Sanctum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod non omnis inobedientia eſt peccatum in Spiritum Sanctum, ſed ſolum illa, cui obſtinatio adhibetur: non enim contemptus cujuſcumque quod peccatum impedit, conſtituit peccatum in Spiritum Sanctum; alioquin cujuslibet boni contemptus eſſet peccatum in Spiritum Sanctum, quia per quodlibet bonum poteſt homo impediri a peccato: ſed bonorum illorum contemptus facit peccatum in Spiritum Sanctum, quæ directe ducunt ad pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum. 2.2. *q.* 105. *art.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 6. *Quomodo intelligi debeat illud Samuelis* 1. *Reg.* 25. *quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod illa comparatio Samuelis non eſt æqualitatis, ſed ſimilitudinis; quia inobedientia redundat in contemptum Dei; ſicut & idololatria, licet idololatria magis. *Ibid. ad* 1.

*QUÆR.*7. *Utrum inobedientia oriatur ex vana gloria.*

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod inanis gloria appetit manifeſtationem alicujus excellentiæ: & inde eſt quod inobedientia ex inani gloria oritur. Nihil autem prohibet ex peccato veniali oriri mortale: cum veniale ſit diſpoſitio ad mortale. 2. 2. *qu.* 105. *art.* 1. *ad* 2. 2. *diſt.* 42. *qu.* 2. *art.* 4. *ad* 5.

INSENSIBILITAS.

QUÆR. 1. *Cur inſenſibilitas proprio nomine careat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut Philoſophus dicit in 3. Eth. *inſenſibilitas, quæ opponitur temperantiæ, non multum contingit*: & ideo tam ipſa, quam omnes ejus ſpecies, quæ opponuntur diverſis ſpeciebus temperantiæ, nomine carent. 2. 2. *qu.* 150. *art.* 1. *ad* 1.

QUÆR. 2. *An inſenſibilitas ſit vitium nimis retrahens a delectationibus: & quibuſnam conveniat a delectationibus abſtinere abſque tali vitio.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod omne illud, quod contrariatur ordini naturali, eſt vitioſum: natura autem delectationem appoſuit operationibus neceſſariis ad vitam hominis: & ideo naturalis ordo requirit, ut homo intantum hujuſmodi delectationibus utatur inquantum neceſſarium eſt ſaluti humanæ, vel quantum ad conſervationem individui, vel quantum ad conſervationem ſpeciei: ſi quis ergo intantum delectationem refugeret, quod prætermitteret ea, quæ ſunt neceſſaria ad conſervationem naturæ, peccaret, quaſi ordini naturali repugnans; & hoc pertinet ad vitium inſenſibilitatis.

Sciendum tamen, quod ab hujuſmodi delectationibus conſequentibus hujuſmodi operationes quandoque laudabile, vel etiam neceſſarium eſt abſtinere propter aliquem finem; ſicut propter ſanitatem corporalem aliqui abſtinent a quibuſdam delectationibus potus, & venereorum; & etiam propter alicujus officii executionem, ſicut athletas, & milites neceſſe eſt a multis delectationibus abſtinere, ut officium proprium exequantur; & ſimiliter pœnitentes ad recuperandum animæ ſanitatem abſtinentia delectabilium, quaſi quadam dieta utuntur; & homines volentes contemplationi, & rebus divinis vacare, oportet quod ſe magis a carnalibus deſideriis abſtrabant: nec aliquid prædictorum ad inſenſibilitatis vitium pertinet, quia ſunt ſecundum rationem rectam. 2. 2. *quæſt.* 142. *art.* 2. *in corp.*

QUÆR. 3. *An vitium oppoſitum luxuriæ contineatur ſub inſenſibilitate; & in eis accidat, qui debitum conjugale non reddunt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod oppoſitum luxuriæ non contingit in multis: eo quod homines magis ſunt proni ad delectationes: & tamen oppoſitum vitium continetur ſub inſenſibilitate: & accidit hoc vitium in eo, qui intantum deteſtatur mulierum uſum, quod etiam uxori debitum non reddit. 2. 2. *q.* 153. *art.* 3. *ad* 3.

INSPIRATIONES.

QUÆR. 1. *An & quomodo inſpirationes divinæ circa conſilia obligent ut non contemnantur, ſed non ut impleantur.*

Reſp. D. Thomas, dicitur Conſilium, perſuaſio, vel inductio ad aliquid agendum non habens vim coactivam; & ſic Conſilium contra præceptum dividitur, cujuſmodi ſunt amicabiles exhortationes. Et ex iſto Conſilio aliquando conſcientia procedit; applicatur enim aliquando conſcientia hujus conſilii ad particularem actum: ſed cum conſcientia non liget niſi ex virtute ejus quod in conſcientia habetur, conſcientia quæ ex conſilio ſequitur, non alio modo poteſt obligare, quam ipſum conſilium, ex quo aliquis obligatur, ut non contemnat, ſed non ut impleat. *q.* 17. *de ver. art.* 3. *ad* 2.

QUÆR. 2. *Utrum ille, qui inſpiratur ad faciendum aliquod opus conſilii, excuſetur a peccato, etiamſi illud non faciat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod conſcientia obligat virtute præcepti divini, ſub cujus ratione apprehendit illud quod ratio dictat: & ideo ſi illud apprehendatur ut directe cadens ſub præcepto, peccat mortaliter, omittendo quod conſcientia dictat, etiam ſi ſit veniale & indifferens: Si autem apprehendatur ut non directe cadens ſub præcepto vel prohibitione, tunc non ſit directe contra conſcientiam, ſed præter eam: & ita non peccatur mortaliter, ſed venialiter, vel etiam nullo modo: ſicut quando conſcientia dictat alicui, quod bonum eſt facere aliquod opus conſilii: ſi non facit, non peccat: quia non apprehendit illud, ut bonum debitum, & neceſſarium ad ſalutem, & præcepto ſubjacens. 2. *ſent. d.* 39. *quæſt.* 3. *artic.* 3. *ad* 6.

QUÆR. 3. *Quid ſit agendum, quando dubitamus an inſpirationes ſint ab Angelo tenebrarum transfigurante ſe in Angelum lucis, v. g. inſpiratio de ingreſſu Religionis.*

Reſp. Div. Thomas, quod proponitur quod Satanas *transfigurat ſe in Angelum lucis*, 2. ad

Digitized by Google

ad Cor. 1. & multoties bona ſuggerit intentione fallendi, verum eſt. Sed ſicut Gloſſa ibidem dicit: *quando Diabolus ſenſus corporis fallit, mentem vero non movet a vera rectaque ſententia, qua quiſque vitam fidelem gerit, nullum eſt in Religione periculum: vel cum ſe bonum fingens, ea vel facit, vel dicit, quæ bonis Angelis congruunt: etiamſi credas bonum, non eſt error periculoſus, aut morbidus: cum vero per hæc aliena bona ad ſua ducere incipit, ne quis poſt eum eat, opus eſt magna vigilantia.* Detur ergo quod Diabolus excitet aliquem ad Religionem intrandum, hoc opus bonum eſt, & bonis Angelis congruum; unde non eſt periculum, ſi quis in hoc conſentiat: ſed vigilandum erit, ut ei reſiſtatur, cum ad ſuperbiam, vel alia vitia inceperit ducere; frequenter enim contingit, quod Deus utitur malitia dæmonum in bonum Sanctorum, quibus præparat coronas invictis; & ſic eis a Sanctis illuditur.

Sciendum tamen, quod ſi cui a Diabolo ſuggeratur, vel etiam ab homine Religionis introitus, per quem aliquis accedit ad Chriſtum ſequendum, talis ſuggeſtio efficaciam non habet, niſi interius trahatur a Deo: dicit enim Auguſtin. in lib. de prædeſtin. Sanctorum, quod *omnes Sancti ſunt docibiles Dei*, Joan. *6. non quia omnes ad Chriſtum veniant, ſed quia nemo aliter veniat*; & ſic Religionis propoſitum a quocunque ſuggeratur, a Deo eſt. *Opuſc. 17. contra retrahentes ab ingreſſu Religionis, cap. 19.*

QUÆR. 4. *Quid agendum ſit, quando inſpiratur aliquid periculoſum, ſive aliquod bonum opus, quod poteſt malum exitum habere, ut ingreſſus Religionis.*

Reſp. D. Thomas, quod proponitur, quod in his eſt requirendum conſilium, quæ malum exitum poſſunt ſortiri, diſtinctione indiget: aut enim malus exitus poteſt contingere ex parte ipſius rei, quæ aſſumenda imminet, aut ex parte hominis aſſumentis.

Si ex parte rei, quæ aſſumenda eſt periculum imminet, & hoc quidem frequenter accidat, magna deliberatione opus eſt, ut periculis obvietur, vel res totaliter relinquatur: Si vero ut in paucioribus periculum accidat, non eſt magna deliberatione opus, ſed vigilantia, & cautela, ne aliquo caſu in periculum incidatur; alioquin daretur occaſio omnia humana ſtudia prætermittendi, ſecundum illud Eccleſiaſt. 11. *Qui obſervat ventum non ſeminat; & qui conſiderat nubes, nunquam metet.* Et Proverb. 26. *dicit piger, Leo eſt in via, leæna in itineribus*; ubi dicit Gloſſa: *Multi cum verba exhortationis audiunt, dicunt ſe velle viam juſtitiæ incipere, ſed a Sathana retrahi ne perficiant.*

Quandoque vero res ipſa in ſe ſecura eſt, habet tamen malum exitum propter hoc quod homo mutat propoſitum: Et ex iſta cauſa non debet homo retrahi, vel differre ſub ſpecie majoris deliberationis Religionis ingreſſum; quamvis aliqui mutato propoſito a Religione apoſtatantes deteriores fiant: alioquin etiam ſimilis ratio eſſet de acceſſu ad fidem, & fidei Sacramenta; quia dicitur 2. Petri 2. *Melius erat viam veritatis non cognoſcere, quam poſt agnitam retroire*; & Apoſtol. ad Hebr. 10. *Deteriora meretur ſupplicia, qui ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit.* Non eſſet etiam paſſim ad juſtitiæ opera procedendum; quia ſcriptum eſt Eccli. 26. *Qui tranſgreditur a juſtitia ad peccatum, Deus paravit eum ad Romphæam. In eod. Opuſc. 17. & cap. 10.*

QUÆR. 5. *An inſpirationes ſint a Deo, licet non perſeveremus in bono ſtatu, vel opere inſpiratis.*

Reſp. Div. Thomas, quod conſilium Dei nunquam diſſolvitur, ſecundum illud Iſai. 46. *Conſilium meum ſtabit: & omnis voluntas mea fiet.* Ex hoc tamen conſilio immutabili, ſicut datur rebus corruptibilibus eſſe temporale, quibus ſempiternitatem non tribuat; ita quibuſdam dat juſtitiam temporalem, quibus non largitur perſeverantiæ donum, ut Auguſtinus dicit in lib. de perſeverantia, *Opuſc. & cap. jam citatis.*

INTELLECTUS DONUM.

QUÆR. 1. *Utrum intellectus ſit donum Spiritus Sancti.*

RESP. D. Thomas, dicendum, quod nomen intellectus quandam intimam cognitionem importat: dicitur enim intelligere quaſi intus legere: & hoc manifeſte patet conſiderantibus differentiam intellectus, & ſenſus. Nam cognitio ſenſitiva occupatur circa qualitates ſenſibiles exteriores: cognitio autem intellectiva penetrat uſque ad eſſentiam rei: Objectum enim intellectus eſt *quod quid eſt*, ut dicitur in 3. de anima. Sunt autem multa genera eorum, quæ interius latent, ad quæ oportet cognitionem hominis quaſi intrinſecus penetrare: nam ſub accidentibus latet natura rei ſubſtantialis; ſub verbis latent ſignificata verborum; ſub ſimilitudinibus, & figuris latet veritas figurata. Res enim intelligibiles ſunt quodammodo interiores reſpectu rerum ſenſibilium, quæ exterius

rius

Digitized by Google

rius ſentiuntur: & in cauſis latent effectus, & e converſo: unde reſpectu horum omnium poteſt eſſe intellectus. Sed cum cognitio hominis a ſenſu incipiat quaſi ab exteriori, manifeſtum eſt, quod quanto lumen intellectus eſt fortius, tanto poteſt magis ad intima penetrare; lumen autem naturale noſtri intellectus eſt finitæ virtutis; unde uſque ad determinatum aliquid pertingere poteſt: indiget ergo homo ſupernaturali lumine, ut ulterius pertingat ad cognoſcendum quædam, quæ per lumen naturale cognoſcere non valet: & illud lumen ſupernaturale homini datum, vocatur *donum intellectus*. 2. 2. *qu.* 8. *art.* 1. *in corp.*

QUÆR. 2. *Quomodo donum intellectus ſe extendat nedum ad myſteria fidei, ſed etiam ad opera bona, juxta illud Pſalmi* 110. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod donum intellectus non ſolum ſe habet ad ea, quæ primo, & principaliter cadunt ſub fide, ſed etiam ad omnia, quæ ad fidem ordinantur. Operationes autem bonæ quendam ordinem ad fidem habent: Nam *fides per dilectionem operatur*, ut Apoſtolus dicit ad Galat. 5. Et ideo donum intellectus etiam ad quædam operabilia ſe extendit, non quidem ut circa ea principaliter verſetur, ſed inquantum in agendis regulamur rationibus æternis, quibus conſpiciendis, & conſulendis (ſecundum Auguſtinum 12. de Trinitate) inhæret ſuperior ratio, quæ dono intellectus perficitur. 2. 2. *qu.* 3. *in corp.*

QUÆR. 3. *An & quomodo dono intellectus correſpondeat ſexta beatitudo, juxta illud D. Auguſtini in lib. de Serm. Domini in monte: Sexta operatio Spiritus Sancti, quæ eſt intellectus, convenit mundis corde, qui purgato oculo poſſunt videre, quod oculus non vidit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in ſexta Beatitudine, ſicut in aliis, duo continentur: unum per modum meriti, ſcilicet munditia cordis; aliud per modum præmii, ſcilicet viſio Dei. Et utrumque pertinet aliquo modo ad donum intellectus. Eſt enim duplex munditia, una quidem præambula, & diſpoſitiva ad Dei viſionem, quæ eſt depuratio affectus ab inordinatis affectionibus: & hæc quidem munditia cordis fit per virtutes, & dona, quæ pertinent ad vim appetitivam: alia vero munditia cordis eſt, quæ eſt quaſi completiva reſpectu viſionis divinæ: & hæc quidem eſt munditia mentis depuratæ a phantaſmatibus, & erroribus: ut ſcilicet ea, quæ de Deo proponuntur, non accipiantur per modum corporalium phantaſmatum, nec ſecundum hæreticas perverſitates: & hanc munditiam facit donum intellectus. Similiter etiam duplex eſt Dei viſio: una quidem perfecta, per quam videtur Dei eſſentia: alia vero imperfecta, per quam etſi non videamus de Deo quid eſt, videmus tamen, quid non eſt: & tanto in hac vita Deum perfectius cognoſcimus, quanto magis intelligimus eum excedere quidquid intellectu comprehenditur. Et utraque Dei viſio pertinet ad donum intellectus; prima ad donum intellectus conſummatum, ſecundum quod erit in patria: ſecunda vero ad donum intellectus inchoatum, ſecundum quod habetur in via. 2. 2. *q.* 8. *art.* 7. *in corp.*

QUÆR. 4. *Quomodo fides, & gaudium prout ſunt fructus Spiritus Sancti, correſpondeant dona intellectus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod fructus Spiritus dicuntur ultima, & delectabilia, quæ in nobis proveniunt ex virtute Spiritus Sancti: ultimum autem, & delectabile habet rationem finis, qui eſt proprium objectum voluntatis: & ideo oportet, quod illud quod eſt ultimum & delectabile in voluntate, ſit quodammodo fructus omnium aliorum, quæ pertinent ad alias potentias. Secundum hoc ergo genus doni, vel virtutis perficientis aliquam potentiam poteſt accipi duplex fructus: unus quidem pertinens ad ſuam potentiam; alius autem quaſi ultimus pertinens ad voluntatem: ſecundum hoc dicendum eſt, quod dono intellectus reſpondet pro proprio fructu fides, ideſt, fidei certitudo; ſed pro ultimo fructu reſpondet ei gaudium, quod pertinet ad voluntatem. 2. 2. *q.* 8. *art.* 8. *in corp.*

INTEMPERANTIA.

QUÆR. 1. *Cur Philoſophus* 3. *Ethicor. dicit, intemperantiam eſſe puerile peccatum.*

Reſpondetur ſupra *v. Concupiſcentia, quæſt.* 2.

QUÆR. 2. *An verum ſit quod Philoſ. dicit* 3. *Ethic. intemperantia inter alia videtur juſte exprobrabilis eſſe.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod exprobratio opponi videtur honori, & gloriæ: honor autem excellentiæ debetur; gloria autem Charitatem importat: eſt ergo intemperantia maxime exprobrabilis propter duo; primo quidem, quia maxime repugnat excellentiæ hominis; eſt enim circa delectationes communes nobis, & brutis: unde in Pſalm. 48. dicitur: *Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*; Secundo, quia maxime

ximè repugnat ejus claritati, vel pulchritudini, inquantum ſcilicet in delectationibus, circa quas eſt intemperantia, minus apparet de lumine rationis, ex qua eſt tota claritas, & pulchritudo virtutis: unde & hujuſmodi delectationes dicuntur *maxime ſerviles*. 2. 2. *qu.* 142. *art.* 4. *in corp.*

QUÆR. 3. *An & quare peccata intemperantiæ ſunt minoris culpæ, ſed majoris infamiæ.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſicut Gregorius dicit, *vitia carnalia* (quæ intemperantia continentur) *etſi ſint minoris culpæ, ſunt tamen majoris infamiæ*: nam magnitudo culpæ reſpicit deordinationem a fine; infamia autem reſpicit turpitudinem, quæ maxime conſideratur ſecundum indecentiam peccantis. *Ibid. ad* 1.

QUÆR. 4. *An peccata intemperantiæ ſint minus exprobrabilia; ex eo quod ſunt magis communia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod conſuetudo peccandi diminuit turpitudinem, & infamiam peccati, ſecundum opinionem hominum; non autem ſecundum naturam ipſorum vitiorum. *Ibid. ad* 2.

QUÆR. 5. *Quomodo omnia vitia maxime exprobrabilia reducantur ad intemperantiam.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod cum dicitur intemperantia eſſe maxime exprobrabilis, eſt intelligendum inter vitia humana, quæ ſcilicet attenduntur ſecundum paſſiones humanæ naturæ aliqualiter conformes: ſed illa vitia, quæ excedunt modum humanæ naturæ, ſunt magis exprobrabilia: & tamen etiam illa videntur reduci ad genus intemperantiæ ſecundum quendam exceſſum; ſicut ſi aliquis delectaretur in comeſtione carnium humanarum, aut in coitu beſtiarum, aut maſculorum. 2. 2. *quæſt.* 142. *art.* 4. *ad* 3.

QUÆR. 6. *Quodnam ſit maximum remedium contra intemperantiam.*

Reſp. *v. Timiditas.*

De Intemperantia per comparationem ad incontinentiam agitur ſupra verb. Incontinentia qu. 6. *& ſequentibus.*

INTENTIO.

QUÆR. 1. *An & quomodo de intentione intelligatur illud Chriſti Matth.* 6. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit.*

Reſp. D. Thomas, Auguſtinus de ſerm. Domini ait: oculum hic accipere debemus intentionem noſtram, quæ ſi munda fuerit & recta, omnia opera noſtra, quæ ſecundum eam operamur, bona ſunt; quæ quidem omnia totum corpus appellavit; quia & Apoſtolus membra noſtra dicit quædam opera, ubi ait: *mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, &c.* Non ergo quid quiſque facit, ſed quo animo faciat conſiderandum eſt: hoc eſt enim lumen in nobis; quia hoc nobis manifeſtum eſt bono animo nos facere quod facimus: omne enim quod manifeſtatur, lumen eſt, ipſa vero facta quæ ad hominum ſocietatem procedunt, incertum nobis habent exitum; & ideo tenebras ea vocavit: non enim novi, cum pecuniam porrigo indigenti, quid ſit inde facturus. Si ergo ipſa cordis intentio, quæ tibi nota eſt, ſordidatur appetitu temporalium rerum, magis ipſum factum (cujus incertus eſt exitus) ſordidum erit; quia etſi bene alicui proveniat quod tu non recta intentione facis, quomodo tu feceris imputabitur tibi, non quomodo illi provenerit. Si autem ſimplici intentione (ideſt fine charitatis) opera noſtra fiant, tunc munda ſunt, & placent in conſpectu Dei. *In Catena aurea ſuper caput* 6. *Matth.* 1. 2. *qu.* 12. *art.* 1. *ad* 1.

QUÆR. 2. *Quomodo intelligatur Gloſſa ſuper illud Matth.* 11. *Bonus homo de theſauro bono cordis ſui profert bona, dicens: tantum boni quis facit, quantum intendit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Gloſſa illa loquitur quantum ad reputationem Dei, qui præcipue conſiderat intentionem finis: unde alia Gloſſa dicit ibidem, quod *theſaurus cordis, intentio eſt, ex qua Deus judicat opera*: bonitas enim intentionis, ut dictum eſt, redundat quodammodo in bonitatem voluntatis, quæ facit etiam exteriorem actum meritorium apud Deum. 1. 2. *qu.* 19. *art.* 8. *ad* 1.

INTERDICTUM.

QUÆR. An totum regnum ſupponi poſſit interdicto pro peccatis Regis.

Reſponſio videatur ſupra *v. Excommunicatio qu.* 16.

INTIMIDITAS.

QUÆR. 1. *An intimiditas ſit peccatum, & unde proveniat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quia timor ex amore naſcitur, idem judicium videtur eſſe de amore, & timore: agitur autem nunc de timore, quo mala temporalia timentur, qui provenit ex bonorum temporalium amore: inditum eſt autem unicuique natu-

Digitized by Google

naturaliter, ut propriam vitam amet, & ea, quæ ad ipſam ordinantur cum debito modo: ut ſcilicet amentur hujuſmodi, non quaſi finis conſtituatur in eis, ſed ſecundum quod eis utendum eſt propter ultimum finem; unde quod aliquis deficiat a debito modo amoris ipſorum, eſt contra naturalem inclinationem, & per conſequens eſt peccatum: nunquam tamen a tali amore aliquis totaliter decidit; quia id, quod eſt naturale, totaliter perdi non poteſt propter quod Apoſtolus dicit ad Epheſios 5. *Nemo unquam carnem ſuam odio habuit*: unde etiam illi, qui ſeipſos interimunt, ex amore carnis ſuæ hoc faciunt, quam volunt præſentibus anguſtiis liberare: unde contingere poteſt, quod aliquis minus quam debet, timeat mortem, & alia temporalia mala propter hoc, quod minus debito amet ea: ſed quod nihil horum timeat, non poteſt ex totali defectu amoris contingere, ſed ex eo, quod æſtimat mala oppoſita bonis, quæ amat, ſibi ſupervenire non poſſe.

Quod quandoque contingit ex ſuperbia animi de ſe præſumentis, & alios contemnentis, ſecundum quod dicitur Job 41. *Factus eſt ut nullum timeret: omne ſublime videt*: quandoque autem contingit ex defectu rationis, ſicut Philoſophus dicit in 5. Ethic. quod *Celtæ propter ſtultitiam nihil timent*: Unde patet, quod eſſe impavidum eſt vitioſum, ſive cauſetur ex defectu amoris, ſive cauſetur ex elatione animi, ſive cauſetur ex ſtoliditate, quæ tamen excuſat a peccato, ſi ſit invincibilis. 2. 2. *qu. 126. art. 1. in corp.*

QUÆR. 2. Utrum intimiditas conveniat homini juſto, juxta illud Proverb. 28. Juſtus quaſi Leo confidens abſque terrore erit.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod juſtus commendatur a timore non retrahente eum a bono, non quod ſit abſque omni timore; dicitur enim Eccleſ. 1. *Qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari. 2. 2. q. 126. art. 1. ad 1.*

QUÆR. 3. An virtus exigat intimiditatem, juxta illud Iſa. 51. Quis tu ut timeas ab homine mortali?

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod mors, vel quidquid aliud ab homine mortali poteſt inferri, non eſt ea ratione timendum; ut a juſtitia recedatur; eſt tamen timendum, inquantum per hoc homo poteſt impediri ab operibus virtuoſis vel quantum ad ſe, vel quantum ad profectum, quem in aliis facit: unde dicitur Sapient. 14. *Sapiens timet, & declinat a malo. Ibid. ad 2.*

QUÆR. 4. Quomodo intimiditas circa bona temporalia pertineat ad perfectionem.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod bona temporalia debent contemni, inquantum nos impediunt ab amore, & timore Dei: Et ſecundum hoc etiam non debent timeri; unde dicitur Eccleſ. 34. *Qui timet Dominum, nihil trepidabit*: non autem debent contemni bona temporalia, inquantum inſtrumentaliter nos juvant ad ea quæ ſunt divini timoris, & amoris. *Ibid. ad 3.*

QUÆR. 5. Utrum intimiditas opponatur fortitudini.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod fortitudo eſt circa timores & audacias: omnis autem virtus moralis ponit modum rationis in materia, circa quam eſt: unde ad fortitudinem pertinet timor moderatus ſecundum rationem; ut ſcilicet homo timeat quod oportet, & quando oportet; & ſimiliter de aliis: hic autem modus rationis corrumpi poteſt ſicut per exceſſum, ita & per defectum: unde ſicut timiditas opponitur fortitudini per exceſſum timoris, inquantum ſcilicet homo timet quod non oportet, vel ſecundum quod non oportet; ita etiam impaviditas opponitur ei per defectum timoris, inquantum ſcilicet aliquis non timet quod oportet timere. *In eadem q. 126. art. 2. in corp.*

INVENTA.

QUÆR. Quid fieri debeat de rebus inventis: & utrum eas retinendo committatur peccatum furti.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod circa res inventas eſt diſtinguendum: quædam enim ſunt quæ nunquam fuerunt in bonis alicujus, ſicut lapilli, & gemmæ, quæ inveniuntur in littore maris; & talia occupanti conceduntur. Et eadem ratio eſt de theſauris antiquo tempore ſub terra occultatis, quorum non eſt aliquis poſſeſſor: niſi quod ſecundum leges civiles tenetur inventor dare medietatem Domino agri, ſi in alieno agro invenerit, propter quod in parabola Evangelii dicitur Matthæi 13. de inventore theſauri abſconditi in agro, quod *emit agrum*, quaſi ut haberet jus poſſidendi totum theſaurum.

Quædam vero res inventæ fuerunt de propinquo in aliquibus bonis: & tunc ſi quis eas accipiat non animo retinendi, ſed animo reſtituendi Domino, qui eas pro derelictis non habet, non committit furtum. Et ſimiliter ſi pro derelictis habeantur, & hoc credat inventor, licet ſibi eas retineat, non committit furtum; alias autem committitur peccatum furti: unde Auguſtinus dicit in quadam homilia, & habetur 14. *quæſt. 5. Si quid inveniſti, & non reddidiſti, rapuiſti. 2. 2. qu. 66. art. 5. ad 2.*

Digitized by Google

QUÆR. 1. An invidia ſit triſtitia de bono alieno: & de quibus præſertim bonis ſibi invicem homines invideant.

REſp. D. Thomas, dicendum, quod objectum triſtitiæ eſt malum proprium: contingit autem id, quod eſt alienum bonum, apprehendi ut malum proprium; & ſecundum hoc de bono alieno poteſt eſſe triſtitia. Sed hoc contingit dupliciter: uno modo quando quis triſtatur de bono alicujus, inquantum imminet ſibi ex hoc periculum alicujus nocumenti; ſicut cum homo triſtatur de exaltatione inimici ſui, timens ne eum lædat; & talis triſtitia non eſt invidia, ſed magis timoris effectus, ut Philoſophus dicit in 2. Rethoricorum: alio modo bonum alterius æſtimatur ut malum proprium, inquantum eſt diminutivum propriæ gloriæ, vel excellentiæ: & hoc modo de bono alterius triſtatur invidia.

Et ideo præcipuè de illis bonis homines invident, in quibus eſt gloria, & in quibus homines amant honorari, & in opinione eſſe ut Philoſophus dicit in 2. Rethor. 2. 2. *qu. 36. art. 1. in corp.*

QUÆR. 2. Utrum invidia ſit ad multum diſtantes, vel ſolum ad propinquos, juxta illud Philoſoph. 2. Rethor. Invidebunt tales, quibus ſunt aliqui ſimiles, aut ſecundum genus, aut ſecundum ſtaturam, aut ſecundum habitum, aut ſecundum opinionem.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quia eſt de gloria alterius inquantum diminuit gloriam, quam quis appetit; conſequens eſt, ut ad illos tantum invidia habeatur quibus homo vult ſe æquare, vel præferre in gloria: hoc autem non eſt reſpectu multum a ſe diſtantium; nullus enim niſi inſanus ſtudet ſe æquare, vel præferre in gloria his, qui ſunt multo eo majores; puta plebejos homo Regi, vel etiam Rex plebejo, quem multum excedit: ideo his, qui multum diſtant vel loco, vel tempore, vel ſtatu homo non invidet; ſed his, qui ſunt propinqui, quibus ſe nititur æquare, vel præferre: Nam cum illi excedunt in gloria, accidit hoc contra noſtram utilitatem, & inde cauſatur triſtitia. 2. 2. *qu. 36. artic. 1. ad* 2.

QUÆR. 3. Cur, ſicut ait Philoſ. in 2. Rethor. illi quibus modicum deficit, & qui ſunt amatores honoris, & qui reputantur ſapientes, ſunt invidi.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod nullus conatur ad ea, in quibus eſt multum deficiens: & ideo cum aliquis in hoc eum excedat, non invidet: ſed ſi modicum deficiat, videtur, quod ad hoc pertingere poſſit, & ſic ad hoc conatur; unde ſi fruſtetur ejus conatus, propter exceſſum gloriæ alterius, triſtatur: & inde eſt, quod amatores honoris ſunt magis invidi.

Et ſimiliter etiam puſillanimes ſunt invidi, quia omnia reputant magna; & quidquid boni alicui accidat, reputant ſe in magno ſuperatos: unde & Job 5. dicitur, *Parvulum occidit invidia*; & Gregorius dicit in 5. Moral. *Invidere non poſſumus niſi eis, quos nobis in aliquo meliores putamus. 2. 2. q. 36. art. 1. ad* 3.

QUÆR. 4. Cur ſenes invideant junioribus; & qui multum expenderunt ad aliquid conſequendum, illis qui paucis expenſis ſunt illud conſecuti; & ſicut Philoſophus dicit in 2. Rethor. iis aliqui invident, qui habent, aut poſſederunt, quæ ipſis conveniebant, aut quæ ipſi quandoque poſſidebant.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod memoria præteritorum bonorum, inquantum fuerunt habita, delectationem cauſat; ſed inquantum ſunt amiſſa, cauſat triſtitiam; & inquantum ab aliis habentur, cauſat invidiam; quia hoc maxime videtur propriæ gloriæ derogare: & ideo dicit Philoſophus 2. Rhetor. quod ſenes invident junioribus; & illi qui multum expenderunt ad aliquid conſequendum invident iis, qui paucis expenſis illud ſunt conſecuti: dolent enim de amiſſione ſuorum bonorum; & de hoc quod alii conſecuti ſunt bona. 2. 2. *q. 36. art.* 1 *ad* 4.

QUÆR. 5. Quandonam triſtitia de bono alieno habeat proprie rationem invidiæ; & ſit laudabilis, aut vituperabilis.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſicut dictum eſt, invidia eſt triſtitia quædam de alienis bonis. Sed hæc triſtitia poteſt contingere quatuor modis.

Uno quidem modo, cum aliquis dolet de bono alicujus inquantum ex eo timetur nocumentum vel ſibi ipſi, vel etiam aliis bonis, & talis triſtitia non eſt invidia, & poteſt eſſe ſine peccato; unde Gregorius 22. Moralium ait: *evenire plerumque ſolet, ut non amiſſa charitate, & inimici nos ruina lætificet, & rurſum ejus gloria ſine invidiæ culpa contriſtet; cum & ruente eo quoſdam bene erigi credimus, & proficiente illo pleroſque injuſte opprimi formidamus.*

Alio modo poteſt aliquis triſtari de bono alterius non ex eo, quod ipſe habet bonum, ſed ex eo quod nobis deeſt bonum illud, quod ipſe habet, & hoc proprie eſt zelus, ut Philoſophus dicit in 2. Reth. & ſi iſte zelus ſit circa bona honeſta, laudabilis eſt, ſecundum illud 1. ad Corinth. 14. *Æmulamini ſpiritualia*; ſi autem ſit de bonis temporalibus poteſt eſſe cum peccato, & ſine peccato.

Ter-

Digitized by Google

Tertio modo aliquis triſtatur de bono alterius, inquantum ille, cui accidit bonum, eſt eo indigenus; quæ quidem triſtitia non poteſt oriri ex bonis honeſtis, ex quibus aliquis juſtus efficitur; ſed ſicut Philoſophus dicit in 2. Reth. *Eſt de Divitiis, & de talibus, quæ poſſunt provenire dignis, & indignis*: & hæc triſtitia ſecundum ipſam vocatur *Nemeſis*, & pertinet ad bonos mores. Sed hoc ideo dicit, quia conſiderabat ipſa bona temporalia ſecundum ſe prout poſſunt magna videri non reſpicientibus ad æterna. Sed ſecundum doctrinam fidei temporalia bona, quæ indignis proveniunt, ex juſta Dei ordinatione diſponuntur, vel ad eorum correctionem, vel ad eorum damnationem: & hujuſmodi bona quaſi nihil ſunt in comparatione ad bona futura, quæ ſervantur bonis: & ideo hujuſmodi triſtitia prohibetur in Scriptura Sacra, ſecundum illud Pſal. 36. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem*; & alibi Pſal. 72. *pene effuſi ſunt greſſus mei, quia zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns.*

Quarto modo aliquis triſtatur de bonis alicujus inquantum alter excedit ipſum in bonis: & hoc proprie eſt invidia: & illud ſemper eſt parvum, ut Philoſophus dicit in 2. Reth. quia dolet de eo, de quo eſt gaudendum, ſcilicet de bono proximi. 2. 2 *qu.* 36. *art.* 2. *in corp. qu.* 10. *de malo, art.* 1. *in corp.*

QUÆR. 6. *An & quando invidia ſit peccatum mortale, aut veniale tantum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod invidia ex genere ſuo eſt peccatum mortale: genus autem peccati ex objecto conſideratur: invidia autem ſecundum rationem ſui objecti contrariatur Charitati, per quam eſt vita animæ ſpiritualis, ſecundum illud 1. Joannis 3. *Nos ſcimus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*: utriuſque autem objectum, & Charitatis, & invidiæ eſt bonum proximi, ſed ſecundum contrarium motum: nam Charitas gaudet de bono proximi: invidia autem de eodem triſtatur: unde manifeſtum eſt, quod invidia ex ſuo genere eſt peccatum mortale.

Sed in quolibet genere peccati mortalis inveniuntur aliqui imperfecti motus in ſenſualitate exiſtentes, qui ſunt peccata venialia: ſicut in genere adulterii primus motus concupiſcentiæ, & in genere homicidii primus motus iræ: ita etiam in genere invidiæ inveniuntur aliqui primi motus, quandoque etiam in viris perfectis, qui ſunt peccata venialia. 2. 2. *qu.* 36. *art.* 3. *in corp. qu.* 10. *de malo, art.* 2. *in corp.*

QUÆR. 7. *An invidia excuſetur a mortali peccato, tum ob imperfectionem actus, tum ob materiæ parvitatem.*

Reſp. D. Thomas, conſiderandum quod in genere alicujus peccati mortalis poteſt inveniri aliquis actus, qui non eſt peccatum mortale propter ſuam imperfectionem; quia ſcilicet non attingit ad perfectam rationem illius generis. Quod quidem contingit dupliciter: uno modo ex parte principii activi, quia ſcilicet non procedit a ratione deliberante, quæ eſt proprium, & principale activum principium humanorum actuum, unde ſubiti motus etiam in genere homicidii, vel adulterii non ſunt peccata mortalia, quia non attingunt perfectam rationem actus moralis, cujus principium eſt ratio: Alio modo poteſt contingere ex parte objecti, quod ſcilicet propter ſui parvitatem non attingit ad perfectam rationem objecti; quod enim parvum eſt quaſi nihil accipit ratio, ſicut patet in ſpecie furti; ſi enim aliquis accipiat de agro alterius unam ſpicam, vel aliquid hujuſmodi, non eſt credendum, quod peccet mortaliter, quia hoc quaſi nihil computatur tam ab illo, qui accipit, quam ab illo, cujus eſt res ipſa. Secundum hoc ergo poteſt contingere, quod aliquis motus invidiæ non eſt peccatum mortale, quamvis invidia ſecundum ſuum genus ſit peccatum mortale, propter imperfectionem ipſius motus, vel quia eſt ſubitus, & non procedit ex ratione deliberata; vel quia homo triſtatur de aliquo bono alterius, quod eſt adeo parvum, quod non videtur eſſe aliquod bonum, puta ſi quis invideat alicui ſimul ludenti, quod vincat in ludo, puta cum eo currendo, vel aliquod hujuſmodi ludicrum faciendo. *qu.* 10. *de malo, art.* 20.

QUÆR. 8. *Quomodo in viris perfectis, & quandoque etiam in pueris ſint motus invidiæ, juxta illud D. Auguſtini* 1. *Conf. Vidi ego, & expertus ſum zelantem puerum; nondum loquebatur, & intuebatur pallidus amaro aſpectu collactaneum ſuum.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod motus invidiæ ſecundum quod eſt paſſio ſenſualitatis, eſt quoddam imperfectum in genere actuum humanorum, quorum principium eſt ratio: unde talis invidia non eſt peccatum mortale, Et ſimilis eſt ratio de invidia parvulorum, in quibus non eſt uſus rationis. 2. 2. *qu.* 36. *art.* 3. *ad* 1. & 2.

QUÆR. 9. *Quibus virtutibus opponatur invidia: & cur miſericordes non ſunt invidi.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod invidia ſecundum Philoſophum in 2. Rethor. opponitur & Nemeſi, & miſericordiæ; ſed ſecundum diverſa: nam miſericordiæ opponitur directe ſecundum contrarietatem principalis ob-

jecti; invidus enim triſtatur de bono proximi, miſericors autem triſtatur de malo proximi: unde invidi non ſunt miſericordes, ſicut ibidem dicitur, nec e converſo; ex parte vero ejus, de cujus, bono triſtatur invidus, opponitur invidia Nemeſi: Nemeſicus enim triſtatur de bono indigne agentium, ſecundum illud Pſalm. 72. *Zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns*; invidus autem triſtatur de bono eorum, qui ſunt digni; unde patet, quod prima contrarietas eſt magis directa, quam ſecunda; miſericordia autem quædam virtus eſt, & Charitatis proprius effectus; unde invidia miſericordiæ opponitur, & Charitati. 2. 2. *quæſt. 36. art.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 10. *Utrum invidia ſit vitium capitale.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſicut acedia eſt triſtitia de bono ſpirituali Divino, ita invidia eſt triſtitia de bono proximi. Dictum eſt autem ſupra, acediam eſſe vitium capitale, ea ratione, quia ex acedia homo impellitur ad aliqua facienda, vel ut fugiat triſtitiam, vel ut triſtitiæ ſatisfaciat: unde eadem ratione invidia ponitur vitium capitale. 2. 2. *qu.* 36. *art.* 4. *in corp. quæſt.* 10. *de malo, art.* 3. *in corp.*

QUÆR. 11. *Quomodo licet invidia ſit capitale vitium, oriatur tamen ex altero vitio, & ſit filia vanæ gloriæ, juxta illud Philoſophi in* 2. *Rhet. Amatores honoris, & gloriæ magis invident.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſicut Gregor. dicit 31. Mor. *Capitalia vitia tanta ſibi conjunctione junguntur, ut non niſi unum de altero proferatur: Prima namque ſuperbiæ ſoboles inanis eſt gloria, quæ dum oppreſſam mentem corrumpit, mox invidiam gignit; quia dum vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipiſci valeat, tabeſcit.* Non eſt ergo contra rationem vitii capitalis, quod ipſum ex alio oriatur, ſed quod non habeat aliquam principalem rationem producendi ex ſe multa genera peccatorum. Forte tamen propter hoc, quod invidia manifeſte ex inani gloria naſcitur, non ponitur vitium capitale, neque ab Iſidoro in lib. 2. de ſummo bono, neque a Caſſiano in lib. de inſtitutis Monaſteriorum. 2. 2. *quæſt.* 36. *art.* 4. *ad* 1.

QUÆR. 12. *Utrum convenienter invidiæ filias aſſignet D. Greg.* 31. *Mor. dicens, quod de invidia oritur odium, ſuſurratio, detractio, exultatio in adverſis proximi, & afflictio in proſperis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod numerus filiarum invidiæ ſic poteſt ſumi: quia in conatu invidiæ eſt aliquid tanquam principium, & aliquid tanquam medium, & aliquid tanquam terminus. Principium quidem eſt, ut aliquis diminuat gloriam alterius vel in occulto, & ſic eſt ſuſurratio; vel manifeſte, & ſic eſt detractio. Medium autem eſt, quia aliquis intendens diminuere gloriam alterius; aut poteſt, & ſic eſt exultatio in adverſis; aut non poteſt, & ſic eſt afflictio in proſperis. Terminus autem eſt in ipſo odio: quia ſicut bonum delectans cauſat amorem, ita triſtitia cauſat odium. Afflictio autem in proſperis proximi, uno modo eſt ipſa invidia, inquantum ſcilicet aliquis triſtatur de proſperis alicujus, ſecundum quod habent gloriam quandam: alio vero modo eſt filia invidiæ, ſecundum quod proſpera proximi eveniunt contra conatum invidentis, qui nititur impedire. Exultatio autem in adverſis non eſt directe idem quod invidia; ſed ex ea ſequitur: nam ex triſtitia de bono proximi, quæ eſt invidia, ſequitur exultatio de malo ejuſdem. 2. 2. *qu.* 36. *art.* 4. *ad* 3. *qu.* 10. *de malo, art. ad* 3.

QUÆR. 13. *Quomodo licet vitia capitalia videantur eſſe leviora quam alia, quæ ex eis oriuntur, juxta illud Gregor.* 31. *Mor. Prima vitia deceptæ menti quaſi ſub quadam ratione ſe ingerunt, ſed quæ ſequuntur, dum mentem ad omnem inſaniam pertrahunt, quaſi beſtiali clamore mentem confundunt; nihilominus invidia dicatur eſſe graviſſimum peccatum ab eodem D. Gregor.* 5. *Mor. Quamvis per omne vitium, quod perpetratur, humano cordi antiqui hoſtis virus infundatur, in hac tamen nequitia tota ſua viſcera ſerpens concutit, & imprimendæ malitiæ peſtem vomit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ex verbis illis non habetur, quod invidia ſit maximum peccatum; ſed quod quando diabolus invidiam ſuggerit, ad hoc hominem inducit, quod ipſe principaliter in corde habet. Quia ſicut ibi inducitur conſequenter, *invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Eſt tamen quædam invidia, quæ inter graviſſima peccata computatur, ſcilicet invidentia fraternæ gratiæ; ſecundum quod aliquis dolet de ipſo augmento gratiæ Dei, non ſolum de bono proximi. Unde ponitur peccatum in Spiritum Sanctum, quia per hanc invidentiam homo quodammodo invidet Spiritui Sancto, qui in ſuis operibus glorificatur. 2. 2. *quæſt.* 36. *art.* 4. *ad* 2.

QUÆR. 14. *& quomodo invidia ſimul ſit culpa, & pœna, juxta illud D. Gregorii* 5. *Mor. Tabeſcentem mentem ſua pœna ſauciat, quam felicitas torquet aliena: & in eodem*

Digitized by Google

dem libro 5. ait: cum deviĉtum cor livoris putredo corruperit, ipſa quoque exteriora indicant, quam graviter animum veſania infliget: color quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, membra frigeſcunt, fit in cogitatione rabies; in dentibus ſtridor: & D. Iſidorus in libro de ſummo bono dicit: quod livor, ideſt invidia, ſuum torquet authorem.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod quibuſdam peccatis adjunguntur quædam pœnalitates: & tunc idem eſt culpa & pœna ſecundum aliud & aliud, culpa quidem ſecundum quod procedit ex inordinata hominis voluntate, & ſic non eſt a Deo; pœna autem ſecundum quod habet quandam pœnalem afflictionem adjunctam, & hoc eſt a Deo, ſecundum illud Pſal. *Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam*: & Auguſtinus dicit in 1. Confeſſ. *Juſſiſti Domine, & ſic eſt, ut pœna ſibi ſit omnis inordinatus animus*. Et hoc modo invidia poteſt eſſe & pœna, & culpa, *q. 10. de malo, a. 1. ad 9. 2. 2. q. 36. a. 1. ad 1. & a. 2. ad 4.*

QUÆR. 15. An per invidiam pereant omnia bona opera.

Reſp. D. Thomas, quod Gregor. dicit in 6. Moral. exponens id quod habetur Prov erb. 14. *Putredo oſſium invidia. Per livoris*, inquit, *vitium ante Dei oculos pereunt bene acta virtutum, q. 10. de malo a. 2. in 1. arg. Sed cont.*

QUÆR. 16. Utrum invidia omni virtuti contrarietur.

Reſp. D. Thomas, Iſidorus dicit in lib. de ſummo bono: *Nulla virtus eſt, cui non contrarietur invidia: ſola enim miſeria caret invidia. Ibid. in arg. 3.*

QUÆR. 17. An invidia eandem pœnam mereatur ac detractio, & homicidium.

Reſp. D. Thomas, in itinerario Clementis narratur quod Petrus dixit quod tria peccata æqualiter pœnam merentur; cum aliquis manu occidit; cum lingua detrahit: & cum corde invidet, vel odit. *Ibid. in 2. arg.*

QUÆR. 18. An invidia ſpiritualiter ipſos invidos interficiat.

Reſp. D. Thomas, invidia occidit ſpiritualiter, ſecundum illud Job 5. *Parvulum occidit invidia*; & ſuper illud 2. ad Corinth. 2. *Chriſti bonus odor ſumus*, dicit Gloſſa. *Odor iſte vegetat diligentes, necat invidentes, in eodem a. 2. argum. 5.*

JOCOSUM VERBUM.

QUÆR. Utrum omne verbum jocoſum ſit otioſum. Et utrum liceat quædam ludicra, & jocoſa immiſcere Sacræ Doctrinæ.

Reſp. infra *v. Ludus qu. 2. & v. Otioſum verbum q. 1.*

I R A.

QUÆR. 1. Quid ſit ira, & quando ſit laudabilis, aut vitioſa.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ira proprie nominat quandam paſſionem: paſſio autem appetitus ſenſitivi intantum eſt bona, inquantum ratione regulatur; ſi autem ordinem rationis excludat, eſt mala.

Ordo autem rationis in ira poteſt attendi quantum ad duo. Primo quidem quantum ad appetibile, in quod tendit, quod eſt vindicta: unde ſi aliquis appetat, quod ſecundum ordinem rationis ſiat vindicta, eſt laudabilis iræ appetitus, & vocatur ira per zelum: ſi autem aliquis appetat, quod fiat vindicta qualitercunque contra ordinem rationis, puta ſi appetat puniri eum, qui non meruit, vel ultra quam meruit, vel etiam non ſecundum legitimum ordinem, vel non propter debitum finem, qui eſt conſervatio juſtitiæ, & correctio culpæ, erit appetitus iræ vitioſus, & nominatur ira per vitium.

Alio modo attenditur ordo rationis circa iram quantum ad modum iraſcendi; ut ſcilicet motus iræ non immoderate ferveſcat nec interius nec exterius: quod quidem ſi prætermittatur, non erit abſque peccato, etiamſi aliquis appetat juſtam vindictam. *2. 2. q. 158. art. 2. in corp. q. 12. de malo, art. 2. in corp.*

QUÆR. 2. An & quando ira ſit peccatum mortale, aut veniale.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod motus iræ poteſt eſſe inordinatus, & peccatum dupliciter.

Uno modo ex parte appetibilis, utpote cum aliquis adpetit injuſtam vindictam: & ſic ex genere ſuo ira eſt peccatum mortale, quia contrariatur Charitati, & juſtitiæ. Poteſt tamen contingere, quod talis appetitus ſit peccatum veniale propter imperfectionem actus; quæ quidem imperfectio attenditur, vel ex parte appetentis, puta cum motus iræ prævenit judicium rationis; vel etiam ex parte appetibilis, puta cum aliquis appetit in aliquo modico ſe vindicare, quod quaſi nihil eſt reputandum; ita etiam, quod ſi actu inferatur, non eſſet peccatum mortale; puta ſi aliquis parum trahit puerum aliquem per capillos, vel aliquid hujuſmodi.

Alio modo poteſt eſſe motus iræ inordinatus quantum ad modum iraſcendi; utpote ſi nimis ardenter iraſcatur interius, vel ſi nimis

mis exterius manifeſtet ſigna iræ: & ſic ira ſecundum ſe non habet de ſuo genere rationem peccati mortalis. Poteſt tamen contingere, quod ſit peccatum mortale; puta ſi ex vehementia iræ aliquis excidat a dilectione Dei, & proximi. 2. 2. *quæſt.* 158. *art.* 3. *in corp. quæſt.* 12. *de malo*, *artic.* 3. *in corp.*

QUÆR. 3. *An ſit aliquod vitium oppoſitum iracundiæ, proveniens ex defectu iræ, juxta illud D. Chryſoſt. ſuper Matth. Qui cum cauſa non iraſcitur, peccat: patientia enim irrationabilis vitia ſeminat, negligentiam nutrit; & non ſolum malos, ſed etiam bonos incitat ad malum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ira dupliciter poteſt intelligi: uno modo ſimplex motus voluntatis, quo aliquis non ex paſſione, ſed ex judicio rationis pœnam infligit: & ſic defectus iræ abſque dubio eſt peccatum: & hoc modo ira accipitur in verbis Chryſoſtomi, qui dicit ibidem: *iracundia, quæ cum cauſa eſt, non eſt iracundia, ſed judicium: iracundia enim proprie intelligitur commotio paſſionis: qui autem cum cauſa iraſcitur, ira illius non eſt ex paſſione: ideo judicare dicitur, non iraſci.*

Alio modo accipitur ira pro motu appetitus ſenſitivi, qui eſt cum paſſione, & tranſmutatione corporali; & hic quidem motus ex neceſſitate conſequitur in homine ad ſimplicem motum voluntatis: quia naturaliter appetitus inferior ſequitur motum appetitus ſuperioris, niſi aliquid repugnet: & ideo non poteſt totaliter deficere motus iræ in appetitu ſenſitivo, niſi per ſubtractionem, vel debilitatem voluntarii motus: & ideo ex conſequenti etiam defectus paſſionis iræ vitioſus eſt, ſicut & defectus voluntarii motus ad puniendum ſecundum judicium rationis. 2. 2. q. 158. *a.* 8.

QUÆR. 4. *Utrum ira ſit peccatum mortale ex diuturnitate, frequentia, aſſiduitate, vel ſcandalo.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod cum ira ſit motus animæ ad nocendum proximo, ſi ſit tale nocumentum in quod tendit motus iræ, quod ex genere ſuo ſit peccatum mortale (ſicut homicidium, vel furtum) talis ira ex genere ſuo eſt peccatum mortale: ſed quod ſit peccatum veniale, habet ex imperfectione actus, inquantum eſt motus ſubitus ſenſualitatis: ſi vero ſit diuturna, redit ad naturam ſui generis per conſenſum rationis: ſi vero nocumentum in quod tendit motus iræ eſſet veniale, ex genere ſuo (puta cum aliquis in hoc iraſcitur contra aliquem quod vult ei dicere aliquod verbum leve, & jocoſum, quod modicum ipſum contriſtet) non erit ita peccatum mortale, quantuncunque ſit diuturna, niſi forte per accidens; puta ſi ex hoc grave ſcandalum oriatur, vel propter aliquid hujuſmodi. 1. 2. *q.* 88. *a.* 5. *ad* 1.

QUÆR. 5. *An verum ſit quod ſuper illud ad Epheſ.* 4. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram, dicit Gloſſa: Chriſtus cum ira nunquam ſimul inhabitat, & D. Gregor.* 5. *Moral. ait: per iram juſtitia relinquitur, concordia rumpitur, Sancti Spiritus ſplendor excutitur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Gloſſa illa loquitur de ira per vitium, quando motus iræ eſt perfectus & ex parte agentis, & ex parte objecti: ſic enim eſt ſemper peccatum mortale. Et ſimiliter dicendum ad authorit. Gregor. *q.* 12. *de malo*, *a.* 3. *ad* 1.

QUÆR. 6. *Quomodo, ſicut dicitur Job* 5. *Virum ſtultum interficit iracundia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ex illa authoritate non habetur, quod omnis ira ſit peccatum mortale, ſed quod ſtulti per iracundiam ſpiritualiter occiduntur, inquantum ſcilicet non refrænando per rationem motum iræ, dilabuntur in aliqua peccata mortalia; puta in blaſphemiam Dei, vel in injuriam proximi. 2. 2. *q.* 158. *a.* 3. *ad* 1.

QUÆR. 7. *Utrum ira ſit vitium capitale.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod vitium capitale dicitur ex quo multa vitia oriuntur: habet autem hoc ira, quod ex ea multa vitia oriri poſſunt duplici ratione; primo ex parte ſui objecti, quod multum habet de ratione appetibilitatis, inquantum ſcilicet vindicta appetitur ſub ratione juſti: vel honeſti, quod ſua dignitate allicit; alio modo ex ſuo impetu, quo mentem præcipitat ad inordinata quæcunque agenda: unde manifeſtum eſt, quod ira eſt vitium capitale. 2. 2. *qu.* 158. *a.* 6. *in corp. q.* 12. *de malo*, *a.* 5. *in corp.*

QUÆR. 8. *Utrum convenienter aſſignentur ſex filiæ iræ, ſcilicet, rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, & blaſphemia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ira poteſt tripliciter conſiderari: uno modo ſecundum quod eſt in corde, & ſic ex ira naſcuntur duo vitia; unum quidem ex parte ejus, contra quem iraſcitur, quem reputat indignum, ut ſibi tale quid fecerit, & ſic ponitur indignatio; aliud autem vitium eſt ex parte ſui ipſius, in quantum ſcilicet excogitat diverſas vias vindictæ, & talibus cogitationibus animum ſuum replet, ſecundum illud Job 15. *Nunquid ſapiens implebit ardore ſtomachum ſuum;* & ſic ponitur tumor mentis: alio modo conſideratur ira ſecundum quod

eſt

Digitized by Google

eſt in ore, & ſic ex ira duplex inordinatio procedit; una quidem ſecundum hoc quod homo in modo loquendi iram ſuam demonſtrat, ſicut qui dicit fratri ſuo *Racha*, & ſic ponitur clamor, per quem intelligitur inordinata, & confuſa locutio; alia etiam eſt inordinatio ſecundum quod aliquis prorumpit in verba injurioſa, quæ quidem ſi ſint contra Deum, erit blaſphemia: ſi autem contra proximum, contumelia. Tertio modo conſideratur ira ſecundum quod procedit uſque ad factum; & ſic ex ira oriuntur rixæ, per quas intelliguntur omnia nocumenta, quæ facto proximis inferuntur ex ira. 2. 2. *q.* 158. *a.* 7. *in corp. q.* 12. *de malo*, *a.* 5.

QUÆR. 9. *Quomodo tres ſint gradus iræ, ſicut explicat Chriſtus Matth.* 5. *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio, qui autem dixerit fratri ſuo, Racha, reus erit concilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.*

Reſp. D. Thomas, gradus ſunt in iſtis peccatis: Primo ut unuſquiſque iraſcatur, & motum retineat corde conceptum. Jam ſi extorſerit vocem ipſa commotio non ſignificantem aliquid, ſed animi motum ipſa eruptione teſtantem, plus eſt quam ſi ira ſurgens ſilentio premeretur. Sed adhuc plus eſt ſi etiam verbum proferatur, quod jam certam vituperationem deſignat Chryſ. ſuper Matth. ſicut autem nemo eſt vacuus, qui habet Spiritum Sanctum, ita nemo eſt fatuus qui Chriſtum cognoſcit: ſed ſi Racha, idem eſt quod vacuus, quantum ad ſenſum verbi, unum eſt dicere fatue & Racha; ſed differunt quantum ad dicentis propoſitum: Racha enim verbum vulgare erat apud Judæos, quod non ex ira, neque odio: ſed ex aliquo motu vano dicebant magis fiduciæ cauſa quam iracundiæ. Sed ſi iracundiæ cauſa non dicitur, quare peccatum eſt? quia contentionis cauſa dicitur, non ædificationis: ſi enim nec bonum verbum dicere debemus, niſi pro ædificatione, quanto magis illud quod in ſe naturaliter malum eſt? *in catena aur. ſuper c.* 5. *Matth.*

QUÆR. 10. *An convenienter tres aſſignentur ſpecies iræ, ſcilicet fel, mania, & furor.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod tres ſpecies iræ, quas Damaſc. ponit, & etiam Gregor. Nyſſen. ſumuntur ſecundum ea quæ dant iræ aliquod augmentum: quod quidem contingit tripliciter: uno modo ex facilitate ipſius motus, & talem iram vocat fel, quia cito accenditur: alio modo ex parte triſtitiæ cauſantis iram, quæ diu in memoria manet; & hæc pertinet ad maniam quæ a manendo dicitur: Tertio ex parte ejus quod iratus appetit, ſcilicet vindictæ, & hæc pertinet ad furorem, qui nunquam quieſcit donec puniat. 1. 2. *q.* 46. *a.* 8. *in corp.*

QUÆR. 11. *Quomodo, ſicut Philoſoph. dicit* 4. *Ethicor. Iracundorum quidam ſunt acuti, quidam amari, & quidam difficiles.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod poteſt inordinatio iræ ex duobus attendi. Primo quidem ex ipſa iræ origine: & hoc pertinet ad acutos, qui nimis cito iraſcuntur, & ex qualibet levi cauſa. Alio modo, ex ipſa iræ duratione: eo ſcilicet, quod ira nimis perſeverat; quod quidem poteſt eſſe dupliciter: uno modo, quia cauſa iræ, ſcilicet injuria illata, nimis manet in memoria hominis, unde ex hoc homo diutinam triſtitiam concipit; & ideo ſunt ſibiipſis graves, & amari. Alio modo contingit ex parte ipſius vindictæ quam aliquis obſtinato appetitu quærit: & hoc pertinet ad difficiles, ſive graves, qui non dimittunt iram quouſque puniant. 2. 2. *qu.* 158. *a.* 7. *in corp.*

QUÆR. 12. *Quomodo tam amari, quam difficiles, iram habent diuturnam, licet propter diverſam cauſam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod utrique, ſcilicet amari & difficiles, habent iram diuturnam; ſed propter aliam cauſam. Nam amari habent iram permanentem propter permanentiam triſtitiæ, quam inter viſcera tenent clauſam: Et quia non prorumpunt ad exteriora iracundiæ ſigna, non poſſunt perſuaderi ab aliis: nec ex ſeipſis recedunt ab ira, niſi prout diuturnitate temporis aboletur triſtitia, & ſic deficit ira: ſed in difficilibus eſt ira diuturna propter vehemens deſiderium vindictæ: Et ideo tempore non digeritur, ſed per ſolam punitionem quieſcit. *Ibid. ad* 2.

QUÆR. 13. *Utrum ira ſit aliquando neceſſaria.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Matth. ait: *Qui ſine cauſa iraſcitur, reus erit; qui vero cum cauſa, non reus*: nam ſi ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec judicia ſtant, nec crimina compeſcuntur. 2. 2. *q.* 158. *a.* 1. *in argum. Sed contra.*

QUÆR. 14. *In quo ſenſu Philoſ. dicat* 7. *Ethicor. quod ira non perfecte audit rationem: & D. Gregor. in* 5. *Moral. quod cum tranquillitatem mentis ira diverberat, dilaniatam quodam modo, ſciſſamque perturbat. Et Caſſian. in lib. de inſtitutis Cœnobior. Quilibet ex cauſa iracundiæ motus effervens, excæcat oculum cordis.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ira dupliciter ſe poteſt habere ad rationem. Uno quidem modo antecedenter: & ſic trahit rationem a ſua rectitudine, unde habet rationem mali. Alio modo conſequenter, prout ſcilicet appetitus ſenſitivus movetur contra vitia

tia

Digitized by Google

tia ſecundum ordinem rationis: & hæc ira eſt bona, quæ dicitur ira per zelum; unde Gregor dicit in 5. Moral. *Curandum ſummopere eſt, ne ira, quæ ut inſtrumentum virtutis aſſumitur, menti dominetur: ne quaſi domina præeat, ſed velut ancilla ad obſequium parata a rationis tergo nunquam recedat.* Hæc autem ira, eſt in ipſa executione actus judicium rationis aliqualiter impediat, non tamen rectitudinem rationis tollit; unde Gregor. ibid. dicit quod *ira per zelum turbat rationis oculum, ſed ira per vitium excæcat.* Non eſt autem contra rationem virtutis, ut intermittatur deliberatio rationis in executione ejus quod eſt a ratione deliberatum: quia etiam ars impediretur in ſuo actu, ſi dum debet agere, deliberaret de agendis 2.2. *q.* 158. *a.* 1. *ad* 2.

QUÆR. 15. *Utrum ira impediat ne ſimus ſimiles Deo, de quo dicitur Sapient.* 12. *Deus cum tranquillitate judicat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Deo aſſimilari poſſumus, & debemus in appetitum boni: ſed in modo appetendi ei omnino aſſimilari non poſſumus; quia in Deo non eſt appetitus ſenſitivus ſicut in nobis, cujus motus debet rationi deſervire; unde Gregor. dicit in Moral. quod *tunc robuſtius ira contra vitia oritur, cum ſubdita rationi famulatur. Ibid. ad* 4.

QUÆR. 16. *An & quomodo debemus iraſci tam contra proximos, quam contra nos ipſos.*

Reſp. D. Thomas, Gregor. dicit 5. Moral. *Non recte intelligunt qui iraſci non nobis tantummodo, non etiam proximis delinquentibus volunt. Si enim ſic proximos ut nos amare præcipimur: reſtat ut ſic eorum erroribus ſicut noſtris vitiis iraſcamur q.* 12. *de malo, a.* 1. *in arg. Sed contra.*

QUÆR. 17. *Quomodo ira ſit licita, cum ſit appetitus vindictæ, ut dicit Gloſſa ſuper Levit. Non oderis fratrem tuum in corde tuo; & non liceat ultionem appetere, ſecundum illud Deuteronom. Mea eſt ultio.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod appetere vindictam propter malum ejus qui puniendus eſt, illicitum eſt: ſed appetere vindictam propter vitiorum correptionem, & bonum juſtitiæ conſervandum, laudabile eſt. Et in hoc poteſt tendere appetitus ſenſitivus, inquantum movetur a ratione. Et dum vindicta ſit, ſecundum ordinem judicii, ſit a Deo: cujus miniſter eſt poteſtas puniens, ut dicitur Roman. 13. 2. 2. *q.* 158. *a.* 1. *ad* 3.

QUÆR. 18. *An verum ſit, quod Caſſianus ait lib.* 8. *de Inſtitut. Cœnobior. cum Apoſtolus dicit: Omnis ira tollatur a nobis, nullam penitus neceſſariam, & ut utilem nobis excipit. Tullius etiam in* 4. *de Tuſculanis quæſt. ait: Fortitudo non indiget advocato iracundia, ſatis ſuis armis munita, perfecta eſt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ira præveniens judicium rationis, non eſt utilis ad virtutem, ſed nociva; ſubſequens autem eſt utilis ad exequendum. *q.* 12. *de malo, a.* 1. *ad* 6.

QUÆR. 19. *Utrum ira impediat optimum hominis actum, ſcilicet contemplationem, cum D. Gregorius dicat: Cum quis a recti æmulatione concutitur, ea quæ niſi a tranquillo corde percipi non poteſt, contemplatio diſſipatur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod non omne illud, quod eſt impeditivum melioris, eſt malum; alioquin matrimonium eſſet malum, quia impedit virginitatem. Sed ulterius id quod eſt impeditivum alicujus boni ad horam, poteſt etiam pro tempore illo eſſe melius: unde licet contemplatio ſit ſimpliciter optima inter humanas operationes, tamen in aliquo caſu poteſt eſſe melior aliqua actio, ad quam coadjuvat ira. *Ib. ad* 11.

QUÆR. 20. *In quo ſenſu dicat D. Chryſoſtomus, quod nihil eſt turpius viſu furentis, & nihil deformius; ſi vero viſu, multo magis animo.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Chryſ. loquitur de turpitudine quantum ad geſtus exteriores, qui proveniunt ex impetu iræ. 2.2. *q.* 158. *a.* 4. *ad* 1.

QUÆR. 21. *In quo ſenſu verum ſit id quod idem D. Chryſoſtomus ait: Iræ & inſaniæ nihil eſt medium; ſed ira temporaneus eſt quidam dæmon, magis autem & dæmonium habente difficilius.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ratio illa procedit ſecundum inordinatum motum iræ, qui provenit ex ejus impetu. *Ib. ad* 2.

QUÆR. 22. *Cur Apoſt. ad Epheſ.* 4. *ait: Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram, nolite locum dare Diabolo.*

Reſp. D. Thomas, nolite locum dare Diabolo, quaſi dicat: non perſeveretis in ira, quia per hoc datis locum Diabolo, quia totus Diabolus iracundus eſt. Pſalm. 17. *Liberator meus de inimicis meis iracundis.* Intrat autem hominem cum furore & ira. Apoc. 12. *Deſcendit Diabolus ad vos, habens iram magnam.* Hoc autem non poteſt facere ſaltem in anima, quamdiu homo juſtus eſt. Hæc autem juſtitia per iram amittitur, quia ira viri juſtitiam Dei non operatur, ut dicitur Jac. 1. *Si ergo non vultis locum dare Diabolo, ſaltem in anima, Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Eccl. 11. *Aufer iram a corde tuo.* 4. *ad Epheſ. lect.* 8.

QUÆR. 23. *In quo ſenſu verum ſit, quod ſuper illud Pſalm.* 4. *Iraſcimini, & nolite peccare, dicit Gloſſa: Motus iræ non eſt in poteſtate*

Digitized by Google

teſtate noſtra ; & ſicut Philoſ. dicit 7. Ethic. Iratus cum triſtitia operatur.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod homo eſt dominus ſuorum actuum per arbitrium rationis : & ideo motus, qui præveniunt judicium rationis, non ſunt in poteſtate hominis in generali, ut ſcilicet nullus eorum inſurgat, quamvis ratio poſſit quemlibet ſingulariter impedire ne inſurgat : & ſecundum hoc dicitur, quod motus iræ non eſt in poteſtate hominis, ita ſcilicet quod nullus inſurgat: quia tamen aliqualiter eſt in hominis poteſtate, non totaliter perdit rationem peccati, ſi ſit inordinatus. Quod autem Philoſophus dicit iratum cum triſtitia operari, non eſt ſic intelligendum quaſi triſtetur de eo quod iraſcitur, ſed quia triſtatur de injuria, quam æſtimat ſibi illatam: & ex hoc triſtitia movetur ad appetendum vindictam. 2. 2. *q.* 158. *a.* 3. *ad* 3.

QUÆR. 24. *An & quomodo augeatur, vel diminuatur iræ malitia: & utrum ſit pejor quam odium, vel invidia, vel concupiſcentia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod inordinatio iræ ſecundum duo attenditur, ſcilicet ſecundum indebitum appetibile, & ſecundum indebitum modum iraſcendi: quantum igitur ad appetibile, quod iratus appetit, videtur ira eſſe minimum peccatorum : appetit enim ira malum pœnæ alicujus ſub ratione boni, quod eſt vindicta; & ideo ex parte mali, quod appetit, convenit peccatum iræ cum illis peccatis, quæ appetunt malum proximi, puta cum invidia, & odio : ſed odium appetit abſolute malum alterius inquantum hujuſmodi : invidus autem appetit malum alterius propter appetitum propriæ gloriæ: ſed iratus appetit malum alterius ſub ratione juſtæ vindictæ. Ex quo patet, quod odium eſt gravius quam invidia, & invidia quam ira : quia pejus eſt appetere malum ſub ratione mali, quam ſub ratione boni ; & pejus appetere malum ſub rationi boni exterioris, quod eſt honor, vel gloria, quam ſub ratione rectitudinis juſtitiæ. Sed ex parte boni ſub cujus ratione iratus appetit malum, convenit ira cum peccato concupiſcentiæ, quod tendit in aliquod bonum : & quantum ad hoc etiam abſolute loquendo peccatum iræ videtur eſſe minus, quam concupiſcentiæ, quanto melius eſt bonum juſtitiæ, quod appetit iratus, quam bonum delectabile, vel u ile, quod appetit concupiſcens: unde Philoſophus dicit in 7. Ethic. quod incontinens concupiſcentiæ eſt turpior, quam incontinens iræ: ſed quantum ad inordinationem, quæ eſt ſecundum modum iraſcendi, ira habet quandam excellentiam propter vehementiam, & velocitatem motus, ſecundum illud Proverb. 27. *Ira non habet miſericordiam, nec erumpens furor, & impetum concitati ſpiritus ferre quis poterit?* unde Gregor. dicit 5. Moral. *Iræ ſuæ ſtimulis accenſum Cor palpitat, corpus tremit, lingua ſe præpedit, facies igneſcit, exaſperantur oculi, & nequaquam recognoſcuntur noti: ore quidem lingua clamorem format; ſed ſenſus quid loquatur ignorat.* 2. 2. *quæſt.* 158. *artic.* 4. *in corp.* 1. 1. *quæſt.* 46. *art.* 6. *q.* 12. *de malo, artic.* 4.

QUÆR. 25. *Utrum odium quandoque habeat miſericordiam, non autem ira, de qua dicitur Prov. 27. Ira non habet miſericordiam, nec erump:ns furor.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in ira & odio duo poſſunt conſiderari, ſcilicet ipſum quod deſideratur, & intenſio deſiderii: quantum igitur ad id quod deſideratur, ira habet magis miſericordiam, quam odium : quia enim odium appetit malum alterius ſecundum ſe, nulla menſura mali ſatiatur : ea enim quæ ſecundum ſe appetuntur, ſine menſura appetuntur, ut Philoſ. dicit 1. Polit. ſicut avarus divitias : unde dicitur Eccleſ. 12. *Inimicus ſi invenerit tempus, non ſatiatur ſanguine.* Sed ira non appetit malum, niſi ſub ratione juſti vindicativi : unde quando malum illatum excedit menſuram juſtitiæ, ſecundum æſtimationem iraſcentis, tunc miſeretur: unde Philoſ. dicit in 2. Rhetor. quod *iratus, ſi fiant multa, miſerebitur; odiens autem pro nullo.* Quantum vero ad intenſionem deſiderii, ira magis excludit miſericordiam, quam odium, quia motus iræ eſt impetuoſior propter choleræ inflammationem : unde ſtatim ſubditur, *impetum concitati ſpiritus ferre quis poterit?* 1. 2. *quæſt. art.* 6. *ad* 1.

QUÆR. 26. *Cur illi qui habet aliquem odio, ſufficit, quod ille quem odit, patiatur malum: Irato autem non ſufficit, ſed quærit quod cognoſcat illud, & de illo doleat, ut Philoſ. dicit in 2. Rhet.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſicut dictum eſt, iratus appetit malum alicujus, inquantum habet rationem juſti vindicativi : vindicta autem fit per illationem pœnæ: eſt autem de ratione pœnæ, quod ſit contraria voluntati, & afflictiva, & quod pro aliqua culpa inferatur : & ideo iratus hoc appetit, ut ille cui nocumentum infert, percipiat, & doleat, & quod cognoſcat propter injuriam illatam ſibi hoc provenire : ſed odiens de hoc nihil curat, quia appetit malum alterius inquantum hujuſmodi. 1. 2. *qu.* 46. *art.* 6. *ad* 2.

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 27. *An ſicut Philoſophus dicit 4. Ethic. ira opponatur manſuetudini.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ira quæ tranſgreditur ordinem rationis, opponitur manſuetudini; non autem ira quæ eſt moderata, & ad medium redacta per rationem, nam manſuetudo medium tenet in ira. *3. p. q. 15. a. 9. ad 2.*

QUÆR. 28. *In quo ſenſu verum ſit, quod D. Dionyſius dicit 4. de divin. Nomin. Ira eſt naturalis cani, innaturalis autem homini.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ira prædominans rationi non eſt naturalis homini, ſed naturale eſt ei, ut ira rationi deſerviat. *q. 12. de malo, art. 1. ad 2.*

QUÆR. 29. *Cur ebrietas ad iram adjuvat.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſicut dicitur in 7. Ethicor. *Ira audit aliqualiter rationem ſicut nunciantem quod injuriatum eſt ei, ſed non perfecte audit*, quia non obſervat regulam rationis in rependendo vindictam: ad iram ergo requiritur aliquis actus rationis, & additur impedimentum rationis: unde Philoſ. dicit in lib. de problematibus; quod *illi qui ſunt multum ebrii, tanquam nihil habentes de judicio rationis, non iraſcuntur; ſed quando ſunt parum ebrii, iraſcuntur, tanquam habentes judicium rationis, ſed impeditum.* 1. 2. *q. 46. a. 4. ad 3.*

QUÆR. 30. *Quomodo intelligatur illud Job 17. Caligavit ad indignationem oculus meus; & membra mea quaſi in nihilum redacta ſunt. Stupebunt juſti ſuper hoc; & innocens contra hypocritam ſuſcitabitur; & tenebit juſtus viam ſuam; & mundis manibus addet fortitudinem.*

Reſp. D. Thomas, *caligavit ad indignationem oculus meus*, ſcilicet rationis, cujus acies eſt per iram zeli turbata. Secundo per hoc, quod ira per zelum etiam in corpore ex dolore quandam commotionem facit: unde dicitur 1. Machab. 2. quod Matathias videns Judæum idolis ſacrificantem doluit, & contremuerunt renes ejus; & ideo hic ſubditur: *& membra mea quaſi in nihilum ſunt redacta*; inquantum ſcilicet per dolorem corpus hominis tabeſcere videtur. Poſſet autem aliquis credere, quod iſta oculi caligatio contra juſtitiam eſſet, & indignatio contra innocentiam; & ideo ad hoc excludendum ſubdit, *ſtupebunt juſti ſuper hoc;* quaſi dicat, etiam ad juſtos pertinet, ut videntes malorum doctrinam obſtupeſcant: & hunc ſtuporem ſupra caligationem dixit. Sequitur autem; *& innocens contra hypocritam ſuſcitabitur*, quaſi dicat, non eſt contra innocentiam ſi aliquis contra hypocritam perverſionem veræ doctrinæ; per zelum juſtitiæ indignatus, concitetur: & quia ira per zelum animum turbat, ſed non cæcat, ſic vir juſtus ſtupet, vel caligat ex zelo, quod tamen a juſtitia non recedit, & hoc eſt quod ſubdit, *& tenebit juſtus viam ſuam*, quia ſcilicet non deſeret eam propter iram zeli: talis enim ira non præcedit rationem, ſed ſequitur; & ideo non poteſt hominem a juſtitia ſeparare. Utilis tamen eſt ira per zelum, quia facit hominem cum majore animi fortitudine inſurgere contra mala: & hoc eſt quod ſubdit, *& mundis manibus addet fortitudinem;* concitatus ſcilicet per zelum; unde & dicitur 3. Ethic. quod ira fortitudinem juvat; *in expoſit. illius cap. lect. 1.*

QUÆR. 31. *Cur, ſicut dicit Philoſ. in Rethor. ira ſit ſemper ex his, quæ ad ſeipſum; ſi enim putemus talem eſſe, odimus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ira eſt appetitus nocendi ſub ratione juſti vindicativi: vindicta autem locum non habet, niſi ubi præceſſit injuria: nec injuria omnis ad vindictam provocat, ſed illa ſola, quæ ad eum pertinet, qui appetit vindictam; ſicut enim unumquodque naturaliter appetit proprium bonum, ita etiam naturaliter repellit proprium malum: injuria autem ab aliquo facta non pertinet ad aliquem, niſi aliquid fecerit quod aliquo modo ſit contra ipſum: unde ſequitur quod motivum iræ alicujus ſemper ſit aliquid contra ipſum factum. 1. 2. *q. 47. a. 1. in corp.*

QUÆR. 32. *Cur iraſcimur, & appetimus vindictam facere etiam de his, quæ contra alios ſiunt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod iraſcimur contra illos, qui aliis nocent, & vindictam appetimus, inquantum illi quibus nocetur, aliquo modo ad nos pertinent, vel per aliquam affinitatem, vel per amicitiam, vel ſaltem per communionem naturæ. *Ibid. ad 1.*

QUÆR. 33. *Cur, ſicut Philoſ. dicit 2. Rethor. Homines iraſcuntur præcipue contra eos, qui deſpiciunt ea circa quæ ipſi maxime ſtudent.*

Reſp. D. Thomas, dicendum. quod id in quo maxime ſtudemus, reputamus eſſe bonum noſtrum: & ideo cum illud deſpicitur, reputamus nos quoque deſpici, & arbitramur nos læſos. 1. 2. *q. 47. a. 1. ad 3.*

QUÆR. 34. *Cur, ut dicit D. Chryſoſt. ille qui tacet contra contumeliantem, magis ipſum ad iram provocat.*

Reſp. D.Thomas, dicendum, quod tunc aliquis tacens ad iram provocat injuriantem, quando videtur ex contemptu tacere, quaſi parvipendens alterius iram. *Ibid. ad 4.*

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 35. *Utrum omnes cauſæ iræ reducantur ad parvipenſionem.*

Reſp. *v. Parvipenſio.*

QUÆR. 36. *Cur, ſicut Philoſoph. dicit in 2. Rethor. Homines propter excellentiam indignantur: & cur, ſicut ibidem ſubdit, maxime aliqui iraſcuntur cum triſtantur, ut infirmi, & egentes, & qui non habent id quod concupiſcunt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod cauſa iræ in eo qui iraſcitur dupliciter accipi poteſt: uno modo ſecundum habitudinem ad motivum iræ, & ſic excellentia eſt cauſa ut aliquis de facili iraſcatur. Eſt enim motivum iræ injuſta parvipenſio: Conſtat autem quod quanto aliquis eſt excellentior, injuſtius parvipenditur in eo in quo excellit: Et ideo illi qui ſunt in aliqua excellentia, maxime iraſcuntur ſi parvipenditur in pecunia, & Rhetor in loquendo, & ſic de aliis: alio modo poteſt conſiderari cauſa iræ in eo qui iraſcitur, ex parte diſpoſitionis, quæ in eo relinquitur ex tali motivo: manifeſtum eſt autem quod nihil movet ad iram, niſi nocumentum quod contriſtat: ea autem quæ ad defectum pertinent, maxime ſunt contriſtantia, quia homines affectibus ſubjacentes facilius læduntur, & iſta eſt cauſa quare homines qui ſunt infirmi, vel in aliis defectibus, facilius iraſcuntur, quia facilius contriſtantur. 1. 2. *q.* 47. 3. *a. in corp.*

QUÆR. 37. *Quare, ſicut Philoſ. dicit in eodem lib. 2. Rhetor. Tunc a quis maxime iraſcitur, quando in eis deſpicitur id, de quo poteſt eſſe ſuſpicio, quod vel non inſit eis, vel quod ſit in eis debiliter; ſed cum putant ſe multum excellere in illis, in quibus deſpiciuntur, non curant.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ille qui deſpicitur in eo, in quo manifeſte multum excellit, non reputat inde aliquam jacturam pati; & ideo non contriſtatur; & ex hac parte minus iraſcitur: ſed ex alia parte inquantum indignius deſpicitur, habet majorem rationem iraſcendi: niſi forte reputet ſe non invideri, vel ſubſannari propter deſpectum, ſed propter ignorantiam, vel propter aliud hujuſmodi. 1. 2. *q.* 47. *a.* 3. *ad* 2.

QUÆR. 38. *Quare, ſicut Philoſ. dicit ibidem, in ludo, in riſu, in feſto, in proſperitate, in conſummatione operum, in delectatione non turpi, & in ſpe optima homines non iraſcuntur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod omnia illa impediunt iram, inquantum impediunt triſtitiam: ſed ex alia parte nata ſunt provocare iram, ſecundum quod faciunt hominem inconvenientius deſpici. *Ib. ad* 3.

QUÆR. 39. *An defectus alicujus ſit cauſa ut contra eum facilius iraſcamur, juxta illud Philoſ. in 2. Rhetor. Dives iraſcitur contra pauperem, ſi eum deſpiciat, & principalis contra ſubditum: Et quare, ſicut idem Philoſ. dicit ibidem: his qui confitentur, & pœnitent, & humiliantur, non iraſcimur, ſed magis ad eos miteſcimus: unde & canes non mordent eos qui reſident.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod indigna deſpectio eſt maxime provocativa iræ: defectus igitur, vel parvitas ejus contra quem iraſcimur, facit ad augmentum iræ, inquantum auget indignam deſpectionem: ſicut enim quanto aliquis eſt major, tanto indignius deſpicitur; ita quanto aliquis eſt minor, tanto indignius deſpicit: Et ideo nobiles iraſcuntur ſi deſpiciantur a ruſticis, vel ſapientes ab inſipientibus, vel domini a ſervis; ſi vero parvitas, vel defectus diminuat deſpectionem indignam, talis parvitas non auget, ſed diminuit iram: Et hoc modo illi qui pœnitent de injuriis factis, & confitentur ſe male feciſſe, & humiliantur, & veniam petunt, mitigant iram; ſecundum illud Prov. 15. *Reſponſio mollis frangit iram*; inquantum ſcilicet tales videntur non deſpicere, ſed magis magni pendere eos quibus ſe humiliant. 1. 2. *q.* 47. *a.* 4 *in corp.*

QUÆR. 40. *Cur erga mortuos ceſſat ira.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod duplex eſt cauſa, quare ad mortuos ceſſat ira: una quidem, quia non poſſunt dolere, & ſentire, quod maxime quærunt irati in his quibus iraſcuntur: alio modo, quia jam videntur ad ultimum malorum perveniſſe; unde etiam ad quoſcunque graviter læſos ceſſat ira, inquantum eorum malum excedit menſuram juſtæ retributionis. *In eodem a.* 4. *ad* 2.

QUÆR. 41. *Quare magis iraſcimur, ſi amici nos offenderint, vel ſi non juverint: unde dicitur Pſal. 56. Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod etiam deſpectio, quæ eſt ab amicis, videtur eſſe magis indigna: & ideo ex ſimili cauſa magis iraſcimur contra eos, ſi deſpiciant vel non juvando; ſicut & contra minores. *Ibidem ad* 3.

QUÆR. 42. *An verum ſit illud proverbium quod Philoſ. refert in 2. Rethor. ira multo dulcior melle diſtillante, in pectoribus virorum creſcit: & quomodo ſicut idem Philoſ. dicit in 4. Ethic. punitio quietat impetum iræ, delectationem pro triſtitia faciens.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſicut Philoſ. dicit in 7. Ethic. delectationes (maxime ſenſibiles & corporales) ſunt medicinæ quæ-

quædam contra triſtitiam: & ideo quanto per delectationem contra mœrorem vel anxietatem remedium præſtatur, tanto delectatio magis percipitur; ſicut patet quod quando aliquis ſitit, delectabilior fit ei potus: manifeſtum eſt autem quod motus iræ inſurgit ex aliqua illata injuria contriſtante; cui quidem triſtitiæ remedium adhibetur per vindictam, & ideo ad præſentiam vindictæ delectatio ſequitur; & tanto major, quanto major fuit triſtitia.

Si igitur vindicta fuerit præſens realiter, fit perfecta delectatio, quæ totaliter excludit triſtitiam, & per hoc quietat motum iræ: ſed antequam vindicta ſit præſens realiter, fit iraſcenti præſens dupliciter: uno modo per ſpem; quia nullus iraſcitur niſi ſperans vindictam: alio modo ſecundum continuam cogitationem, unicuique enim concupiſcenti eſt delectabile immorari in cogitatione eorum quæ concupiſcit, propter quod etiam imaginationes ſomniorum ſunt delectabiles, & ideo cum iratus multum in animo ſuo cogitet de vindicta, ex hoc delectatur; tamen delectatio non eſt perfecta, quæ tollat triſtitiam, & per conſequens iram. 1. 2. *q.* 48. *art.* 1. *in corp.*

QUÆR. 43. *Quomodo delectatio ſit effectus iræ; cum, ut ait Philoſ. in 2. Rethor. delectationes iram impediant.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod delectationes præcedentes impediunt iram: ſed delectatio de vindicta conſequitur ipſam iram. *Ibidem ad* 3.

QUÆR. 44. *An & quomodo ira maxime cauſet fervorem in corde, juxta illud D. Damaſc. ira eſt fervor ejus, qui circa cor eſt, ſanguinis ex evaporatione fellis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod corporalis tranſmutatio quæ eſt in paſſionibus animæ, proportionatur motui appetitus: manifeſtum eſt autem quod quilibet appetitus etiam naturalis fortius tendit in id quod eſt ſibi contrarium, ſi fuerit præſens: unde videmus quod aqua calefacta magis congelatur, quaſi frigido vehementius in calidum agente: motus autem appetitivus iræ cauſatur ex aliqua injuria illata, ſicut ex quodam contrario injacente: Et ideo appetitus potiſſime tendit ad repellendum injuriam per appetitum vindictæ: Et ex hoc ſequitur magna vehementia & impetuoſitas in motu iræ: Et quia motus iræ non eſt per modum retractionis, cui proportionatur frigus; ſed magis per modum inſecutionis, cui proportionatur calor; conſequenter fit motus iræ cauſativus cujuſdam fervoris ſanguinis & ſpirituum circa cor, quod eſt inſtrumentum paſſionum animæ: Et exinde eſt quod propter magnam perturbationem cordis quæ eſt in ira, maxime apparent in iratis indicia quædam in exterioribus membris: unde Gregor. dicit 5. Moral. *Iræ ſuæ ſtimulis accenſum cor palpitat, corpus tremit, lingua ſe præpedit, facies igneſcit, exaſperantur oculi, & nequaquam recognoſcuntur noti: ore quidem clamorem format, ſed ſenſus quid loquatur ignorat.* 1. 2. *q.* 48. *art.* 2. *in corp.*

QUÆR. 45. *Quomodo fervor amoris per iram creſcat: & quomodo ſe habet fervor ad utramque paſſionem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod *amor ipſe non ita ſentitur, niſi cum eum prodit indigentia*, ut Auguſtin. dicit in 10. de Trinit. Et ideo quando homo patitur detrimentum amatæ excellentiæ propter injuriam illatam, magis ſentitur amor, & ideo ferventius cor mutatur ad removendum impedimentum rei amatæ; ut ſic fervor ipſe amoris per iram creſcat, & magis ſentiatur.

Et tamen fervor, qui conſequitur calorem, alia ratione pertinet ad amorem, & ad iram: nam fervor amoris eſt cum quadam dulcedine, & lenitate; eſt enim in bonum amatum: & ideo aſſimilatur calori aeris & ſanguinis, propter quod ſanguinei ſunt magis amativi; & dicitur quod *cogit amare jecur*, in quo fit quædam generatio ſanguinis: fervor autem iræ eſt cum amaritudine ad conſumendum, quia tendit ad punitionem contrarii, unde aſſimilatur calori ignis, & choleræ: & propter hoc Damaſcenus dicit, quod *procedit ex evaporatione fellis, & fellea nominatur. In eodem a.* 2. *ad* 1.

QUÆR. 46. *Quare amor diuturnitate temporis augeatur, ira vero e contra debilitetur, ſicut ait Philoſ. Rethor. Tempus quietat iram.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod omne illud cujus cauſa per tempus diminuitur, neceſſe eſt quod tempore debilitetur; manifeſtum eſt autem quod memoria tempore diminuitur; quæ enim antiqua ſunt, a memoria de facili excidunt; ira autem cauſatur ex memoria injuriæ illatæ; Et ideo cauſa iræ per tempus diminuitur paulatim, quouſque totaliter tollatur. Major etiam videtur injuria, quando primo ſentitur, & paulatim diminuitur ejus æſtimatio; ſecundum quod magis receditur a præſenti ſenſu injuriæ. Et ſimiliter etiam eſt de amore, ſi amoris cauſa remaneat in ſola memoria; unde Philoſ. dicit in 8. Ethic. quod ſi diuturna fiat amici abſentia, videtur amicitiæ oblivionem facere; Sed in præſentia amici ſemper per tempus multiplicatur cauſa amicitiæ; & ideo amicitia creſcit, Et ſimiliter eſt de ira, ſi con-

Digitized by Google

continue multiplicaretur cauſa ipſius: tamen hoc ipſum quod ira cito conſumitur, atteſtatur vehementi furori ipſius; ſicut enim ignis magnus cito extinguitur conſumpta materia, ita etiam ira propter ſuam vehementiam cito deficit. *Ibid. ad* 2.

QUÆR. 47. *Cur, ſicut Philoſ. dicit in* 2. *Rethor. major ira ſuperveniens facit iram miteſcere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod omnis virtus diviſa in plures partes diminuitur: & ideo quando aliquis iratus alicui, iraſcitur poſtmodum alteri, ex hoc ipſo diminuitur ira ad primum, & præcipue ſi ad ſecundum fuerit major ira: nam injuria, quæ excitavit iram ad primum, videbitur comparatione ſecundæ injuriæ, quæ æſtimatur major, eſſe parva, vel nulla. *Ibid. ad* 3.

QUÆR. 48. *Utrum ira maxime impediat rationis uſum, juxta illud D. Gregor.* 5. *Moral. Ira intelligentiæ lucem ſubtrahit, cum mentem permovendo confundit.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod mens vel ratio quamvis non utatur organo corporali in ſuo proprio actu, tamen quia indiget ad ſui actum quibuſdam viribus ſenſitivis, quarum actus impediuntur corpore perturbato, neceſſe eſt quod perturbationes corporales etiam judicium rationis impediant; ſicut patet in ebrietate & ſomno: dictum eſt autem quod ira maxime facit perturbationem corporalem circa cor, ita ut etiam uſque ad exteriora membra derivetur: unde ira inter cæteras paſſiones manifeſtius impedit judicium rationis, ſecundum illud Pſalm. 30. *Conturbatus eſt in ira oculus meus.* 1. 2. *q.* 48. *art.* 3. *in corp.*

QUÆR. 49. *Quare, ſicut Philoſophus dicit in* 7. *Ethic. iracundus non eſt inſidiator ſed manifeſtus; concupiſcens vero erit inſidioſus, ut ibidem dicitur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod iracundus dicitur eſſe manifeſtus, non quia manifeſtum ſit ſibi quid facere debeat, ſed quia manifeſte operatur, non quærens aliquam occultationem: quod partim contingit propter impedimentum rationis, quæ non poteſt diſcernere quid ſit occultandum, & quid manifeſtandum, nec etiam excogitare occultandi vias: partim vero eſt ex ampliatione cordis, quæ pertinet ad magnanimitatem, quam facit ira: Unde & de magnanimo Philoſophus dicit in 4. Ethic. quod eſt manifeſtus oditor, & amator; & manifeſte dicit & operatur. Concupiſcentia autem dicitur eſſe latens & inſidioſa, quia ut plurimum delectabilia, quæ concupiſcuntur, habent turpitudinem quandam & mollitiem, in quibus homo vult latere: in his autem quæ ſunt virilitatis & excellentiæ, cujuſmodi ſunt vindictæ, quærit homo manifeſtus eſſe. *In eodem art.* 3. *ad* 2.

QUÆR. 50. *Cur, ſicut Philoſophus dicit in* 2. *Rethor. Magis homines iraſcuntur ſi contraria præexiſtunt, ſicut honorati ſi dehonorentur, & ſic de aliis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod motus iræ a ratione incipit, & ideo ſecundum idem oppoſitio contrarii ad contrarium adjuvat judicium rationis, & auget iram: cum enim aliquis habet honorem vel divitias, & poſtea incurrit alicujus detrimentum, illud detrimentum apparet majus, tum propter vicinitatem contrarii, tum quia erat inopinatum, & ideo cauſat majorem triſtitiam: ſicut etiam magna bona ex inopinato venientia cauſant majorem delectationem: ſecundum augmentum triſtitiæ præcedentis conſequenter augetur & ira. *ibid. ad* 3.

QUÆR. 51. *An & quomodo ira maxime cauſet taciturnitatem, juxta illud D. Gregorii* 5. *Moral. Ira per ſilentium clauſa intra mentem vehementius æſtuat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ira & cum ratione eſt & impedit rationem; Et ex utraque parte poteſt taciturnitatem cauſare: Ex parte quidem rationis, quando judicium rationis intantum viget, quod etſi non cohibeat affectum ab inordinato appetitu vindictæ, cohibet tamen linguam ab inordinata locutione: unde Greg. in 5. Moral. dicit: *aliquando ira perturbato animo quaſi ex judicio ſilentium inducit*: Ex parte vero impedimenti rationis; quia perturbatio iræ uſque ad exteriora membra perducitur, & maxime uſque ad illa membra, in quibus expreſſius relucet veſtigium cordis, ſicut in oculis, & in facie, & in lingua; unde, *lingua ſe præpedit, facies igneſcit, exaſperantur oculi*. Poteſt ergo eſſe tanta perturbatio iræ, quod omnino impediatur lingua ab uſu loquendi: & tunc ſequitur taciturnitas. 1. 2. *q.* 48. *art.* 4. *in corp.*

QUÆR. 52. *Cur homo quandoque ex ira prorumpit in verba inordinata, juxta illud Proverb.* 25. *Sicut Urbs patens, & abſque murorum ambitu, ita vir, qui non poteſt cohibere in loquendo ſpiritum ſuum.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod augmentum iræ quandoque eſt uſque ad impediendam rationem a cohibitione linguæ: quandoque autem ultra procedit uſque ad impediendum motum linguæ, & aliorum membrorum exteriorum. *In eodem art.* 4. *ad* 1.

QUÆR. 53. *Quomodo ira cor perturbando cauſet taciturnitatem, & immobilitatem membrorum, & quandoque etiam mortem; vel e contra incitet ad loquendum, juxta illud Matth.* 12. *Ex abundantia cordis os loquitur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod perturbatio cordis quandoque poteſt ſuperabundare uſque ad hoc, quod per inordinatum motum cordis impediatur motus exteriorum membrorum, & tunc cauſatur taciturnitas, & immobilitas exteriorum membrorum, quandoque etiam mors. Si autem non fuerit tanta perturbatio, tunc ex ſuperabundantia perturbationis cordis ſequitur oris locutio. *Ibidem ad 3.*

QUÆR. 54. *An & quare, ſicut Philoſ. dicit 6. Ethic. Ira eſt naturalior, quam concupiſcentia.*

Reſp. D. Thomas, poteſt natura alicujus hominis conſiderari, vel ſecundum naturam generis; vel ſecundum naturam ſpeciei; vel ſecundum complexionem propriam individui. Si igitur conſideretur natura generis, quæ eſt natura hujus hominis inquantum eſt animal, ſic naturalior eſt concupiſcentia, quam ira; quia ex ipſa natura communi habet homo quandam inclinationem ad appetendum ea quæ ſunt conſervativa vitæ, vel ſecundum ſpeciem, vel ſecundum individuum. Si autem conſideremus naturam hominis ex parte ſpeciei, ſcilicet inquantum eſt rationalis, ſic ira eſt magis naturalis homini, quam concupiſcentia, inquantum eſt ira cum ratione magis quam concupiſcentia: unde Philoſoph. dicit in 4. Ethic. quod *humanius eſt punire* (quod pertinet ad iram) *quam manſuetum eſſe*: unumquodque enim naturaliter inſurgit contra contraria, & nociva. Si vero conſideretur natura hujus individui ſecundum propriam complexionem, ſic ira naturalior eſt quam concupiſcentia; quia ſcilicet habitudinem naturalem ad iraſcendum, quæ eſt ex complexione, magis de facili ſequitur ira quam concupiſcentia, vel aliqua alia paſſio: eſt enim homo diſpoſitus ad iraſcendum ſecundum quod habet cholericam complexionem; cholera autem inter alios humores citius movetur, aſſimilatur enim igni: & ideo magis eſt in promptu illi, qui eſt diſpoſitus ſecundum naturalem complexionem ad iram quod iraſcatur, quam ei qui eſt diſpoſitus ad concupiſcendum quod concupiſcat: & propter hoc Philoſ. dicit in 7. Ethic. quod *ira magis traducitur a parentibus in filios, quam concupiſcentia. 1. 2. q. 46. art. 5. in corp.*

QUÆR. 55. *Quomodo ira ſit naturalis homini, cum proprium ipſius eſſe dicatur, quod ſit animal natura manſuetum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in homine conſiderari poteſt, & naturalis complexio ex parte corporis, quæ eſt temperata, & ipſa ratio: ex parte igitur complexionis corporalis, naturaliter homo ſecundum ſuam ſpeciem eſt non habens ſuperexcellentiam neque iræ, neque alicujus alterius paſſionis, propter temperamentum ſuæ complexionis: alia vero animalia ſecundum quod recedunt ab hac qualitate complexionis ad diſpoſitionem alicujus complexionis extremæ, ſecundum hoc etiam naturaliter diſponuntur ad exceſſum alicujus paſſionis, ut leo ad audaciam, canis ad iram, lepus ad timorem, & ſic de aliis: ex parte vero rationis eſt naturale homini & iraſci, & manſuetum eſſe, ſecundum quod ratio quodammodo cauſat iram, inquantum nunciat cauſam iræ; & quodammodo ſedat iram, inquantum iratus non totaliter audit imperium rationis, ut ſupra dictum eſt. *Ibid. ad 1.*

QUÆR. 56. *Utrum incontinentia concupiſcentiæ ſit pejor, & turpior quam incontinentia iræ: & utrum ſit difficilius pugnare contra concupiſcentiam, quam contra iram.*

Reſpond. ſupra *v. Incontinentia, quæſt.* 10. & 11.

QUÆR. 57. *Quare, ſicut Philoſ. dicit in 2. Rhet. Odium eſt magis inſanabile, quam ira.*

Reſp. infra *v. Odium.*

QUÆR. 58. *An verum ſit quod ſuper illud Prov. 29. Vir iracundus provocat rixas, dicit Gloſſa: janua eſt omnium vitiorum iracundia, qua clauſa virtutibus intrinſecus dabitur quies; aperta autem ad omne facinus armabitur animus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ira dicitur eſſe *janua vitiorum*, per accidens; ſcilicet removendo prohibens; ideſt impediendo judicium rationis, per quod homo retrahitur a malis: directe autem & per ſe eſt cauſa aliquorum ſpecialium peccatorum, quæ dicuntur filiæ ejus. *2. 2. qu.* 158. *art. 6. ad 3.*

QUÆR. 59. *Quomodo Apoſtolus tradat optimum contra iram remedium, ad Titum 3. his verbis: Sed modeſtos, omnem oſtendentes manſuetudinem ad omnes homines; eramus enim aliquando & nos inſipientes, & increduli.*

Reſp. D. Thomas, eſt modeſtia virtus, per quam aliquis in omnibus exterioribus modum tenet, ut non offendat cujuſque aſpectum. Phil. 5. *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus.* Prov. 22. *Finis modeſtiæ, timor Domini, divitiæ, gloria, & vita, &c.* quanto autem quis eſt impetuoſior in interioribus affectibus, tanto refrænatur difficilius etiam in exterioribus. Talis autem eſt inter omnes affectus ira: Et ideo contra hoc ponit manſuetudinem, quæ moderatur paſſiones iræ. Unde dicit, *omnem manſuetudinem oſtendentes ad omnes homines.* Matth. 11. *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Jacobi

Digitized by Google

cobi 1. *In manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſalvare animas veſtras.*

Deinde cum dicit, *eramus enim & nos &c.* aſſignat rationem prædictorum & maxime hujus ultimi, ſcilicet quod ſint manſueti. Poſſent enim dicere, quomodo erimus manſueti ad infideles? quomodo ad malos? non enim hoc poſſumus. Reſpondet conſidera te qualis fueris. Et ideo contra iram optimum remedium eſt, recognitio fragilitatis propriæ. *In expoſit. ejuſd. cap. lect.* 1.

IRONIA.

QUÆR. 1. *Quid ſit ironia: & utrum ſit peccatum, juxta illud D. Auguſtini in lib. de verbis Apoſtoli: cum humilitatis cauſa mentiris, ſi non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris.*

RESp. D. Thomas, dicendum, quod hoc quod aliqui minora de ſe dicant, poteſt contingere dupliciter, uno modo ſalva veritate, dum ſcilicet majora, quæ ſunt in ſeipſis reticent; quædam vero minora detegunt, & de ſe proferunt, quæ tamen in ſe eſſe recognoſcunt: & ſic minora de ſe dicere non pertinet ad ironiam, nec eſt peccatum ſecundum genus ſuum, niſi per alicujus circunſtantiæ corruptionem: alio modo aliquis dicit minora a veritate declinans, puta cum aſſerit de ſe aliquid vile, quod in ſe non recognoſcit, aut cum negat de ſe aliquid magnum, quod tamen percipit in ſeipſo eſſe, & ſic pertinet ad ironiam, & eſt ſemper peccatum. 2. 2. *qu.* 113. *art.* 1. *in corp.*

QUÆR. 2. *Quomodo abſque peccato ironiæ, bonæ mentes, ut ait D. Gregorius agnoſcant culpam ubi culpa non eſt.*

Reſp. infra. *v. Perfectio qu. ult.*

QUÆR. 3. *Utrum quandoque ironia utendum ſit ad reprimendam ſuperbiam, ſicut Philoſ. dicit 4. Ethic. Quod aliqui minora de ſeipſis dicunt, fugientes tumidum.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod homo non debet unum peccatum facere ut aliud vitet: & ideo non debet mentiri qualitercunque ut vitet ſuperbiam: unde Auguſt. dicit ſuper Joan. *Non ita caveatur arrogantia ut veritas relinquatur.* Et Gregor. dicit quod *incaute ſunt humiles, qui ſe mentiendo illaqueant.* 2. 2. *qu.* 113. *art.* 1. *ad* 3.

QUÆR. 4. *An ironia ſit minus peccatum, quam jactantia, juxta illud Philoſoph. 4. Ethic. Irones, & minus dicentes gratiores ſecundum mores videntur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod unum mendacium eſt gravius altero: quandoque quidem ex materia, de qua eſt; ſicut mendacium, quod fit in doctrina Religionis, eſt graviſſimum: quandoque autem ex motivo ad peccandum; ſicut mendacium pernicioſum eſt gravius quam officioſum, vel jocoſum: ironia autem, & jactantia circa idem mentiuntur, vel verbis, vel quibuſcunque exterioribus ſignis, ſcilicet circa conditionem perſonæ: unde quantum ad hoc æqualia ſunt.

Sed ut plurimum jactantia ex turpiori motivo procedit, ſcilicet ex appetitu lucri, vel honoris; ironia vero ex hoc, quod fugit, licet inordinate, per elationem aliis gravis eſſe: & ſecundum hoc Philoſophus dicit, quod *jactantia eſt gravius peccatum, quam ironia.* Contingit tamen quandoque, quod aliquis minora de ſe fingit ex aliquo alio motivo, puta ad doloſe decipiendum; & tunc ironia eſt gravior. 2. 2. *qu.* 113. *art.* 2. *in corp.*

QUÆR. 5. *An & quomodo per abjectas veſtes, aliaque hujuſmodi incurratur quandoque vitium ironiæ ſimul & jactantiæ.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod duplex eſt excellentia: una quidem in temporalibus, alia vero in ſpiritualibus: contingit autem quandoque quod aliquis per verba exteriora, vel ſigna prætendit quidem defectum in exterioribus rebus; puta per aliquam veſtem abjectam, aut per aliquid hujuſmodi: & per hoc ipſum intendit oſtendere aliquam excellentiam ſpiritualem, ſicut Dominus de quibuſdam dicit Matth. 6. quod *exterminant facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes*: unde iſti ſimul incurrunt vitium ironiæ, & jactantiæ; tamen ſecundum diverſa, & propter hoc gravius peccant, unde & Philoſ. dicit in 4. Ethic. quod *& ſuperabundantia, & valde defectus jactantium eſt.* Propter quod & de Auguſtino legitur, quod neque veſtes nimis pretioſas, neque nimis abjectas habere volebat: quia in utroque homines ſuam gloriam quærunt. *In eodem art.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 6. *Utrum in ironia, per quam aliquis ſe apparenter tantum humiliat, ſit multiplex nequitia, juxta illud Proverb* 26. *Quando ſubmiſerit vocem ſuam ne credideris ei, quoniam ſeptem nequitiæ ſunt in corde.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut dicitur Eccl. 19. *Eſt qui nequiter ſe humiliat, & interiora ejus plena ſunt dolo*; & ſecundum hoc Salomon loquitur de eo, qui ex doloſa humilitate nequiter vocem ſuam ſubmittit. *Ibid. ad* 3.

Digitized by Google

IRREGULARITAS.

Irregularitas eſt canonicum impedimentum Ordines ſuſcipiendi, aut ſuſceptos exercendi. Juxta Canones autem contrahitur ex defectu, vel delicto: ex defectu quidem vel ex parte animi; ſi quis nempe careat uſu rationis, vel ſufficienti ſcientia: vel ex parte corporis; ſi careat aliquo membro, vel aliqua ipſius parte, itaut ſit notabilis deformitas, vel impediatur ordinis executio; vel ex defectu natalium, ſi ſit illegitimus: vel ex defectu ætatis; vel ex defectu libertatis, ut ſi fuerit ſervus, vel ratiociniis obligatus: vel ex defectu repræſentationis Sacramenti, ſive ex bigamia, vel ex defectu lenitatis, quando occidit alterum etiam licite.

Ex delicto autem contrahitur vel propter homicidium: vel propter procurationem aborſus: vel propter infamiam: vel propter pænitentiam publicam: vel propter infidelitatem: vel propter iterationem Baptiſmi: vel denique ex eo quod indebite ſuſcipiuntur ordines aut exercentur.

De irregularitate, quæ provenit ex procuratione aborſus, vel ex bigamia egimus ſupra ſub utroque vocabulo. De illa autem quæ provenit ex defectu animi, vel ætatis, aut libertatis, aut indebita ſuſceptione, vel indebito uſu ordinis agemus infra v. Ordo: ubi per plures quæſtiones explicabimus quomodo uſus rationis requiratur ad Ordines: quænam ſit ætas legitima: quæ ſcientia ſit neceſſaria: an & quando ſervus, vel aliquis ad ratiocinia obligatus ordinari poſſit: & quam pœnam mereantur male promoti ad ordines, vel male exercentes.

Unde in propoſito ſufficit agere de aliis irregularitatibus.

QUÆR. 1. *Quare homicidæ non debent promoveri ad Ordines; ſive ſint irregulares.*

RESp. D. Thomas, dicendum, quod omnes ordine referuntur ad Sacramentum Euchariſtiæ, quod eſt Sacramentum pacis per ſanguinem Chriſti nobis effuſum factæ & quia homicidium maxime contrariatur paci, & homicidæ magis conformantur occidentibus Chriſtum, quam ipſi Chriſto occiſo, cui omnes miniſtri prædicti Sacramenti debent conformari; ideo de neceſſitate præcepti eſt, quod non ſit homicida, qui ad ordines promovetur: quamvis non ſit de neceſſitate Sacramenti. 4. *ſent. d.* 24. *q.* 2. *art.* 2. *qu.* 2. *in corp.*

QUÆR. 2. *An Judex, & omnes alii participantes in cauſa ſanguinis ſint irregulares.*

Reſp. D. Thomas, dicendum quod irregularitas non incurritur propter peccatum tantum, ſed principaliter propter ineptitudinem perſonæ ad Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrandum: & ideo Judex, & omnes, qui in cauſa ſanguinis ei participant, ſunt irregulares propter hoc, quod effuſio ſanguinis non decet miniſtros dicti Sacramenti. 4. *ſent. d.* 25. *qu.* 2. *art.* 2. *qu.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 3. *Quare ſi aliquis percutiendo, vel ſententiam dando ingerat cauſam mortis, & mors non ſequatur, non contrahitur irregularitas, licet ſit culpabilis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ratio illa procederet, ſi irregularitas ſequeretur culpam: non autem ſequitur culpam, ſed factum, propter aliquem defectum Sacramenti. 1. 2. *q.* 20. *art.* 5. *ad* 4.

QUÆR. 4. *An clericus fiat irregularis, ſi aliquem interficiat ſe defendendo.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod irregularitas conſequitur actum homicidii, etiam ſi ſit abſque peccato, ut patet in judice, qui juſte aliquem condemnat ad mortem: & propter hoc clericus, etiam ſi ſe defendendo interficiat aliquem, irregularis eſt; quamvis non intendat interficere, ſed ſeipſum defendere. 2. 2. *qu.* 64. *art.* 7. *ad* 3.

QUÆR. 5. *An bigami, & homicidæ nedum non ſint ad ordines admittendi, ſed etiam ſi irrepſerint, ſint dejiciendi.*

Reſp. D. Thomas, in decretis *diſt.* 50. *cap. ſi quis viduam*, ex Concilio Martini Papæ cap. 26. dicitur: *Si quis viduam aut ab alio relictam duxerit, non admittatur ad Clerum: quod ſi irrepſerit, dejiciatur. Similiter ſi homicidii, aut facto, aut præcepto, aut conſilio, aut defenſione poſt Baptiſmum conſcius fuerit*: ſed hoc non eſt ratione peccati, ſed ratione irregularitatis. 3. *p. q.* 89. *art.* 3. *in corp.*

Quamvis jure antiquo, quod vigebat tempore D. Thomæ, ille, qui aliquem occiderat etiam ſe defendendo, a ſacris Ordinibus recipiendis, vel exercendis arceri deberet tanquam irregularis, ut patet ex prædicta reſponſione, & ex Decreto Nicolai Papæ, quod habetur in eadem d. 50. *cap.* 6. *de his Clericis, & refertur ab eodem Angelico Doctore* 2 2. *qu.* 64. *art.* 7. *in* 3. *argum. qui etiam* 4. *ſent. d.* 25. *qu.* 2. *art.* 2. *qu.* 2. *in argum. dicit, quod de hoc ſunt plura Canonum ſtatuta, & Eccleſiæ conſuetudo: jure tamen novo hæc irregularitas ſublata eſt, ut patet ex Clem. unica de homicidio cap. ſi furioſus, ubi ſic habetur: nullam per hoc irregularitatem incurrit: & idem de illo cenſemus, qui mortem aliter vitare non valens, ſuum occidit, vel mutilat invaſorem.*

QUÆR. 6. *Utrum ille qui caſualiter, vel etiam ſe defendendo, aliquem interficit, ſit irregularis.*

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod nullus facit niſi illud, cujus cauſa eſt; quod eſt voluntarium in homine: & ideo ille, qui ignoranter hominem occidit homicidio caſuali, non dicitur homicida, nec irregularitatem incurrit, niſi dederit operam rei illicitæ; vel niſi omiſerit debitam diligentiam, quia jam quodammodo efficitur voluntarium. Nec hoc eſt propter hoc, quod culpa careat, quia etiam ſine culpa incurritur irregularitas: & ideo etiam ille qui ſe defendendo in aliquo caſu, non peccat homicidium committendo, nihilominus irregularis eſt. 4. *ſent. d.* 25. *qu.* 2. *art.* 2. *qu. ad* 3.)

QUÆR. 7. *An ſi moriatur aliquis percuſſus in bello, omnes qui bello interfuerunt, ſint irregulares.*

Reſp. D. Thomas, ſi aliquis percuſſus in bello moriatur, ſi ignoretur quis eum percuſſerit, propter dubium quilibet, qui in bello interfuit, irregularis habetur ſecundum jura. *Quodlib.* 4. *art.* 14.

QUÆR. 8. *Cur illegitimi, vel infames, vel publice pœnitentes non poſſunt ordinari niſi ex diſpenſatione.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ordinati in quadam dignitate, præ aliis conſtituuntur: ideo ex quadam honeſtate requiritur in eis claritas quædam, non de neceſſitate Sacramenti, ſed de neceſſitate præcepti, ut ſcilicet ſint bonæ famæ, bonis moribus ornati, non publice pœnitentes. Et quia obſcuratur hominis claritas ex vitioſa origine, ideo etiam de illegitimo thoro nati a ſuſceptione ordinum repelluntur, niſi cum eis diſpenſetur, & tanto eſt difficilior diſpenſatio, quanto eorum origo eſt turpior. 4. *ſent. d.* 24. *qu.* 2. *art.* 2. *qu.* 3. *in corp.*

QUÆR. 9. *An patiens defectum in membris, impediatur a ſuſceptione ordinis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut ex dictis patet, aliquis efficitur ineptus ad ſuſceptionem ordinis, vel propter impedimentum actus, vel propter impedimentum claritatis perſonæ: & ideo patientes defectum in membris impediuntur a ſuſceptione ordinis, ſi ſit talis defectus, qui maculam notabilem inferat, per quem obſcuretur perſonæ claritas (ut abſciſio naſi) vel periculum in executione facere poſſit: alia non impediuntur. Hæc autem integritas exigitur de neceſſitate præcepti, ſed non de neceſſitate Sacramenti. 4. *ſent. diſt.* 24. *q.* 2. *art.* 2. *qu.* 4. *in corp.*

QUÆR. 10. *An poſſit Sacerdos abſolvere a culpa, licet non poſſit abſolvere a pœna irregularitatis ei annexa.*

Reſp. ſupra *v. Abſolutio qu.* 7.

Quia jubilæum conſiſtit præcipue in indulgentiis, ea quæ habentur ſupra v. Indulgentiæ, ad propoſitum applicari poſſunt.

JUBILUS.

QUÆR. 1. *Cur Pſalm.* 31. *dicitur: bene pſallit ei in vociferatione; vel, juxta verſionem D. Hieronymi, in jubilatione, ſive jubilo.*

Reſp. D. Thomas, eſt jubilus lætitia ineffabilis, quæ verbis exprimi non poteſt, ſed voce datur intelligi gaudiorum latitudo immenſa: illa autem, quæ non poſſunt exprimi, ſunt bona gloriæ, 1. Corinth. 2. *Oculus non vidit, nec auris audivit &c.* & ideo dicit: *Bene pſallit ei in jubilatione*, quia cantu exprimi non valent. *In expoſit. illius Pſalm.*

QUÆR. 2. *Cur Pſalm.* 46. *dicit: Jubilate Deo in voce exultationis.*

Reſp. Div. Thomas, dicit, *jubilate Deo in voce exultationis*, ideſt, in voce exteriori demonſtrante interiorem affectum. Gloſſa, *jubilus eſt ineffabile gaudium, quod nec taceri poteſt, ſed nec exprimi, quia excedit comprehenſionem*: & talis eſt bonitas Dei, quæ non poteſt exprimi: & ſi exprimatur, imperfecte tamen exprimitur. Et ideo dicebat Hierem. 1. *A, a, a, neſcio loqui.* Et hunc jubilium ſignat Eccleſia, quando in eadem dictione multiplicat notas. Pſalm. 65. *Jubilate Deo omnis terra, pſalmum dicite ei, quoniam Dominus. In expoſit. ejuſdem Pſalm.* 46.

JUDÆI.

QUÆR. 1. *An liceat Principibus exactionem facere in Judæos.*

Reſp. D. Thomas, in Opuſc. 21. de regimine Judæorum ad Duciſſam Brabantiæ, licet ut jura dicunt, Judæi merito culpæ ſuæ ſint, vel eſſent perpetuæ ſervituti addicti, & eorum res terrarum Domini poſſint accipere tanquam ſuis; hoc tamen ſervato moderamine, ut neceſſaria vitæ ſubſidia eis nullatenus ſubtrahantur: quia tamen oportet nos honeſte ambulare etiam ad eos, qui foris ſunt, ne nomen Domini blaſphemetur: & Apoſtolus admonet ſuo exemplo, ut ſine offenſione ſimus Judæis, ac Gentibus & Eccleſiæ Dei, hoc ſervandum videtur, ut ſicut jura determinant, ab eis coacta ſervitia non exigantur, quæ ipſi præterito tem-

Digitized by Google

pore facere non conſueverunt, quia ea, quæ ſunt inſolita, magis ſolent animos hominum perturbare. Secundum igitur hujus moderationis ſententiam poteſtis ſecundum conſuetudinem prædeceſſorum veſtrorum exactionem in Judæos facere, ſi tamen aliud non obſiſtat.

QUÆR. 2. *An ſi Judæi nihil habeant præter uſuras, ea quæ ab ipſis exiguntur, ſint reſtituenda, & quomodo.*

Reſp. D. Thomas, in eodem opuſculo his verbis, reſpondendum videtur quod cum ea, quæ non Judæi per uſuras ab aliis extorſerunt, non poſſint licite retinere: conſequens eſt, ut ſi etiam vos hæc acceperitis ab eis, non poſſitis licite retinere, niſi forſan eſſent talia, quæ a vobis, vel ab anteceſſoribus veſtris hactenus extorſiſſent. Si qua vero habent, quæ extorſerunt ab aliis, hæc ab eis exacta illis debetis reſtituere, quibus Judæi reſtituere tenebantur; unde ſi inveniuntur certæ perſonæ, a quibus extorſerunt uſuras, debent eis reſtitui: alioquin debent in pios uſus ſecundum conſilium Diœceſani Epiſcopi, & aliorum proborum, vel etiam in communem utilitatem terræ, ſi neceſſitas immineat, vel expoſcat communis utilitas, erogari. Nec eſſet illicitum, ſi a Judæis exigeritis talia de novo, ſervata conſuetudine prædeceſſorum veſtrorum, hac intentione, ut in prædictos uſus expenderentur.

QUÆR. 3. *An & Quomodo ſi Judæus deliquerit, pœna pecuniaria ſit puniendus, ſi nihil habeat præter uſuras: & quid agendum ſit de hujuſmodi pecunia.*

Reſp. Div. Thomas, reſpondendum videtur ſecundum prædicta, quod expedit eum pecuniaria pœna puniri, ne ex ſua iniquitate commodum reportet. Videtur etiam mihi, quod eſſet majori pœna puniendus Judæus, vel quicunque alius uſurarius, quam aliquis alius, quanto pecunia, quæ aufertur ei, minus ad eum noſcitur pertinere. Poteſt etiam pecuniariæ alia pœna ſuperaddi, ne hoc ſolum ad pœnam ſufficere videatur, quod pecuniam aliis deſinit poſſidere.

Pecunia autem pœnæ nomine ab uſurariis ablata retineri non poteſt: ſed in uſus prædictos debet expendi, ſi nihil habeant aliud quam uſuras.

Si vero dicatur, quod ex hoc Principes terrarum damnificantur, hoc damnum ſibi imputent, utpote ex negligentia eorum proveniens: melius enim eſſet, ut Judæos laborare compellerent ad proprium victum lucrandum, ſicut in partibus Italiæ faciunt, quam quod otioſi viventes, ſolis uſuris ditentur; & ſic eorum Domini ſuis redditibus defraudentur; ita enim & per ſuam culpam Principes defrauderantur redditibus propriis, ſi permitterent ſuos ſubditos ex ſolo latrocinio, vel furto lucrari: tenerentur enim ad reſtitutionem ejus, quodcunque ab eis exigerent.

QUÆR. 4. *An liceat pecuniam, aut aliquod encænium a Judæis ultro oblatum accipere.*

Reſp. D. Thomas, ibidem, reſpondendum videtur quod licet recipere; ſed expedit, quod ſic acceptum reddatur eis, quibus debetur; vel aliter, ut ſupra dictum eſt, expendatur, ſi nihil aliud habeant, quam uſuras.

QUÆR. 5. *Si plus accipitur a Judæis, quam Chriſtiani requirant, quid ſit agendum de reſiduo: & quid dicendum de aliis uſurariis.*

Reſp. D. Thomas, patet reſponſio ex jam dictis. Quod enim Chriſtiani minus requirunt, poteſt eſſe propter duo: vel quia forte Judæus aliquid habebat præter uſurarium lucrum; & in tali caſu licet vobis illud retinere ſervato moderamine ſupradicto. Et idem videtur dicendum, ſi extorſerint uſuras ab eis, qui poſtea bona voluntate donaverunt, cum tamen Judæi prompte ſe offerrent ad reſtituendum uſuras.

Vel poteſt contingere, quod illi, a quibus acceperunt, ſint ſublati de medio vel per mortem, vel in terris aliis morantes: & tunc ipſi debent reſtituere. Si tamen non apparent certæ perſonæ, quibus reſtituere teneantur, procedendum eſt ut ſupra.

Quod autem de Judæis dictum eſt, intelligendum eſt de quibuſcunque aliis inſiſtentibus uſurariæ pravitati.

QUÆR. 6. *An Judæi debeant cogi ad deferendum ſignum diſtinctivum ipſorum ab aliis.*

Reſp. D. Thomas, plana eſt reſponſio, nam ſecundum ſtatutum Concilii generalis, Judæi utriuſque ſexus in omni Chriſtianorum provincia, & in omni tempore aliquo habitu ab aliis populis debent diſtingui. Hoc eis etiam in lege eorum mandatur Num. 15. ut ſcilicet *faciant fimbrias per quatuor angulos palliorum, per quos ab aliis diſcernantur; in fine ejuſdem Opuſculi.*

Plura de Judæis videri poſſunt ſupra v. Infidelitas, ubi inter alia ſub finem diximus, Eccleſiæ praxim eſſe, juxta doctrinam noſtri Sancti Doctoris, quod parvuli Judæorum non baptizentur invitis eorum parentibus: ſed tamen ſi baptizati fuerint, ab eis ſeparentur, & inter Catholicos educentur.

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 1. An judicium ſit actus juſtitiæ, & Judex ſit veluti juſtitia quædam animata.

RESp. D. Thomas, dicendum, quod judicium proprie nominat actum judicis inquantum judex eſt: Judex autem dicitur quaſi jus dicens: jus autem dicitur objectum juſtitiæ; & ideo judicium importat ſecundum primam nominis impoſitionem, diffinitionem, vel determinationem juſti, vel juris. Quod autem aliquis bene diffiniat aliquid in operibus virtuoſis, proprie procedit ex habitu virtutis; ſicut caſtus recte determinat ea, quæ pertinent ad caſtitatem; & ideo judicium, quod importat rectam determinationem ejus, quod eſt juſtum, proprie pertinet ad juſtitiam; propter quod Philoſophus in 5. Ethicor. dicit, quod *homines ad Judicem confugiunt, ſicut ad quandam juſtitiam animatam*. *2. 2. qu. 60. art. 1. in corp.*

QUÆR. 2. Quænam requirantur ut judicium ſit licitum, & actus juſtitiæ: & quotuplex ſit judicium vitioſum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod judicium intantum eſt licitum, inquantum eſt juſtitiæ actus: ad hoc autem quod judicium ſit actus juſtitiæ, tria requiruntur, primo quidem, ut procedat ex inclinatione juſtitiæ: ſecundo, quod procedat ex authoritate præſidentis: tertio, quod proferatur ſecundum rectam rationem prudentiæ.

Quodcumque autem horum defuerit, judicium erit vitioſum, & illicitum; uno quidem modo, quando eſt contra rectitudinem juſtitiæ: & ſic dicitur judicium perverſum, vel injuſtum: alio modo, quando homo judicat in his, in quibus non habet authoritatem; & ſic dicitur judicium uſurpatum: tertio modo, quando deeſt certitudo rationis, puta cum aliquis de his judicat quæ ſunt dubia, vel occulta, propter aliquas leves conjecturas; & ſic dicitur judicium ſuſpicioſum, vel temerarium. *2. 2. qu. 60. art. 2. in corp.*

QUÆR. 3. An & quomodo judicium humanum debeat imitari divinum.

Reſp. *v. Vindicatio.*

QUÆR. 4. Utrum exiſtens in peccatis gravibus debeat judicare alios, qui ſunt in ſimilibus, aut minoribus peccatis, cum Apoſt. ad Roman. 2. dicat: Inexcuſabilis es o homo omnis qui judicas; in quo enim alterum judicas, teipſum condemnas; eadem enim agis quæ judicas.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod illi qui ſunt in gravibus peccatis, non debent judicare eos, qui ſunt in eiſdem peccatis, vel minoribus, ut Chryſoſtomus dicit ſupra illud Matthæi 7. *Nolite judicare*. Et præcipue hoc eſt intelligendum, quando illa peccata ſunt publica: quia ex hoc generatur ſcandalum in cordibus aliorum. Si autem non ſunt publica, ſed occulta, & neceſſitas judicandi immineat propter officium, poteſt cum humilitate & timore vel arguere, vel judicare; unde Auguſtinus dicit in lib. de Sermone Domini in monte: *Si invenerimus nos in eodem vitio eſſe, congemiſcamus, & ad pariter conandum invitemus*. Nec tamen propter hoc modo ſic ſeipſum condemnat, ut novum condemnationis meritum ſibi acquirat: ſed quia condemnans alium oſtendit ſe ſimiliter condemnabilem eſſe propter idem peccatum, vel ſimile. *2. 2. q. 60. art. 2. ad 3.*

QUÆR. 5. Utrum Judex in peccato exiſtens, peccet ferendo ſententiam contra alium, qui idem peccatum commiſit.

Reſp. Div. Thomas, licet manifeſtum ſit, quod Judex ſi publice in peccato exiſtens ſententiam ferat, peccat ſcandalizando: nihilominus tamen hoc item videtur ſi ſit in peccato occulto: nam Roman. 2. *In quo alium judicas, teipſum condemnas*; conſtat autem quod nullus condemnat ſe niſi peccando: ergo videtur quod judicando alium peccet.

Reſpondeo dicendum, quod in hoc uti oportet duplici diſtinctione: aut enim Judex perſeverat in propoſito peccandi, aut pœnitet ſe peccaſſe; item aut punit ut legis miniſter, aut motu proprio. Et ſi quidem pœnitet ſe peccaſſe, jam peccatum non eſt in eo, & ſic abſque peccato ſententiam poſſet ferre: ſi autem eſt in propoſito peccandi, aut profert ſententiam ut legis miniſter, & ſic non peccat ex hoc quod ſententiam profert; quamvis peccet ex hoc quod talia facit, quibus dignus eſt contra ſe ſimilem ſententiam recipere. Si autem proprio motu, dico, quod proferendo ſententiam peccat, cum non moveatur ad hæc amore juſtitiæ, ſed ex aliqua mala radice; alias primo in ſe puniret quod animadvertit in alios, quia hoc dicitur in Proverb. *Juſtus prior accuſator eſt ſui*. *Joan. 8. lect. 1. Matth. 7.*

QUÆR. 6. An ſit ſemper judicandum ſecundum leges ſcriptas, juxta illud D. Auguſtini in libr. de vera Relig. In iſtis temporalibus legibus quanquam de his homines judicent cum eas inſtituunt, tamen cum fuerint inſtitutæ, & firmatæ, non licebit judicibus de ipſis judicare, ſecundum ipſas.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſicut dictum eſt, judicium nihil aliud eſt quam quædam diffinitio, vel determinatio ejus, quod juſtum eſt: ſit autem aliquid juſtum du-

pliciter: uno modo ex ipſa natura rei, quod dicitur jus naturale: alio modo ex quodam condicto inter homines, quod dicitur jus poſitivum: leges autem ſcribuntur ad utriuſque juris declarationem, aliter tamen, & aliter: nam legis ſcriptura jus quidem naturale continet, ſed non inſtituit: non enim habet robur ex lege, ſed ex natura: jus autem poſitivum ſcriptura legis & continet, & conſtituit, dans ei authoritatis robur; & ideo neceſſe eſt, quod judicium fiat ſecundum legis ſcripturam; alioquin judicium deficeret vel a juſto naturali, vel a juſto poſitivo. 2. 2. *qu.* 60. *art.* 5. *in corp.*

QUÆR. 7. *An ſit judicandum ſecundum leges ſcriptas, quando iſtæ continent aliquid injuſtum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod lex ſcripta ſicut non dat robur juri naturali, ita nec poteſt ejus robur minuere, vel auferre: quia nec voluntas hominis poteſt immutare naturam: & ideo ſi ſcriptura legis contineat aliquid contra jus naturale, injuſta eſt, nec habet vim obligandi: ibi enim jus poſitivum locum habet, ubi quantum ad jus naturale nihil differt utrum ſic vel aliter fiat: Et ideo nec tales ſcripturæ leges dicuntur, ſed potius legis corruptiones; & ideo ſecundum eas non eſt judicandum. 2. 2. *qu.* 60. *art.* 5. *ad* 1.

QUÆR. 8. *An in omnibus, & ſingulis caſibus ſit judicandum ſecundum litteram legis; vel aliquando attendi debeat intentio legislatoris.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut leges iniquæ ſecundum ſe contrariantur juri naturali, vel ſemper, vel ut in pluribus; ita etiam leges, quæ ſunt recte poſitæ, in aliquibus caſibus deficiunt, in quibus ſi ſervarentur, eſſent contra jus naturale: & ideo in talibus non eſt ſecundum litteram legis judicandum, ſed recurrendum ad æquitatem, quam intendit legislator; unde juriſperitus dicit: *nulla ratio juris, aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ ſalubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipſorum commodum producamus ad ſeveritatem.* Et in talibus etiam legislator aliter judicaret: & ſi conſideraſſet, lege determinaſſet. 2. 2. *q.* 60. *art.* 5. *ad* 2.

QUÆR. 9. *An poſſit judex judicare ſecundum ea, quæ novit ut perſona privata; vel teneatur ſequi teſtimonia, quæ recepit ut perſona publica, juxta quæ nihil ex arbitrio ſuo facit, ſed ſecundum leges & jura pronuntiat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod judicare pertinet ad Judicem ſecundum quod fungitur publica poteſtate: & ideo informari debet in judicando non ſecundum id, quod ipſe novit tanquam privata perſona, ſed ſecundum id, quod ſibi innoteſcit tanquam perſonæ publicæ. Hoc autem innoteſcit & in communi, & in particulari; in communi quidem per leges publicas vel divinas, vel humanas, contra quas nullas probationes admittere debet; in particulari autem negotio aliquo per inſtrumenta, teſtes, & alia hujuſmodi legitima documenta, quæ debet ſequi in judicando magis quam id, quod ipſe novit tanquam privata perſona; ex quo tamen ad hoc adjuvari poteſt, ut diſtrictius diſcutiat probationes inductas, ut poſſit earum defectum inveſtigare. Quod ſi eas non poſſit de jure repellere, debet eas in judicando ſequi. 2. 2. *qu....art.* 2. *in corp.*

QUÆR. 10. *Quid debeat facere Judex ſi ſcit aliquem eſſe innocentem, qui tamen convincitur per falſos teſtes.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Judex, ſi ſcit aliquem innocentem eſſe, qui falſis teſtibus convincitur, debet diligentius examinare teſtes, ut inveniat occaſionem liberandi innoxium, ſicut Daniel fecit: ſi autem hoc non poteſt, debet eum ſuperiori relinquere judicandum: ſi autem hoc non poteſt, non peccat ſecundum allegata ſententiam ferens; quia ipſe non occidit innocentem, ſed illi, qui eum aſſerunt nocentem. 2. 2. *qu.* 64. *art.* 6. *ad* 3.

QUÆR. 11. *Utrum ad hoc quod Judex poſſit aliquem condemnare, debeat eſſe aliquis accuſator, ſicut D. Ambroſius* 1. *ad Corinth.* 5. *exponens ſententiam Apoſtoli de fornicatione ait: Judicis non eſt ſine accuſatore damnare, quia Dominus Judam, cum fuiſſet fur, quia non eſt accuſatus, minime abjecit.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Judex eſt interpres juſtitiæ: unde ſicut Philoſophus dicit in 5. Eth. *homines ad Judicem confugiunt, ſicut ad quandam juſtitiam animatam*: juſtitia autem non eſt ad ſe ipſum, ſed ad alterum: & ideo oportet, quod Judex inter aliquos duos dijudicet: quod quidem fit, cum unus eſt actor, & alius eſt reus: & ideo in criminibus non poteſt aliquem judicio condemnare Judex niſi habeat accuſatorem, ſecundum illud Actor. 25. *Non eſt conſuetudo Romanis damnare aliquem hominem, priuſquam is, qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina, quæ ei objiciuntur.* 2. 2. *quæſt.* 67. *art.* 3. *in corp.*

QUÆR. 12. *In quibus caſibus poſſit Judex ſine accuſatore aliquem condemnare.*

Reſp. *v. Accuſatio, Denunciatio, Capitulum Rel.*

QUÆR. 13. *An poſſit homo, ſicut Deus eſſe accuſa-*

Digitized by Google

cuſator, teſtis, & Judex; & quomodo Daniel fuit ſimul accuſator, & Judex.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Deus in ſuo judicio procedit ex propria notitia veritatis, non autem homo: & ideo homo non poteſt ſimul eſſe accuſator, & teſtis, & judex, ſicut Deus. Daniel autem accuſator fuit ſimul & judex, quaſi divini judicii executor, cujus inſtinctu movebatur. *Ibid. ad 3.*

QUÆR. 14. *An Judex tam inferior quam ſupremus licite poſſit pœnam remittere reo, vel teneatur eam inferre, ſicut Deuter. 13. de eo qui perſuadet ſervire Diis alienis dicitur: Non parcat ei oculus tuus, ut miſerearis, & occultes eum, ſed ſtatim interficies eum; & de homicida ibidem 19. Morietur, nec miſereberis ejus.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod duo ſunt quantum ad propoſitum pertinet, circa Judicem conſideranda; quorum unum eſt, quod ipſe habet judicare inter accuſatorem, & reum. Aliud autem eſt, quod ipſe non infert judicii ſententiam quaſi ex propria, ſed quaſi ex publica poteſtate: duplici ergo ratione impeditur Judex, ne reum a pœna abſolvere poſſit. Primo quidem ex parte accuſatoris, ad cujus jus quandoque pertinet, ut reus puniatur; puta propter aliquam injuriam in ipſum commiſſam, cujus relaxatio non eſt in arbitrio alicujus judicis; quia quilibet Judex tenetur jus ſuum reddere unicuique: alio modo impeditur ex parte Reipublicæ, cujus poteſtate fungitur, ad cujus bonum pertinet, quod malefactores puniantur.

Sed tamen quantum ad hoc differt inter inferiores Judices, & ſupremum Judicem, ſcilicet Principem, cui eſt plenarie poteſtas publica commiſſa: Judex enim inferior non habet poteſtatem abſolvendi reum a pœna contra leges a ſuperiore ſibi impoſitas: unde ſuper illud Joannis 19. *Non haberes adverſum me poteſtatem ullam*, dicit Auguſtinus, *talem Deus dederat Pilato poteſtatem, ut eſſet ſub Cæſaris poteſtate, ne ei omnino liberum eſſet accuſatum abſolvere*: ſed Princeps, qui habet plenariam poteſtatem in Republica, ſi ille, qui paſſus eſt injuriam, velit eam remittere, poterit reum licite abſolvere, ſi hoc publicæ utilitati viderit non eſſe nocivum. 2. 2. *qu.* 67. *art.* 4. *in corp.*

QUÆR. 15. *An & quando Judex poſſit, vel debeat diminuere pœnas criminibus debitas, ſine præjudicio juſtitiæ.*

Reſp. D. Thomas, ſicut Philoſ. dicit in 5. Ethic. *pro eodem computatur minus de malo, & plus de bono*: unde ſicut ſine præjudicio juſtitiæ poteſt aliquis de bonis ſuis plus alicui conferre quam debeat, ita ſine præjudicio juſtitiæ poteſt ei minus irrogari de pœna pro peccato in eum commiſſo, quam ei debeatur: ſed ſicut non poteſt ſine injuria aliquis de bonis alterius plus alicui conferre quam ei debetur; ita non poteſt minus irrogare de pœna pro peccato commiſſo in alterum: & ideo Judex non poteſt ſine præjudicio juſtitiæ pœnas diminuere debitas pro peccatis in Deum, vel in Rempublicam commiſſis, niſi forte quatenus viderit hoc utilitati Reipublicæ expedire. 4. *ſent. d.* 46. *qu.* 1. *art.* 2. *qu.* 2. *in corp.*

QUÆR. 16. *Quandonam Judex poſſit, & debeat ex miſericordia pœnas diminuere.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod miſericordia Judicis habet locum in his, quæ arbitrio Judicis relinquuntur, in quibus boni viri eſt, ut ſit diminutivus pœnarum, ſicut Philoſophus dicit in 5. Eth. In his autem, quæ ſunt determinata ſecundum legem divinam, vel humanam, non eſt ſuum miſericordiam facere. 2. 2. *qu.* 67. *art.* 4. *ad* 1.

QUÆR. 17. *Quomodo Judex inordinate pœnas remittens, nocet communicati, & perſonæ particulari.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod Judex ſi inordinate pœnam remitteret, nocumentum inferret communitati, cui expedit ut maleficia puniantur, ad hoc quod peccata vitentur: unde Deut. 13. poſt pœnam ſeductoris ſubditur: *ut omnis Iſrael audiens timeat, & nequaquam ultra faciat quippiam hujus rei ſimile*. Nocet etiam perſonæ, cui illata eſt injuria, quæ recompenſationem accipit per quandam reſtitutionem honoris, in pœna injuriantis. *Ibid. ad* 3.

QUÆR. 18. *An debeat Judex eſſe facilior ad abſolvendum, quam ad condemnandum.*

Reſp. ſupra *v. Teſtimonium*.

QUÆR. 19. *An poſſit aliquis ſe ſubmittere judicio alterius, qui non eſt ſuus ſuperior.*

Reſp. ſupra *v. Arbiter*.

QUÆR. 20. *An inferior poſſit judicare ſuperiorem authoritate alterius ſuperioris.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod inferior non poteſt judicare ſuperiorem authoritate propria; ſed tamen authoritate ſuperioris poteſt; ſicut patet in judicibus delegatis. 4. *ſent. d.* 47. *qu.* 1. *art.* 2. *qu.* 2. *ad* 5.

QUÆR. 21. *An poſſit Judex obligare ſubditum ad revelandum ſibi crimen occultum, ſive proprium, ſive alienum.*

Reſp. *v. Reus*, & *v. Secretum*.

Inter propoſitiones ab Alexandro VII. damnatas hæc eſt 26. Quando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere proferenda ſententia in favorem unius præ alio.

JUDICIUM TEMERARIUM.

QUÆR. 1. *Quomodo committatur judicium temerarium; & in quibus ipſum cavere debeamus.*

RESp. D. Thomas, eſt judicium temerarium contra quod dicitur Eccleſ. 5. *Ne temere quid loquaris*, quod quidem dupliciter committitur: uno modo quando aliquis procedit circa id quod eſt ſibi commiſſum judicium abſque debita veritatis cognitione; contra id quod dicitur Job 29. *cauſam quam ignorabam, diligentiſſime inveſtigabam*: alio modo, quando aliquis uſurpat ſibi judicium de occultis, de quibus ſolus Deus judicare habet; contra id quod dicitur 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus judicare, quoad uſque veniat Dominus, qui illuminabit &c.* Eſt autem aliquid occultum, non ſolum quoad nos, ſed ſecundum ſui naturam, ad ſolam Dei cognitionem pertinens: primo quidem cogitatio cordis, ſecundum illud Hierem. 17. *Pravum eſt cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans corda, & probans renes.* Secundo, contingens futurum, ſecundum illud Iſa. 14. *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & dicemus quia Dii eſtis vos.*

Et ideo ſicut dicit Auguſtinus de ſermone Domini in monte: *duo ſunt in quibus temerarium judicium cavere debemus: cum incertum eſt quo animo quidque factum fuerit; vel cum incertum eſt qualis quiſque futurus eſt, qui nunc vel bonus, vel malus apparet, ad Rom. 2. lect. 1.*

QUÆR. 2. *An & quando judicium temerarium, vel ſuſpicio ſit peccatum mortale, aut veniale.*

Reſp. *v. Suſpicio.*

JURAMENTUM.

QUÆR. 1. *Quid ſit juramentum: & quodnam ſit aſſertorium, & promiſſorium.*

RESp. D. Thomas dicendum, quod ſicut Apoſtolus dicit ad Heb. 6. *juramentum ad confirmationem ordinatur*: confirmatio autem in ſcibilibus per rationem fit, quæ procedit ex aliquibus naturaliter notis, quæ ſunt infallibiter vera, ſed particularia facta contingentia hominum non poſſunt per rationem neceſſarium confirmari: & ideo ea, quæ de his dicuntur, ſolent confirmari per teſtes. Sed humanum teſtimonium non eſt ſufficiens ad hujuſmodi confirmandum, propter duo: Primo quidem propter defectum veritatis humanæ; quia plurimi in mendacium labuntur, ſecundum illud Pſalm. 16. *Os eorum locutum eſt mendacium*: ſecundo propter defectum cognitionis: quia homines non poſſunt cognoſcere, neque futura, nec cordium occulta, vel etiam abſentia, de quibus tamen homines loquuntur: & expedit rebus humanis, ut certitudo aliqua de his habeatur: & ideo neceſſarium fuit recurrere ad divinum teſtimonium; quia Deus, neque mentiri poteſt, neque eum aliquid latet: aſſumere autem Deum in teſtem dicitur jurare; quia quaſi pro jure introductum eſt, ut quod ſub invocatione divini teſtimonii dicitur, pro vero habeatur.

Divinum autem teſtimonium quandoque inducitur ad aſſerendum præſentia, vel præterita; & hoc dicitur juramentum aſſertorium: quandoque autem inducitur divinum juramentum ad confirmandum aliquid futurum; & hoc dicitur juramentum promiſſorium: ad ea vero quæ ſunt neceſſaria, & per rationem inveſtiganda non inducitur juramentum: deriſibilis enim videretur, ſi quis in diſputatione alicujus ſcientiæ vellet propoſitum per juramentum probare. 2. 2. *qu.* 89. *art.* 1. *in corp.* 3. *ſent. diſt.* 39. *art.* 1. *in corp.*

QUÆR. 2. *Quid ſit jurare per ſimplicem conteſtationem, vel per execrationem.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod duplex eſt modus jurandi; unus quidem per ſimplicem Dei conteſtationem; ſicut cum aliquis dicit, eſt mihi Deus teſtis, vel coram Deo loquor, vel per Deum, quod idem eſt, ut dicit Auguſtinus: alius modus jurandi eſt per execrationem, dum ſcilicet aliquis ſe, vel aliquid ad ſe pertinens ad pœnam obligat, niſi ſit verum quod dicit. 2. 2. *qu.* 89. *art.* 1. *ad* 3. *lect.* 5. *cap.* 1. *ad Rom.*

QUÆR. 3. *An juramentum ſit licitum: & cur non debemus ipſi aſſueſieri.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod nihil prohibet aliquid eſſe ſecundum ſe bonum, quod tamen cedit in malum ejus, qui non utitur eo convenienter; ſicut ſumere Euchariſtiam eſt bonum, & tamen qui indigne ſumit, *judicium ſibi manducat, & bibit*, ut dicitur 1. ad Corinthios 11. Sic ergo in propoſito dicendum eſt, quod juramentum ſecundum ſe eſt licitum, & honeſtum, quod patet ex origine, & fine: ex origine quidem, quia juramentum eſt introductum ex fide, qua homines credunt Deum habere infallibilem veritatem, & univerſalem omnium cognitionem, & proviſionem: ex fine autem, quia juramentum inducitur ad juſtificandum homines, & ad finiendum controverſias, ut dicitur ad Hebr. 6.

Digitized by Google

Sed juramentum cedit in malum alicui ex eo quod male utitur eo, ideſt ſine neceſſitate, & cautela debita: videtur enim parvam reverentiam habere ad Deum, qui eum ex levi cauſa teſtem inducit, quod non præſumeret etiam de aliquo viro honeſto. Imminet etiam periculum perjurii, quia de facili homo in verbo delinquit, ſecundum illud Jacobi 3. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir:* unde & Eccl. 23. dicitur, *jurationi non aſſueſcat os tuum, multi enim caſus in illa*. 2. 2. *q.* 89. *a.* 2. *in corp.* 3. *ſent. d.* 39. *a.* 2. *in corp.*

QUÆR. 4. *Quomodo intelligatur illud Matth. 5. Ego dico vobis non jurare omnino &c. & Jacobi 5. Ante omnia fratres mei nolite jurare.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſicut Auguſtinus dicit in lib. de mendacio; *Apoſtolus in epiſtolis ſuis jurans, oſtendit quomodo accipiendum eſſet quod dictum eſt*, dico vobis non jurare omnino, *ne ſcilicet jurando ad facilitatem jurandi ad conſuetudinem, & a conſuetudine in perjurium decidatur, & ideo non invenitur juraſſe niſi ſcribens, ubi conſideratio cautior non habet linguam præcipitem. Ibid.* 1. *ad Rom.* 1. *lect.* 5.

QUÆR. 5. *Quomodo intelligi debeat illud Matth. 5. Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt; non, non, quod autem his abundantius eſt, a malo eſt.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut Auguſtinus dicit in lib. de ſermone Domini in monte, *ſi jurare cogeris, ſcias de neceſſitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid ſuades; quæ utique infirmitas malum eſt; itaque non dixit*; quod amplius eſt, malum eſt; *ſed* a malo eſt; *tu enim non malum facis, qui bene uteris juratione, ut alteri perſuadeas, quod utiliter perſuades; ſed a malo eſt illius, cujus infirmitate jurare cogeris*, 2. 2. *qu.* 89. *artic.* 2. *ad* 2.

QUÆR. 6. *Cur dicitur Hier.* 4. *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, in judicio, & in juſtitia, quod exponens Hieron. dicit: animadvertendum eſt, quod jusjurandum hos habet comites, ſcilicet veritatem, judicium, & juſtitiam.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, juramentum non eſt bonum, niſi ei, qui bene utitur juramento; ad bonum autem uſum juramenti duo requiruntur. Primo quidem quod aliquis non leviter, ſed ex neceſſaria cauſa, & diſcrete juret; & quantum ad hoc requiritur judicium, ſcilicet diſcretionis ex parte jurantis. Secundo, quantum ad id quod per juramentum confirmatur; ut ſcilicet neque ſit falſum, neque ſit aliquod illicitum: & quantum ad hoc requiritur veritas, per quam aliquis juramento confirmat quod verum eſt, & juſtitia, per quam confirmat quod licitum eſt, judicio autem caret juramentum incautum; veritate autem, juramentum mendax, juſtitia autem, juramentum iniquum, ſive illicitum. 2. 2 *quæſt.* 89. *art.* 3. *in corp. in utroque ſcripto ſent. d.* 39. *quæſt.* 2.

QUÆR. 7. *An juramentum ſit actus Religionis, ſive latriæ.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod ille qui jurat invocat divinum teſtimonium ad confirmandum ea, quæ dicit: nihil autem confirmatur, niſi per aliquid, quod certius eſt, & potius: & ideo in hoc ipſo quod homo per Deum jurat, profitetur Deum potiorem, utpote cujus veritas eſt indefectibilis; & cognitio univerſalis; & ſic Deo aliquo modo reverentiam exhibet: unde & Apoſtolus dicit ad Hebr. 6. quod *homines per majores ſe jurant*: & Hieronymus dicit ſuper Matthæum, quod *qui jurat, aut veneratur, aut diligit eum, per quem jurat*: Philoſophus etiam dicit in primo Metaph. quod *juramentum eſt honorabiliſſimum*, exhibere autem reverentiam Deo pertinet ad Religionem, ſive latriam, unde manifeſtum eſt, quod juramentum eſt actus Religionis, ſive latriæ. 2. 2. *q.* 89. *a.* 4. *in corp.*

QUÆR. 8. *Cur juramentum non ſit appetendum, vel frequentandum, niſi ex neceſſitate; ne contingat quod dicitur Eccleſ. 23. Vir multum jurans replebitur iniquitate, & D. Auguſtinus dicit in libro de mendacio, quod præceptum Domini de prohibitione juramenti ad hoc poſitum eſt, ut quantum in te eſt non affectes, non quaſi pro bono cum aliqua delectatione appetas jusjurandum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod id quod non quæritur niſi ad ſubveniendum infirmitati, vel defectui, non numeratur inter ea, quæ ſunt per ſe appetenda, ſed inter ea, quæ ſunt neceſſaria: ſicut patet de medicina, quæ quæritur ad ſubveniendum infirmitati, juramentum autem quæritur ad ſubveniendum alicui defectui, quo ſcilicet unus homo alteri diſcredit; & ideo juramentum non eſt habendum inter ea, quæ ſunt per ſe appetenda, ſed inter ea, quæ ſunt huic vitæ neceſſaria, quibus indebite utitur quicunque eis utitur ultra terminos neceſſitatis; unde Auguſtinus dicit in lib. de ſermone Domini in monte, *qui intelligit non in bonis* (ideſt per ſe appetendis) *ſed in neceſſariis jurationem habendam, refrænet ſe quantum poteſt, ut non ea utatur, niſi neceſſitas cogat*. 2. 2. *q.* 89. *a.* 5. *in corp.* 3. *ſent. d.* 39. *q.* 1. *a.* 2. *q.* 1.

QUÆR.

Digitized by Google

QUÆR. 9. *Cur juramentum quanto magis eſt venerandum, tanto magis ſit periculoſum.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſicut medicina eſt utilis ad ſanandum; & tamen quanto eſt virtuoſior, tanto majus nocumentum inducit, ſi non debite ſumatur: ita etiam juramentum utile quidem eſt ad confirmationem, tamen quanto eſt magis venerandum, tanto eſt magis periculoſum, niſi debite inducatur; quia, ut dicitur Eccleſ. 23. *Si fruſtraverit* (ideſt deceperit) *fratrem, delictum ipſius ſuper ipſum erit, & ſi diſſimulaverit* (quaſi per ſimulationem jurando falſum) *delinquit dupliciter*: quia ſcilicet *ſimulata æquitas eſt duplex iniquitas*, ut Auguſtinus dicit; *& ſi in vacuum juraverit* (ideſt ſine debita cauſa, & neceſſitate) *non juſtificabitur*. 2.2. *q.* 89. *a.* 5. *ad* 3.

QUÆR. 10. *An & quomodo liceat jurare per creaturas.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod duplex eſt juramentum, unum quidem, quod fit per ſimplicem conteſtationem, inquantum ſcilicet teſtimonium Dei invocatur, & hoc juramentum innititur divinæ veritati, ſicut & fides: fides autem eſt per ſe quidem, & principaliter de Deo, qui eſt ipſa veritas, ſecundario autem de creaturis, in quibus veritas Dei relucet: & ſimiliter juramentum principaliter refertur ad ipſum Deum, cujus teſtimonium invocatur: ſecundario autem aſſumuntur ad juramentum aliquæ creaturæ, non ſecundum ſe, ſed inquantum in eis divina veritas manifeſtatur: ſicut juramus per Evangelium, ideſt per Deum, cujus veritas in Evangelio manifeſtatur: & per Sanctos, qui hanc veritatem crediderunt, & obſervaverunt.

Alius autem modus jurandi eſt per exécrationem, & in hoc juramento inducitur creatura aliqua, ut in ea divinum judicium exerceatur: & ſic ſolet homo jurare per caput ſuum, aut per filium ſuum, aut per aliquam aliam rem, quam diligit: ſicut & Apoſtolus juravit 2. ad Corinth. 1. dicens: *Ego teſtem Deum invoco in animam meam.*

Quod autem Joſeph per ſalutem Pharaonis juravit, utroque modo intelligi poteſt: vel per modum execrationis, quaſi ſalutem Pharaoni obligaverit Deo: vel per modum conteſtationis, quaſi conteſtando veritatem divinæ juſtitiæ, ad cujus executionem Principes terræ conſtituuntur. 2 2. *q.* 89. *a.* 6. *in corp.* 3. *ſent. diſt.* 39. *a.* 1. *in corp.*

QUÆR. 11. *Quomodo intelligi debeat illud Chriſti Matth.* 5. *Ego dico vobis non jurare omnino; neque per cælum, neque per terram, neque per Hieroſolymam, neque per caput tuum: quod exponens Hier. dicit: conſidera, quod hic Salvator non per Deum jurare prohibuerit, ſed per cælum, & terram &c. quomodo etiam intelligi debeat id quod habetur in decretis* 22. *q.* 1. *Clericum per creaturas jurantem, acerrime objurgandum; ſi perſtiterit in vitio, excommunicandum decernimus.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod Dominus prohibuit jurare per creaturas ita quod eis adhibeatur reverentia divina: unde Hieronymus ibidem ſubdit, quod *Judæi per Angelos, & cætera hujuſmodi jurantes, creaturas venerabantur Dei honore*: & eadem ratione punitur ſecundum canones Clericus per creaturam jurans, quod ad blaſphemiam infidelitatis pertinet: unde in ſequenti capite dicitur: *Si quis per capillum Dei, vel caput juraverit, vel alio modo blaſphemia contra Deum uſus fuerit, ſi in Eccleſiaſtico ordine eſt, deponatur: ſi laicus eſt, anathematizetur.* 2. 2. *q.* 89. *a.* 6. *ad* 1.

QUÆR. 12. *Quomodo, ſicut Apoſtolus ad Hebr.* 6. *ait, omnis controverſiæ eorum* (*ſcilicet hominum*) *finis, ad confirmationem eſt juramentum.*

Reſp. D. Thomas, ponit effectum juramenti, qui in hoc conſiſtit, quod per juramentum finitur omnis controverſia: ſicut enim in ſcientiis, quando reſolvitur uſque ad prima principia indemonſtrabilia, quieſcitur; ita divina lege introductus eſt, quod cum pervenitur ad primam veritatem eſt ſtatus, quod fit, quando ipſa in teſtimonium invocatur, Exodi 22. *Applicabitur ad Deos, & jurabit*, & ſic ſopitur omnis quæſtio, & controverſia. *ad Hebr.* 6. *lect.* 4.

QUÆR. 13. *Quænam ſint cauſæ, pro quibus licet jurare.*

Reſp. D. Thomas, cauſæ in quibus licet jurare, hæ ſunt. Pro pace firmanda: ſicut Laban juravit Geneſis 30. Secundo, pro fama conſervanda. Tertia, pro fidelitate tenenda, ſicut feudatarii jurant Dominis. Quarto, pro obedientia imploranda, ſi præcipitur a Superiore aliquid honeſtum. Quinto, pro ſecuritate facienda. Sexto, pro veritate atteſtanda: ſic juravit Apoſtolus Rom. 1. *Teſtis eſt mihi Deus &c. ibid.*

QUÆR. 14. *An & quomodo ille qui falſum jurat, injuriam faciat Deo, ſibi ipſi, & aliis hominibus.*

Reſp. D. Thomas, qui jurat falſum, facit injuriam Deo, ſibi ipſi, & omnibus hominibus.

Deo quidem, quia cum jurare per Deum nil aliud ſit, niſi invocare ejus teſtimonium, cum juras falſum, aut credis Deum neſcire verum,

Digitized by Google

verum, & ſic ponis ignorantiam in Deo, cum tamen *omnia nuda, & aperta ſint oculis ejus*; ut dicitur ad Hebr. 4. aut quod diligat mendacium, cum tamen odiat ipſum, Pſalm. 5. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*; aut derogas potentiæ, quaſi non poſſit teſtimonium reddere, vel quaſi non poſſit de eo punire.

Item facit injuriam ſibi ipſi: obligat enim ſe judicio Dei; nihil eſt autem aliud dicere per Deum ita eſt, niſi quod Deus puniat me, ſi non eſt ita.

Item injuriatur aliis hominibus: nulla enim inter aliquos ſocietas durare poteſt, niſi credant ſibi invicem; dubia autem juramentis confirmantur. Injuriatur ergo Deo, crudelis eſt ſibi, & noxius eſt hominibus. *Opuſculo 4. cap. de ſecundo præcepto.*

QUÆR. 15. An & quomodo juramentum tam aſſertorium, quam promiſſorium obliget: & quomodo ad hoc ut promiſſorium vim obligandi habeat, requiratur judicium, & juſtitia.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod obligatio refertur ad aliquid quod eſt faciendum, vel dimittendum: unde non videtur reſpicere juramentum aſſertorium, quod eſt de præſenti, vel de præterito; neque etiam juramentum de his quæ ſunt per alias cauſas fienda, ſicut ſi quis juramento aſſereret, quod cras pluvia eſſet futura; ſed ſolum in his quæ ſunt fienda per illum qui jurat: ſicut autem juramentum aſſertorium, quod eſt de præterito, vel de præſenti, debet habere veritatem: ita etiam juramentum de his quæ ſunt fienda a nobis in futurum: & ideo utrumque juramenntum habet quandam obligationem: diverſimode tamen; quia in juramento, quod eſt de præterito vel præſenti, obligatio eſt non reſpectu rei quæ jam fuit vel eſt, ſed reſpectu ipſius actus jurandi, ut ſcilicet juret id quod jam verum eſt vel fuit: ſed in juramento quod præſtatur de his quæ ſunt fienda a nobis, obligatio cadit e contrario ſuper rem quam aliquis juramento firmavit. Tenetur enim aliquis ut faciat verum eſſe id, quod juravit: alioquin deeſt veritas juramento. Si autem eſt talis res, quæ in ejus poteſtate non fuit, deeſt juramento diſcretionis judicium: niſi forte quod erat ei poſſibile, quando juravit, reddatur ei impoſſibile per aliquem eventum: puta cum aliquis jurat, ſe pecuniam ſoluturum, quæ ei poſtmodum vi, vel furto ſubtrahitur: tunc enim videtur excuſatus eſſe a faciendo quod juravit: licet teneatur facere quod in ſe eſt. Si vero ſit quidem poſſibile fieri, ſed non debeat: vel quia eſt per ſe malum, vel quia eſt boni impeditivum, tunc juramento deeſt juſtitia: & ideo juramentum non eſt ſervandum in eo caſu, quo eſt peccatum, vel boni impeditivum: ſecundum enim Auguſt. utrumque eorum vergit in deteriorem exitum. Sic ergo dicendum eſt, quod quicunque jurat aliquid ſe facturum, obligatur ad id faciendum ad hoc quod veritas impleatur, ſi tamen alii duo comites adſint, ſcilicet judicium, & juſtitia. 2. 2. *q. 89. a. 7. in corp. 3. ſent. d. 39. q. 1. a. 3. q. 1.*

QUÆR. 16. An peccet ille, qui jurat aliquid ſecundum ſe malum, v. g. quod perpetrabit adulterium, vel aliquid impeditivum majoris boni, v. g. quod non intrabit Religionem: & utrum teneatur, aut poſſit implere juramentum. Et quid agendum ſit quando juramentum initio licitum, vergit poſtea in deteriorem exitum.

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod juramentum poteſt vergere in deteriorem exitum dupliciter, uno modo quia ab ipſo principio habet pejorem exitum; vel quia eſt ſecundum ſe malum, ſicut cum aliquis jurat ſe perpetraturum adulterium; ſive quia eſt majoris boni impeditivum, puta cum aliquis jurat ſe non intraturum Religionem, vel quod non fiet Clericus, aut quod non accipiet prælationem, in quo expedit eum accipere. vel ſi quid aliud eſt hujuſmodi. Hujuſmodi enim juramentum ex principio eſt illicitum, differenter tamen, quia ſi aliquis juret ſe facturum aliquod peccatum, & peccavit jurando, & peccat juramentum ſervando, ſi quis autem juret ſe non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenetur; peccat quidem jurando, inquantum ponit obicem Spiritui Sancto, qui eſt boni propoſiti inſpirator; non tamen peccat juramentum ſervando, ſed multo melius facit, ſi non ſervet, alio modo vergit in deteriorem exitum propter aliquid, quod de novo emerſerat, quod fuit impræmeditatum, ſicut patet in juramento Herodis, qui juravit puellæ ſaltanti ſe daturum quod petiiſſet; hoc enim juramentum poterat eſſe a principio licitum, intellecta debita conditione, ſcilicet ſi peteret quod dare deberet: ſed impletio juramenti fuit illicita: unde Ambroſius dicit in primo de officiis, *eſt contra officium nonnunquam, promiſſum ſolvere, Sacramentum cuſtodire; ſicut Herodes necem Joannis præſtitit, ne promiſſum negaret*. 2. 2. q. 89. *a. 7. ad 2.*

QUÆR. 17. Quid agendum ſit quando id quod jurando promittitur, eſt malum, vel bonum ex toto, vel ex parte, & de hoc non conſtat, vel dubitatur.

Reſp. D. Thomas, notandum eſt, quod illud,

Digitized by Google

lud, quod jurando promittitur, aut eſt totaliter & aperte malum, aut totaliter & aperte bonum; aut partim bonum, partim malum; aut dubium; ſi totaliter & aperte malum, tunc authoritate propria eſt frangendum: ſi totaliter & aperte bonum, nullatenus eſt frangendum: ſi partim bonum, partim malum: partim eſt tenendum, partim frangendum: ſi vero dubium, non eſt authoritate propria, ſed Superioris interpretatione frangendum. *3. ad Hannib. 39. art. 2. in corp.*

QUÆR. 18. *An qui coactus juravit, teneatur implere juramentum: & utrum poſſit petere ipſius diſpenſationem, licet appoſitum juraverit: & quomodo tales a juramenti nexibus per Summos Pontifices ſunt abſoluti, ut habetur extra, de jurejur.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in juramento, quod quis coactus facit, duplex eſt obligatio: una quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittit; & talis obligatio tollitur per coactionem, quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promiſſum non ſervetur: alia autem eſt obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen ejus promiſit; & talis obligatio non tollitur in foro conſcientiæ, quia magis debet damnum temporale ſuſtinere, quam juramentum violare.

Poteſt tamen repetere in judicio quod ſolvit, vel Prælato denunciare, non obſtante, quod contrarium juravit: quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum; eſſet enim contra juſtitiam publicam. Romani autem Pontifices ab hujuſmodi juramenti homines abſolverunt, non quaſi decernentes hujuſmodi juramenta non eſſe obligatoria, ſed quaſi obligationem ex juſta cauſa relaxantes. *2.2. q. 89. a. 7. ad 3. in utroque ſcripto ſent. locis cit.*

QUÆR. 19. *An juramentum obliget, quando non eſt eadem intentio jurantis, & illius cui jurat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quando non eſt eadem jurantis intentio, & ejus cui jurat, ſi hoc provenit ex dolo jurantis, debet juramentum ſervari ſecundum ſanum intellectum ejus, cui juramentum præſtatur; unde Iſidorus dicit: *Quacunque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita accipit, ſicut cui juratur intelligit*. Et quod hoc intelligatur de doloſo juramento; patet per id, quod ſubditur: *Dupliciter reus fit, qui & nomen Dei in vanum aſſumit, & proximum dolo capit*. Si autem jurans dolum non adhibeat, obligatur ſecundum intentionem jurantis; unde Gregorius 26. Moral. *Humanæ aures talia verba noſtra judicant, qualia foris ſonant; Divina vero judicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur*. *2.2. q. 89. a. 7. ad 4. 3. ſent. d. 39. a. 3. q. 3. in corp.*

QUÆR. 20. *Ad quid obligetur in utroque foro ille qui jurat ſive ſimpliciter, ſive doloſe.*

Reſp. Div. Thomas, diſtinguendum eſt in eo qui jurat, aut enim ſimpliciter, aut doloſe jurat: ſi jurat doloſe, ex duabus partibus poteſt culpa ſequi, ſcilicet ex fractione juramenti, & ex dolo: quamvis ergo ex ipſa ratione juramenti, inquantum juramentum, non obligetur ad ſervandum ipſum, niſi ſecundum ſuam intentionem; tamen ex neceſſitate juramenti, inquantum fuit doloſum, obligatur ad obſervandum taliter, quod ex dolo alius non lædatur: & hoc eſt quando ſecundum intentionem recipientis implet juramentum. Si autem ſimpliciter juret abſque dolo, tunc in foro conſcientiæ non obligatur, niſi ſecundum ſuam intentionem: ſed in foro contentioſo, ubi intentio ignoratur, obligatur ſecundum quod verba communiter accipi ſolent. *3. ſent. diſt. 39. q. 1. art. 3. quæſt. 3. in corp.*

QUÆR. 21. *Cur a juramento excludantur pueri, & etiam perjuri. An qui jurat debeat eſſe jejunus. An jurare conveniat perſonis magnæ dignitatis. Et an ſit jurandum in diebus ſolemnibus. Et quare dicitur 2. qu. 5. Presbyter vice juramenti per ſanctam conſecrationem interrogetur: & 22. q. 5. Nullus ex Eccleſiaſtico ordine cuiquam laico quidquam ſuper ſancta Evangelia jurare præſumat.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in juramento duo ſunt conſideranda: Unum quidem ex parte Dei, cujus teſtimonium inducitur; & quantum ad hoc debet juramento maxima reverentia: Et propter hoc a juramento excluduntur pueri ante annos pubertatis, qui non coguntur ad juramentum, quia nondum habent perfectum uſum rationis, quo poſſint cum reverentia debita juramentum præſtare. Et iterum perjuri, qui ad juramentum non admittuntur: quia ex retroactis præſumitur, quod debitam reverentiam juramento non exhibebunt; & propter hoc etiam ut juramento debita reverentia exhibeatur, dicitur 22. q. 5. *Honeſtum eſt, ut qui in Sanctis audet jurare, hoc jejunus faciat cum omni honeſtate, & timore Dei.*

Aliud autem eſt conſiderandum ex parte hominis, cujus dictum juramento confirmatur: Non enim indiget dictum hominis confirmatione, niſi quia de eo dubitatur. Hoc autem de-

Digitized by Google

derogat dignitati perſonæ, ut dubitetur de veritate eorum, quæ dicit: & ideo perſonis magnæ dignitatis non convenit jurare, propter quod dicitur 2. qu. 5. cap. *Si quis Presbyter*, quod *Sacerdotes ex levi cauſa jurare non debent*. Tamen pro aliqua neceſſitate, vel magna utilitate licitum eſt eis jurare. Et præcipue pro ſpiritualibus negotiis, pro quibus etiam juramenta competit præſtare in ſolemnibus diebus, quibus eſt ſpiritualibus rebus vacandum: non autem tunc ſunt juramenta præſtanda pro rebus temporalibus, niſi forte ex magna neceſſitate. 2. 2. *q.* 89. *art.* 10. *in corp. & ad* 3.

QUÆR. 22. *Cur Aurelianenſe Concilium decrevit, quod niſi pro pace facienda omnes fideles jejuni ad Sacramenta (ideſt juramentum) accedant.*

Reſp. D. Thomas, ratio inſtitutionis fuit, quia ad juramentum requiritur ſumma cautela, quæ exigit ſobrietatem. Excipiuntur tamen caſus illi, in quibus mora traheret periculum; ſicut eſt pro pace facienda. 3. *ſent. diſt.* 39. *in expoſitione textus.*

QUÆR. 23. *Utrum accipiens doctrinam alicujus experimenti ſub juramento non communicandi, teneatur ſervare juramentum.*

Reſp. *v. Secretum.*

QUÆR. 24. *An & quomodo cives, & Canonici teneantur ſervare juramenta Civitatis, & Collegii.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod quia juramentum eſt actio perſonalis, ille, qui de novo fit civis alicujus civitatis, non obligatur quaſi juramento ad obſervanda illa, quæ civitas ſe ſervatura juravit; tamen tenetur ex quadam fidelitate, ex qua obligatur, ut ſicut fit ſocius bonorum civitatis, ita etiam fiat particeps onerum. Canonicus vero qui jurat ſe ſervaturum ſtatuta edita in aliquo Collegio, non tenetur ex juramento ad ſervandum futura, niſi intenderit ſe obligare ad omnia ſtatuta præterita, & futura. Tenetur tamen ea ſervare ex ipſa vi ſtatutorum, quæ habent coactivam virtutem. 2. 2. *quæſt.* 98. *art.* 2. *ad* 4.

QUÆR. 25. *Quomodo ſit intelligenda diſpenſatio in juramento: & utrum fieri poſſit in juramento aſſertorio, vel ſolum in promiſſorio.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod diſpenſatio, quæ fit in juramento, non ſe extendit ad hoc, quod aliquid contra juramentum fiat; hoc enim eſt impoſſibile, cum obſervatio juramenti cadat ſub præcepto divino, quod eſt indiſpenſabile: ſed ad hoc ſe extendit diſpenſatio juramenti, ut id quod ſub juramento cadebat, ſub juramento non cadat, quaſi non exiſtens debita materia juramenti, ut de voto infra dicetur.

Materia autem juramenti aſſertorii, quod eſt de præterito, vel præſenti, in quandam neceſſitatem jam tranſit, & immutabilis facta eſt; & ideo diſpenſatio non referretur ad materiam, ſed referretur ad ipſum actum juramenti; unde talis diſpenſatio directe eſſet contra præceptum divinum. Sed materia juramenti promiſſorii eſt aliquid futurum, quod variari poteſt; ita ſcilicet quod in aliquo eventu poteſt eſſe illicitum, & nocivum, & per conſequens non eſſe debita materia juramenti; & ideo diſpenſari poteſt in juramento promiſſorio, quia talis diſpenſatio reſpicit materiam juramenti, & non contrariatur præcepto divino de juramenti obſervatione. 2. 2. *q.* 89. *art.* 9. *ad* 1.

QUÆR. 26. *Quænam juramenta non egent diſpenſatione; & quinam poſſint irritare ea, quæ diſpenſatione indigent.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod quandoque illud, quod cadit ſub juramento promiſſorio, eſt manifeſte repugnans juſtitiæ, vel quia eſt peccatum, ſicut cum aliquis jurat ſe facturum homicidium; vel quia eſt majoris boni impeditivum, ſicut cum aliquis jurat ſe non intraturum Religionem: & tale juramentum diſpenſatione non indiget: ſed in primo caſu tenetur aliquis tale juramentum non ſervare; in ſecundo autem caſu licitum eſt & ſervare, & non ſervare.

Quandoque vero aliquid ſub juramento promittitur, de quo dubium eſt, utrum ſit licitum, vel illicitum, proficuum, vel nocivum, aut ſimpliciter, aut in aliquo caſu: & in hoc poteſt quilibet Epiſcopus diſpenſare.

Quandoque vero ſub juramento promittitur aliquid, quod eſt manifeſte licitum, & utile; & in tali juramento non videtur habere locum diſpenſatio, vel commutatio, niſi aliquid melius occurrat ad communem utilitatem faciendum, (quod maxime videtur pertinere ad poteſtatem Papæ, qui habet curam univerſalis Eccleſiæ) vel etiam abſoluta relaxatio, quod etiam ad Papam pertinet in omnibus generaliter, quæ ad diſpenſationem rerum Eccleſiaſticarum pertinent, ſuper quas habet plenitudinem poteſtatis. Sicut & ad unumquemque pertinet irritare juramentum, quod a ſibi ſubditis factum eſt, circa ea, quæ ejus poteſtati ſubduntur: ſicut pater poteſt irritare juramentum puellæ, & vir uxoris; ut dicitur Numerorum 30. & dicetur infra de voto. 2. 2. *quæſt.* 89. *artic.* 9. *ad* 3.

QUÆR. 27. *An ille, cui fit juramentum, poſſit illud irritare, vel in eo diſpenſare.*

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod homo poteſt alteri promittere aliquid ſub juramento dupliciter. Uno modo, quando promittit aliquid pertinens ad utilitatem ipſius, puta ſi ſub juramento promittat ſe ſerviturum ei, vel pecuniam daturum: & a tali promiſſione poteſt abſolvere ille, cui promiſſio facta eſt; intelligitur enim jam ei ſolviſſe promiſſum, quando facit de eo ſecundum ejus voluntatem.

Alio modo promittit aliquis alteri, quod pertinet ad honorem Dei, vel utilitatem aliorum; puta ſi aliquis ſub juramento promittat alicui ſe intraturum religionem, vel aliquod opus pietatis facturum: & tunc ille, cui promittitur, non poteſt abſolvere promittentem, quia promiſſio non eſt facta ei principaliter, ſed Deo, niſi forte ſit interpoſita conditio, ratione cujus poſſit; ſcilicet ſi illi videbitur, cui promittitur, vel aliquid aliud tale. 2. 2. *q.* 89. *a.* 9. *ad* 2.

An jurare ſine cauſa ſit ſemper mortale peccatum, ſicut jurare falſum; utrum liceat quandoque exigere, vel recipere juramentum etiam a perjuris: aliaque nonnulla ad juramentum ſpectantia videantur infra v. Perjurium.

JURISDICTIO.

Videatur ſupra v. Abſolutio, Confeſſio, Excommunicatio, Judicium, & infra *v. Sacramentum.*

JUSPATRONATUS.

QUÆR. An juſpatronatus vendi poſſit; & quomodo in alterum poſſit transferri.

RESp. D. Thomas, dicendum, quod juſpatronatus per ſe vendi non poteſt, nec in feudum dari: ſi autem villa vendatur, & in feudum detur, cui annexum eſt juſpatronatus, tranſit cum univerſitate ad illum cui villa datur, vel qui eam emit: non quaſi juſpatronatus ſub venditione cadat. 4. *ſent. d.* 25. *q.* 3. *art.* 2. *q.* 3. *ad* 3. 2. 2. *qu.* 100. *art.* 4. *ad* 3.

JUS, & JUSTITIA.

In tractatu de Juſtitia, & Jure agunt Doctores cum Angelico ſuo præceptore de ipſo jure, & de virtute juſtitiæ, ac injuſtitia vitio ipſi oppoſito: de judicio, accuſatione, defenſione, teſtimonio: de officio Advocati: de reſtitutione: de acceptione perſonarum: de homicidio, & furto, de fraudulentia in emptionibus, & venditionibus: de uſura, de contumelia, detractione, ſuſurratione, deriſione, & maledicentia: quæ omnia ſunt actus vel virtutis juſtitiæ, vel vitii injuſtitiæ: de ipſis autem agitur in variis hujus operis locis ſub propriis vocabulis, exceptis his quæ hic habentur.

QUÆR. 1. An convenienter dividatur jus in naturale, & poſitivum.

RESp. D. Thomas, dicendum quod jus, ſive juſtum, eſt aliquod opus adæquatum alteri ſecundum aliquem æqualitatis modum: Dupliciter autem poteſt alicui homini eſſe aliquid adæquatum: Uno quidem modo eſt ipſa natura rei, puta cum aliquis tantum dat, ut tantundem recipiat, & hoc vocatur jus naturale.

Alio modo aliquid eſt adæquatum, vel commenſuratum alteri ex condicto, ſive ex communi placito; quando ſcilicet aliquis reputat ſe contentum, ſi tantum accipiat. Quod quidem poteſt fieri dupliciter: Uno modo per aliquod privatum condictum, ſicut quod firmatur aliquo pacto inter privatas perſonas; Alio modo ex condicto publico; puta cum totus populus conſentit, quod aliquid habeatur quaſi adæquatum, & commenſuratum alteri; vel cum hoc ordinat Princeps, qui curam populi habet, & ejus perſonam gerit, & hoc dicitur jus poſitivum. 2. 2. *q.* 57. *a.* 2. *in corp.*

QUÆR. 2. Quid ſit jus divinum: & quomodo conveniat cum naturali, & poſitivo, ſicut etiam jus humanum.

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod jus divinum dicitur, quod divinitus promulgatur: & hoc quidem partim eſt de his, quæ ſunt naturaliter juſta; ſed tamen eorum juſtitia homines latet; partim autem de his, quæ fiunt juſta inſtitutione divina. Unde etiam jus divinum, per hæc duo diſtingui poteſt, ſicut & jus humanum. Sunt enim in lege divina quædam præcepta, quia bona: & prohibita, quia mala: Quædam vero bona, quia præcepta, & mala quia prohibita. 2. 2. *q.* 57. *a.* 2. *ad* 5.

QUÆR. 3. Utrum jus poſitivum convenienter diſtinguatur in jus gentium, & jus civile.

Reſp. D. Thomas, dividitur jus poſitivum in jus gentium, & jus civile ſecundum duos modos, quibus aliquid derivatur a lege naturæ: nam ad jus gentium pertinent ea, quæ derivantur ex lege naturæ, ſicut concluſiones ex principiis; ut juſtæ emptiones, venditiones, & alia hujuſmodi, ſine quibus homines ad invicem convivere non poſſunt; quod eſt de lege naturæ, quia *homo eſt naturaliter animal ſociale*, ut probatur in primo Politic.

quæ

Digitized by Google

quæ vero derivantur a lege naturæ per modum particularis determinationis pertinent ad jus civile, ſecundum quod quælibet civitas aliquid ſibi accommode determinat. *p.* 2. *qu.* 95. *art.* 4. *in corp.*

QUÆR. 4. *Utrum convenienter diffiniatur justitia, quod eſt perpetua, & ſtans voluntas jus ſuum unicuique tribuendi.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod prædicta juſtitiæ diffinitio conveniens eſt, ſi recte intelligatur. Cum enim omnis virtus ſit habitus, qui eſt principium boni actus; neceſſe eſt, quod virtus diffiniatur per actum bonum, qui eſt circa ea, quæ ad alterum ſunt, ſicut circa propriam materiam virtutis: Eſt autem juſtitia præcipue circa ea, quæ ad alterum ſunt, ſicut circa propriam materiam; & ideo actus juſtitiæ per comparationem ad propriam materiam virtutis, & objectum tangitur, cum dicitur: *jus ſuum unicuique tribuens*; quia, ut Iſidorus dicit in lib. etymologiarum, *juſtus dicitur, quia jus cuſtodit*. Ad hoc autem quod aliquis actus circa quamcumque materiam ſit virtuoſus, requiritur quod ſit voluntarius, & quod ſit ſtabilis, & firmus; quia Philoſophus dicit in 2. Ethic. quod ad virtutis actum requiritur: primo quidem quod operetur ſciens; ſecundo autem, quod eligens, & propter debitum finem; tertio quod immobiliter operetur: primum autem horum includitur in ſecundo: quia *quod per ignorantiam agitur eſt involuntarium*, ut dicitur in 3. Ethicorum: & ideo in diffinitione juſtitiæ primo ponitur voluntas, ad oſtendendum quod actus juſtitiæ debet eſſe voluntarius: Additur autem de conſtantia, & perpetuitate, ad deſignandam actus firmitatem: & ideo prædicta diffinitio eſt completa diffinitio juſtitiæ. Et ſi quis vellet eam in debitam formam diffinitionis reducere, poſſet ſic dicere, quod *juſtitia eſt habitus ſecundum quem aliquis conſtanti, & perpetua voluntate jus ſuum unicuique tribuit*: & quaſi eſt eadem diffinitio cum ea quam tradit Philoſophus in 5. Ethic. dicens, quod *juſtitia eſt habitus, ſecundum quem aliquis dicitur operativus ſecundum electionem juſti*. 2. 3. *quæſt.* 58. *artic.* 1. *in corp.*

QUÆR. 4. *An juſtitia ſit virtus, juxta illud D. Gregorii 2. Moral. In quatuor virtutibus (ſcilicet prudentia, juſtitia, fortitudine, & temperantia) tota boni operis ſtructura conſurgit.*

Reſp. Div. Thomas, dicendum, quod virtus humana eſt, quæ bonum reddit actum humanum, & ipſum hominem bonum facit; quod quidem convenit juſtitiæ: actus enim hominis bonus redditur ex hoc quod attingit regulam rationis, ſecundum quam humani actus rectificantur: unde cum juſtitia operationes humanas rectificet, manifeſtum eſt quod opus hominis bonum reddit, & ut Tullius dicit in 1. de offic. *ex juſtitia præcipue viri boni nominantur*: unde ſicut ibidem dicit, *in ea virtutis ſplendor eſt maximus*. 2. 2. *qu.* 58. *art.* 3. *in corp.*

QUÆR. 6. *An juſtitia ſit virtus generalis: & quid ſit legalis juſtitia.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod juſtitia, ſicut dictum eſt, ordinat hominem in comparatione ad alium: quod quidem poteſt eſſe dupliciter: uno modo ad alium ſingulariter conſideratum: alio modo ad alium in communi, ſecundum ſcilicet quod ille, qui ſervit alicui communitati, ſervit omnibus hominibus, qui ſub communitate illa continentur. Ad utrumque ergo ſe poteſt habere juſtitia ſecundum propriam rationem. Manifeſtum eſt autem, quod omnes, qui ſub communitate aliqua continentur, comparantur ad communitatem ſicut partes ad totum: pars autem id quod eſt, totius eſt; unde & quodlibet bonum partis eſt ordinabile in bonum totius.

Secundum hoc ergo bonum cujuslibet virtutis ſive ordinantis aliquem hominem ad ſeipſum, ſive ordinantis ipſum ad aliquas alias perſonas ſingulares eſt referibile ad bonum commune, ad quod ordinat juſtitia: & ſecundum hoc actus omnium virtutum poſſunt ad juſtitiam pertinere ſecundum quod ordinat hominem ad bonum commune; & quantum ad hoc juſtitia dicitur virtus generalis. Et quia ad legem pertinet ordinare ad bonum commune, inde eſt quod talis juſtitia prædicto modo generalis, dicitur juſtitia legalis: quia ſcilicet per eam homo concordat legi ordinati actus omnium virtutum ad bonum commune, 2. 2. *q.* 58. *art.* 5. *in corp.*

QUÆR. 7. *An præter juſtitiam generalem, ſive legalem, detur alia quæ ſit virtus ſpecialis.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod juſtitia legalis non eſt eſſentialiter omnis virtus; ſed oportet præter juſtitiam legalem, quæ ordinat hominem immediate ad bonum commune, eſſe alias virtutes, quæ immediate ordinant hominem circa particularia bona. Quæ quidem poſſunt eſſe, vel ad ſeipſum, vel ad alteram ſingularem perſonam. Sicut ergo præter juſtitiam legalem oportet eſſe aliquas virtutes particulares, quæ ordinent hominem in ſeipſos, puta temperantiam, & fortitudinem: ita etiam præter juſtitiam legalem oportet eſſe particularem quandam juſtitiam, quæ ordi-

ordinet hominem circa ea, quæ ſunt ad alteram ſingularem perſonam. 2. 2. *q.* 58. *art.* 7. *in corp.*

QUÆR. 8. *An ſint duæ ſpecies juſtitiæ, ſcilicet commutativa, & diſtributiva.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod juſtitia particularis ordinatur ad aliquam privatam perſonam, quæ comparatur ad Communitatem, ſicut pars ad totum. Poteſt autem ad aliquam partem duplex ordo attendi: unus quidem partis ad partem, cui ſimilis eſt ordo unius privatæ perſonæ ad aliam; & hunc ordinem dirigit commutativa juſtitia, quæ conſiſtit in his, quæ mutuo fiunt inter duas perſonas ad invicem: Alius ordo attenditur totius ad partes, & huic ordini aſſimilatur ordo ejus, quod eſt commune ad ſingulas perſonas; quem quidem ordinem dirigit juſtitia diſtributiva, quæ eſt diſtributiva communium ſecundum proportionalitatem: & ideo duæ ſunt juſtitiæ ſpecies, ſcilicet diſtributiva, & commutativa. 2. 2. *quæſt.* 61. *artic.* 1. *in corp.*

QUÆR. 9. *Utrum virtus juſtitiæ verſetur circa medium rationis, vel circa medium rei.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod aliæ virtutes morales principaliter conſiſtunt circa paſſiones, quarum rectificatio non attenditur niſi ſecundum comparationem ad ipſum hominem, cujus ſunt paſſiones; ſecundum ſcilicet quod iraſcitur, & concupiſcit prout debet ſecundum diverſas circumſtantias: & ideo medium talium virtutum non accipitur ſecundum proportionem unius rei ad alteram, ſed ſolum ſecundum comparationem ad ipſum virtuoſum: & propter hoc in ipſis eſt medium ſolum ſecundum rationem quoad nos. Sed materia juſtitiæ eſt exterior operatio ſecundum quod ipſa, vel res cujus eſt uſus, debitam proportionem habet ad aliam perſonam; & ideo medium juſtitiæ conſiſtit in quadam proportionis æqualitate rei exterioris ad perſonam exteriorem: æquale autem eſt realiter medium inter majus, & minus, ut dicitur in 10. Metaph. unde juſtitia habet medium rei. 2. 2. *quæſt.* 58. *artic.* 10. *in corp.*

QUÆR. 10. *Quo pacto ſumatur medium in juſtitia diſtributiva, & commutativa juxta proportionem geometricam, & arithmeticam.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod in juſtitia diſtributiva datur aliquid alicui privatæ perſonæ, inquantum id, quod eſt totius, eſt debitum parti; quod quidem tanto majus eſt, quanto ipſa pars majorem principalitatem habet in toto; Et ideo in diſtributiva juſtitia tanto plus alicui de bonis communibus datur, quanto illa perſonam majorem habet principalitatem in communitate. Quæ quidem principalitas in Ariſtocratica communitate attenditur ſecundum virtutem, in Oligarchica ſecundum divitias, in Democratia ſecundum libertatem, & in aliis aliter. Et ideo in juſtitia diſtributiva non accipitur medium ſecundum æqualitatem rei ad rem, ſed ſecundum proportionem rerum ad perſonas; ut ſcilicet ſicut una perſona excedit aliam, ita etiam res, quæ datur uni perſonæ, excedat rem, quæ datur alii. Et ideo dicit Philoſophus, quod *tale medium eſt ſecundum Geometricam proportionalitatem*, in qua attenditur æquale non ſecundum quantitatem, ſed ſecundum proportionem. Sicut ſi dicamus, quod ſicut ſe habent ſex ad quatuor, ita ſe habent tria ad duo, quia utrobique eſt ſeſquialtera proportio, in qua majus habet totum minus, & mediam partem ejus; non autem eſt æqualis exceſſus ſecundum quantitatem: quia ſex excedit quatuor in duobus, tria vero excedunt duo in uno.

Sed in commutationibus redditur aliquid alicui ſingulari perſonæ propter rem ejus, quæ accepta eſt: ut maxime patet in emptione, & venditione, in quibus primo invenitur ratio commutationis: & ideo oportet adæquare rem rei, ut quanto iſte plus habet, quam ſuum ſit, de eo, quod eſt alterius, tantundem reſtituat ei, cujus eſt: & ſic fit æqualitas ſecundum arithmeticam medietatem, quæ attenditur ſecundum parem quantitatis exceſſum: ſicut quinque eſt medium inter ſex, & quatuor, in unitate enim excedit, & exceditur: Si ergo a principio uterque habeat quinque, & unus eorum accipit unum de eo, quod eſt alterius, unus ſcilicet accipiens habebit ſex, & alii relinquentur quatuor: erit ergo juſtitia, ſi uterque reducatur ad medium, ut accipiatur unum ab eo, qui habet ſex, & detur ei, qui habet quatuor: ſic enim uterque habebit quinque, quod eſt medium. 2. 2. *qu.* 61. *art.* 2. *in corp.*

QUÆR. 11. *Quodnam ſit proprium munus juſtitiæ.*

Reſp. D. Thomas, quod Ambroſius dicit in 1. de Offic. juſtitia eſt quæ unicuique quod ſuum eſt, tribuit, alienum non vendicat, utilitatem propriam negligit, ut communem æquitatem cuſtodiat. 2. 2. *quæſt.* 58. *art.* 11. *in argum. ſed contra.*

QUÆR. 12. *Utrum juſtitia præmineat inter omnes virtutes morales.*

Reſp. D. Thomas, dicendum, quod ſi loqua-

Digitized by Google

quamur de juſtitia legali, manifeſtum eſt, quod ipſa eſt præclarior inter omnes virtutes morales, inquantum bonum commune præeminet bono ſingulari unius perſonæ. Et ſecundum hoc Philoſophus in 5. Ethic. dicit, quod *præclariſſima virtutum, videtur eſſe juſtitia: & neque eſt heſperus, neque lucifer ita admirabilis.*

Sed etiam ſi loquamur de juſtitia particulari, præcellit inter alias virtutes morales duplici ratione: Quarum prima poteſt ſumi ex parte ſubjecti; quia ſcilicet eſt in nobiliori parte animæ, ideſt in appetitu rationali, ſcilicet in voluntate, aliis virtutibus moralibus exiſtentibus in appetitu ſenſitivo, ad quem pertinent paſſiones, quæ ſunt materia aliarum virtutum moralium: Secunda ratio ſumitur ex parte objecti, nam aliæ virtutes laudantur ſolum ſecundum bonum ipſius virtuoſi; juſtitia autem laudatur, ſecundum quod virtuoſus ad alium bene ſe habet: & ſic juſtitia quodammodo eſt bonum alterius ut dicitur 5. Ethicorum; & propter hoc Philoſophus dicit in 1. Reth. *Neceſſe eſt maximas virtutes eſſe eas, quæ ſunt aliis utiliſſimæ? ſiquidem eſt virtus potentia benefactiva: propter hoc & fortes, & juſtos maxime honorant; quoniam fortitudo eſt utilis aliis in bello; juſtitia autem & in bello, & in pace. 2. 2. q. 68. art. 12. in corp.*

TOMI PRIMI FINIS.

NOI

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

Concediamo Licenza a *Franceſco Pezzana* Stampator di *Venezia* di poter riſtampare il Libro intitolato *Moralis D. Thomæ Aquinatis &c. Ex Operibus iſtius exacte deprompta & ad modum Dictionarii Theologico Moralis, &c. Auctore Rev. Patre Ludovico Bancel Valentino &c.*, oſſervando gli ordini ſoliti in materia di Stampe, e preſentando le Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 26. Novembre 1779.

(*Alviſe Vallareſſo Rif.*

(*Andrea Tron Kav. Proc. Rif.*

(*Sebaſtian Foſcarini Kav. Rif.*

Regiſtrato in Libro a Carte 420. al Num. 1067.

Daviddė Marcheſini Seg.

Digitized by Google